

post. Cantici Magnificat.
 ato originali, & hoc credidit Maria,
 arnationem Domini surgens statim,
 ana cum festinatione, & ob hoc
 sabeth: BEATA QVAE CREDI-
 niter fuerunt Maria reuelata om-
 rae Christi, ut quae ad eius admirabi-
 m, & hoc significare videntur illa
autem conseruabat omnia uerba
 ordesno, id est equiparabat, coap-
 par illa quae videbat, & audiebat
 bus, ac Sacerdotibus, cum illis
 erant a Deo in ipso incarna-
 ra clausula comprehendit
 igitur domus Zachariae,
 s, *Ecce enim ex quo facta*
 mitanti reuelauit Dominus
 dantes liberatus fuit a pec-
 ante sua voce, facta ad aures
 ex verbis, & aqua baptismi li-
 omnes fideles ab eadem originaria
 se fuerunt ei pariter reuelata om-
 nis gratiae influenda contra
 carat, & hoc etiam credi-

Biblioteca Universitaria
 GRANADA
 Sala 14
 Tabla 95

Pro Myrthio Imma-
 non solum fuit benedicta, quae
 anteaquam Gabriel aliquid di-
 set, dixit ei, Ave Maria, &
 tecum, benedicta tu in mulie-
 re, beatitudo non potest acci-
 gelo, 2. quod si de hac loqueri
 re poterat, ET BEATA QVAE
 gelo, vel nuncie sed nihil re-
 & vniuersaliter CREDIDIS
 ba: *quae dixit a sum* quae autem
 factur solum did, sed repro-
 billa. Est enim in agnitione
 simpliciter, reprobatione
 ut late dicam in ultimo versu
 cor respondente 4. Quia hic
 sona dicens, in uerbo a
 enim dicit a Deo
 let dicere, quod
 Angelo, quia hoc est deu-
 Deinde quem modo potest ha-
 cum dicat rexus, & *Missus*
 a Deo, & c. sed hic non dicit
 MINO, nec facit facit

ntici Magnificat.

ELISA BETH
 ATIO.
 oratio Eli
 quae credid
 a sunt tibi
 lix, quae c
 us sic va
 Tio effatis
 ia person
 uant und
 a, omne
 it, & affi-
 at Angelus
 incarnatio,
 dicens: *Hic e*
 ssimi vocabitur, & dabit illi
 l patris eius, & c. haec
 vel di-
 approbatione

Del Col. de la Comp.^a de l'ht. de Granada.

B.B.^e

23-22



R. P. IOAN.

EVSEBII

NIEREMBERGII

SOCIET. IESV

OPERA

PARTHENICA.





R. P. I. Eusebii N. opera
 Postuma, quae
 Imprimuntur Lugduni
 hoc Anno 1659. Sumptibus
 Claudij Bourgeat &
 Mich. Lietard Bibliop.

R. P. I. Eusebii Nirembergii
 Opera Parthenica Fol. 1659

Eiusd. Eusebii Succus.
 Prudentia- Sacro politica

Eiusd. Eusebii Hieromelisa
 Bibliode Doctrina E. uag. Fol.
 Sub praed.

Eiusdem Eusebii Silva
 Catechistica. 4. sub praed.

Eiusdem Eusebii Philosophia
 Christiana. 4. sub praed.



V. Guigou fecit

Venerabilis P. Ioannes Eusebius Nirembergus Societatis Iesu. Parentum pietate
 Mundo promeritus; Dei beneficiis datus. Nasci Calz non solo visus est. Sexennis diuino splendore illustratus non vulgares
 incarnationis Xpi. Notitias accepit ad animarum conuersionem destinatus a Virgine. Ita laborauit, ut nihil temporis studio, et libris
 conseribendis, ita studuit, et scripsit, ut nihil labori, et saluti animarum reliquisse diceres. Propria salutis dispendio, aliena, compendium
 fecit, et lucrum. Annis plenius, et Meritis, de Sua salute, et gloria admonitus, ad superos, ut pie credimus, euolauit septimo aprili anno
 1658. etatis 63 felix, quod ita vixerit: felixior, quod in calum multos premiserit.
 CH. C. dilectus in Xpo filius Parenti optimo D. C. que.

R-5128

R. P. IOANNIS

Composu eld. Sedo
de Montenegro

EVSEBII

NIEREMBERGII,

E SOCIET. IESV.

OPERA

PARTHENICA.

DE

SVPER-EXIMIA ET OMNIMODA

Puritate Matris Dei.

Opus novum ac eximium; in quo quidquid ad sacram Deiparae Conceptionem defendendam afferri potest, doctissime expenditur & enucleatur.

Pagina nona inuenies Indicem omnium Opusculorum quae in hoc Opere Parthenico continentur, cum Vita Authoris, alioque quorundam selectissimorum eius operum manuscriptorum Indice, quae hoc ipso anno 1659. Lugduni Typis edenda, idem Bibliopola curabit.

*Delalup.
Dra.*

e. N. de



LUGDVNI.

Sumptibus CLAVDII BOVRGEAT, & MICH. LIETARD.

M. DC. LIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

15-11-18

R. P. JOANNIS

EVSEBII

NIEREMBERGII

M. SOCIET. 1857

OPERA

BARTHENICA

Supplementum ad Opera

Bartholomaei

Opera omnia et selectiora

Bartholomaei

1857

1857

1857



CLAVDII BOVBREAT, M. SOCIET. 1857

M. DC. 1857



Illustrissimo D. D.

CHRISTOPH. CRESPI
DE VALDAVRA
MONTESIANI ORDINIS
Clauiculario , & Regnorum Coronæ
Aragonum Vice-Cancellario, &c.



*NON ingratum tibi , ut opinor munus erit VIR ILLUSTRIS-
SIME, Ioannis Eusebij familiaris tui opus hoc posthu-
mum. Rediuuium tibi reddo in paginis, quem celebri funeris apparatu coluisti
defunctum, futurus ad aras amicus, cum debitam piis cineribus apotheosim decre-
uerit Ecclesie Flamen. Ultra tumulum ibit amicitie vestre nodus sanctissimus,
quippè meliore sui parte superstes uiuit in te, dum illum exprimis mo-
ribus ; & illius uiuam in dies fingis imaginem, virtutum omnium co-
loribus absolutam. Quid illi apotheosi opus alia, quem fecit calamus
immortalem ? Reddit indolis candorem charta innocens, Splendorem
ingenij eruditæ characterum tenebræ explicant, & diuini ardorem in-
cendij, nondum frigidi cineres contestantur. Amicatus ille pietati li-
teras, musas virtutibus, Heliconem Caluaria, & Apollinem Deo. Si-
lentij fructus est dicendi ubertas, & solitudinis partus librorum fre-
quentia. Non hic Encomiasten ago viri quem introspexeras; intelligenti
pauca dixisse si satis est, amico sufficient. pauciora, plura tamen dicam
uno verbo, si obiectum interrogaueris familiaris tui silentium. Cinis
amantis amatus est, inquit ille qui ingenium amoris nouerat, in hunc
definit, in hunc vorax illum amoris flamma resoluit. Quem igitur te ap-
pellem ? Artemisiam alteram ? uiuacem urnam Eusebij ? Superstitem*

amati cinerem? Phœnicem unum & alterum? imò nec alterum, quia unum quod restat ex amante, amatus est. Hoc funeris fœnus est. Qui moritur, superest totus in dimidio sui. Superat sortem vsura amoris. Subtile amoris ingenium, quos unum gemit, replicat quos connectit. Exemplum itaque nobis illius eris, exemplar futurus aliis. Hæredem tui te scribo, dum amici bona tuo inscribo nomini. Excepi extrema morientis verba, ut nunquam moritura reciperem; occlusi abeuntis oculos, ut ingenij lumina dare possem in lucem. Duxisti me ad illum pro soluta comitate, & Euseby filium reduxisti, adoptavit me ille in suum, ubi tuum me esse comperit. Parentis vota nunc impleo adscriptitius filius. Mariam quam dilexit unice tibi sisto expertem macula. Amantis de amata donum est amato factum & amanti, erit etiam si pateris clientelaris obsequij mei pignus, tibi enim sum

Addictissimus & obsequentissimus,

CLAVDIVS BOVRGEAT.



GO Franciscus de Montemayor Societatis Iesu, in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Gosvino Nikhel Præposito Generali, facultatem facio, ut Liber inscriptus, *Opera Parthenica de Super-eximia & omnimoda puritate Matris Dei*, à R. P. Ioanne Eusebio Nierembergio, Societatis nostræ Theologo, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio die 23. Iunij, anno Domini, 1655.

FRANCISCVS DE MONTEMAYOR.



BIBLIOPOLA LECTORI.



ON eget ambitiosâ verborum commendatione Doctrina R. P. Ioannis Eusebij Nierembergij, non opus illi famæ vocibus, postquam Europæ linguis omnibus loqui cœpit. Vectigales sibi fecit disciplinas ferme singulas, cum acceptum ab iis splendore nominis, eiusdem celebritate refudit. Impeditioris linguæ cum esset, calamum ad manum habuit tam facilem quàm peritum: stylo diceres non pennâ usum, adeo nulla verborum leuitas est inter aculeos. In

humanæ sapientiæ mysteriis pene diuinus est, in multiplici variâque rerum notitia vbique similis: in asceticis pius, in paruis maximus, in occultis oculatissimus, in Marianis operibus superat ingenium & naturam. Consignavit mihi postremum illud opus, vt dum Europæ sidus extinguitur, nouâ lucis vsurâ orbem pergat literarium illustrare. Initiatus *MARIÆ* pugil, bonæ Matris illibatum nitorem asseruit, & tam nobile trophæum statuit illæso Conceptui. Conceptus illi suos omnes cùm addixerit, mirum esse non debet me fecisse initium eius operum quod scriptorum fuit postremum. Erat hæc illi doctrinæ tessera, Scientiarum scopus, eos ingenij, laborum meta, & commentationum omnium propositus finis. Dabo reliqua tandem illius opera, quorum titulos, in Priuilegio sequenti, reperies, & efficiam nequid tanti viri pereat eruditis. Tu interim Lector fruire, & Librariorum mendis benignus ignosce.



PRIVILEGE DV ROY.



OVYS PAR LA GRACE DE DIEV, Roy de France & de Nauarre. A nos Amez & feaux Conseillers, les gens tenans nostre Cour de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Senchaux, Preuosts, ou leurs Lieutenans, & à tous nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, SALVT, Nostre bien amé CLAUDE BOVRGEAT, Marchand Libraire de Lyon, nous à tres-humblement remonsté qu'il à apporté d'Espagne les Oeuures suiuautes. *R. P. Ioan. Eusebij Nierembegij Opera Parthenica, de Super-eximiâ & omnimodâ puritate Matris Dei.* — eiusdem Authoris *Hieromelissa Bibliotheca, de Doctrinâ Euangelij, Imitatione Christi, & Perfectione Spirituali.* — eiusdem Authoris, *Sylua Catechistica.* — eiusdem Authoris, *Sylloge Axiomatum & Institutionum Spiritualium Christiana Philosophia.* — eiusdem Authoris, *Succus Prudentia Sacro-politica per D. Paulum Antonium de Tarsia.* — eiusdem Authoris *alia Opuscula Theologica.* — eiusdem Authoris *Vita.* Auec vn autre Liure Manuscript d'vn autre Autheur Espagnol intitulé. *R. P. Sebastiani Izquierdo Soc. Iesu, Pharus omnium Scientiarum mundi.* Lesquelles Oeuures sont de tres-grande erudition, & fruiçt pour les gens Scauans, comme ayant esté approuuées de plusieurs grands hommes, & ledit Suppliant requiert d'imprimer où faire imprimer lesdites Oeuures, s'il nous plaisoit de luy accorder nos Lettres sur ce necessaires. A CES CAUSES voulans pour le bien Public fauoriser l'intention dudit Suppliant, N O V S de nos graces speciales luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces Presentes, d'imprimer, faire imprimer, vendre, debiter lesdites Oeuures, & autres Liures des susdits Autheurs par tous les lieux de nostre obeysance par tel Imprimeur, où Libraire qu'il vouldra choisir, en vn ou plusieurs volumes, en telles marges & Caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, durant l'espace de Vingt-années entieres & accomplies, à compter du iour que chaque volume sera acheué d'imprimer pour la premiere fois; E T F A I S O N S tres-expresses inhibitions & defences à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soyent d'imprimer, où faire imprimer, vendre, ny distribuer durant ledit temps lesdites Oeuures cy-dessus mentionnées & autres desdits Autheurs, sous pretexte d'Augmentation, Correction, Changement de Tiltres, Fausses Marges, où autrement en quelque sorte & maniere que ce puisse estre. D E F F E N D O N S mesmes à tous Marchands Libraires & autres qui ne seront nos subiets d'en apporter en ce Royaume de ceux qui pourroient estre imprimez hors d'iceluy, le tout sur peine de trois mille liures d'amande payable sans depost par chacun des contreuenans, & applicable vn tiers à Nous, & vn tiers à l'Hostel-Dieu de Lyon, & l'autre tiers audit Exposant, où autre par luy choisi, & confiscation des Exemplaires, & de tous despens, dommages, & interets, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires de chacune desdites Oeuures en nostre Bibliotheque publique, & vn autre en celle de nostre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Cheuallier, Comte de Gien, & Chancelier de France, auant que l'exposer en vante, à peine de nullité des Presentes; du contenu desquelles; N O V S vous mandons que vous fassiez iouir & vsfer pleinement & paisiblement ledit Exposant, & ceux qui auront droit de luy, sans qu'il leur soit fait ny donné aucun empeschement; Voulons aussi qu'en mettant au commencement où à la fin dudit Liure vn Extrait des Presentes, elles soient tenües pour deuëment signifiées & que foy y soit adioustée, & aux Coppies collationnées par vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original. M A N D O N S au premier de nos Huissiers où Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des Presentes tous Exploits necessaires, sans demander autre permission. C A R tel est nostre plaisir, D O N N E' à Lyon, le vingtiesme iour du mois de Decembre, l'an de grace, mil six cens cinquante-huict, & de nostre Regne le seiziesme, signé par le Roy en son Conseil, C A T E L A N, & Seellé du grand Seau de Cire iaune sur simple queue,



OPUSCULA
QUÆ IN HOC OPERE
Parthenico continentur.

- I. **I**OANNES EVSEBIUS NIEREMBERGIUS.
De Perpetuo obiecto Festi Immaculatæ Conceptionis
Virginis. 1
- II. De sanctitate instituti Festi certâ, & necessariâ ad cultum Ec-
clesiasticum, singulatim in Festo immaculatæ Conceptionis, præcepto à
Summis Pontificibus. 66
- III. Exceptiones Concilij Tridentini, pro omnimodâ Puritate Deiparæ Vir-
ginis expensæ. Quibus non solum eius Actualis sanctitas, verum &
justitia Originalis confirmatur. 103
- IV. Epistola Sanctissimo DD. Nostro Alexandro VII. Pontifici Maximo:
Quòd causa Ecclesiæ sit exaltatio Immaculatæ Conceptionis. 247
- V. Theoria compendiosa de solidâ veritate conceptæ Deiparæ absque Labe Ori-
ginali: Ex Canonicis, atque Orthodoxis fundamentis. 266
- VI. Sacrosyllabus de explicatâ ab Ecclesiâ, & Patribus Scripturâ, pro Immacu-
latâ Conceptione. 279
- VII. Dissertationes Epistolice de Immaculatâ Conceptione. 324
- VIII. Mantissa de Formulis Canonizationum variis. 412
- IX. De Festo Translationis Sancti Benedicti, coaptato certitudini festivæ Con-
ceptionis B. Virginis. 421
- X. De Concordiâ debiti culpæ, negati in Deiparâ, cum Gratiâ Redemptio-
nis. 426
In primâ parte agitur de Beatissima Virgine, per merita Christi non inclusâ
in pacto. 446
In secundâ, de Prioritate non comprehensæ Virginis in pacto, sine necessitate
prævidendi absolutè merita Christi. 471
In tertiâ, de Exclusionem Virginis à pacto. 484
In quartâ, de Impossibilitate debiti realis in Personâ Virginis, in omnium
opinionem concedendâ. 503
- XI. De Nouâ Monetâ Sanctissimi D. N. Alexandri VII. Pro gloriâ imma-
culatæ Conceptionis perpensâ. 515
- XII. Supplex libellus pro Immaculatâ B. Virginis Conceptione, & pace Chri-
stianorum Principum.



INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM Operum Parthenicorum,

R. P. IOAN. EVSEBII NIEREMBERGII
SOCIETATIS IESV.

INDEX CAPITVLORVM Operis,

*De perpetuo obiecto Festi Immaculatae
Conceptionis.*

CAP. I.	D E tempore Apostolorum & Apostolicorum virorum, pag. 1	XVII. De Clemente VII. Iulio & Paulo III. Paulo, & Pio IV. <i>ibid.</i>
II.	De tempore Doctorum Ecclesiae, maxime S. Hieronymi, usque ad S. Sabbam, & S. Andream Cretensem. 2	XVIII. De sensu Concilij Tridentini, 20
III.	De tempore S. Isidori, S. Ildephonsi, & S. Decorosi. 4	XIX. De sensu Pij V. 27
V.	De tempore S. Ioannis Damasceni, Basilij, Macedonis, Leonis Sapientis, & Manuelis Comneni. 6	XX. De Gregorio XIII. & Sixto V. 28
V.	De tempore Ioannis X. summi Pontificis, & Alexandri II. 8.	XXI. De Clemente VIII. <i>ibid.</i>
VI.	De tempore S. Anselmi. 9	XXII. De Paulo V. <i>ibid.</i>
VII.	De tempore Sancti Norberti, & S. Bernardi. 11	XXIII. De sensu Gregorij XV. 29
VIII.	Continuatio huius festiuitatis iuxta obiectum Sancti Anselmi, 13	XXIV. De Urbano VIII. 33
IX.	Independentem à Sancto Anselmo colit Ecclesia in hac conceptionis solemnitate, praeservationem Virginis à culpa originali. 14	XXV. De Innocentio X. 34
X.	De Concilio Basiliensi infirmante, obiectum huius festi esse immunitatem Virginis à labe originali. 15	XXVI. De aliis Pontificibus Romanis in genere. 35
XI.	De Sixto IV. idem approbante, & mirifice huic mysterio fauente in suis Extrauagantibus. 19	XXVII. Refelluntur qui dicunt, obiectum huius festi esse sanctificationem solam, & illustratur mens S. Thomae. <i>ibid.</i>
XII.	De Innocentio IX. 22	XXVIII. Exploduntur alia obiecta huius festi, quae nonnulli commentantur. 38
XIII.	De Alexandro VI. 23	XXIX. Extruditur alia interpretatio Grauinæ. 40
XIV.	De Iulio II. <i>ibid.</i>	XXX. An Conceptio foetus Deiparae fuisse potuit obiectum sacrae festiuitatis. 44
XV.	De Leone X. 24	§. I. Eximitur actuali, & praesenti debito peccati originalis sacratissima Virgo, licet in Adami pacto fuisset comprehensa. 45
XVI.	De Adriano VI. 25	§. II. An Beatissima Virgo eodem die fuerit animata, quo carnaliter concepta. 40
		§. III. An caro Virginis antequam anima eius informaretur, potuerit sacra esse. 50
		XXXI. Confirmantur dicta ex Bellarmino, cuius mens elucidatur circa obiectum festi Conceptionis, 57
		XXXII. De consensu Ecclesiae Graecae cum Lanita. 62
		XXXIII. Quantum obsequium fiat Virgini in celebranda suae immaculatae Conceptionis festiuitate. 63
		XXXIV. Vtilitates huius Festi. <i>ibid.</i>
		XXXV.

Index Paragraphorum.

XXXV. Oporteret cohiberi qui minus sincere de Immaculato huius Festiuitatis obiecto sentirent, & circa hoc ineluctabiliter prouidere. p.65

INDEX

PARAGRAPHORVM

OPERIS.

De Sanctitate instituti Festi certa.

§. I.

- E**X summis Pontificibus probatur certa sanctitas, ad cultum sacrum necessaria. 67
- II. Ex Concilio Nicæno primo, & aliis Conciliis stabilitur, erroris immune esse festum, in maxima Ecclesiæ parte celebratum. pag.68
- III. Idem probatur ex Patribus, & sanctis Ecclesiæ Doctoribus, tum antiquis, tum posterioribus. pag.69
- IV. Argumentum generale ex satisfactione conuenienti fidelibus, de infallibilitate sui capitæ; ex quo probatur certitudo mysterij festiui pag.91
- V. Ex decretis morum probatur necessaria veritas sanctitatis in mysteriis festiuis. pag.71
- VI. Ex immunitate, atque exemptione Clericorum confirmatur, Conceptionem Virginis ab originali in sua Conceptione coli. ibid.
- VII. Canonizatio sanctorum probat certam sanctitatem immaculatæ conceptionis. pag.73
- VIII. Ex approbatione Religionum demonstratur eadem sanctitas festorum. pag.76.
- IX. Ex legibus à Pontifice particulari Prouinciæ impositis, colligitur præceptum generale celebrandi Conceptionem, certam eius sanctitatem facere. ibid.
- X. Idem adstrui beatificatio seruorum Dei pag.77
- XI. Grauitas materiæ, sanctitatem rei celebratæ indubitanter asseuerat. ibid.
- XII. Ex pietate materiæ idem suaderur. p.68
- XIII. Non solum ex pietate, & quali-

Joan. Euseb. Op. Parth.

rate materiæ religiosæ; sed ex eo quòd concernat res Fidei, idem stabilitur. pag.79

- XIV. Declaratio humani contractus confirmat certam sanctitatem rei celebratæ. ibid.
- XV. Ex comparatione consuetudinis Ecclesiasticæ idem roboratur. p.80
- XVI. Ex censuris propositionum, verè, adæquatè assignandis, comprobatur vera sanctitas festiui mysterij. p.81
- XVII. Ex censura probabilioris propositionis idem confirmatur. ibid.
- XVIII. Occluduntur subrefugia sentientibus contra certam sanctitatem, ex festo immaculatæ Conceptionis. p.82
- XIX. Pluribus rationibus euincitur, non esse sustinendam probabilitatem solum, ad vniuersalem festorum institutionem. ibid.
- XX. Eadem materia roboratur, & illustratur. pag.85
- XXI. Iterum, de eodem argumento variæ confirmationes considerantur. p.87
- XXII. Alia circa idem ratiocinatio proponitur. pag.88
- XXIII. Sola probabilitas, si sufficeret ad festiuitates, euerteret infallibilem gubernationem Ecclesiæ p.89
- XXIV. De eodem argumento, & qualiter quòd priuatim potest adorari, non est propterea publicè præcipiendum, & quomodò adoratione sit utendum. p.90
- XXV. Ostenditur per capita confusio sequutura duplicem illum decernendi modum. p.91
- XXVI. Licet non foret certa tenenda sanctitas Conceptionis ob institutum festum, non esset de illa dubitandum ex aliis capitibus, in quibus, pontifex nequit errare. p.92
- XXVII. Occurritur quibusdam objectionibus. p.95
- XXVIII. Quo pacto certa sanctitas Conceptionis festiue componatur cum libertate opinandi, & sentiendi utramlibet partem. p.99
- XXIX. Alia sententia proponitur de certitudinis festiui obiecti, non repugnante probabilitate alicui partis affirmantis, p.101

I N D E X
C A P I T V M.

Exceptionum Concilij Tridentini.

C A P. I.

Quamuis puritas Virginis ab omni peccato actuali immunis definita non sit in aliquo Concilio directè, infallibilis tamen ab Ecclesia Catholica, propter traditionem Patrum, firmiter tenetur. p. 103

I I.

Eadem Traditio, qua adstruitur Virginis ab omni peccato actuali immunitas, extenditur ad eius puritatem Originalem. 104

I I I.

Idem aliis confirmatur argumentis. 170

I V.

Argumentum à quibusdam Patribus desumptum, qui magis propenderunt in puritatem Originalem. 109

V.

Non solùm Patrum sententiæ, verùm etiam rationes, quibus innituntur, æquè puritati Originali ac actuali suffragantur. 111

V I.

Pluribus sacre Scripturæ testimoniis probatur puritas Originalis quàm actualis. 113

V I I.

Expenditur Concilium Tridentinum in fauorem huius traditionis. 114

V I I I.

Plura Concilia, præter Basiliense & Tridentinum, significantius denotant

puritatem Originalem Virginis, quàm specialiter exprimunt actua- lem. 118

I X.

Nuncupatio Immaculatæ Virginis, iuxta prisca Concilia & moderna, comprehendit immunitatem à peccato Originali, & confirmat hanc traditionem Patrum. 125

X.

Idem Traditionis sensus confirmatur amplius ex eo quòd Conceptio B. Virginis in eius Festiuitate celebraretur ab Ecclesia Catholica. 126

X I.

Confirmantur dicta ex sententiis & vero sensu sancti Ildefonsi circa Immaculatam Virginis Conceptionem; cuius Sermo de B. Virgine nondum antea excusus, nunc editur. 130

X I I.

Eadem Traditio firmatur ex antiquitate apud Græcos Festiue Conceptionis Deiparæ. 131

X I I I.

Argumentum ex modo loquendi plurimorum Patrum ab ipso tempore Apostolorum desumptum, qui puritatem Originalem supponunt. 132

X I V.

Iisdem argumentis ab auctoritatibus desumptis, quæ contra ipsam opinionem ab Aduersariis obijciuntur, æqualiter comprobatur, vnam & eandem Traditionem esse de puritate actuali ac Originali. 170

X V.

Eadem Traditio ex ipsis Ecclesiæ inimicis confirmatur. 273

X V I.

Vis huius Traditionis vndecim sæculorū, eiusque cōtinuatio vsque in hodiernum

Index Capitulorum &c.

num diem ostenditur; mens quoque sancti Bernardi circa Festiuitatem Conceptionis declaratur. 135

XVII.

Exponuntur termini & modi loquendi Antiquorum circa hanc materiam, per quos demonstratur, eandem Traditionem vsque ad nostra hæc tempora continuatam fuisse. 176

XVIII.

Declaratur, sanctum Bernardum nihil asseruisse contra sanctificationem beatissimæ Virginis in primo instanti suæ Conceptionis; imò huic mysterio patenter fauisse. 180

XIX.

Contradictio quæ adducitur ex Scholasticis antiquis euanesceat, & apparens dumtaxat fuit. 183

XX.

Sanctus Bonauentura vbique sentit formaliter in fauorem sententiæ piæ; idemque dicendum de sancto Bernardo, sancto Thoma, & aliis Scholasticis. 185

XXI.

Sanctus Thomas nequiquam aduersabatur puritati Originali personæ MARIE sanctissimæ; sed potius eam clarissimè affirmavit. 187

XXII.

Hoc mysterium in veritate & simpliciter non oppugnatum per Religionem S. Dominici, sed solum accidentariè, & specie tenus. 190

XXIII.

Quantus fuerit sacri Ordinis beati Dominici erga præsens mysterium fauor ac studium. 192

§. I. Præter tot sanctos Ordinis Dominicani, alij innumeri Doctores eiusdem Religionis sequuntur opinionem magis piam; imò & Capitulum ipsius Ordinis. 194

Ioan. Euseb. Op. Parth.

§. II. Nonnulli Dominicani etiam si sectentur affirmatiuam opinionem, fauent tamen negatiuæ sententiæ. 197.

§. III. Non solum ratione, sed miraculorum commendatione fauere Dominicani Patres Immaculatæ Conceptioni. 198

§. IV. Commendatione quoque diuinarum reuelationum fauere multi Dominicani Immaculatæ Conceptioni. 199

XXIV.

Appendix ad Caput antecedens. Testimoniis originalibus & instrumentis publicis ostenditur, religiosissimos & sanctissimos viros ex Dominicanis iuramentum de sequendo sancto Thoma obseruasse, affirmantes Conceptionem Virginis Immaculatam & immunem à peccato Originali.

§. I. Exemplar cuiusdam Epistolæ, quam Illustrissimus Pater Magister Gaspar Catalan de Monzonis, Ordinis Prædicatorum, electus Episcopus Herdensis, scripsit ad Dominum Michaellem Baptistam de Lainuza, Equitem Ordinis D. Iacobi, à Consiliis Regiæ Catholicæ Maiestatis, suumque Protonotarium in Aragoniæ Regno. 201

§. XI. Exemplar cuiusdam Sermonis de purissima Conceptione Dominiæ nostræ, quem Valentia prædicauit gloriosus Pater beatus Ludouicus Bertran. 203

§. III. Instrumentum publicum relationis ac testimonij de affirmatiua Immaculata Virginis Conceptione, manu propria sancti Vincentij Ferrerij. 206

§. IV. Verba Magistri Hieronymi Fuser in Vita venerabilis Hieronymi Baptistæ de Lanuza, Ordinis Prædicatorum, Episcopi Balbastrensis & Albarracini, l. 3. c. 12. 207

§. V. Epistola Patrum Dominicanorum ad Paulum V. pro Immaculata Conceptione. 11

XXV.

Licet contradictiones supra memoratæ essent veræ, vberimum præstiterunt earumdem supplementum Romanorum Pontificum auctoritates. 211

6 3 XXVI.

Index Paragraphorum.

XXVI.

Qua ratione continuata fuerit hæc Traditio, creueritque à temporibus sancti Bernardi. 216

XXVII.

Pergitur in referendo consensu Scriptorum à sæculo beati Bernardi. 228

XXVIII.

Licet non suppeteret nobis antiqua traditio, potest verificari Ecclesiam nunc tenere sententiam negatiuam. 240

XXIX.

Respondetur sanctis viris & Scriptoribus, qui aduersantur opinioni negatiuæ. 241
Epistola Sanctissimo. P. P. nostro Alexandro VII. Pont. maximo. 247

I N D E X

P A R A G R A P H O R V M

contentorum in Theoria.

§. I.

- F**undamenta Concilij Tridentini ad decretum de peccato originali. 266
- §. II. Veritas negatiua colligitur ex declaratione decreti, quæ amplius roboratur iuxta dicta. 269
- III. Quæ sequantur ex extrauagante, *Graue nimis*, Sixti Quarti. 271
- IV. Certitudo sententiæ piæ. Ex extrauaganti *Cum præ excelsa*. 272
- V. Roborantur eadem ex Bulla *Ad statum* Iulij II. 54
- VI. De Gregorij XV. decreto. 265
- VII. Cum in constitutionibus Pontificiis sententia negatiua commendetur, vt pia vera esse probatur. 279
- VIII. Hæc eadem certitudo ostenditur ex Romanis Pontificibus, doceturque à Doctoribus. 280
- IX. Canonica, & orthodoxa fundamen-

ta sententiæ piæ. 282

- X. De rationibus congruentibus pro immaculata Conceptione, & singulari ad hoc exemplo. 273
- XI. De gloria Redemptoris, plenitudine redemptionis, & maiestate singularitatis Christi ex immaculata suæ Matris Conceptione: nec decuisse, illum habuisse priuilegium Conceptionis sine peccato, sed dedisse. 276

I N D E X

P A R A G R A P H O R V M

Contentorum in Sacrosyllabo.

§. I.

- E**X Ecclesiasticæ Scripturæ expositione pia sententia certissima habenda est. 279
- II. Ex concordia Patrum in explicanda Scriptura clarescit certitudo immaculatae Conceptionis. 281
- III. Alia Patrum classis explicantium salutationem Angelicam pro immaculata Conceptione, 289
- IV. Tertius modus explicatae à Patribus salutationis Angelicæ pro immaculata Conceptione. 290
- V. De eodem argumento ex cap. 4. Cantorum. 292
- VI. Alia Scripturæ loca, quæ Ecclesia intelligit fauentia immaculatae Conceptioni. 300
- VII. Idem confirmatur ex locis Scripturæ, in quibus B. Virgo asseritur Mater Redemptoris nostri, prout intelligitur à Patribus. 313
- VIII. Ipsa sacra Scriptura supponit in maternitate Dei includi immunitatem à peccato originali, quod etiam ex Scholasticis confirmatur. 314
- IX. Eadem explicatio de Matre Dei, omnifariam purissima: confirmatur ex Thetociis Ecclesiasticorum Officiorum apud Græcos, & diuersis Ritualibus, 330
- X. Intelligentia diuinæ maternitatis, simul cum puritate originali, confirmatur ex tertia Synodo generali, iuxta intellectum Patrum Græcorum, 343
- XI. Conclusio, & obseruationes memoran

Index Dissertationum Epistol.

- morandæ, 314
XII. Explicatio verborum Apostoli de peccato originali. 317

INDEX DISSERTATIONVM EPISTOLICARVM,

*De Immaculatâ Conceptione
Deiparæ.*

EPISTOLA I.

De Gratia Deiparæ debita in Conceptione suâ.



D Illustrissimum D. D. Christophorum Crespi de Valdaura, Vice Cancellarium Coronæ Aragonicæ & Clauicularium Ordinis de Montesa. p. 324

EPISTOLA II.

De Canone Ecclesiastico Græcorum de Immaculata Conceptione & indubitata antiquitate Festi eiusdem.

Ad Illustrissimum ac Reuerendissimum D. D. Claudium D'Achey, Archiepiscopum Bisuntinum, Sacri Romani Imperij Principem. p. 329

EPISTOLA III.

De claritate & declaratione festinæ Conceptionis.

Ad fecundissimum Scriptorem & præclare meritum de sacra & profana eruditione R. P. D. Aloysium Nouarinum p. 334

EPISTOLA IV.

De doctrina Patrum circa Immaculatam Conceptionem.

Ad Eminentissimum & Reuerendissimum S. R. E. Cardinalem D. D. Baltasarem de Sandoual & Moscoso, Archiepiscopum Toletanum. p. 340

EPISTOLA V.

De Erratis circa Errantem, in quibus

eruditi Scriptores minùs attigerunt veritatem circa Fausti Rhegiensis gesta.

Ad Illustrissimum atque eruditissimum Theologum, Abbatem Sanctæ Anastasiæ, D. D. Fr. Alphonsum Vasquez. p. 348. 1

§. I. Faustus Rhegiensis à quibusdam laudatus ab aliis correptus. p. 349. 1

§. II. Fausti Persona cum omnibus suis operibus non videtur damnata, pro vt aliqui suspicati sunt. p. 349. 2

§. III. Faustus per scripta Catholica reuocauit Lucidum Presbyterum ad Orthodoxam fidem, contra quod Henricus Canisius imaginatus est. p. 350. 2

§. IV. Librum de Gratia non Composuit Faustus in fine vitæ, sed multo ante Concilium Arelatense, celebratum anno 524. contra id, quod minùs exactè considerarunt Binius & longus circa Concilia Arelatensia. p. 350

§. V. Libros de Gratia non potuit fraudulentè dirigere Faustus ad Leontium Arelatensem contra Baronium existimantem ad Foroiulieusum. p. 351

§. VI. Expenduntur obscura Baronij verba circa Clausulam Fausti.

§. VII. Adiecta à Concilio Lugdunensi anni 475. ad Opusculum Fausti de duabus Epistolis. Elucidatur quod actum est in hac Synodo. p. 353

§. VIII. Suspicio Dionysij Petauij circa Concilia Arelatense & Lugdunense, scriptaque Fausti. p. 354

§. IX. Baronius tandem non stat contra sanctitatem Fausti. Exhibentur plura antiquorum Patrum exempla. p. 355

§. X. Non omnes, qui olim errarunt haberi hæretici. p. 357

EPISTOLA VI.

De mente & suffragio Alberti Magni pro Immaculata Conceptione. p. 359. 1

Ad illustrissimum D. D. Franciscum Borgia Hierarchum Regiarum Discalceatarum Catholicæ Aulæ & sacre Theologiæ Doctorem. p. 359. 1

Index Dissertationum Epist.

EPISTOLA VII.

De exordio deuotionis Immaculatæ Conceptionis, an plebs deuota, vel gens docta auspiciata fuerit illam.

Ad Reuerendissimum ac Nobilissimum D.D. Philippum Chiffetium, Balernæ in Comitatu Burgundiæ Abbatem, & Primarium Serenissimi Archiducis Leopoldi, Belgij ac Burgundiæ Proregis, Eleemosynarium. P. 364

EPISTOLA VIII.

De assensu Fidelium ad Immaculatam Conceptionem; & an fuerit Ecclesiæ Christiana reuelata.

Ad Reuerendissimum ac Religiosissimum Patrem Petrum Manerum, Ministrum Generalem Franciscanæ Obseruantia. P. 368, 1

EPISTOLA IX.

De Concilio Ariminensi & Anabaptismo, quomodo non obstant assensui Ecclesiæ communi circa Conceptionem Immaculatam.

Ad Semieruditum. P. 372

EPISTOLA X.

De expiatione & purgatione à peccato originali, sumptâ à Patribus pro preservatione in B. Virgine.

Ad Eundem. P. 374

EPISTOLA XI.

De Auctore duodecim librorum de laudibus Virginis, & suffragio Richardi de sancto Laurentio pro Illibata Deiparæ animatione.

EPISTOLA XII.

De Controuersia Virgineæ Conceptionis decidendâ.

Ad Amicum. P. 379

EPISTOLA XIII.

De Arnesto Pragensi & successione renouati feruoris erga Conceptionem Immaculatam.

Ad Religiosissimum & Reuerendissimum P. M. F. Gasparem Catalan ex Prædicatorio Ordine designatum Episco-

pum Herdæ. d, 382

EPISTOLA XIV.

De Reuelationibus circa Immaculatam Conceptionem; an sint necessariae.

Ad Reuerendissimum & Illustrissimum D.D. Gabrielem Adarzo & Santander Episcopum Vigebanensem. P. 386

EPISTOLA XV.

De Paralipomenis dictis veterum Patrum & Doctorum pro Immaculata Virginis Conceptione.

Ad Illustrissimum D.D. Laurentium Ramirium de Prado Diui Iacobi Stemmamate clarum, supremi Hispaniarum Senatus Consiliarium Exlegatum. P. 387

EPISTOLA XVI.

De natura, gratia & diuinis virtutibus, Immaculatam Virginis Conceptionem exposulantibus.

Ad eundem. P. 397

EPISTOLA XVII.

De singularitate Christi, & variis questiunculis.

Ad Perplexum. P. 399, 1

EPISTOLA XVIII.

De Redemptione Immaculatæ Virginis à Christo.

Ad eundem. P. 403

EPISTOLA XIX.

De sensu sancti Thomæ & Thomistarum, iuxta aliquos Antiquos, circa Conceptionem Immaculatam.

Ad Curiosum. P. 404

EPISTOLA XX.

De Miraculis pro Immaculatione Virginei Conceptus.

Ad Thaumasticum. P. 406

Index Paragraphorum.

IOAN. EVSEBIJ NIEREMBERGIJ.

INDEX PARAGRAPHORVM

Mantissa, seu De formulis Canonizationum varijs.

§. I.

EXpenduntur plurimarum Canonizationum formulæ. p.412.1

§. II. Satisfit aliteri obiecto, & contrahitur, an per Commissarios possit exercere Pontifex munia Pontificia, quibus infallibilitas sit annexa. p.416

§. III. An similis commissio collata sit ad canonizandum. p.420.2

INDEX PARAGRAPHORVM Operis.

De Festo Translationis S. Benedicti, cooptato certitudini Festivæ Conceptionis B. Virginis.

§. I.

Festum Conceptionis à multis Pontificibus præceptum, Translationis autem à nemine, sed potius ex Martyrologiis abrafum. p.421

§. II. Clemens VII. toleravit de taxat Festum Translationis, sed nequaquam approbavit. p.422

III. Aliquarum celebritatum nomina designant occasionem colendi aliquem Sanctum. p.423

IV. Æquiucatio magna in nomine Translationis, quod non est referendum ad Translationem Corporis Sancti, sed ad Translationem Festi. p.423.2

V. Confusio & varietas circa Translationem sancti Benedicti. p.424.2

INDEX

PARAGRAPHORVM

Operis.

De Concordia debiti peccati negati in Deipara cum gratia Redemptionis.

§. I.

MInus decorum in B. Virgine debitum peccati. p.429

II. Argumenta alia pro carentia debiti. 431

III. Occurritur obiectionibus. 434

IV. Satisfit aliis obiectis. 436

V. Conceduntur multa contrariis, alia explicantur. 439

VI. Occurritur difficultatibus ex Scriptura. 440

VII. Consideratur Concilium Tridentinum. 441.2

VIII. Satisfit autoritatibus sancti Zosimi, & sancti Augustini. 443

IX. Mens sancti Zosimi ex Pelagio colligitur. 444.1



INDEX

PARAGRAPHORVM

OPERIS.

De Concordia debiti culpæ negati in Deiparâ, cum gratia Redemptionis.

PARS PRIMA.



DE Beatissima Virgine per merita Christi non inclusa in pacto Adami. p.446

§. I.

Mater Redemptoris Nostri non potuit ingredi in Pacto Adami, nec subesse debito peccati. ibid

II.

Ratione etiam Redemptionis non habuit,

Index Paragraphorum.

buit, Deipara debitum culpæ. 484.2

XIII.

Nequit B. Virgo comprehendi in pacto Adami, cum eius Mater moralis fuerit, totiusque generis Humani, ibid.

IV.

Ex Patribus probatur non potuisse Virginem ingredi in pacto Adami, quoniam Christus & eius Mater fuerunt prædestinati ante Decretum absolutum creandi alias naturas. 454.1

V.

Idem confirmatur ex Sacra Scriptura, & Ecclesiæ sensu. 458.1

VI.

Illustrantur eadem ex Iuris ratione & pia Iurisperitorum ratiocinatione. 458

VII.

Ex Scholasticis & Ratione Theologica idem probatur. 458

VIII.

Dispositio diuinorum Decretorum, & diuersitatis gratiæ in Angelis & Hominibus. ibid.

IX.

Prædestinatio Deiparæ redimendæ per Filium. 462

X.

Non potuit debitum fuisse in Virgine, cum nunquam fuerit in illâ peccatum. 464.1

XI.

Ex origine peccati originalis deducitur Beatam Virginem non potuisse includi in pacto. 464.2

XII.

Alius modus & Argumentum eximendi Deiparam à debito peccati. 467.1

PARS SECVNDA.

DE Prioritate comprehensæ Virginis in pacto sine necessitate præuidendi absolutè merita Christi.

§. I.

Deus nequaquam inclusit Matrem sui Filij in Pacto: nec erat opus ad hoc præuisio Christi absolutè futuri. p.471.11

II.

Possibilitas Gratiæ Redemptoris cum negatione debiti peccati in Deipara. p.472.2

III.

Amplius ostenditur B. Virgo Redempta à Peccato originali, licet immunis ab illo, & à Debito eius, neque inclusa fuerit in Pacto Adamo. 476.1

IV.

Ex indigentia Christi Redemptoris probatur Redempta Virgo etiam sine debito peccati. 479

V.

Aliquæ obiectiones exploduntur. 481

VI.

Alia via excogitatur rati habitionis Christi, 482

TERTIA PARS.

DE exclusione Virginis à Pacto ubi proponitur scrutatio Hagiographica, de causa præuaricati Adami in diuino iudicio, declarante Virginis à peccato originali & transgressionem eiusdem in reliquam sobolem. 484

§. I.

Principia dicendorum. ibid.

II.

Patres & Doctores affirmantes non vsque ad sententiam Dei in statum Mortalitatæ, cum transgressionem Peccati

Index Paragraphorum.

cati originalis descendisse Adamum.
p.485

III.

Idem roboratur magis perspicuis Patrum
& Doctorum testimoniis. 487

IV.

Hic sensus prædictorum Patrum nititur
in sacra scriptura. 486

V.

Demonstrantur alia tria principia, seu
fundamenta negandi Deiparæ de-
bitum. 491

VI.

De Beatissima Virgine, potiùs quam de
Eua, inimicitia cum serpente sunt
intelligendæ. 493

VII.

Eiusdem materiæ appendix. 496

VIII.

Confirmantur eadem, licet sententia in
Adamum, quæ extat in Scriptura
fuisse declaratoria, subsequens
aliam cendemnatoriam. 497.2

IX.

Illustrantur dicta ex aliquorum dubio-
rum explanatione. 498.2

X.

Facilis modus excludendæ Virginis à pa-
cto & debito peccati. 499.2

XI.

Duo modi Redemptionis Virgineæ, non
tamen à peccato. 401

PARS QUARTA.

DE impossibilitate debiti realis in
persona Virginis, in omnium
opiniõne concedenda. 502

§. I.

Quæstio de debito culpæ Originalis,
æquiocationem pati potest, quod
nequit esse in beatissima Virgine
concepta sine peccato. 504

I I.

Idem explicatur & ostenditur qualis po-

ruerit esse inclusio vel exclusio in
Pacto. 506

III.

Quomodo debitum proprium & com-
mune filiis Adæ nequaquam atti-
gerit Deiparam. ibid.

IV.

Perinde B. Virgo immunis à debito fuit,
ac si in pacto Adami non fuisset
comprehensa. 508

V.

Ad Redemptionem non requiritur debi-
tum. Explicaturque vis huius no-
minis. 509

VI.

Explicatur quid sit debitum proxi-
mum. 511.2

VII.

Non modò Physicè sed nec moraliter
potuit esse debitum in Matre Dei.
512

VIII.

In quacumque suppositione non habuit
Mater Dei Debitum Personale. 513

IOAN. EVSEBIJ NIEREMBERGIJ.

*De Noua Moneta Sanctissimi Domini Ale-
xandri VII. pro gloria Immaculata
Conceptionis perpenſa.*

AD Eminentissimum & Reuetendis-
simum D. D. Balthasarem San-
doual & Moscoſo. S.R.E. Cardinalem,
Archiepiſcopum Toletanum & Pri-
matem Hispaniæ. P.515

I N D E X

§. I.

De vsu exornandi nymismata signis re-
ligioſis & ſacris. ibid.

II.

Hæc Inſcriptio iuxta Iſaiam. *Virgo concipiet*, Grandius myſterium, & ma-
gnam vim habet ad aſtruendam ſan-
ctitatem conceptæ ſine labe Virgi-
nis. 518.2

III.

Ratio habita in ſacra Scriptura nominum
& ſcriptionis ſeptuaginta duarum
litterarum



Index Paragraphorum.

literarum ad aliqua mysteria notanda. pag. 521. 1

I V.

Opportunitas eligendi Sanctissimum Dominum Alexandrum VII. notandaque Alexandrorum Pontificum erga Conceptionem Immaculatam deuotio. p. 522

V.

Anagrammata ex Sacris literis. p. 524

VI.

Nomen Alexandri VII. variis literarum permutationibus expensum. p. 524 2.

VII.

Septenarius numerus considerandus est in sanctissimo Domino nostro. pagina 526. 2.

VIII.

Notaricæ siue elementares scriptiones ex

facra pagina cum Notaricis scriptionibus Monetæ Pontificiæ. pagina. 527

IOAN. EVSEB. NIEREMBERGII.

Supplex Libellus.

PRO Immaculata Conceptione & pace Christianorum Principum.

Ad Sanctissimum Dominum nostrum Alexandrum VII. Pontificem Maximum. p. 529

Anagramma in Alexandrum VII. p. 530

R. P. Vitalis Theroni Soc. Iesu in idem Anagramma Carmen. ibid.

Censura in calumniatorem Anagrammatis Superioris per R. P. Theophilum Raynaudum. 531

Anagramma in nomen P. Eusebij. ibid.

Epigramma in idem. ibid.

Alius Defensor eiusdem P. Eusebij contra Carolum Iouium. ibid.




R. P. IOAN.





V I T A
 VENER. PATRIS IOAN.
EVSEBII
NIEREMBERGII
 E SOC. IESV PRESBYTERI
 ERVDITISSIMI, GENTE GERMANI,
 PATRIA MADRITENSIS.

COLLECTA EX HIS, QUÆ
 Hispani scripserunt Patres Alphonsus
 de Andrade, & Ioannes de Igarza
 eiusdem Societatis graues
 Theologi.



CAPVT. PRIMVM.

*Parentes Eusebij, ipsiusque ex
 optimis auspicijs ceptus,
 & ortus.*



NOSTRI Ioannis Eusebij Pa-
 rentes dignissimi, ac foelicissimi
 nobiles fuerunt Germani, & qui-
 dem omnibus alijs dotibus, quæ
 apud homines in pretio habentur,
 haud parum ornati: quodque maius est cœlesti-
 bus donis ditati, cum pietate in Deum, tum erga
 Pauperes misericordiã egregie excelluerunt. Patri
 nomen erat Gotfrid Nierembergus; Matri vero
 Regina Otin, vt vel inde regium quid nomine,
 & omine spectaretur. Et ne Regina trabea de-

fuisse, filius Eugenius pro coronã fuit aurea, sed
 quæ Eusebij spiritu geniti, velut gemmis distin-
 cta: belle enim dicitur Prou. 17. num. 6. *Corona
 senum filij filiorum.*

Maria autem Imperatrix Maximiliani II. vxor,
 quæ iam eo defuncto, vidua degebat, Eusebij
 Parentes, quod sibi valde chari fuissent in Hispa-
 niam ex Germania aduentans secum tulit. Tantã,
 Domina Madriti commoranti in muneribus, &
 quidem eius familiae domesticæ honestioribus an-
 nos non paucos inferuierunt.


Vnicã filiã in ipso iuuentutis flore è medio
 sublatã, quæ sibi magno solatio, magnoque ege-
 nis erat subsidio, orbatu parentes, per summam
 mœstitiam illacrymati vicem suam maxime do-
 lebant. Quos vixerat annos puella, eos in fo-
 uendis medicandisque Christi pauperibus insump-
 sit; neque præmio pietas caruit, plures enim
 mendici veste candida induti, lumina accensa te-
 nentes, è cœlo lapsi virginis moribundæ lectum
 circumdedere, ac post obitum solemnè pompa ad
 cœlos sunt comitati, diuino splendore circumfu-
 sam.)

Vita V. P. Ioannis

fam.) Inde filij suscipiendi maiori desiderio tenebantur, ambo licet ætate progressi, neque de spe vquam decidit Regina, quamvis quinquagenaria, sed in Deo sperante magna quadam fiducia alebatur, vt vel ex eo coniectaretur, Eusebium diuino munere liberalius tandem accepturam. Verum enimverò vt à Deo filium impetraret affiduis precibus pietatis officia addebat, in quibus pauperculos quosdam pueros dum domi; tum foris sumptibus suis alebat, fouebat, imbubatque piè Christianæ fidei rudimentis.

Extat autem Madriti in templo parochiali Diuo Martino Episcopo Turonensi dicato Sacellum infano opere, & eminentia conspicuum. Ibi dextrorsum (seu ad latus Euangeli) extat altare Christi Domini cruci affixi, sustentans imaginem proceram æque, & pulchram. Eam ab aliis quoque ex frequentia cultam per annum integrum Regina inuisit, filium Dei orans pro suscipiendo filio, lampadi ante aram ardenti oleum quotidie infudit, simulque Missæ ibidem factæ Sacerdoti pro functione erogata elemosyna deuotè interfuit. Igitur nocte quadam per quietem sibi videre visa est eandem ipsam Christi Domini è cruce pendentis imaginem. Nec mora. Bonus Iesus eam affatus de concepta iam prole admonuit, ac filium insignis virtutis fore virum prædixit, ipsiusque, & sanctitatis, & doctrinæ splendore Nierembergensium familiam in primis nobilitandam. Id tamen ex votis euenturum quâdam velut pactione, dummodo filium intra Hispaniam contineat; secùs, dum in Flandriam mittat. Porro cum filio, ni maneat apud se, malè actum iri, & quali fato rursus matri repræsentatur. Scilicet *Iuuenis equo vectus tranans fluiuium sibi per speciem apparet; sed illico ac ripam attingit ictus globulo corrui.* Fœmina visione exhilarata, ac subitò commota virum dormientem excitat, visum narrat. Ille verò, tametsi spectrum, muliebrique somnium ratus, non sine animi motu audiuit. Et sanè diuina Prouidentia, & filium Reginæ adornabat, & Societati Iesu iam tum ad dicebat, nostræque Hispaniæ Eusebium penitus vendicabat.

Nullatenus quemquam fefellit euentus, statim Regina se se grauidam sensit, ac dein maturefcente factu, nouem expletis mensibus partus est subsequutus in lucemque foeliciter edidit filium promissum cœlitus, anno à Christo nato millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Philippo II. Hispaniarum Rege cognomento Prudente, & Clemente VIII. bonæ memoriæ summo Pontifice: aquâ lustrali ablutus est in Parochiâ Matritensi diuo Martino dicatâ, eique nomina *Ioannes Eusebius* indita; vt indidem & pœnitentiæ suasio, & macerationis exemplo, & zelo animarum, & mirâ eruditione insignem fore virum ea magna indicaret nomenclatura.



CAPVT II.

Qua dederit Eusebius signa futurae sanctitatis in iuuenili, puerili, imò infantili ætate.



VI futuri sunt singulari, & excellenti virtute à teneris vnguibus verbis, factis, signis ostendunt: vtque sunt noua omnia in tenellâ ætate, ita profus admiranda. Conceptus, natus, quin etiam, & prædictus fuit Eusebius crucifixi Christi auspiciis. Sanè crucis mortificationem toto vitæ cursu pro Iesu nominis honore portauit. Quod si in virili, maiorive ætate, id maximâ laude dignum est, id ab Eusebio factum in iuuenili, admiratione prosequendum.

Pannis infantilibus obuolutus sæpe in cunabulis inuentus est manibus in orantis modum compositis, ac duobus pollicibus efformatæ cruci hilari vultu arridens. Quid? Coniectère secundum signum. Certe lætanter Christi crucem subiturum prælagiri datur. Ipseque vere ab ea ætate tenerrima proferre potuit eam vocem. *Christi confixus sum cruci.* Sexennis dum Deum, dum Christum sæpius inuocatum promiscuè audiret, secumque tacitus miraretur diuersæ inuocationis nomen, neque rei differentiam pro suo captu teneret, diuinâ illustratione subitò edoctus est. Quâ ratione Christus sit homo, & Deus; ac sicut Deus in vnâ essentia tres habeat personas, ita Christus cum vnâ tantum Verbi personâ subsistat, duas tamen naturas diuinam humanamque contineat. Subinde carnis assumptæ finem à Deo intentum, nimirum vt possêt Deus pro nobis pati, totamque seriem Redemptionis agnouit haud obscure. Ex quo tempore duo præcipuè cordi inhæserè, & pro tanto beneficio gratias Deo semper habere, agere, & Christi Domini in carne passî simillimâ cogitatione armari.

Ob eam profectò causam nugas, ludos, & quæcunque in deliciis habet puerilis ætas omnino respuit. Bellaria, aliaque obsoniola, quæ sibi maternâ indulgentiâ dabantur, ipse pauperculis erogabat. Pædagogis suis & Magistris magnam exhibuit reuerentiam, eorumque dictis audiens erat, atque è vestigio opere explebat. Vtque omnia in iustorum vitâ notatu digna sunt, Dei erga Eusebium prouidentia, atque ipsius foelicitas, quæ etiam in Præceptoribus spectatur, enituit. Ex Magistris eius priuatis, alter quidem Religionem Carmeli Montis Excalceatorû (quorum sancta Virgo Theresia fundatrix) ingressus, suis in ea spiritali militia virtutibus fuit meritus; alter verò postquam è suggestu docuerat in Complutensi Academia, Guadalaxarensis Ecclesiæ apud Indos Præsul creatus. Subindeque Episcopus Societati Iesu nomen dedit, omnium virtutum exemplar factus cuius excessit.

Neque parentibus solum, ac Magistris, ætate, maioribus, & dignitate: caterisve quibus ex officio obsequium debetur, morè gerebat Eusebius, famulis quoque suis mirâ obedientiâ obsequabatur, in primis Henrico, cui suppar ætate erat

Eusebij Nierembergij

erat dominio maior. Erat is Henricus è puerulis, qui expositi vulgo vocantur. Etenim Madriti domus est B. Iosepho Virginis sponso dicata, vbi excipiuntur infantes à propriis parentibus derelicti, illucque clam proiecti Regiis expensis, ac fidelium largis elemosynis nutriuntur, educantur, postque prout se dat bona occasio, collocantur. Itaque Regina ex eà domo assumpserat, susceperatque Henricum in suam clientelam vt Deus sibi filium ex marito concederet. Igitur subserviando Eusebio Henricus destinatur, ipse vero (nefas) male vexabat Eusebium verbis, probris, interdum pugnis & ictibus. Quæ bonus puer, ac vel etiam iuuenis, patienter ferebat, neque Patri, Matrive vsquam deculit, vt omnes pueri, iuuenesve assolent queribundi: quin etiam vt perfectus Christi imitator Henrico benefecit, dum in saculo vixit, cumque Societatem ingressus est vestes, ornatusque suos illi reliquit. Ita quidem viri perfecti aduersariorum dicteria, iniuriasque reputant, vt pro conuiciis gratias agant, pro malefactis gratiam referant.


Eusebium mire vel etiam Deus variis ægritudinibus exercebat, paterno tamen amore, nempe, vt adolescentis virtutes in infirmitate perficeret. decem & sex annos explens in grauiorem ceteris, quos tulerat, morbum incidit: cuius affectu per tres menses integros crebris, ac acerbis doloribus excruciat, cum die quâdam durius fatigaretur, leuamen à Deo excepit singulare. Nimirum præter rem (nihil enim cœleste tunc cogitarat) motu suborto, intimo ex pectore, singulibus hians, subito erupit in lacrymas præter morem (non enim facile flebat,) longo æquè ac suaui fletu lectum suffudit. Inde actus diuinitus pœnitentiæ affectus est magnâ, quod vel ad horam æger cum esset Deum non meminert, subitoque ardore incensus diuinæ charitatis, cepit ita flagare, vt deinceps, & res diuinas facillè contemplari licuerit, & Deum semper in mente, & semper in corde habere. Subinde Eusebii diuinis illustrationibus edoctis altiori mente res æternas cogitabat. Et tria maximè ex eo tempore illius animo semper obuersabantur, quibus sensim euocari se nouit ad vitæ rationem perfectioris, ac veluti ab eo prima iacta fuere fundamenta, ac tantæ spiritualis fabricæ extruendum fastigium.

Horum ergo primum fuit grauitatis scilicet peccati expensio, eiusque malitiæ ponderatio sanè æquâ lance. Etenim verò Eusebium graui meditatione rem penitus callisse ex ipsius scriptis affatim capi datur, quantòque horrore culpam sibi fuisse, quantòque à nobis fugiendam Dei offensam, & tanquam Diram execrandam, variisque ex locis suadet & acerrime discutit.

Secundò ex eo thesauro tunc temporis à se defosso profundissimam eruit animi sui demissionem, rerumque suarum despicientiam, ex intimâ cognitione, quam habuit humanæ miseriæ abiectæque mortalium naturæ prouenientem. Ea hercle consideratione animum Eusebius suum, velut natem inter maris fluctus ventosque conspirantes, subsistere, & confidere comparauit, ne forsan siue tentationum motibus actus, illisus tanquam ad scopulum hisceret, siue à Deo acceptis beneficiis velut aurâ secundâ vectus superbi- ret.

Tertia verò sancta cogitatio, quæ cordi fixa mansit Eusebio, erat admiratio profus maxima, & æstimatio diuinæ essentia Dei, eiusque infini-

tudinis inexhaustæ, cuius immensitatis pelago velut immerfus tutum se se dicebat, illæsumque millies seruatum in tot, tantisque lubricæ vitæ periculis.



CAPVT III.

Viuedi conuersandique ratio

I. Eusebij, dum operam dat litteris Salmantica, eiusque, post spiritualempugnam, Societatis Iesu ineunda determinatio.



BSOLVTIS Madriti ab Eusebio Grammaticæ, Rethoricæ, Poëticæ, Humaniorumque litterarum studiis primùm Complutum, deinde, Salmanticam, vt disciplinas maiores edificat, adiit. Sed antequam se ad iter compararet, quos Salmanticæ habeat socios, secum agit (forsanne id fuerit deligendæ Societatis Iesu prælagium, videris.) Etenim ex eâ ætate, prudentiâ præditus notat, nihil iuuentuti nocentius, quam se se conuictu immiscere rebus improbis assuetis. Eos siquidem tanquam pestem teterrimam sibi fugiendos impensè studuit. Quamobrem iuuenes quosdam nobiles, quos certò sciebat optimis moribus imbutos, comites exoptauit itineris, ac domus, mensæque socios. Id tamen haud facillè, non enim cum eis erat adhuc vlla conglutinata amicitia, neque inter parentes vtrorumque interuenerat familiaritas. Quid Eusebius? aliis supercedet; ad altare imaginis Virginis Matris, quam de *Inclusa* Madriti vocant, se sinit, eius opem implorat, precibus instat, tandem exorat. Ex templo domum repetiturus exit, atque ipsi in ipso templi limine famulus occurrit, qui ex parte optatorum iuuenum comitatum per iter offert societatisque conuictum Salmanticæ. Addit dominos suos foelices se se reputare, & quidem fore, quòd Eusebius sibi delegerit & in vitâ comites, & vrbe contubernales. His resalutat, ac mutuo amore comiter gratificatur; statutaque tunc ex fœdere manit ad Salmanticam profectio, vnâ & cohabitatio. Eusebius autem ad aram Virginis statim rediit sciens, & prudens sibi è manu dominæ id prouenisse, quamobrem summas egit ei gratias, & sanè, vt res antea se habebant, tanquam mirum quid contigisse, nulli fuit dubium.

Salmanticam vt ventum, mirandum sanè fuit quam viuendi rationem boni socij sanxere: statim horis vacabant litteris, lectionibus Magistrorum sedulo intererant, litterariis exercitationibus, argumentationibus, disputationibus secum aliisque condiscipulis confligebant, & quamquam satis superque vt scholasticorum implessent munus, verùm cum æquè vt scientiarum, virtutum quoque valdè studiosi fuissent, orationi, quam vocant mentalem, diuinarumque rerum contemplationi tempus obeundæ designarunt. Ter se in hebdomada flagris cæde-

runt. Ter corpuscula ciliciis constringebant: octavo quoque die sacra se synaxi reficiebant, interdum pluries prout festa interserta occurrerant. Quotidiana spiritali lectione, ac sacris concionibus diebus festis, profestive, eorum animi velut caelesti pabulo nutriebantur.

Ad hæc incessus, vultus, vestitus, compositio, & in omnibus rebus modus, vrbalitas, colloquia non vana, sed verba honestate plena, erga Magistros, Maioresque natu obseruantia, erga æquales comitas, eos in paucis insignitos quasi virtutum omnium exemplar proponbant. Denique eorum domestica viuendi ratio, & publica conuersatio ex religiosorum virorum normâ, potius quam sæcularium Iuuenum assuetudine omnino apparebat.

Ex eo virtutum exercitio illata sunt Eusebio intestina bella. Quis id cogitet? Attamen ille, qui ignem venit mittere in terram, & filios à parentibus separare, diuinâ suâ prouidentia, & fortiter attingere rem conabatur, & suauiter disponebat. Etenim animo iuuenis bene morato, non quidem prauæ; sed optimæ, & perfectioris vitæ cogitationes subibant frequenter. Visio ea, quæstum sub globulo matris olim ostendit, per quietem sepius menti oculis obseruabatur, idque periculum vitare satagebat. Verùm cum se nullo graui peccato vsquam fecdari ex diligenti conscientia examine videbat, & proliuem animum ad quoduis virtutis exercitium per otium experiretur, satis se tutum arbitrabatur. Ast Deus de religioso statu incundo cogitationes immittens sæpe metum incutiebat, ni suggestis rationibus annuat; contra verò Eusebius in sæculari statu non hominis frugi solummodò actus; sed religiosæ posse exequi opera confidens rationibus quoque spiritalibus obnatebatur. Quare vndique bonis ipsis rebus distractus secum bella gerebat, quin & ab ipsis virtutibus vtriusque velut dimicantibus distorquebatur. Denique vi pugnae discruciatu interdum suspiria vocesque edere cogebatur; neque tamen solamen vsquam reperit, donec ad pedes Virginis matris prouolutus totum se ex animo tradidit deducendum quocumque vellet.

Illico pacatius cor sensit, & ab eâ animi perturbatione, & renitentia fuit omnino liberatus. Tum Sancti Ignatij exercitia obire, vt omnino sedaret animum prudenter elegit, ac per octo dies rem cum Deo in oratione tractare. Inuit ergo exegitque meditationum octiduum, omnes animi sui motus pensitans studiosâ animaduersione. Ast dum priores illos ingrediendi religiosum ordinem affectu sibi per eos collectionis dies defecisse notaret, inde coniectari cepit Deum non velle se religiosum fieri. Sed nondum id apud se pene cogitauit, nedum statuit, cum ecce derepente excitatur in corde ea velut sopita flamma, atque in rogam excrefcens, se religiosum esse feruidè propoluit, & in dies acta est.

Itaque pius adolescens pristinâ illâ, & continuâ pugna finitâ mente tranquilla de religione capessendâ agebat secum, consulebatque Deum. Vtque sibi clareret quo in ordine religioso à se vellet coli. Ad beatissimam Virginem, vtpote asylum suum de more confugit, vtque totum vitæ negotium, id æstimans, ita exoptat ab eâ rem decerni, & acclinis affatim orat. Virgo

mater Dei precibus sibi deuoti lubens annuit: nam Eusebio præclarus in mente radius illuxit inter orandum, quo sibi patuit voluntatem Dei manifestam esse vt in religione clericorum Societatis Iesu se votis adstringeret, & Virgo pietissima Eusebium filij sui dilectissimi Socium fieri velle interiori quodam alloquio significauit.



CAPVT IV.

Eusebij ingressus in Societatem; eius Patris de eare dolor & oppugnatio, ac tandem, Deo fauente, Nouitij in Societate mansio.



T ergo noster Adolescens cognouit Dei voluntatem, Virgini consilium sequutus absque vlla cunctatione collegium Salmanticense Societatis Iesu petit, & se se candidati eius religiosi habitus profitetur. Res breui peracta est. Erat enim Eusebius notus omnibus ipsius virtutis famâ, ac cum Religiosis familiariter congressu, colloquiis, vsu. Ergo nomen dedit Societati Iesu Salmanticæ, quarto nonas Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo quarto. Inde missus est Villamgarciam, vbi domus Probationis sita prouinciæ Castellanae. Incredibile dictu est quantum exceperit Eusebius gaudium videndo se inter Dei seruos, tyronis sub fusca veste indutum, Iesuitarum aptatum in contubernium, ac sanctiori vitæ destinatum. Insuper omnino rursus exhilaratus Eusebius est, quod ad religionem egregium secum duxerit ex suis amicis socium suis rationibus, suoque prorsus exemplo excitum. Vt vel inde iam ostenderet & zelum animarum suum, & suam cum felicitatem, tum dexteritatem in ciendis, adducendisque ad Ordines religiosos, seu Iuuenibus, seu etiam Viris, Virginibus quoque, & Viduis. Is Eusebij in tyrocinio socius, atque vt ita dicam ipsius clientulus, præstantissimus in vineâ Domini operarius euasit, & innumeros pene homines lucratus Deo est, tum apud Hispanos, tum apud Indos occiduos. Vbi etiam nunc Collegij Societatis pro suâ prudentiâ Rector agit.

Ast vbi filij de Religionis ingressu Patri nuntium est datum, quanto sensui, & dolori fuerit, voce, gestu, opere manifestat, filium clamitat, questibus domum implet, ac forum, ni sese cohibuisset, lamentatione. Nullum non mouet lapidem vt filium ademptum ex iniuriâ, vt ipse dicebat, se inscio à Societate clam arreptum, sibi rursus asserat. Adit Margaritam, Dominae suæ Imperatricis filiam Monialem in Cœnobio Discalceatarum diui Francisci regio, adit eius Confessarium lamentatur, conqueritur, filium efflagitat, in Socios stomachum erumpit. Vir prudentissimus. N. rationibus facit satis, suauibus verbis emollit. Ait Eusebiam iam non esse puerum, qui falli posset, nec Socios solere quæquam fallere. Ad hæc Iuuenes tametsi familias filij haud in iure patrio esse; imò

vtentes

Eusebij Nierembergij.

ytentes suo iure pro ætate, ducere vxorẽ queunt, incisiis parentibus : quid ergo obstitit Eusebium decimum nonum annum expletem se in religionis portam à Deo ex astu seculi euocatum admisisse : nonne, instat, hoc melius, hoc vtilius ac filio securius ?

Iis aliisque harum instar sermonibus haudquaquam Pater aquiescit. Adiit Nuncium, qui Apostolicæ sedis ex potestate Legatus ad Hispaniæ Regem Madriti semper adest. Impe- trat ab eo diploma vt in libertatem Eusebius vendicetur : ita factum exemplo. Extrahitur No- uitius è Villagarcia adducendus Naualcarnerum, vt ibi in domo priuatâ detineatur, donec ipse liberè suam depromat voluntatem.


Cogitur ergo Eusebius cellam, quæ cœlum sibi est, deserere. Sed quæ, ô bone Deus, signa sui sensûs dedit ! Septies limen tetigit egressurus, totidem amore reuocatur, & vt ille ait ipse, indulgens animo pes sibi tarduserat, ac veluti arbor è terrâ euulsa cespites radicibus innexos se- cum trahit, ita è cubili suo vi extractus, è foribus quibus inhælerat fructum ligni discindit, & aufert se- cum. Tum Deo promisit Villagarciam re- gressurum, in cuius testimonium proceudit manu assulam, eamque ianua iterum adfixurum vouit, citò Deo dante ad eabile regressum. Tandem so- cios amplexatus, milleque oculis, solo, parieti- busque libatis, tabellulæ partem tanquam reli- quiam suæ illius domus secum portans, suffusus lacrymis, carpit iter.

Naualcarnerum aduentauit tempore ipso, quo R. P. Alphonsus Carrillo Prouinciarum ex mu- nere Visitator illac pertransiit. Huic magno viro Eusebius conscientiam aperit, & reddidit ratio- nem suæ, impellente Deo, vocationis ad Socie- tatem. Carrillus autem, vt erat in paucis strenuus spirituum discretor, palantem sibi mentem Euse- bij, eiusque obfirmatum animum ad quæque fu- tura penitus calluit. Quamobrem prudenter de- creuit Madritum, atque ad ipsam parentum do- mum reduci nouitium, vbi Pater suis manibus rem tangeret, ac Societatis agendi modum di- gnosceret ab omni siue fictione alienum, siue lucri cupidine.

Decem dies secum detinuit Pater Filium velut in custodiâ nemini è nostris obuium. Cui licet minas non intentabat, vt pote prudens, ac Deum timens, verbis tamen blandis, promissis, suspiriis ac vel etiam lacrymis adolescentis animum affa- tim pullabat. Consanguineis, & amicis cum li- cuit inuisere, à quibus velut agmine facto inces- sus, ac variè tentatus Eusebius fuit. Aiebant posse fauore Imperatricis Mariæ filia, Philippi Regis, ac vel etiam Imperatoris, apud quem acceptissi- mus erat patruus eximius pollere dignitatibus. Aiebant à Patruo ditissimo certò relinqui hære- dem ex asse, addebant amplum dominium à Pa- truo in Flandriâ obtentum, ac suis rebus gestis titulum vel Baronis, vel Comitis consequutum, omniaque seruata Eusebio, fundatoque maiora- tu, si Religionem relinquat, potituro. Denique litteris suis, diuitiis Patruus, & dignitate posse il- lustrare paternam domum, & Nierembergiam familiam; sui que memoriam relinquere in poste- rum longè, latè que duraturam.

Nihil tamen his, aliisque plurimis importunè continenterque inculcatis Eusebij animum pau- lis per deflectere, nedum frangere valuit. Vndi- que oppugnatus, neutiquam expugnatus : sed

mens eius velut munitissima arx immota profus mansit. Cumque Pater operam perderet in dis- suadendo filio, illius deuictus constantiâ, Socie- tati restitui tandem parat, Regina autem mater- no amore (quid mirum !) affecta, à se recedere filium dolebat ; recordata verò voti, recordata vaticinij libentiùs illum dedit. Denique Marga- rita Austriaca petente, ac superioribus obse- cundantibus, addictus est Toletanæ Prouinciæ Eusebius, & pro solatio Patris ex æquo, & bono lite compositâ Eusebium Madriti manere con- cessum est : atque in domo Madritanâ eius exigi tyrocinium.



CAPVT. V

*Novitiatus triennium obit Euse-
bius sub disciplinâ V. P. Fran-
cisçi Aguado, altâsque radi-
ces in virtutibus agit.*



NGRESSVS ergo Ioannes Eu- sebius Madritanam Probationis domum magnam cœpit strenuo animo adoriri perfectionem ab ipso quidem nouitiatus initio. Sanè Societatis Iesu Tyrones variis orationis, lectio- nis, mortificationis, vltra pene quam credi pos- sit incumbunt exercitiis, per distributionem tem- poris exactissimam, & quod mirum est, omnes ex æquo ferè currunt in eo virtutum stadio inæ- qualis licet ætatis, atque in orbem ita continua- tum pensa diaria complent, vt neque scalpendis, vt aiunt, auribus tempus illis superfit. Ast præ- ter ea cuncta, quæ ferè innumera sunt, alia plura liberè implenda sibi imposuit recens Nouiti- us noster, habitâ tamen prius licentiâ : etenim sem- per se se in omnibus summisit Magistro, qui qui- dem ex Societatis consuetudine, idem ac domus Rector est. Agebat autem eâ tempestate Recto- rem nouitiatus multis titulis venerabilis R. P. Franciscus Aquadus, sub cuius disciplina magnos progressus fecit Eusebius, cuius ea quoque in aliis foelicitas recensenda est, vt talem Magistrum fortiretur : acuitur profectò cursor optimo inci- tatore : neque error in viâ subit præclari cum do-ctrina exempli face prælucente.

Et primum tria Vota religiosa, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ coram Deo, & Virgine Matre illico emisit priuatim quidem (non enim nisi biennio expleto à Societate ea vota admittuntur) ea quoque mentis, & animi intentione, vt quamuis Societas eum dimitteret siue exacto tyrocinio, ipse tamen ex votis man- sisset intra septa domus cuius officio destinandus, vt puta horto colendo, aut vel etiam in culinâ inferuendo famuli cuiusvis instar. Quod si rursus temporis decursa ex solemnibus quatuor votorum emissionibus in veteranorum Iesu militum tandem cooptaretur, addidit quoque iam tum præcox votum, nimirum eam in Societate professionem nusquam commutandi, neque ad aliam religio- sam familiam per fas transeundi. Tanto Socie- tatis Iesu viuendi normam ipsiusque sanctissimum ac prudentissimum institutorem Ignatium ab illis




Vita V. P. Ioannis

initi cœnobiatûs, & conuictus exordiis in pretio habuit.

Sed quorsum tot hæc religamenta? Nonne Eusebius de parentum, amicorum, consanguineorum acri oppugnatione, vt vidimus victoriam reportauit? Quâ igitur de causâ tantum sibi timet? Verum enimverò, vt quondam Vlysses (ita fertur) sese à Sociis suis ad nauis malum strictè religari funibus prudenter iussit, dum Syrenas præterirent, ne forte vel inuitus attraheretur cantu demulsus; ita prorsus Eusebius eâ, quâ ab adolescentiâ pollebat sagacitate se neutiquam velle ferri quouis illicio mundalium rerum, nullaque vi à Sociis Iesu diuelli per summam cum eo animi reuinctionem, satis superque ostendit. Ast tamen Deus tædio quodam tristitiaque affici Nouitium per interualla voluit, patique contra vocationem cogitationes importunas, tamen numquam eum assumpti statûs pœnituerit, vt ipse omnino nosceret Dei solius fuisse eximium donum perseverantiam. Denique pro tanto beneficio, gratias semper Deo auctori reddidit, Votaque quibus ipsi Deo, ac Ordini Religioso se se ded. carat sæpe sæpius denuò obtulit.

His votis vitæ ratio respondit. Profectò regularum omnium obseruantissimus fuit, quæ prolixæ cuiusdam perfectionis, & minutissimæ, ita dixerim, sunt; quibus licet norat neminem ex peccato obligari, dummodo excipias, quæ ad essentialia Vota pertinent, illas tamen opere implebat ad amissum, quin ab ipsis tyrocinijs velut incunabulis vsque ad vltimum vitæ spiritum operibus virtuosus toto animi sui studio incubuit, non secus ac si ex vnico solo opere, vel omnis religiæ perfectio proueniret, vel quod maius est talus sua æterna prorsus penderet, solitus inde prudenter dicere: *Temporalia amitti impromissis futuris, at spiritualia non intentis presentibus.* Perquàm verum sanè est; virtutes non menti solum obuersantes; sed executioni sedulo mandatas gloriam consequuturas.



C A P V T. VI.

Quali ratione à Magistro exercitus.



STATIM ac vidit conuenitque Eusebium Magister eius V. P. Aquadus (vt erat vir omni prudentiâ instructus, atque in discernendis animis apprimè experiens), discipulum existimauit qualem posset ex disciplinâ religiosâ agere, & velut feracem agrum excolere, ea propter illum variis modis exercuit.

Et primùm despectionem rerum, ac abiectio- nem sui, vt pôte solidissima virtutum magnarum fundamina tyroni suo (sic planè & plenè voco in multis Eusebium) non solum indixit; sed velut arta quâdam inseruit: quatuordecim menses illum culinæ addixit, coquo in omnibus inseruiturum, cuius officinæ munia tota submissione animi, & alacritate obiuit. Rursus è domo foras exire lacernatum, capite nudo interdum præcipiebat, interdum lacero opertum galero; sed vel

etiam cristatum mitrato quodam, ac bicolori; quo habitu, seu potius larvâ, latus mirum in modum compita circumibat, risus omnium factus, nec semel diçteria passus. Sic eum despiciere mundum, vanosque honores edocuit optimus Magister. Neque semel eo gestu, vestitue discipulos præibat ipse, V. P. Aquadus. Quænam ergo saxa non moueret, ac post se traheret ita clarum exemplum, non secus ac Amphion sono dulci testudinis, & voce blanda?

Quid? tantine dumtaxat Magistri? imò etiam Contubernalis audiens erat dicto. Accipe exemplum singulare. Extra recreationis horas alium alloqui nulli licet, ni forte ex necessitate, aut obedientiâ vsu veniat. Ast Eusebius per viginti dies nequidem vocem fecit vllibi præterquam ad animi expiationem apud Confessarium. Res ita se habuit. Rectores quandoque præficiunt ex ipsis Nouitijs alios alijs, vt obedientiæ assuescant, atque in quavis velut vmbra Superioris Deum nudè respiciant suspiciantque.

Præficit ergo P. Rector Eusebio quemdam. Is sibi iniunxit ne quidquam, cuiquamve loqueretur, donec ipse moneret: præceptor ergo, seu ex instituto, seu quod magis credo obliuione per viginti, atque amplius dies interdicti non meminit; sciente autem postea Rectore, ac præfectulum carpente coram Eusebio. Apage ait, ô Pater, isti fratri habendum est mihi semper gratias, namque eo monitore silere didici.


Verùm enim verò, vt assolet artifex scalpro magis expolire lapidè, quem experitur pati posse celaturam, ita quidem Magister Eusebium quo magis disciplinæ Religiosæ capaciorem expertus, eò perpolire pro sua arte, & optima agendi ratione satagebat. Plura simul solebat illi iniungere, ac vel etiam opposita, quæ sanè tyro noster prudentiâ quâdam expeditâ mirificè exquebatur. Acta autem Rector admiratus quandoque laudabat, quandoque verò exprobatat promiscuè, cum celeritatem agendi, tum tarditatem, Eusebius verò neque confusus cadebat animo, neque laudatus efferebatur. Vtrisque tamen actus, si forsan causas nesciebat, certè sui conficius vnum cupiebat, nimirum cunctis in rebus obedire.

Ast tandem eius obedientiæ experimentum præclarum fuit, cum scrupulis agitatus, ac velut pedibus tractus animo anxius, commotus, herens, deducendum tandem à Magistro obcæcatis proprii iudicii oculis totum se se tradidit. Origo autem, & fons scaturientium scrupulorum hicce fuit. Sub idem tempus, quo Nouitius agebat Eusebius, viri spiritualis opinione floruerat quidam. Is denique compertus est vitam degere spiritui valde aduersantem, cuius tragediæ id fuit in causa, scilicet quòd suis rationibus, quæ verè illusiones erant, obnixè duceretur: cum ergo cæcum ducatum sibi præstitit in foueam præcepit. Euentus inopinatus maximè commouit Eusebium, ideoque in eius animo magna exorta est tempestas. Nam cum penitius, quam prudentia postularet, conscientiam suam excuteret ac penè funditùs euolueret, magis se se irretiuit laqueis. Exposuit septies, quâ potuit, eas tricas suo Confessario, qui ex more Societatis, & Rector domus, & Nouitiorum Magister vnà est, cumque eius responsis, ac documentis hand æque assentiretur, diutiùs scrupulis velut fluctibus tractus ad quosdam velut scopulos allisus, magis ac magis afflictaba

Eusebij Nierembergij.

afflictabatur. Quousque sanctè iratus Magister acrius admonuit, dixitque eam animi afflictionem esse obedientiæ defectum, ideoque eam cordis sui inquietudinem vsque durare, quod necdum satis obedire didicisset.

Ergo Eusebius inobedienciæ argutus, ac eius virtutis, quæ in Societate Iesu primas tenet, cuiusque ipse apprimè erat studiosus, defectum sibi obiici, dum vidit; quodam quasi medicamine illito menti oculo, ac nouo radio luminis illustrante, se se regendum Magistro totum tradidit ex eâ obedientiâ, quæ cognomento cæca vocatur, iudicio proprio etiam submissio Superioris arbitrio, ac velut captiuo intellectu in obedientiæ obsequium. Sedata illicò tempestas illa scrupulorum est, redditusque animus ad illam prisicam animi tranquillitatem, quâ toto vitæ suæ curriculo positus fuit Eusebius. Proindeque quod tunc didicit, in posterum obseruauit adeo, vt vel etiam effectus in rebus spiritualibus discutiendis Magister eximius, suo semper timuit iudicio, atque alieno potius filius, res suas alienasque ex obedientiâ discreuit.



C A P V T. VII

Emissis votis Complutum adit causa Studiorum.



XA C T O tyroninij biennio, virtutibus Eusebij maturescens, ad eum perfectionis gradum peruenit, vt non solum ad prima fuerit vota facienda admissus, Superiorum graui iudicio, sed vel etiam ab omnibus, qui eum norant *Sancti* nomine dudum vocitatus. Denique tria emisit Vota Paupertatis, scilicet, Castitatis, & Obedientiæ, ritu, quo moris est; Missam faciente, eaque admittente V. P. Francisco Aquado tertio nonas Aprilis anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, scriptusque in albo Societatis Iesu, atque in Religiosorum Scholasticorum redactus numerum, magno quidem ipsius solatio, communique gaudio, præsertim Magistri Rectoris, qui sanè à se Societati datum sciebat pignus pretiosum pro voto suo, & munere.

Collegium dein adiit Complutense, ibique exceptus hilari vultu, amplexibus, & almo plauiu. Igitur Scholis publicis Academiae, & priuatis domus frequentatis liberalium Artium, Theologiæ scholasticæ, ac moralis, & Scripturæ sacræ octo annorum spatio cursus exegit. Quales autem in litteris progressus fecerit, videre est in suis, vel maxime libris, quorum omnigenam eruditionem iam tū ex iis primordiis studiosè expiscatus, maturo postmodum iudicio excoxit, atque in lucem edidit, vtriusque orbis magno commodo. Id dumtaxat dici in præsentiarum de Eusebij scientiâ factis, quod de quouis in Societate ex quatuor votis professio: etenim ad id solemne vinculum nullus admittitur, ni priùs serid, imo iureiurando obstricti quatuor Magistri exposuerint, posse eum facillè Theologiam è cathedra docere.

Neque tamen illis Academicis occupationibus virtutes Eusebij tepescebant, sed distributis qui-

busque rebus horis, vtrique studio sedulo nauabat operam scientiarum simul, & virtutum. Quin potius vel ipsum litterarū studium inter maxima referendum pro dignitate est, vt pote quod eximias virtutes socias adsciscat sibi, ac comites habeat, quodque intendatur in Societate ad proximos iuuandos in Domino, institutore iplo, & Patre Sanctissimo Ignatio testante, nihil Deo gratius facturos Scholasticos studiorum tempore, quam se doctrinis excolere, & ad munia Societatis habiles reddere. Grauius, & verè Hispanus Doctor Ilidorus lib. 3. sent. *Tam doctrina, quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor. Nam doctrina sine vita errogantem reddit; vita sine doctrina inuisilem facit.*

Porro in scopum eum semper collimasse Eusebium nimirum ad Dei dumtaxat gloriam, ac proximorum salutem, oculis vt cernamus, exemplis par est demonstrari. Ne tamen ea longè deducta sint, duo dum Scholasticus agebat Compluti meminerimus. Mos est Scholasticis Societatis concionari in Triclinio, è Lectoris suggestu diebus solemnibus, dum cæteri prandium sumunt, exercitij gratia, vt ad populum dicere assuescant. Igitur iussus olim Eusebius dicere sermonem, argutè disposuit, ac peracutis cogitationibus exornauit, & quidem ex intento acumine. Aderat inter auditores, V. P. Gaspar Sanctius eximius sacræ Scripturæ Interpres, & ea tempestate in Collegio Magister. Is Eusebium pro amore, & æstimatione ipsius blandè obiurgans. Heus, ait, *Et tu quoque frater in concionibus fucata promissis, & subtilia?* Denique nil aliud opus fuit ab ea interrogatiuncula facetè facta, vt se se satis à Magistro monitum de iis, quæ vsui sibi futura cogitaret. Quid? Exiit inde, adit cellam, colligit arguta illa papyracea, &c. in fasciculos diggerit ad comburendum: etenim flammæ dignos conceptus iudicauit, quos leui verbo damnarat Centumputeolanus. Arserunt codices, & pœnas luerunt nullius delicti, quàm acuminis. O pyra cælum vsque pertingens! ô Magna resolutio! Factum pendat, qui ingenij fœtus æstimet. Rursus exinde serid statuit nihil non solidum appingere è suggestu ex optimo sacræ paginæ sensu, & SS. PP. explicatione, & quæ mortalium corda compungerent, dolorem & lacrymas cie- rent, ommissis, quæ popularem auram captassent, aureisque demulsissent.

Societas nostra nullum non mouet lapidem vt quoquomodo proficiat saluti proximorum; ideo suos monet, vt pro suo statu, suisque mentis, & corporis viribus vsquam quousis hortentur ad bona. Iuxta id ergo consilium Scholastici nostri, vt ansam sumant Studiosos sæculares attrahendi ad bonam frugem, illis lectiones à Magistris edictas repetunt, edisserunt, difficultates enodant, argumenta suggerunt proponenda, aliaque eius generis suppeditant, ex optimo charitatis officio. Eusebius autem zelo ipso ductus, ad se allicere satagebat Gymnasij Condiscipulos. At cum ad duos è nostris frequentius adissent ingenio, & explicandi facilitate nobiles, dolebat Eusebius sibi præripi occasionem monendi illos curam spiritualis profectus. Quare animas in Purgatorio detentas in auxilium vocauit, orationes pro eis fufurus, & suffragia pollicitus. Ecce eius noctis mane subsequuto, finita lectione. Studiosi ferè omnes edocendos se sistunt Eusebio ad postem, vt vocant, substanti, relictis duobus aliis è Sociis

famâ nobilibus, atque ingenio præclaris. Exhilaratus subito est eo à Purgatorij animabus tam prompto auxilio: quod sanè ab eis minimè exorasset, ni zelo proximis consulendi ab eis opem petisset, contentione, & æmulatione omnino semotâ. Indidem autem duo fœlici auspicio sunt subsequuta, & quod Purgatorij animarum deuotioni addictus maneret, & quod animos Eusebii sumplisset maiores ad se se totum tradendum saluti proximorum. Itaque suis alloquiis, & sermonibus omnibus quibuscumque agebat valde proficius extitit, neque solum in vitâ Christianâ, & præceptis Dei obseruandis instituit, sed ad magnas virtutes exemplis suis crexit: quin etiam plerosque ad vitâ Religiosâ viam capescendam suauibus charitatis funibus attraxit, & fragantissimo virtutum odore, vtpote Iesu oleo delibutos, allexit.

Cæterum Eusebius præter ea studiorum pensa, quæ sanè grauias sunt, quæque ille accuratè expleuit variis mortificationis, & orationis actibus mutuato à nouitiatu more se se exercuit, imo conseruato studiorum feruore, omnium virtutum perfectionem intendit, ac fœliciter est consequutus; de quibus singulatim per capita, dante Deo, agemus. Sat hîc dici sit, Eusebium omnium virtutum exemplar præluxisse, habitumque, & æstimatum peræquè ab omnibus, vel in iistycocini, & studiorum annis. Quod maximum putandum est, quatenus habuerit vtrobiq; strenuos concurrentes, quales fuerunt in Nouitiatu quidem V. P. Ioannem de Castello Bellomontanum postea in Vrugai martyrem; in studiis vero Petrum de Legionè Madritensem, Antonium de Cantibus Albazetensem, & plures alios, non, inquam, contemnendâ memoriæ tantum inuenes, ac vel etiam, viros, sed claris virtutibus, atque exempli conspicuos.



C A P V T VIII.

Initiatur sacris Eusebius, ipsius ex officio munia, & orationis studium.



ADVENTAVIT tempus, quo tandem Ioannes Eusebius Ordines sacros susciperet, post studiorum optimè exactum curriculum: initiatus igitur suis muneris functiones ad amissim expleuit, atque in omnibus se præbuit optimum Præsbyterum. Officium diuinum flexis genibus dum valuit, quin & æger, ac vel etiam actus febribus, recitauit. Primam Missam Compluteni in collegio fecit absque vllâ externâ pompâ; diti tamen mentis supellectili, & apparatus. Deinceps quotidie Missam celebravit ea mentis attentione, & reuerentiâ, ac si Christum ipsum oculis cerneret, neque eam vsquam, vsquamve omisit, grauib; licet occupationibus intentus, imò etiam periculosis morbis affectus, ob quorum vim lecto decumbens, horâ tamen Missæ celebradæ exurgebat alacris, sibi visus melius habere. Quod si forsan aliquando non celebravisset, signum id notum omnibus erat graui-

simè decumbentis. In eâ celebrandâ horam infusebat dimidiam ex Regulæ Sacerdotum normâ, & taxatione. Quando autem ad Exercitia, quæ (antonomastice ita vocantur) Spiritualia facienda bis in anno, ac per quindecim dierum spatium se claudebat, duas integras horas Missæ dabat, vela soluens mysterio meditando in sacelli secessu. Antè diligenti conscientiæ discussione mentis eleuatione, ac sacris orationibus præparabat, & post sacrum gratias per otium agebat deuoto animi, & corporis habitu.

Quibus pastus fuerit Eusebius deliciis mensæ cælestis, quibusque dulcibus stillis suffulserit Christus bonum suum Ministrum, profectò testatur longum ipsum tempus, quod Eucharistiæ cultui impendebat, ac eius sacris contemplationibus. Etenim colloquiis diuinis inescatus, horas plures fraudabat somno, suffurabatur negotiis, vt eas orationi impenderet. Porro id orationis studium habuit ab ipso Nouitiatus exordio. Sibi enim cum Magistro contentio, & vt ita dicam, lis erat super licentiâ habendi plures, quam cæteris, orationis horas, cum tamen omnes Nouitij plus quam quinque integras quotidie impendant mentali, & vocali orationi. Dum studuit Compluti quaternas quotidie horas Magistris quidem in Gymnasio, Deo autem Magistrorum optimo in orationis secessu operam dedit, quod sanè dignum non parua admiratione est, si pensa studiorum pensites, quâ ratione, non integra valetudine homo, in histantis sensuum sumptibus durare poterit.

Verum Nouitij, & Scholastici habent quidem succisivas horas, quibus à litteris, & rebus spiritualibus vacent aliquantulâ recreationis &, vt ita dicam, respirationis causâ. Ast vbi Eusebius se se liberum vidit ab illis velut compedibus, ac coactione illa dandi quandoque tempus otio, & quieti, habenas quoad sibi copia fuit, soluit orandi Deum studio. Denique res suas (veniâ prius habita à Superioribus) ita per interualla disposuit, vt septem horas integras orationi, & contemplationi quieto in successu vacaret. Quod sanè instantibus rerum diuersarum occupationibus prope miraculum est, non enim quantum quotidie egerit, scripserit, capit tempus viginti-quatuor horarum: Eusebius sed enim in se, quod de spatio vitæ humanæ dixit Seneca, demonstravit. *Non (ait ille) vitam breuem habemus; sed facimus.* Perinde V. Pater diligenti agendarum rerum compendio, longius quotidie vixit, vigiliarum subsidiis. Profectò qui duas, tresve horas, vel ad summum nonnumquam quatuor dormiebat, tres saltem noctu lucrabatur, vt orationi tribueret.

Sed age, integrum quocque fere diem orationi institisse Eusebium verè dices, si in calculum voces crebras V. P. orationunculas, quas Iaculatorias significanti voce appellant. Sunt, medius fidius, iacula ignita, quæ, licet tanquam tela in cœlum contorqueantur, retortis tamen in iaculantes cuspidibus igniunt corda, incendunt, inflammant. Deo Christo, Virgini Matri, Angelis, Sanctis, alloquutus millies interdiu, se sistebat. Plateæ, compita, fora pro Templis sibi erant, vtque vno verbo dicam, omnium operum eius comes erat oratio, & velut condimentum. Etenim siue legens, siue scribens, siue ambulans, siue colloquens siue comedens, ac vel etiam dormiens orabat; domi, foris, vbique per totum vitæ spatium, ac fas est

Eusebij Nierembergij

est dicere per crebram ipsam respirationem. Itaque ad altissimum orationis gradum peruenisse, Deo familiariter vsum, nemini dubium est. Quin etiam cum hominibus interdum coactus diuersari, ad Deum se se subito conuertebat; adeo, vt quæ in cubili ipsius domestici dicerent, agerentve, quæque in domus pergulis, imo publicis in vicis fierent sono, & cum strepitu auribus ipse non exciperet, nedum animo atenderet.

Ergo, si Clauis cœli Oratio est, quas inde diuitias hauferit Eusebius meditare, vt quas illis deductis riuulis aluerit virtutes ad magnumque incrementum duxerit; sed verò ad alia, quæ pene innumera sunt progrediamur.



CAPVT IX.

Illustris Eusebij pœnitentia, siue carnis maceratio, & sensuum castigatio.




RVSVS aliam virtutem delegit Eusebius sibi sociam, & valde familiarem, pœnitentiam scilicet; quæ comite alias adseruauit, ac obseratas continuit velut ingenio. Profectò vir is præclarus omnibus licet enituit virtutibus, maceratione tamen corporis eximius fuit.

Vtque à flagris exordiamur; Ioannes Eusebius cædebat se non funiculis dumtaxat ex cannabe, sed æri intortis, sed immixtis flagro aculeatis globulis, & cuspidatis stellulis, vt non solum cruentarent; sed quoque sanguinem, plagasque inflingerent, quæ deinde quotidianis castionibus recrudescerent: pectori, tergo, lateribus, cruribus, brachiis cilicia adstringebat, ita vt quoquo se corpus verteret, sensu carnem afficerent. Sed, ô bone Deus, cuius intexturæ, cuiusve fabricæ cilicia? Crucis clauis aculeatas ferro rigentes catenulas, laminas crepidinosas, fascias, & funes, scapularia, & manicas fetis asperis contextas, & quicquid durissimum latu aduenit, hucvique artifex pœnitentiæ corpori suo admouit fere perpetuò Eusebius, quibus instrumentis onusta cella, velut armamentarium erat, ipseque velut armatus rigeat. Calceis immites lapillos, ciceres, aliave huiusmodi immittebat, vt quouis gressus facto plantis pedum innixus pungeretur. Quid non inuenit ingeniosa vindictæ cupido?

LECTUM in cubili habebat oculis solùm apparentem, & simulatum: etenim ipse tabulâ pineâ, querneâ, subereave decumbebat; & ne quidem iacens, sed adnexus scabellulo, seu brachio, seu capite, haud indulgens somno; sed victus duas, vel tres horas capiebat quietem; si eam quietem appelles duritie straminis, & membrorum habitudine, sopore septies interrupto. His macerationibus contundebat, ac pœnè frangebat corpus, vt se se occidisset, ni Superiorum crebris monitionibus sanctè prohiberetur. Mortuus recens, dum ad tumulum componeretur, compressus vndique, ac contusus corpore apparuit, ac fractis costu-

lis circa stomachum cavitatis quædam, quæ punguacaperet. Etenim cruce, aliave pœnitentiæ instrumenta pectori admota, cum sæpe innixus mensæ scriberet pectus quassare facile possunt.



CAPVT X.

Missionum expeditiones suscipit ad montes, quos vocant Toletanos Guadalupeensesque.



ITUR Eusebius suis internè moribus bene compositus, litterisque apprime intructus, omniumque virtutum munimine cinctus, præcipue tamen armatus Oratione, & Mortificatione, quæ alias virtutes præ manu habent in subsidium, deicendit strenuus Societatis Iesu miles in mundi arenam, munia nostri Ordinis executurus. Verum enim verò, provt habilis ad omnia promptusque semper stetit, & pro suâ indifferentiâ ad quæque aptandus, missus per loca primum est (marte quodam suo) quatenus semper arsit desiderio se exercendi in Missionibus in communem vtilitatem. Ventum ergo est ad Toletanos montes, vbi in animarum conuersione multa, & præclara gessit. Inter alia huiusce rei stat singulare exemplum. In quodam horum montium oppido vir habitabat vitii deditus prorsus, prauæque inseruiens consuetudini: apud se statuerat non auditurum sermones Patrum concionantium, tametsi de his multa sibi dixerant Oppidani, transit autem forte fortuna iuxta Ecclesiam quâdam die, quæ Eusebius concionabatur, curiosè autem auditorus quid effutiret importunus ille Pater (sic apud se submurmurat) dum se ad valuas applicuit tantulum; ecce repente vi propellitur, dumque abire cepit, è contrâ, vi quadam impellente templum versus adducitur: id ter, quaterque inuicem per interualla accidit, alterno se impetu hinc inde protrahente, tandem ad pulsus vi maiore, inuectusque in templum rem admiratus substitit, attenditque dicentem è suggestu Eusebium, cuius vel vnica tantum periodo accepta transfixus pectore est velut sagittâ: compunctus corde, lacrymis suffusus, Patrem adit, flexitque poplitibus enixè, ab eo remedium efflagitat animæ suæ perditæ. Excipit illum benignè Eusebius, ore disponit, confessionem eius totius antè actæ vitæ per aliquot dies audit, latum prorsus reddidit, atque omnino emendatum; & in posterum fuit ipse magno exemplo, qui priùs fuerat aliis offensionis. Quo in casu duo notanda maximè sunt, nimirum eam propter actionem vltro citroque hominis pugnam scilicet fuisse boni, & mali Angelorum sibi aduersantium, in quo tandem Custos viri illius Angelus victor euasit.

Rursus miraculo tribuendam eam hominis conuersionem; Etenim ipse testatus est, Eusebium illi secum elocutum è suggestu, monentem acriter,



CAPVT. XI.

Adit Eusebius Collegium Madritense, munia quibus ibi intentus.

vt per Sacramentum Pœnitentiæ sua peccata dilueret, cum tamen Eusebius de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nõ dixisset tunc, nec mortis, inferniue meminisset. In quibus apparet immutata ab Angelo fuisse Eusebij alia facientis verba, contortaue minaciter præter mentem concionantis, digni quidem vt ab Angelo adiuuaretur, iis miris modis dum causam Dei ageret studiofissimus salutis animarum.

Eâ quoque tempestate ad Eusebij pedes venit alius, in cuius corpus sese dæmones immiserant, in supplicium ingentiũ scelerum in quibus diu vixerat. Deus illius misertus, gehennales flammæ illi ostendit nescienti an in corpore, vel extra corpus, attamen ea visio illum à committendis peccatis deterruit, & magnum de commissis dolorem excitabat. Denique in Eusebio quidquid sibi opus exat inuenit; ipse namque ipsius confessionem sacramentalem excepit, atque pro illo orauit, peculiareque sui corporis castigationes Deo obtulit: quare à peccatis vnâ & dæmonibus pythonicus ille fuit liberatus, atque audiens dicto Eusebij semper fuit obsecutus, ipsiusque directione vitam statuit nouam, ac magnam vindictam de se sumens in se animaduertit acriter, Deo de suis criminibus satisfactorus.

Alibi quoque inuenit quemdam, qui singulari à Deo supplicio, propter flagitia illato graui, oculis caligantibus nequiquam, hostiam consecratam videre valebat, dum Missæ intererat; sed tamen nihilo melior effectus, animo indies obtenebescente stolido quodâ stupore actus, suorum scelerum nebulas discutere non curabat. Vsq̃e dum auditâ Eusebij concione ad pedes Patris se se coniecit, & peccata falsus, conciliato sibi per Sacramentum Deo, melius habere animo cepit, attamen non nihil diffidebat videre scilicet oculis hostiam, vt optabat. Eusebius facturus Missam, spem illi erigens, secum deduxit diffidentem; id ita è votis accidit, dum hostia attollitur eam vidit. Homo verò latissimus, Eusebio post Deum gratanter tribuit euentum, ab eo petiit enixè, vt rem enarraret omnibus, ne ruerent forsitan in eas animi tenebras, in quibus ipse versatus fuerat propter sua grauiâ crimina, sed potius omnes vt ipse in meliorem frugem se deinceps conferrent. Plura huius generis contingere ex prouidentia singulari; quæ extra communem ordinem per Eusebium peragi disposuit Deus, & ad gloriam suam direxit. Quæ bene expertus Pater toto vitæ suæ tempore ministeriis huiuscemodi semper institit, dum per valetudinem licuit. Cumque vel libris scribendis, vel grauiſſimis rebus tractandis, vel è cathedra Auditoribus erudiendis continuò vacauerit, numquam tamen à confessionibus audiendis distractus est, sed noctu diuque appetitus optimum operarium semper egit.



Is aliisque pluribus ab Eusebio peractis ab omnibus fuit vndique expetitus, vt erat propter ipsius virtutes, mite ingenium, & mores optimos magni habitus. Superiores autem, qui iam de rarâ eruditione Eusebij, eiusque in versandis libris immenso studio magnam spem conceperant, Madritum miserunt, vt ibi præclaro, & eruditissimo viro Patri Ludouico de la Cerda suam daret operam, atque in illis maximis studiis, quibus tandem in lucem daturus esset libros, leuamen opemque pro suo Marte, & arte afferret. Venit igitur, atque vnâ adiutor fuit, authorque operum ingentium, quibus ea monumenta dictata sunt. Ipseque studiosè plurima alia sibi collegit, inde aptanda postmodum suis libris, quæ iam tunc animo, & mente moliebatur. Porro eò, vel maximè Superiores ostenderunt quanto in pretio habuissent ab ipso inita Societatis primordio Eusebium, eiusque breui maturos mores, quod tertiam quam vocant Probationem post studia in Nouitiatu peragenda, in hæc curas permutarint, singulari, & raro dato priuilegio. Eâ tempestate occasione studiorum Regalium, selecti sunt quoque ex nostris Religiosis Scholastici, qui variis disciplinis incubuissent, collectio autem horum adolescentium nominatur, nostro vsu & voce Iunioratus. Igitur huic Eusebius præfectus est, illumque diligenter excoluit in omnium virtutum genere: & sanè omnes Iuniores, id de se specimen præbuerunt, vt facile visum fuerit; se habuisse optimum & litterarum vnâ, & virtutum Præceptorem.

Rursus nondum canis, vel leuiter aspersus Eusebius rerum spiritualium Præfectus efficitur, & illius numerosi collegij Confessarius. Attamen cum cani sint sensus hominis, præfici potuit merito non quidem solum militibus, sed & ducibus: & cum, vt aiunt, occasiones faciunt homines, eâ positus in Præfecturâ pro rebus spiritualibus tractandis, agendisque, talem se omnibus studij exhibere, vt omnibus maximo foret emolumento.

Fratres nostri Laici, & quicumque ex Domesticis eo utebantur, progressus maximos, in oratione, & mortificatione faciebat: vsu sacrae synaxis frequentiore, aliisque magnis virtutibus. Sed, ô bone Deus, quantis quibusque optimis industriis vsus, vt eos in Domino iuaret? primum quidem ad Deum fuis continuò precibus, deinde sagaci quâdam curâ se se infamiliaritatem tepidorum inferebat, vt cum eisdem rebus diuinis elocutus, corda illorum ardenti sui flammâ incenderet, ac pro eis pœnitentiæ operibus oblatis, suis quasi humeris, seu potius dixerim alis filios in spiritu, & alumnos sibi à Deo in disciplinam datos, supportaret.

Rursus

Eusebij Nierembergij.


Rursus pro iis, qui feruidiori spiritu agebantur rem peragebat, vtrorumque ditescere lucro; ipsi enim lacescentes ad bona, atque inuicem lacesciti sanctâ quâdam emulatione ad ardua in-
citabantur, feruebatque opus in Collegio, redolebantque Eusebio fragrantia omnium exempla.

Denique ea, vt ipse asseruit, prima sibi mens, & intentio fuit in scribendis clarorum virorum Societatis optimis rebus gestis, vt in vnum collecta nostrorum illa præclara acta, vtpotè nostræ professionis propria exercitia, & quasi domesticæ virtutis, fortius suauiusque Nostros cierent, ad sanctam imitationem, renouationemque spiritus, ac demum ad normam tantorum virorum secundum priscum feruorem, denuò se formarent. Etenim ex communi proloquio, *Amabile bonum, unicuique proprium.* Deinde dum Scholæ Regiæ, in hoc Imperiali Collegio eriguntur ad eruditionis cathedram regendam designatus est, in quâ mille eximios edidit præclari ingenij partus. Tandem maiora promeritus, sacræ Scripturæ Cathedram substituit. Deniq; in Eusebij doctrinæ laudē nihil amplius dici necessè est, quàm indicem librorum, qui iam sunt prælo dati, & postmodum dandi, ostendere; vt postea videbimus: cum quo componere oportet humile Eusebij dese, suisque libris iudicium. Cum omnia eius scripta tot tamque præclara, & vtilia extiterint, & communi omnium plausu excepta, libuit, de eius animi demissione, & modestiâ, nonnulla subiicere, vt iuxta se posita, opposita magis elucescant, cumque scientia inflet, nihil tamen tumens in Eusebij gestu, verbis, actionibus vsquam apparuit. Et primùm circa ea, quæ ad litteras pertinent, aliorum cogitationes, conceptusque maximi, è contra verò ingenij sui fetus minimi faciebat, cumque Eusebij scripta etuditiõ maxima illustrarit, omniumque pene artium, & scientiarum notitia, cum aliis tamen, ac si nihil sciret agebat, studiorum suorum res communicabat, non quidem cum viris doctis tantummodo atque omnium litteraturâ perfectis, sed cum scholasticis, & suis etiam discipulis: eos quoque consulebat, de iis que scribenda sibi proposuerat, eos audiebat, eorumque discursus adeò sibi placebant, vt humili quâdam modestia diceret, si per te liceat frater iis ad mea studia locupletanda vtar, etenim valdè bona sunt, si ego similia scriberem minùs apta fuissent.

In librorum fronte nullos titulos commendationis suæ, dignitatis, suæque litteraturæ scripsit, nomine tantum, & agnomine apposito, cætera siluit.

Si fortè aliquis, qui Eusebium non omninò nosset à se interrogatus vtrum alicuius Cathedræ regimine fungeretur, ipse palàm dicebat, sacræ Scripturæ Cathedram substituo, dum ventrit aptior ad eam Magister.

.



CAPVT. XII.

Studium celandi, quæ in laudem sui vergerent?




Is, quæ diximus Capite præcedenti valdè affinia sunt, quæ in hoc capite subiiciemus, cum autem se se affligendi, doloresque sibi infligendi studiosissimus fuerit Eusebius, neque vllam macerandi corpus suum occasionem nactus, vsquam prætermiserit, miro quoque, ac faceto quodam modo occulere rem satagebat, aliud prorsus ostendens. Nullum in cubili suo tapetem, cortinamve habebat, quò vel frigus, vel calorem ex tempore atceret, cælum ningeret, seu cremaret, fenestra tota cælò patebat; ipseque iis inclementiis obnoxius, si forsan ideò obiurgatus, dicebat, sibi id opus esse, vt commodiùs videret, cum lecturus, aut scripturus fuisset. Vestibus induebatur exterius quæ alioquin iam tunc rasæ fuissent, atque attritæ; interiùs verò omninò laceris, ac dissectis, & quidè religiosæ paupertatis studio eis, qui ex officio vestes mutatorias dabant, dicebat subridens, sibi à natura inculto aptiores esse refarcitas, inertæ suæ tribuens, & fœditati eas dirumpi facile.

Cum olim cecidisset, & brachio fractus vulnera Chirurgo curante, mordicantia ab eo medicamina, & acriora, non leniora adhiberi sibi petebat, potiora vulneri semel, & iterum asserens, & sanè verum dicebat, quatenus ipse sibi potiùs verum existimabat id amuletum, quod sibi acutiorem sensum cieret. Ità vir admirabilis patienti studium occultebat.

Verum enim vero gratissimum quidem videntibus fuit, cum ire cubitum semel iussus, eo quòd subito penè corruisset commotione quâdam insurgente, se lecto iacere simulauit: ateni de Eusebio valde solliciti infirmorum Præfectus & Infirmarius presto adeunt illius cubiculum, Eusebius verò subintrantes præsentens confestim se se vestitum, & calceatum intrufit sub stragulis, nudatum decumbere se simulans, vt autem discoopertus fuit, vt quomodo se haberet pullu innotesceret, ita rubore suffusus fuit, ac si quid pudore dignum efficeret. Etenim erubescendum sibi arbitratus est, quòd præter Superiorum, ex cuius licentiâ nudus in tabulâ decumbebat, (vt diximus) plures viderent lectuli sui stramen inuentum, nec sindonibus, nec puluinari stratum, sed vnâ tantum culcitrà, & vetusto operculo apparenter effictum.

.



C A P V T. XIV.

Optima se habendi ratio erga exterosex bono officio Operarij.



NON solum domesticis Religiosis prospexit Eusebius impensâ eorum spiritualis profectus curâ, sed eâdem ipsâ in proximorum salutem exterorum incubuit, ex optimi operarij vineâ Domini officio. Actio illius, & conuersatio cum Sæcularibus sanè fuit ex normâ primæuorum nostrorum Patrum, & verè poteris tanquam exemplar ministerij Euangelici proponi debet. Etenim illius colloquia numquam inania, semper vtilia, eius ad virtutes hortatio frequens, consilium datum opportunè, ideoque eius certa directio. Facilis flecti precibus, modo iusta petita, misericors in egenos, tolerans in molestos, promptus in importunos, mitis erga omnes. Doctus quidem cum doctis, modelle tamen, & sine scientiæ ostentatione, insciis verò instructor benignus, ad eosque edocendos natura procliuis. Cum iis, qui virtutibus acquirendis instudebant, socium se exhibebat, potius quàm Magistrum. Cum peccatoribus humanus, verbis cum eis agens lenibus, in imponendis pœnitentiis suauiteræ quos, in diiudicandis criminibus iure non strictiore, quo eis facilem aditum ad Dei gratiam aperiret. Cella eius omnibus patebat, ostiariique domûs Eusebium ad quæque paratum ac promptum quouis ad eundum certò sciebant: venientes quosque ad eum mittebant, nemoque se adeuntium repulsam tulit vsquam, tot licet, tantisque rebus occupatum. Denique suauis quædam prudentiâ, atque sanctâ efficacîâ eos dirigebat, atque in officio continebat, vt ea propter vndique expetitus, quæsitusque ab omnibus: qui emendatiùs viuere apud se statuerant, Eusebij spirituales scholam frequentabant, in eaque magnos fecere virtutum progressus, quorum testes adsunt plures alumni omni exceptione maiores, Eusebij Magisterio semper gratabundi.

Verum enim verò, quod in officio Patris spiritualis omnium est difficillimum, mirandum prorsus in Eusebio, quâ facilitate animos omnium scrupulis perturbatos sedaret. Neque tamen sibi opus erat pluribus nimirum mutuatis ex tot suis rationem, scriniis ditibus, librisque præsto datis (omnia ferè in promptu habebat tamen innumera) breui verborum vsus compendio, eas quæ tempestatum instar sunt, cordis procellas tranquillabat, motosque fluctus componebat. Hæc pauca satis in multis pro exemplo sint.

Monialis quædam patiebatur maximas in animo afflictiones, vt pote quæ scrupulosam conscientiam alebat, scrupulorum conditioni non aptè medicata: consuluit nonnullos in hęc animæ nodis soluendis dexteros, qui tamen plurimo malagmate adhibito sanam non reddidere; appellat tandem Eusebium, statum animæ suæ proponit, audit illam Pater; & *vade, vade soror, ait, ea finis, id ex consilio dicto tibi, ac si mihi*

ea copio datur, præcipio. Rursus capiti imposuit manum, eique bene dixit; Ecce inde conscientia ipsi pacata est, omnisque expers turbationis quietè agit.


Monialis quoque alia scripsit ægrotanti Eusebio, quanta angebatur cura, quantaque premebatur molestia anceps, & dubia, votumne impleuisset, quod emiserat, dum Patre vsa fuit confessario. Respondit inuicem scripto, Votum optimè impletum est, quietem capito, neque huiusce rei deinceps recordare, atque ita ex præcepto iniungo. Quid? profectò id à Patre prolatum, ac vnâ quietam reddi, & scrupuli penitus oblitam, cura sua, & anxietate libera, prorsus hodiè testatur.

Filia eius quædam, vt vocant, confessionis, apud gradum aræ maioris se stiterat, iam iam Eucharistiam sumptura; cum ecce repente scrupulo inuadente hæsit in ambiguo, à gradune aræ iam proxima recederet, tamen cum circumstantium notâ, an accederet communicans excluso dubio. Hac igitur pressa confusione erat in agone vtrum eligeret insciâ; Cum ecce facie conuersa, iuxta se vidit Patrem Eusebium qui velut illac transiens aliò, accessit, & in aurem insufurrans ait, quiescito, & synaxim recipito; quietem ergo è vestigio capito absque villo suo actu, & diligentia, dictum quippe factum. Vbi apparet Eusebium id patrasse tanquam potestatem habens, atque illustratus diuinitus calluisse mentem penitus fœminæ, antequàm ipsa suam promeret anxietatem.

Plura poterant afferri testimonia eximiæ eius charitatis erga proximorum salutem, sed vnum pro mille. Ægrotauit nobilissima fœmina ex primariis huius Regiæ curiæ, filia confessionis Eusebij. Medici omnes de ipsius salute desperant, ipsa alioqui probatâ virtutis ægrè ferebat proximum morti periculum audire, nec mirum, hoc fert humana natura, præcipuè cum nobilitas, & rerum omnium affluentia appetunt eis rebus perpetuò frui, non illis morte breui destitui, huic iungebatur valde esse sollicitam de pœnis in Purgatorio luendis. Anxius verò noster Eusebius cum videret eâ occasione, voce & verbis subito priuatam fuisse, decreuit sacrum facere in ipso cubiculo, vbi ægrota decumbebat in eoque Deo suam salutem offerre, & cuique ægritudini se promptum exhibere, vt à pœnis Purgatorij esset libera, & voce & loquelâ restitutâ gratanter exciperet, omnes, qui de suâ morte vicinâ eam commonerent: nec mora in sui desiderij adeptione, mox vt sacrum fuit finitum, ægrotans quasi è somno resurgens diuinæ voluntati se conformem excubuit, & mortem amplexata cum singulari admiratione, & omnium exemplo in Domino obdormiuit.

Ab eo die per spatium sexdecim annorum nec per horam liber Eusebius fuit à vehementibus doloribus, & cruciatibus totius sui corporis partium; ita vt vix verbum aliquando posset efformare, nec suis manibus ad scribendum vti; sed cum eo patientiæ, & virtutum omnium incremento, vt pro querelis gratias continuo Deo auctori ageret, ægritudinis molestias pro singulari beneficio reputans, addens, numquam se virtutes solidas vsque ad illud tempus agnouisse.

Eusebij Nierembergij.



C A P V T XIV.

Ex deuotione Eusebij erga sacratissimam Virginem ab eadem eligitur ab opera mira patranda.




PATRIS Eusebij Nierembergij operâ frequenter, ad animatum conuersionem utebatur Virgo Deipara, vt ex variis casibus facile potest comprobari. Vir nobilis in curiâ versabatur cuius scelerum multitudine, longissimos diurnæ ac discinctæ vitæ dies exuperabat, tot inter flagitia, hoc vnum dumtaxat exiguæ pietatis genus retinebat, vt singulis saltem diebus salutationem Angelicam Beatissimæ Virginis semel recitaret; quæ solitâ in homines sibi deuotos bonitate, abundè compensauit. Siquidem in somnis illi apparuit, & benigno aspectu ipsum intuita est, reuocauitque illi in memoriam quicquid peccati, toto vitæ decursu contraxerat, & interno quodam suauique motu impulit, vt ea omnia apud Patrem Eusebium confiteretur, & gratiæ huic, alteram addidit non minoris momenti, nempe corporis infirmitatem, vt vexatio daret intellectum, & corporis ægritudo, periclitanti animæ fieret medicina. Et verò cum serò decubisset sanus, ardentissimâ febri manè excitatus æger, nocturno visu, & mortis metu territus, Patrem Eusebium confestim ad se iussit euocari, remque totam ipsi aperuit, & peccatis confessione generali expiatis, rogauit Patrem enixè, sic causam suam ageret cum Deo, vt ne aliquando ad perditam vitam, & prauos mores semel discussos rediret, in eâ dispositione, quam nusquam habuerat, è vitâ migraret. Orauit Pater, & Deus serui preces audiuit, intra dies quinque æger obiit, vt sanus per totam æternitatem viueret.

Alterum quempiam sceleratæ vitæ homuncionem, Angelorum Regina die vltimâ Maij anno 1643. ad Patrem Eusebium adduxit, vt illum à desperatione, in spem filiorum Dei, & meliorem frugem reduceret. Vir nequam parentibus inuitis Vallisoleti in patriâ suâ, vxorem sine dote duxerat, solita illi ad victum subsidia parentes denegarunt, cum aduersâ in omnibus vteretur fortunâ, tristitiæ leuandæ causâ fortè semel ex vrbe, sortis suæ pertæsus exiuit, cùmque varias cogitationes animo reuolueret, repente vidit iuxta se hominem facie liuidâ ex deformi, hunc captiuum aliquem magnatis alicuius esse iudicauit. Et reuera Dei erat mancipium, & eius iustitiæ minister caco-dæmon, qui cogitabundi hominis ruinam moliebatur: hominem vrbane salutauit, familiare iniit colloquium cum illo, insinuauit se se fraudulenter, & intra breue tempus, mœroris causas omnes detexit, quo factò fraudulentus hostis miseram viri sortem amplificauit, quid

multa? diuitias, fortunamque longè meliorem promisit, dummodo animum ipsi suam, schedulâ non atramento sed sanguine, obsignatâ concederet. Ad hæc, stupore defixus hælit miser, responditque se altero die propositioni satisfacturum: conditionem admittit Dæmon ea tamen lege, vt nulli rem secretam aperiret, quia inquit Christus cap. 3. Ioann. Qui malè agit, odit lucem. Sic prauo illo consortio expeditus homuncio, in vrbem reuolat, peritum quarit Confessarium, rem totam aperit, consilium viri ferme desperati damnat, hortatur, spe erigit, & ad peccatorum confessionem proposita Dei bonitate, & clementia impellit, monetque vt sanctissimam Virginem, in patronam assumat, cuius gratiâ singulis diebus rosarium, vt dixit, recitabat, vel aliis distractus negotiis si aliquando omitteret die sequenti solitum pensum duplicabat: his armis accinctus abiit, cumque hospitiij sui gradus conscenderet, Dæmon eodem habitu & vultu quo antea, illi apparuit, iraque accensus dixit, vir perside, ænequam, quorsum fidem mihi & secretum non seruari? nisi modo rosarium, licet parùm attentè, ac piè percurreres, pœnas à te violatæ fidei grauißimas repeterem, hinc nimis territus vir perduellis, se suaque omnia Deo commendauit. Cumque non haberet vnde suam inopiam subleuaret, in Curiam venit vt solent multi, qui vana spe melioris fortunæ delusi, vbi sperant remedium, ruinam sæpè reperiunt & animæ excidium: & si Vallesoleti res illi malè successerant, Madriti deterius procelsère. Tædio ac mœrore confectus miser, cum fortè sub noctem, animi leuandî causâ, librum euolueret intra cubiculum, Anachoretæ cuiusdam habitu ingreditur Dæmon, de more hominem salutatur, quid tunc ageret, quarit; & fictâ vrbinitate & modestia ipsi assidet, rei nouitate, hora præsertim tam insolita vir attonitus, quisnam sit, vnde veniat, quid quarat, sciscitatur simulatus Eremita resp. ondit se prope cellam habere, vicinosque suos identidem inuisere, compositisque verbis familiarem sermonem instituit: & sensim sine sensu in aduersam viri fortunam delabitur, facile fuit volenti vlcus reterege, quod enim cor dolet, os loquitur libentissimè, operam illi Dæmon suam obtulit & auxilium, designatur tempus & locus, quò die sequenti ambo conuenirent iuxta D. Mariæ Aragoniæ Collegium. Vbi primum illuxit, vir memor se solitam Virgini pensum non persoluisse, in ipso itinere recitauit Rosarium. Vix designatum attigerat locum, cum statim occurrit illi fictus Anachoretæ, qui blandè illum excipiens ad theriotrophium seu viuarium deduxit, & ita humanas miseras, nominatim verò quam modo experiebatur ærumnam, verbis selectissimis ampliauit, vt doloris sensus respirationis meatum intercluderet, qua re cognitâ Dæmon, extrema omnia tentans, subiecit, satius esse tot malis finem imponere, quam vitam aded ærumnosam diutius protrahere. Ita est, inquit miser; tunc Dæmon restim porrigens, laqueo, ait, ex aliqua arbore te suspende, operam tibi vltro meam præstabo, laqueum arripit desperatus, arborem conscendit, ramo cuidam decumano alligat, partem collo iniicit, & se toto corpore dat præcipitem, in postremo exhalantis ferme animam

nam certamine adfuit Virgo Deipara diuino quodam splendore collucens, & voce clarâ dixit, in statu damnationis aeternae versaris, verum misericordiam tecum vsus est filius meus, ne moriaris, tantum valuit apud ipsum continuata Rosarij mei pietas & deuotio, pete domum Societatis confestim, alloquere Patrem Eusebium, ille afflictum te consolabitur, his dictis visio illa euauit, & receptis viribus & animo, miser pedibus ramo implicatis, & manibus arborem amplexatus, corpus aliquantulum iustulit, donec detracto fune ex collo tandem exscendit. Attonito similis, arborisque trunco assidens tantisper haesit, seque Deo, Reginaeque caeli commendauit, & e vestigio in Societatis Iesv Collegium ad Patrem Eusebium sibi de facie nondum cognitum conuolauit, ianitor in eius cubiculum deduxit, qui humanitate singulari illum excepit; urbanitate captus miser, rem totam uti gesta erat, profectus est, liuidam colli contusionem ostendit: eius confessionem audiuit Pater, expiatisque sacra exhomolegesi peccatis, ad spem meliorem excitauit, adhibitisque salutaribus consiliis, illum in sanctissimae matris captiuorum numerum adscripsit, ut eius tanquam rei propriae curam susciperet, & pecuniâ aliquâ ex demandatis sibi eleemosynis recreatum hominem, non sine vtriusque consolatione dimisit.



CAPVT XV.


Studium Eusebij pro liberandis animabus in Purgatorio detentis.



IN CREDIBILIS eius animarum zelus, non viuentium dumtaxat saluti incumberebat, sed ad vita functos etiam, & piacularia statua demortuorum extendebatur, quibus fuit semper addictissimus; & ieiuniis, orationibus, vigiliis, corporisque afflictationibus, ex piaculari illo carcere animas extrahere, vel cruciatus, & poenas imminuere, vel praescriptum tormenti & expiationis tempus contrahere conabatur. Testis est celebris illa precariorum globulorum corolla, ex qua Pontificiae indulgentiae sigilla pendebant. Solebat Pater diebus singulis, in gratiam animorum igne piaculari poenas pendentium, coronam recitare; amisit illam semel per duos dies alia indulgentiae numismata mutuo accepit, ut solitae deuotioni faceret satis, tertio die grauissimis negotiis implicatus ex obliuione non petiit, & hora noctis sesqui duodecima, cum accurato examine conscientiam expenderet, inuenit se animabus Purgatorij pensum de more nondum perfoluisse, cumque iam esset silentij tempus, omnesque quiescerent, vicinos intertubare, ut ab illis peteret Rosarium, non est ausus, itaque coram Deo prouolutus in genua, magno animi dolore ab illis animabus veniam petiit suae negligentiae, affectumque & voluntatem recitandi obtulit, dummodo ipsa Rosarium illi sus-

scerent. Res mira! & quae vim & efficaciam eius orationis prodit mirifice, in illo temporis momento, ex superiore conclauis tabulato, in medium cubiculum decidit cum aliquo strepitu corolla tot votis expetita, latus Pater, sine vlla animi perturbatione, gratias primum Deo, tum animabus illis, quae perditam coronam retulerant, peculiari sensu egit; tum pie, ut fit, ac deuote totam percurrit, ac deinceps tantae pietatis fuit retinentissimus, quam auxit, non in se tantum, sed in aliis quoque, singulari tractatu edito, de pietate ac deuotione in animas Purgatorij non obseruanda modo, sed augenda.

Contingit aliquando dum horâ post mediam noctem primâ, orationi vacaret Pater in Oedeo veteris templi Collegij, uti de more factitabat, apparuit illi anima Patris cuiusdam Theologiae olim Professoris, qui paucis antè diebus in Collegio Madritensi obierat, Patrisque Eusebij intimus erat, & familiaris, voce clara & distincta, & proprio nomine Patrem appellauit, amici vocem agnoscens Pater, nullo terrore perculsus, ab eo petiit, quid vellet, cui amicus iam vita functus dixit, Amice Eusebi: opem imploro tuam, siquidem in piaculari statione grauissimas poenas luo, quod nimiam quâdam exaggeratione, alienos errores Superioribus aperui, reliqua moderatoribus renuncies, publicesque, ut omnibus culpa haec innotescat, meoque periculo caeteri sapiant. Haec est Dei voluntas, qui Deiparae Virginis precibus hanc mihi facultatem concessit, ut ipsemet pro antiqua amicitia nostra, orationes & suffragia tua exigerem: multa pia conuersationis, & pristinae consuetudinis motiua subiecit vitâ functus, ut citò Pater Eusebius demandata sibi exequeretur. Operam illi suam promisit, & praestitit: rem totam ad Superiores retulit, missas, suffragia, indulgentias poenitentias vndique corrogauit, ut laboranti amico succurreret, paucis post diebus eadem horâ, & in eodem loco illa ipsa anima Patris apparuit sub specie in soliti cuiusdam splendoris, paulatimque in caelos conscendens praec oculis Patris, innumeras ei gratias referebat, quod eius auxilio ex piacularibus statuis celerius emerisset.



CAPVT XVI.

Quid in morte, quid post mortem Eusebij contigerit.



IN DEM Dominico die, & Aprilis septimo, hora sesquiseconda post mediam noctem, animam suam omni virtutum genere exornatam, eâ pace, & tranquillitate animi quâ semper vixerat, Deo reddidit; ut partâ tot meritis gloria, & beatitate per totam aeternitatem (ut pie credimus) frueretur. Obitus sui diem multò antè praesciuerat, & amicis quibusdam & familiaribus praedixerat vndem speciem internae consolationis,

Eusebij Nierembergij.

nis, hilari vltu exhibebat. Audita Patris religiosissimi morte tantus fuit totius Curiae concursus, vt vix ac ne vix quidem, irruentes demortui manus & pedes deosculaturos regium satellitium à cadauere arceret. Pietatem illam publicam, Deus manifesto prodigio compensauit: siquidem puella, cuius Pater fuit semper Patri Eusebio addictissimus, grauissimo, oculorum morbo laborabat, eo ipso tempore quo ad sepulchrum deferebatur, ægrè tandem ad loculum accessit, & fide plena, manum Patris Eusebij deosculata est, oculorum sanctitatem petiit, & confestim obtinuit. Parentes, & alij ex vicinis benè multi, qui ægram viderant multoties, discussis nubibus, & oculorum infestâ suffusione detectâ, integrum ac perfectum visum recepisse testati sunt.

Paucis diebus ab obitu Patris Eusebij, Persona quædam Virginis obsequio imprimis addicta, illusionem quædam, & ementitis casibus, & iactura bonorum fortunæ, quæ imminabat, à Dæmone decepta, in eam deuenit desperationem vt arreptum pugionem totis viribus in pectus immiserit, confossis vestibus, pectoreque iam leuiter vulnerato, ictum, & manus impulsam detinuit Pater Eusebius, qui visibili

specie illi altitit, vt eadem Persona viro cuidam Religioso grauissimi Ordinis postmodum renunciauit, addiditque Patrem affirmasse, falsa esse illa omnia, quæ generis humani hostis infensus suggererat; deuotionemque, quam per tot annos in Deiparam Virginem retinuerat, eiusque intercessionem, ei profuisse, vt ab illa Cacodæmonis fraude, & damnationis æternæ periculo liberaretur; suauisilleque, vt de admissio scelere pœnitentiam ageret, & ne de visione illâ dubius hæreret Confessarius, successum illi publicum aperuisse post sex hebdomadas euenturum. Rem totam cum aliis duobus doctissimis viris prudens Confessarius communicauit, prædictæ rei euentu postea confirmatus, historiæ huius narrationem propriâ manu obliuiscit in Collegium Societatis remisit.

Plura possent adiungi eorum, quæ in morte, & post mortem Eusebij contigerunt, quæ ad longiorem eius vitæ historiam remittimus.

Ad calcem damus syllabum librorum, qui tam in vitâ suâ, quam post mortem typis sunt excusi, vt rectè illi aptemus Christi Domini verba: *Qui ita fecit, & docuit magnus vocabitur in regno Cælorum.*

FINIS.

OPERA LATINE CONSCRIPTA



OPERA R. PATRIS IOANNIS


Eusebij Nierembergij è Soc. Iesu

Hispanicè conscripta.



PRECIO de la gracia.
 Diferencia entre lo tempo-
 ral, y eterno.
 Hermosura de Dios.
 Prodigio del amor diuino.
 Practica del Catecismo Romano.
 Obras, y Dias.
 Partida a la eternidad, y preparacion
 para la muerte.
 Causa, y remedio de los males publi-
 cos.
 Corona virtuosa, y virtud Coronada.
 Curiosa Filosofia.
 Oculta Filosofia.
 Vida del P. Marcelo Mastrilli.
 Epistolas.
 Deuocion de san Miguel.
 De Adoracion en Romance:
 Dictamenes.

Deuocionario.
 Tratados espirituales, donde se contie-
 nen algunos libros menores, que son:
 Vida diuina.
 Aficion, y amor a Iesus.
 Aficion, y amor a Maria.
 Libro de la vida.
 Flores espirituales.
 Rudimentos Spirituales del Santissimo
 Sacramento.
 Perfeccion Religiosa.
 Codicia santa de gracia, y mereci-
 mientos.
 Alimento del amor diuino.
 Quatro Tomos de Claros Varones,
 donde se incluyen correctas algunas
 historias, que andauan de por si.
 Vida de S. Francisco de Borja con sus
 obras.



OPERA LATINE CONSCRIPTA.




Heopoliticus.
 De Arte voluntatis.
 De Adoratione in spiritu, &
 veritate.
 Sigalion, siue Sapiencia Mythica.
 Historia naturæ peregrinæ.
 De Origine Sacræ Scripturæ.
 Stromata Sacræ Scripturæ, donde
 tambien està el Sigalion.
 Doctrina Ascetica.
 Homiliæ Catenatæ.
 Opera Parthenica de eximiâ & omni-
 modâ Puritate Matris Dei in. fol.
 Lugd. 1659.

Doctrina & Doctor Euangelicus. in fol.
 Lugd. 1659.
 Succus Prudentiæ Sacro-politicæ, in 12.
 Lugd. 1659.
 Hieromelissa Bibliotheca de Doctrina
 Euangelij, Imitatione Christi & Per-
 fectione spirituali. in fol. Lugduni sub
 prælo.
 Sylua Catechestica in 4. Lugd. sub prælo.
 Syllogæ Axiomatum & Institutionum
 spiritualium Christianæ Philosophiæ,
 in 4. Lugd. sub prælo.
 Virgo Victoriata seu de Patrocinio
 B. Virginis.



R. P. IOAN. EVSEBII
 NIEREMBERGII
 E SOCIET. IESV,
 DE PERPETVO OBIECTO
 Festi Conceptionis immaculatæ
 Virginis.



CAPVT PRIMVM.

*De tempore Apostolorum, &
 Apostolicorum virorum.*



QVANTO est indubitatum, Ecclesiam celebrare festum Conceptionis immaculatæ Virginis, tantò eius obiectum satagunt controuersum reddere, qui affirmatiuam tuentur opinionem de contracto à sanctissima Virgine peccato originali, & conspicuam veritatem, non argumentis solidis, sed leuibus euasionibus obnubilant. Conabor tamen has nebulas dispergere, & planum facere vbi-cumque, & quodcumque fuit olim, & est hodie celebratum festum Conceptionis, ex præscripto Sedis Apostolicæ, eius festiuitatis obiectum esse sanctitatè Virginis in primo suæ animationis instanti. Non tam est animus inuestigare istius solemnitatis initia, quàm ostendere quocumque tempore fuerit incepta, secundùm diuersa placita, eo ipso tempore habuisse prædictum obiectum.

Primum placitum est, à tempore Apostolorum cœpisse festum Conceptionis, verum eadem testimonia, quibus hoc astruitur, comprobant huius cultus obiectum fuisse eandem immaculatam Virginis Conceptionem, sine originali labe, cum dicant eandem fuisse prædicatam ab Apostolis: quare, non aliud fuit obiectum prædicationis suæ, quàm cultus ab ipsis introducti; non curo an omnes Authores, qui pro hac antiquitate allegantur, præstent integram historiæ fidem, mihi tamen vtumque

Ioan. Eusebij, Tom. I.

præstabant, non aliud ex suis testimonijs obiectum olim habuisse istam celebritatem. Luitprandus igitur in Chronic. ann. 131. *Beatissima Sedes de Columnâ in vrbe Casaraugustanâ, qua constructa est iussu Virginis à Beato Iacobo, cum in Hispania predicauit anno xxxvij. à Natiuitate Domini, & consecrata eiusdem immaculata Conceptioni (quam omnes Apostoli predicauerunt vbiq.)* Marcus Maximus, vultissimus Author, Episcopus Cæsaraugustanus, in Hymno ad B. Virginem de Templo Cæsaraugustano, ait:

*Conceptionis hinc diem
 Iacobus Hispanos docet,
 Et prædicat (ceu ceteri)
 Ab omni labe liberam.*

Hymn. de
 Templ. Cæsaraugust.

Similiter in Iuliani Chronic. num. 607. dicitur: *Qui (Bernardus Toletanus) erat B. Virgini deuotissimus, qui faciebat celebrare festum eiusdem Domine cum magnâ deuotione, & fecit celebrare deuotius festum immaculata Conceptionis eius, quod predicauit in Hispania S. Iacobus: & incepit ab Apostolis, hoc in Concilio decernentibus.* In Aduersariis n. 395. *Traditio (eius sunt verba) fuit ab Apostolis in Concilium congregatis, B. Virginem Mariam originali peccato incontactam esse.* Et quidem epistola Presbyterorum Achaia suadet omnino, S. Andream professum fuisse immunitatem Virginis à peccato Originis. Et sanctus Ignatius inter Apostolicos viros eximius, epist. 1. à fide dignis, id est, Apostolis accepisse, ait: *In Matre IESV sociari naturam sanctitatis Angelica cum humana natura: quibus verbis alibi dixi significari immunitatem à labe originaria.* Cum igitur aliorum festorum, quæ introduxerunt Apostoli, idem fuit obiectum, ac materia prædicationis, & declarationis eorundem, idem prorsus censendum est de obiecto cultus, & prædicationis Conce-

A Conceptionis


Mirania de
 Conceptio.
 q. 20 Luperc.
 L. onard. in
 descrip Ara
 gon. Moril-
 lus in fun-
 dat. colum.
 Buar. com-
 ment. in
 Dex. ann.
 308 Tho-
 mas Tama-

prionis. Caterum præter S. Iacobum Maiorem, comprobant Ojeda de Concept. fundam. 1. c. 2. Biuar. §. 12. & alij plures, eandem Conceptionem purissimam prædicasse S. Andream, S. Matthæum, S. Thomam, S. Matthiam, atque Iacobum Minorem Apostolos: S. Marcum, & S. Lucam Euangelistas, & generatim prædicatum hoc mysterium ab Apostolis, asserunt grauiissimi Theologi, Ægid. lib. 3. de Concep. quæst. 4. §. 8. sect. 4. qui & citat Suarium. Perlin. de Concept. dist. 3. c. 1. Granados de Concept. disp. 3. c. 6. Suarez tō. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 6. versu, *Dico tamen primò*. Ferdinandus Salaçar. c. 42. maximè versu, *Primus*. Ambrosius Peñalosa in vindic. disp. 11. cap. 7. Hurtado de Mendoza, disp. 89. sect. 12. subsect. 1. & alij. Et quidem Matthæus Westmonasteriensis in suo Chronico, anno 1228. Iodocus Cœtius lib. 3. artic. 6. Galatinus lib. 7. cap. 4. celebrationem Conceptionis in Ecclesiis Armenia, Ægypti, Syria, Græcia, Apostolos introduxisse commemorant.

Sunt argumenta, quæ temporibus Apostolicis hoc significant, Festum in Syria celebratum, quod ingeniosè comprobat Petrus Ojeda ex titulis festorum Virginis, quæ præponuntur aliquibus fragmentis textus Euangelici apud Syros, ubi incurritur in eam lectionem Euangelij, quæ in aliqua festiuitate recitabatur, & ait Luca 11. num. 27. sic inscribi: *Lectio in Conceptione Deiparæ MARIAE*; quamuis enim in Fabricij versione, non dicatur nisi in festo Deiparæ, probat nomen Syrum, quod in originali extat, Conceptionem significare. Hæc verisimilia videntur, & æquè verisimile conijci posset inter Syros ex lectione epistolarum, festiuitatem fuisse Conceptum Virginis, qui sub titulo festi Ioachimi, & Annæ simul notabatur. Olim siquidem eiusmodi pingebatur Conceptio Deiparæ, scilicet Ioachimus, & Anna simul, obuiates sibi in porta Ciuitatis, de qua pictura videri potest Molanus lib. 3. de Historia sacrarum Imaginū cap. 55. & Robertus de Licio serm. 4. de laudibus sactorū. Etenim inuenio initio capitis noni epistolæ ad Roman. sic præscribi: *Lectio pro Ioachimo, & Anna*: quæ Lectio non aliud comprehendit quàm quod de Arca fœderis loquitur Apostolus, vsque ad versiculum septimum inclusiue, ubi dicitur *fnis*, id est, eius Lectionis. Deinde incipit alia sub hoc titulo: *Lectio feria tertia Hebdomadis trigesima*. Cum igitur in prædicta Lectione nihil quod attinet ad sanctum Ioachimum, & sanctam Annam significetur, sed totum sit mysterium ad Beatissimam Virginem spectans, festum ipsius potius videtur celebrari, quàm parentum suorum: & quidem festum suæ Conceptionis significatum titulo vtriusque parentis, cum tantæ paternitatis basis conceptio Virginis fuerit. Quod si ita fuisset, in ipsa Lectione significatur puritas eius originalis, quam multi Doctores mystico probant sensu, per Arcam fœderis. Deinde si coluissent Syri festum Conceptionis Apostolicis illis temporibus, ipsam Conceptionem celebrarent, iuxta Apostolorum prædicationem, ut nupè diximus.

Nec dictis obstat, quod inuenio in Ioanne Nicano, epist. de Natiuitate Domini, ubi significatur non tam attendisse Apostolos ad institutionem festiuitatum, nec extendisse suam prædicationem ultra Christum Deum, & ho-

minem. Loquutus enim de Apostolis, sic ait: *Propter septem illarum hæreson ex Iudais prægnatarum grassationem, Ecclesia totius officia speciatim, atque ordine, haud quaquam exponere, ac sancire licuit. Id verò vnum sollicitè agebant, ut Christum Deum ex Deo, qui mundo apparuisset, prædicarent.* Hoc, inquam, non obstat dictis; nam ad prædicandam diuinitatem Christi Dei, & hominis oportebat etiam prædicare mysteria suæ humanitatis digna vnionis deificæ. Ad quæ maximè spectat generatio, & Natiuitas eius, & ad hæc spectabat sanctissima, & immaculatissima Mater eius. Et sicut in simbolo posuerunt, *Natum ex MARIA Virgine*, ita in prædicatione id ipsum explicare necesse fuit, & absque dubio alia priuilegia eiusdem Matris Dei commendarent, inter quæ potissimum habet locum Cōceptio immaculata. Quoad institutionem festorum, de quibus prout ex contextu colligitur, loquitur hic Pater, non vniuersaliter intelligendum est, cum ipse supposuerit S. Iacobum Minorem celebrasse festum Natiuitatis Christi sexto Ianuarij, simul cum Baptismate eius, atque hunc diem solemnem his duabus festiuitatibus ordinasse.



CAPVT II.

De tempore Doctorum Ecclesiæ, maximè sancti Hieronymi, vsque ad sanctum Sabbam, & sanctum Andream Cretensem.



Lij exordium huius festiuitatis ad sanctum Hieronymum referunt, circa annum 370. cuius dicunt meminisse in suo Martyrologio, & quidem scriptum Martyrologium à B. Hieronymo, testatur Beda in retract. in Act. Apostolorum, cap. 1. dicens: *Ad stipulatur liber Martyrologij, qui B. Hieronymi nomine, ac præfatione attribuitur, quamuis idem Hieronymus libri non auctor, sed interpres; Eusebius autem auctor extitisse narratur.* Vualfridus Strabo item in eandem sententiam, lib. de reb. Eccles. cap. 28. in fine hæc ait: *Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Casariensem, per anni circulum conscripsit, ea occasione ab Episcopis Chromatio, & Heliodoro, illud opus rogatus componere; quia Theodosius, religiosus Imperator in Concilio Episcoporum laudauit Gregorium, Cordubensem Episcopum, quod omni die Missas explicans eorum Martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret.* His accedit Vsuarius in præfat. in Martyrologium suum ad Carolum Regem, inuentumque Martyrologium Hieronymi à Heriberto Rosweido in Carthusia Treuirensi, vetustissimo caractere exaratum, testatur Ioannes Bollandus in præfat. generali in vitas sanctorum, cap. 4. §. 4. eius Martyrologij, hic titulus est: *Christe fave votis. Codex sancti Vuillibrordi, continet Martyrologium Hieronymi.* Fuit hic sanctus Vuillibrordus Bedæ æqualis, & ex Anglia in Belgium venit, & Frisones

Ioann. Tzamai. in Chronol. de celebrat. Conceptionis ann. 80. Vide Antonium Yepes in Chronico Benedictino ann. 786.

nes, aliosque populos, vel fidei doctrina imbuunt, vel pietate erudunt. Verum quidquid sit de hoc, cui minus astipulatur Baronius in Prolegomeno de Martyrologio Romano, id firmiter cenleo non fuisse aliud temporibus Hieronymi obiectum festi Conceptionis, si tunc celebraretur, quam sanctitas eiusdem Conceptionis, hoc est, Virginis sanctificatio in primo suae animae instanti; quoniam tunc ab omnibus acceptum erat, quod dicitur illud Augustini dogma: *Ideo Ecclesia obitus, non natales sanctorum celebrat; quia obitus sunt sancti, non natales.* Hanc sententiam repetit, aut supponit in suis Homiliis; nam in serm. 95. de diuersis, qui in Bibliotheca Homiliarum numeratur Homilia 11. in festo sancti Stephani ex Homiliis sancti Augustini dicit sanctissimus Doctor: *Martyres autem ad mala certamina nascendo venerunt, trahentes Originale peccatum: moriendo autem ad bona certamina transferunt, finientes omne peccatum.* Hanc rationem reddit, cur non celebrentur Martyrum natales; sed tantum obitus, & passiones. Cum tamen non solum colatur Christi passio; sed etiam eius dies natalis celebretur. Unde secundum Augustinum, peccatum Originale, cum quo nati sunt sancti obstitit, quo minus eorum natiuitas celebretur; atque idem ipsum obstitit, quo minus Conceptio cum peccato Originali celebraretur. Idem Augustinus in sermone 113. qui est de sancto Cypriano, de eo inquit: *Quid est hoc Fratres? Quando natus sit, ignoramus, & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus: sed illum non celebraremus, etiamsi nossemus: illo enim die traxit Originale peccatum; isto autem die vicit omne peccatum.* Firmum igitur erat, & conitans sancto Augustino, & Ecclesiae illud axioma. Itaque si Ecclesia celebrabat tunc Conceptionem, sanctitatem eiusdem Conceptionis celebravit, non eam prolem, quae concipiebatur, quod futura fuisset sanctissima: alioqui celebraret etiam natales sanctorum, quoniam hi nascebantur qui futuri erant sancti: quod nunquam admisit Ecclesia. Idem axioma Augustini de colendis ab Ecclesia tantummodo rebus sanctis, confirmarunt postea sanctus Ildephonus lib. de purit. Virg. Sanctus Bernardus epist. ad Lugdunens. Sanctus Thomas 3. part. quaest. 27. artic. 1. & 2. Sanctus Bonavent. in 3. dist. 3. quaest. 3. artic. 1. Sed ut singulariter ad Conceptionem accedamus, ex quodam discipulo Augustini referunt multi, tunc celebrem fuisse cultum Conceptionis: is est Paulus Orosius, qui dixit: *Coram Deo noni, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, supra quam deuote Maria gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur.* Cum illo aequo nulla fuisset controuersia circa Conceptionem Virginis, quodcumque eius festum celebratum fuit, omnino censendum est, eius obiectum, cum nemo esset qui contradiceret, idem fuisse, quod, & aliarum festiuitatum; nimirum ipsa mysteria, quae ipsorum festorum nominibus indicantur, atque id ipsum iudicandum est in vndecim primis Ecclesiae saeculis.

Ad tempora sancti Sabbæ refert celebratam apud aliquos Graecos Conceptionem virgineam Simon Vuangnerckius, qui Officium diuinum Graecorum, de conceptione sanctae Annae, nimirum actiua, transtulit in Latinum idioma; de quo ait: *Agnoscit hoc Officium sanctus Sabbas, qui ante mille ducentos annos floruit, in Rituali suo Hierosolymitano.* Quod etiam amplectitur eruditissimus Ioann. Euseb. Op. Parth.

Ioannes Antonius Velazquez, de Concept. Virg. lib. 4. dissertat. 14. adnot. 1. & quidem confirmatur ex Canone Ecclesiastico in festo sanctae Annae concipientis, quem paulo post composuit sanctus Andreas Cretenfis, qui floruit anno 560. & absque dubio obiectum festi Conceptionis Marianae ex hoc tempore, nequit non esse puritas Virginis in sua Conceptione, quod satis indicant, tum ipsum Officium diuinum, tum Canon Ecclesiasticus, tum alij Patres eiusdem aevi. In Officio haec dicuntur: *Prophetarum praedictiones nunc implentur. Mons enim sanctus in Anna visceribus collocatur, & iisdem scala inseritur diuina: magnus item Regis thronus hic adornatur: praeterea domicilium, in quo Deus pedem figat, intra haec viscera preparatur. Rubus quoque incombustus nunc in illis germinare incipit: instar etiam unguenti fragrans sanctitatis thesaurus ad ritum fontis iam in vtero Annae scaturit.* Ad quae verba addit Scholiastes: *Hic concepta Virgo dicitur iam, tum in vtero mons sanctus propter originalem sanctitatem, qua illa super omnes homines in originis peccato nascentes eminebat. Caetera quoque symbola hic in Anna vtero posita, primum Virginis momentum ab omni diaboli dominio, & peccati tum foetore, tum adustione, seu macula remotissimum fuisse conuincunt.* Rursus ipsum diuinum Officium sic recitat: *Illud absconditum Angelis, & hominibus magnale Dei, silind inquam inusitatum, & a saeculo per oracula praesignificatum mysterium; nempe, Maria Dei Filia, in Annae casta visceribus infantilem figuram accipit, & vna preparatur nunc ad habitationem vniuersalis saeculorum omnium Regis; & item ad restaurationem generis nostri.* Quid sibi vult illud encomium: in Annae vtero absconditum Angelis, & hominibus Magnale Dei: illud inusitatum, & a saeculo per oracula praesignificatum mysterium: illa in vtero Annae concipientis iam tum Dei Filia? Planè haec de Maria dici non possent, si aliquando Dei abominatio, & diaboli mancipium fuerit.


Fortasse clarius adhuc loquitur Canon Ecclesiasticus Graecorum antiquorum; qui in Ode 5: in Theotocio recitat: *Nubem te lucidam, ac portam luminis, paradysum item, mensam, atque vellus te esse agnoscimus. O pura simul, & Virgo, & Mater! Vnam denique, quae in se manna dulcedinis pro toto mundo comprehendit.* Ut interim relinquamus perpendere alia, tres fuerunt maximae sanctissimae MARIÆ excellentiae: prima, conceptam fuisse puram sine peccato originali, secunda, concepit Deum in suis visceribus, cuius Mater fuit: tertia, permanisse Virginem ante partum, in partu, & post partum. Omnes tres complectitur illa exclamatio: *O pura simul, & Virgo, & Mater.* Ibidem, dum sermo fit de Deo exaudiente preces sanctae Annae, dicitur: *Admirando eam lumine fecunditatis illustravit: vnde concepit Anna talem Filiam, quae sola est pura.* Benè ab Anna talis Filia concipitur, quae sola pura, & incontaminata est, quando fecunditatis lumine illustrata dicitur: Vbi etiam vide, iam tum lumen dici Virginem cum conciperetur: nihil ergo tenebrarum originalium in ea extitit. Deinde cum dicatur sola pura, de originali puritate verificatur.

Caeterum, nemo melius poterit explicare sensum Ecclesiae Graecae, quoad ritus, & solemnitates sacras, quam S. Sabbas, factorum Menaeorum collector, & Ritualis Auctor, ipse die 12. Februarij

In Epist. ad Heliod.

Ode 5. clarissimè explicat immunitatem Deiparæ, dicens: *Tu quidem, ô Virgo, illud diuina originis Verbum, quod prius incorporeum fuerat, corpore humano indutum peperisti. Nam ab aeterno propter splendorem integritatis, & pulchritudinem virginalem, ac demum propter charismata, seu gratia dona, quæ te ab omni nauo immunem fecerunt, manifestè soa fuisti digna tanti partus honore.* Die 18. Ianuarij Ode 6. de S. Cyrillo in clausula sic alloquitur: *Tu, ô Virgo Deipara, per progeniem tuam totius vniuersi fines illustras. De te enim solâ publicè constat, quod ab aeterno munda extiteris, ut quæ possidebas iustitia Solem.* Die 19. Ianuarij Ode 19. de S. Machario in clausula generali, oratione de S. Maria, quod Mater Dei fuerit, inquit: *Tu, quæ creaturarum omnium opificem procreasti, quidquid creatum est, supergressa es diuinitate gloriæ tuæ, sanctitate, & gratia.* Quod si Deipara diuinitate gloriæ, & gratia quidquid creatum fuit supergressa est: quomodò non fuerit immunis à maculâ originali, quâ primi parentes caruerunt creati in iustitiâ, & sanctitate veritatis? Die 3. Ianuarij Ode 9. *In te primi parentis substitit lapsus.* Quid clarius?

Accedit ijs, quod S. Andreas Cretenfis, Auctor Canonis Ecclesiastici, nuper allegati, paulò post S. Sabbam floruerit, scilicet ann. 560. & multis modis exaltauit iustitiam originalem Virginis in multis suis sermonibus, cuius postea dabimus egregia testimonia. Satis nunc est quod composuerit canonem illum, in eoque bis vocauerit *Sanctam*, Conceptionem Virginis in vtero S. Annæ de quo latius in epistola de doctrina patrum. Viderique potest editio Græca, Francisci Combefis operum S. Andree Cretenfis.



CAPVT III.

De tempore sancti Isidori, sancti Ildephonsi, & sancti Decorosi.



Multi sunt, qui censent à temporibus sancti Isidori auspiciatum fuisse hoc Conceptionis festum, circa annum 620. idque in Missali Mozarabe extare octaua die Decembris, idque in illo inseruisse Isidorum, cum iussu Concilij IV. Toletani, Missale Hispanicum fuit reformatum; quam curam commissam sancto Isidoro, præter Ambrosium de Morales, lib. 12. cap. 19. & Marianam, lib. 6. cap. 5. sic Loaisa in notis ad illud Concilium, cap. 2. tradit: *Sunt, qui affirmant, curam in hoc Concilio sancto Isidoro Hispalensi, huius rei traditam (utpote, qui primas partes in hoc Concilio tenuit) ut Missale, & Breuiarium reformatum ex more Gothico, omnibus Ecclesijs vtendum conficeret, quod nunc dicitur Mozarabe; eò quod hanc sacrorum formam postea Christiani inter Arabes, in captiuitate miserabili pressi, religiose seruauerint, ipsi Mixtarabi; Officium Ecclesiasticum Mixtarabum appellatum.* Atqui, ex eodem Missali constat, cultam fuisse ipsam Conceptionem; nam in præfatione Missæ hæc dicuntur: *Dignum, & iustum est, omnipotens Pater, ibi in honorem Cœceptionis Virginis Mariæ, &c.* Quid enim est dicere, in honorem Conceptionis, nisi ipsam Conceptionem colere? Nec colenda esset,

nisi sancta. In eadem Missa ait: *Domine Iesu Christe, qui sic Virginem Matrem honorificasti, quousque Conceptionis eius gratia, eam coram te suffragatricem incomparabilem inuenimus indigni: quæsumus diuinitatis tuæ clementiam, &c.* Vbi non obscure gratiam Conceptionis notat, & clarè pronuntiat. His accedat, sanctum Isidorum medio interuixisse tempore, post sanctum Augustinum, & ante sanctum Ildephonsum; placitumque illud Augustini, de non celebratis ab Ecclesia natalibus sanctorum, quia non sunt sancti, sed eorum obitus, adeò fixum remansit in posteriora sæcula, vt sanctus Ildephonsus illud secutus, & fortassè edoctus ab ipso S. Isidoro, rerum Ecclesiasticarum peritissimo, cuius discipulus fuit, probauit inde sanctitatem Conceptionis virginæ, ex celebratione sui festi Quapropter, compertum videtur, tempore S. Isidori obiectum festi Conceptionis, fuisse eiusdem sanctitatem: pro hac festiuitate S. Isidori eruditissimè disputat P. Petrus Ojeda fundam. 1. cap. 5.

Sunt etiam quidam, qui non ad Isidori tempora, sed S. Ildephonsi referant institutionem huius celebritatis, circa annum 670. id tamen certum mihi est, tunc temporis non habuisse aliud obiectum, vt manifestè id ostendit disputatio S. Ildephonsi in lib. parturit. Virgin. Quem librum scripsit contra eos, qui perperam disputabant de perpetua virginitate sanctissimæ Mariæ, & de eius parturitione, demonstras, Virginem sanctissimam in partu prorsus immunem fuisse ab ærumnis puerperij, quibus post Eux maledictionem subiacerent omnes fœminæ, cum id ostendisset, quia in Anuntiatione Spiritu sancto repleta est: alio argumento idem confirmat, ex præseruatione eius à peccato originali; quæ enim illud non contraxit, nõ potuit, nec debuit esse subiecta ærumnis partus, quæ sunt pœnæ peccati originalis. Quod autè non contraxerit peccatum originale, probat ex cultu sacro, quo eius Natiuitatem veneratur Ecclesia, quamuis primo aspectu inconsequencia eius verba videantur, hæc sunt: *Quomodo Spiritu sancto eam replente, non sine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas gloriosa, Catholica in omni Ecclesia Christi, ab omnibus felix, & beata prædicatur? Enim verò si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festinè celebraretur ubique ab vniuersis, sed quia tam solenniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quãdo nata est, subiicitur delictis, nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.* Duo sunt circa hæc verba interpretamenta, ne videatur tantus Doctor dissentaneè philosophari à Natiuitate ad Conceptionem, cum consequens oportuisset deduci à festo Conceptionis, ad sanctitatem eiusdem Conceptionis. Vnum est, non fuisse locutum de Natiuitate ex vtero; sed in vtero, quæ est Conceptio: alterum est, locutum de vtraque fuisse; hoc est, de integra Natiuitate Virginis, à primæua sua formatione, vsque quo ederetur in lucem; quod satis mihi videtur in nostris exceptionibus probasse: ita vt, olim in ipso festo Natiuitatis Marianæ celebraretur & Conceptio Virginis, & partus sanctæ Annæ. Vniuersaliter dico, quod non tollit in aliquibus locis particularibus etiam celebrari festum sanctæ Annæ concipientis MARIAM; quod videtur obseruatum alicubi in Græcia, & fortassè etiam olim in Syria; nec inusitatum est, eandem festiuitatem in anno bis celebrari; sicut nec nouum est in Ecclesia in vno festo plura mysteria coli, & quidem minus connexa quam Conceptio, &

D Anton. Cald. Apol. Immaculatæ, cap. 6. num. 3. Gaudentius tom. 2. Thefauri sect. 7. cap. 2.

In exceptionibus, cap. 9.

Nati-

Natiuitas Virginis; quandoquidem in Epiphania celebratur hodie adoratio Regum, Baptismus CHRISTI, & miraculum Nuptiarum, & olim celebrabatur Natiuitas CHRISTI, & Baptismus: quæ festiuitates postea diuisæ sunt, vt accidit Natiuitati, & Conceptioni Virginis. Hoc supposito manifeste pronuntiat S. Ildephonsus ipsam Conceptionem coli, quam comprehendit sub Natiuitatis nomine; idè dixit: *Tam solemniter colitur*; & postea locutus de pura Conceptione, quam vocat Natiuitatem inchoatam, ait: *Dies, quando inchoata est felix Mariæ Natiuitas, Beata pronuntiat, & colitur religiose satis*. Quibus alijs verbis poterat cultum ipsi Conceptioni tribuere, quam dicens; *Colitur religiose satis*: mox addit: *Quia in auctoritate totius Ecclesie veneratur; constat eam ab originali peccato immunem fuisse*. Tandem ait: *Quod si præclara sacratissima Virginis Natiuitas vniuersaliter, tam sancta, & tam gloriosa colitur, & veneratur: quanto magis ipsa, quando ab Angelo iam gratia plena officiosissime saluatur?* Illud præcipue obseruandum cum in tempore S. Ildephonsi (prout certum iudico) celebraretur Conceptio Virginea, simul cum festo Natiuitatis, & ab omnibus incontrouersum sit obiectum festi Natiuitatis, ipsam fuisse sanctam Virginis Natiuitatem: pari iure est dicendum, obiectum Conceptionis festiue in ipsa solemnitate Natiuitatis inclusa, eandem Conceptionem fuisse sanctam, & immaculatam; scilicet immunitatem Virginis à labe originali.

Sed progressum huius festi apud Latinos, dilucidè adhuc explicemus. Licet post Ildephonsum, Beda circa annum 731. festum Cõceptionis in suo Martyrologio declarauerit octauo die Decembris: & Fridericus Patriarcha Aquileiësis, in suis Ecclesijs illud celebrauerit; qui obiit anno 897. vt testatur liber quartus Ligni vitæ, & adnotauit Gauantus tom. 2. sect. 7. cap. 2. primum huius festi auctorem S. Anselmum, circa annum. 1070. communis sensus, & plausus fert, cui aditipulatur Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium octauo Decembris, & absque dubio maximus huius celebritatis propagator per Europam fuit, & fortassè primus in multis locis, qui hanc solemnitatem sub nomine expresso Conceptionis, separatam à Natiuitate Virginis, introduxit in Septentrione. Etenim (vt iam diximus) temporibus S. Ildephonsi per vniuersam celebrabatur Ecclesiam Conceptio, simul cum Natiuitate Virginea; cuius festi auctor non fuit S. Ildephonsus, sed Assertor, cum planè sic loquatur de ea, vt supponat antea institutam, & extensio per totam Ecclesiam indicat antiquiorem fuisse. Sicut enim festum Custodis Angeli cum festo S. Michaelis, olim celebrabatur non seorsim, processu verò temporis, iam est separata solemnitas in multis Ecclesijs, & sub nomine proprio Custodis Angeli colitur: sic Conceptio Virginis, quæ olim celebrabatur simul cum Natiuitate, deinceps cæpit esse separatim festiua per varias Prouincias, donec eam Ecclesia est vniuersalis amplexa. Cuius extensionis, & diuisionis egegiū exemplar est Natiuitas, & Baptisma Domini, in eodem die celebrata, & processu temporis diuisa, in diuersos celebranda dies, per vniuersum tandem orbem extensa. Nec piget referre ex Ioanne Nicæno, epistola ad Zachariam Armenum, quomodò id acciderit. Cum enim Pontifex Romanus ex scriptis Iosephi Chrono-


graphi antiquissimi, coniecisset post longam considerationem, & examen, natum Saluatorem nostrum die vigesima quinta Decembris, decreuit eo ipso die celebrare Natiuitatem Dominicam, separatam à Baptismo; atque huiusmodi obseruatum est in Occidentalibus Ecclesijs: quo autem modo penetrarit in Orientem, lubet ipsius Ioannis Nicæni verbis narrare: *Quia Magnus Theodosius constituerat Arcadium Byzanti Imperatorem, ac Honorium Romæ; veniens Honorius Byzantium, negotij aliquid confecturus, narrauit matri, ac fratri, vt Romani suâ die Natale Domini celebrarent, cum Lectioibus perfectis, multisque troparijs ac modulis: utque pariter festum Baptismatis die propria, integrè, perfectè, nulla diminutione, vario festorum ornatu peragerent; nihilque altera ex altera festiuitas splendoris amitteret. Porro, visa sunt Honorij verba hæc coram matre, ac Arcadio fratre, optima. Rei vim S. Patriarcha Ioanni Chrysostomo indicant. At ille multâ solertiâ, ac alacritate sermonem suscipiens, qui olim sic cuperet festum celebrari, ganisus est. Accersunt ex Cypro B. Epiphanium, qui ex Hebraeorum scriptis, ac Iosephi Chronographi historiâ sermonem confirmando, Domini Natale definiuit 25. Decembris. Is quippè maioribus Iudæis ortus erat. Alij quoque congregati Episcopi sanxerunt, celebrandum in Regia vrbe 25. Decembris, quâ die magna Roma celebre haberet: scripserunt autem ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, ad Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum, ac Flavianum Patriarcham Antiochenum; acquiescentesque vniuersi quatuor Patriarchæ, Romanam Ecclesiam secuti sunt. Oportebit etiam audire, quæ circa hanc festiuitatem respondit S. Chrysostomus ijs, qui illam nouitatis accusabant, homil. 5. de Natiuit. Christi, tom. 5. in auctar. dicens: *Multis vbiq; de hoc die sermo, parim incusantium quasi nouus sit, nuncque recens inuectus. Habeo igitur tres rationes ad probandum, &c. Quarum hæc prima est: quod tanta celeritate, quaqua versus hoc festum denuntiatum sit, & ad tantum fastigium excreuerit, adeoque inclarnerit. Et quod Gamaliel de Euãgelij prædicatione dixit: quoniam si est ex hominibus, dissoluetur; si verò ex Deo est, non potestis dissoluere illud. Hoc & ego fidenter de die hoc pronuntiauerim; quoniam ex Deo est: idcirco non solū non dissolutum est, quin potius per annos singulos maius incrementum sumit. Idem prorsus dici potest de hoc mysterio, pia sententia, & festo Cõceptionis B. Mariæ, & benè probari ex Deo esse, quod passa tot cõtradictiones, nõ solū non fuerit aliquo modo dissoluta, sed semper in infinitum excreuerit. Illustris quoque est sententia eiusdem Chrysostomi: *Vt enim generosa, & nobiles stirpes, quæ simul ac terra inferuntur, in altitudinem magnam succrescunt, fructibusque onerantur: non aliter hic dies, cum ab exordio ijs, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, ad nos demum non multos annos antè transmissus, repente ita increuit, talemque tulit fructum, qualem cernere licet, septis nostris vbiq; refertis, temploque vniuerso præ multitudine concurrentium angustato. Eodè modo cum simul celebrarentur Natiuitas, & Conceptio Virgineæ, possent aliqui Episcopi, erga sanctissimâ Deiparâ affecti, aduertere diem Conceptionis fuisse octauam Decembris, & eo die celebrari sanctissimâ eius Cõceptione statuere; qui mos notus iã alijs Prouincijs, extensus tadè per illas fuit: vnde accidit, quod sicut Natiuitas Domini antequam omninò extenderetur, diuersimodè in***

Honorius
Natale Do-
mini docet
ex vsu Ro-
manæ Ec-
clesiæ.

Epiphanius
consentit ce-
lebrari 25.
Decembris.
Item, Orien-
tis omnes
Patriarchæ.

diuersis Ecclesijs celebrabatur, in quibusdam simul cum Baptismate CHRISTI, texto die Ianuarij, in alijs seorsim, & singulariter vigesima quinta die Decembris; sic contigit aliquandiu festiuitati Conceptionis, vt in quibusdam Proincijs celebraretur simul cum Natiuitate; in alijs seorsim. Sunt tamen, qui velint cœpisse S. Ildephonsum celebrare Conceptionem seorsim, & eiusdem festi Officiū ordinasse; cuius asserti Auctores assert eruditissimus D. Antonius Calderon, in sua perdocta, & laudatissima Apologia, pro titulo Immaculatæ, cap. 6. Trithemium de scriptoribus Ecclesiasticis, Bernardinum de Buis in Officio à Sixto IV. approbato, secunda die infra octauam, lect. 4. Pelbartum, lib. 4. Stellarij, part. 1. art. 3. (quanquam in Bernardino perperam scribitur, *Gundisalvus pro Ildephonso*, & in eodem atque Pelbarto *Toletanus*, pro *Toletanus* facili errore, quas voces corrigendas esse res ipsa clamat) Liliū Giraldum dialog. 5. de Poëtis, Calzolaum in histor. Monastica, quam Italico sermone conscripsit, iornada 4. (vbi refert Raimundum, vt ipse dicit antiquissimum, & Chronicon Abbatia Florentina) Crespecium Doctorem Parisiensem, in summa Catholica Fidei, verbo *immaculata Cœceptio*, Iodocum Clitoveum lib. de Conceptione, & Franciscum Portocarrero, de vita S. Ildephonso, cap. 19. quibus addi potest Gauantus, tom. 2. iam citatus, & Ioannes Manus, infra citandus. Sicut & Gotschalchus Holen prescius Ecclesiastes. Placet Trithemij verba transcribere; quoniam explicatius refert S. Ildephonso deuotionis obsequia erga Virginem, & eiusdem Virginis erga ipsum gratificationis signa: *Cum beatissimus iste Praesul Ildephonso librum de virginitate purissima Dei Genitricis MARIAE ad finem vsque compleisset, cui omni studio, quo poterat semper deuotissimè seruire solebat, apparuit ei Domina mundi sacratissima, ipsum librum habens in manibus, & gratias agens illi pro tali seruitio, quod sibi gratissimum esse affirmabat. Ille verò cupiens eam altius honorare, constituit, vt celebraretur solemnitas eius singulis annis octaua die ante Natalem Domini, qua solemnitas iam obtinuit, vt per vniuersam fidelium Ecclesiam in honore purissimæ Conceptionis illius celebretur sexto Idus Decembris. Vnde rursus ei B. Dei Genitrix apparet, vestimentum sacerdotale, quod nos albam vocamus, & Cathedram illi attulit, de quibus multa miranda, & gloriosa narrantur. Trithemio potest adici ex Regesto Franciscano, Ioannes Manus Doctor Parisiensis, in prologo defensorij de Conceptione; qui vixit circa annum 1390. qui sic inducit B. Virginem loquentem: *Occidentalem olim Hesperiam amore prospiciens, Praesuli Toletano, amico meo charissimo Alphonso, me sordes primæ originis, mortisque veteris minimè contraxisse reseruaui fideliter, casulam meam gloria pignus donans in testimonium veritatis.* Idonea profecto remuneratio vestis Ecclesiastica pro Ecclesiastico officio. Duo præstitit S. Ildephonso præcipua obsequia in honorem Virginis. Disputauit cum hæreticis Virginitatem eius tuitus, & instituit Conceptionis officium. Prioris signum fuit aptissimū, liber, sicut & posterioris sacra vestis. Consentaneus dictis Gotschalchus Holen Augustinianus ferm. 12. de Beata Virginitate commendatione, loquens de sancto Ildephonso, ait: *Composuit volumen de perpetua Virginitate Mariae: in quo declarauit. & probauit, quòd nunquam fuit con-**

cepta in peccato Originali, quòd ita sancta Dei genitrici complacuit, vt ei, ipsum librum manu tenens, appareret, & pro tali opere gratias referret. Et rursus ei apparuit, & attulit ei albam sacerdotalem, dicens ei: Hoc vestimentum de paradiso filij mei tibi attuli, quo in Dei, & vna solemnitate vestieris; festoque certissime, quòd nemo præter te hoc vestimentum induere impune valebit. His dictis recessit. Post obitum vero Ildephonso, Stagnus, qui in Archiepiscopatu ei successit, parumpendens sui prædecessoris deuotionem, sanctum vestem induere volens, dixit: sicut ego sum homo, sic scio hominem fuisse prædecessorem meum. Hoc dicens, vestem induit, & statim mortuus cecidit. Et quidem verisimilius mihi videtur Officiū Mozarabicum de Conceptione, potius a S. Ildephonso meditatū, quàm a S. Isidoro; quandoquidem si antè S. Ildephonsum conceptio seorsim celebraretur in Hispania, meminisset eius in lib. de parturit. Virgin. nec solum argumentaretur a festo Natiuitatis. Scio etiam paulò ante mortem Ildephonso, S. Decorosum, Capuanum Episcopum, ad fidem reduxisse Longebardos, atque ab his temporibus, prout testatur Michael Monachus in S. Capuan. fol. 402. extare in Calendario Longobardico festum Conceptionis octauo Decembris; sed nulla est memoria de speciali Officio pro hac festiuitate; imò si fuisset, potuere Longobardi exemplum, aut exemplar S. Ildephonso sequi. De hoc satis.



CAPVT IV.

De tempore S. Ioannis Damasceni, Basilij Macedonis, Leonis Sapientis, & Manuelis Comneni.



Ccedo ad alios, qui cum Galatino lib. 7. de arcan. cap. 5. tribuunt S. Ioanni Damasceno huius festiuitatis exordia, circa annum 720. qui in Menologio Græco eam consignari; sed cum ipse sanctus præclare ipsius Conceptionis sanctitatem adstruxerit, adeò vt & semen S. Ioachimi immaculatum dixerit, & lumbos beatos, quòd aliud obiectum eius solemnitatis intenderet, quam id, in quo nullam maculam, sed gratiæ sanctitatem inueniebat. His accedit, Græcos celebrasse postea puritatem virginæ Conceptionis in suis concionibus, & orationibus, & quidem celebris est illa Leonis Augusti, cuius meminit Baronius, qui testatur in manuscripto Bibliotheca Sfortiana, n. 65. inueniri sermonem Leonis Imperatoris de Conceptione B. *MARIE*; qui omnino est Leo VI. Sapiens cognominatus, cuius alia eiusdem generis scripta recenset Baronius, tom. 10. annal. ann. 911. in quem incidit Leonis mors, Imperij autem initium in annum 886. Quapropter ad Leonis actuum referunt plerique institutionem huius festi, alij ad eius patrem Basilium Macedonem, quem Menologium auxisse Baronius obseruat ad dictum annum 886. num. 14. Vt cumque sit, constanter credo, solenne iam apud Græcos his temporibus fuisse,

fuisse, & eius solemnitatis obiectum, puritatem esse Virginis sine peccato originis, cum Concionatores Græci eam commendarent, & in eius veneratione doctrina Ioannis Damasceni insisterit, in eaque perseverarint huius mysterij cultores. Extat à nemine in dubiū reuocata Constitutio Emanuelis Imperatoris, inserta à Theodoro Balsamone, Commentario in Nomocanonem Photij, tract. 7. cap. 1. vbi inter dies solemniter colendos, ita legitur: *Nono Decembris, vixit quod in eo peragatur Conceptio castissimæ Matris Dei nostri.* Imperare autem cœpit Manuel anno 1143. Confirmat etiam obiectum huius celebritatis apud Græcos fuisse munditiem ipsius Conceptionis Virginis, quod ipsam munditiem explicat in aliquibus Menologijs, in quibus Virgo dicitur à *Conceptione sancta, vel munda.* Sicut enim olim in Ecclesiasticis libris apud Latinos, secundum diuersas Prouincias, in quibus Dioceses inueniebantur aliqua mutata, vel addita, neque enim omnia Martyrologia, Missalia, & Breuiaria omninò conformia erant: sic etiam in Menologijs Græcorum, apud quos tot diuersi Patriarchatus erant, non est mirum aliquantulam mutationem, aut additionem inueniri; quod non est tribuendum deprauationi eorum, sed diuersitati deuotionis, & Prouinciarum. Id satis nobis est, omnia Menologia conuenire in consignando festo Conceptionis, & nonnulla explicatius eius munditiem notare.

Verum, vt clarius explicemus sensum Ecclesiæ Græcæ, sub tempora S. Ioannis Damasceni, referemus aliqua, quæ ipse Damascenus in Menæis, nimirum Ritualibus Græcorum affirmat pro immaculata Conceptione; cum enim ea volumina sint sacra, ad cultum sacrum spectant quæ ibi dicuntur. Igitur die 25. Martij, Ode 7. & 8. de Annuntiatione, Angelum MARIAM sic affantem, inducit: *Intruo Te, vt Lampadern instar. Luminum multorum illustrem, vtque Thalamum artificio DEI constructum, vt denique Arcam ex auro confectam.* Hæc constructio in Conceptione cœpta; quare de manu Dei, & cum gratia eius, non cum peccato, constructus est hic Thalamus diuinus. Idem ait die 12. Augusti *Equidem videbaris, O Virgo esse filia Adami collapsi. At reuera eras Tu ipsa Genitrix DEI, eundem restituentis in integrum.* Vbi obserua opportunam antithesim inter filiam Adami collapsi, siue peccato obnoxij, & Genitricem Dei, & in antithesi egregium Damasceni sensum MARIAM à censu filiorum Adæ collapsi subducentis, quod Genitrix Dei esset futura: vt omnino dixerit MARIAM ad speciem videri peccato originali obnoxiam, quod vt filia Adami humanam naturam constaret: at reuera à labe, & noxâ Adami esse alienissimam; quippè quæ esset Genitrix Dei, qui Adamum collapsum in integrum restituebat. Planè adstruit Damascenus tanquam rem indubitatam, eam, quæ Dei Genitrix esset futura, culpæ originali obnoxiam esse non posse.


Id ipsum valde confirmant alij Patres, quorum verba inserta sunt in Ritualibus, & sacris Græcorum libris; in quibus sacer cultus habetur. Et omisiss, quæ de S. Sabba superius dixi, addo nonnullos alios. S. Stephanus Sabbaita, in Menæis Græcis, die 1. Ianuarij, Ode 9. de Circumcisione, Strophâ 1. ait: *Te inquam, ô Benedicta, & ab omnibus maculis munda! velut Deiparam magnificis extollimus vocibus.* S. Theophanes Ni-

canus, die 23. Februarij, Ode 4. & 5. de S. Polycarpo, sic ad MARIAM exclamat: *O, à cunctis sordibus incontaminata! Et super omnes inculpatis inculpatis Domina!* S. Iosephus Confessor, die 17. Martij, Ode 1. de S. Alexio: *Filius equè increatus ac Pater, in Te sola reperit causam, cur similem nobis naturam indueret; Te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem.* Idem S. Iosephus, die 13. Iulij, Ode 5. ait: *Te perquam suppliciter oro, quæ sola maculam in te omnem ignoras.* Et die 15. Augusti, Ode 8. opportunissime. *Ille creatura vnica, ab omnibus nauis intacta, quam omnes hominum lingua in vnum collecta, Angelorum item omnium ora, predicatione digna prosequi nequeunt.* Georgius Nicomædiensis, die 24. Martij, Ode 5. de profesto Annuntiationis, ait: *Esto paratus, ô diuina munditie liber; quippè Tibi sancti Spiritus digito inscribetur Sapientia diuina.* Cum ante Incarnationem munditiem DEIPARÆ appellauerit diuinam, significat talem fuisse, vt nihil in ea non eximie purum fuerit, & ab omnibus maculis mundum.

Idem confirmari potest ex alijs Ecclesiæ Græcæ testimonijs in suis Menæis. Primò enim die 31. Martij, Ode 8. de S. Hypatio Martyre in clausula hæc habet: *Nimirum omnia tua, ô Genitrix Dei! conditionem humanam excedunt.* Et eodem die, Ode 3. *In te quippè mores innouantur, ac leges nature.* Deinde die 2. Iulij, Ode 9. Canonis secundi de Virginis veste Constantinopoli alferuata, ita DEIPARAM affatur: *Tuam inexplicabilem gloriam: Tuas item collatas Tibi gratia dotes, omni comparatione maiores modulamur, per hymnos: Tu enim fons existis Sapientie, vnde Sapientia diuina omnibus Tui cultoribus perfruenta procedit.* 4. Ianuarij, Ode 1. de S. Theoctisto in clausula, ait: *Agite illam castam mentem mente similiter castâ, vt verè Beatam predicamus. Pulchritudinem scilicet, quam DEVS dilexit, Iacobus ille cœlestis, quamque à se electam velut Tabernaculum sanctificationis incoluit.* Ipsa DEIPARÆ pulchritudo à DEO dilecta, & electa velut Tabernaculum sanctum est, neque nauis aliquis culpæ ei subesse decuit. Pulchritudo, quæ omnibus numeris constare debet, nauum non patitur: sanctitatis etiam Tabernaculum peccatum negat. Die 4. Ianuarij, Ode 3. de S. Theoctisto, ita confirmat: *Tu palam designata es Porta Solis, ex alto progressi. Tu Thronus Regis excelsus. Tu Scala sublimis, & ad cælos vsque porrecta, per quam Christus, ô nauis omnibus libera Virgo, descendit.* Die 20. Februarij, Ode 3. de S. Charalampo, in clausula: *Tu omnium sanctissima, peperisti sanctum sanctorum, planè pura sanctitatis Domus.* Die 12. Maij, Ode 3. de S. Epiphano: *Christum sanctum sanctorum sanctè peperisti, ô sanctum sanctitatis Tabernaculum.* Et die 25. Ianuarij de S. Gregorio Theologo, statim ante Canonem: *Salue, ô Throne forma ignea, in quo residet IESVS rerum omnium Dominus. Salue incorruptum, & illustre sacrosancta Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus sancti conceptaculum.* Die 4. Ianuarij, Ode 6. de S. Theoctisto in clausula: *Qui sola voluntate cælum extendit: hic alterum Te cælum in terra produxisti, ô Genitrix intaminata! Atque idem ex te tanquam Sol, nobis caligine pressis illuxit.* Qui plura desiderat, videat elucubratisimum, & pereruditum volumen de Conceptione, iam laudati, & semper laudandi Ioannis Antonij Velazquez; splendidum quidem, & simul solidum opus, le-

gátque librum quartum, dissert. 4. & 5. consulat quoque Menæa, siue Rituale Græcorum, Venetijs excusum.

Multa quoque addi possent ex Euchologio, siue Rituali precationum, quod latinitate donatum, edidit Iacobus Goar Dominicanus; ibi in ordinatione Episcopi, dicitur: *DEI Verbum Patri coæternum, super omne tempus existens, incomprehensum, infinitum, ad nostram usque naturam descendit: & hominem abiectissimum, & totum in peccatum lapsum assumpsit ex puris, & virgineis, sanguinibus solius immaculate, & mundissima VIRGINIS.* Hic notandum est, quantum in his verbis deprimatur conditio naturæ humanæ, per peccatum abiectissimæ, & sordidæ; & ex altera parte quantum exaltetur puritas sanctissimæ DEIPARÆ. Vbi denotatur, eam solam fuisse expertem communi culpa, & turpitudine originalis huiusmodi expressè vocat illam solam immaculatam: quod verificatur propter puritatem originariam. Indicatur etiam solius Virginis puritatem compensasse pro totius reliquæ humanæ naturæ sordē, quominus indignum esset Verbo diuino humanam naturam, alioqui sordidam, ex immaculatissima Virgine assumere. Præterea, sapissimè repetitur in ipso Euchologio, quæ puritas omnimoda Virginis commendatur: *Sanctissima intemerata super omnes benedicta gloriosa Domina nostra Deipara, & semper Virginis Maria, cum omnibus sanctis memoriam agentes, nos ipsos, & inuicem, & omnem vitam nostram, Christo Deo commendemus.* Quomodo exaggeratius posset significari omnimoda puritas Deiparæ: postquam enim eam vocauit sanctissimam, siue secundum proprietatem nominis Græci, omnibus modis, siue *undequaue sanctam*; addidit *intemeratam*: & quasi hoc satis non esset, adiecit, *super omnes benedictam*: in Græco autem est, *super benedictam*; ut notaretur expertem omnino fuisse alicuius maledicti, scilicet originalis, super omnes alios filios Adæ. Hæc oratio inuenitur in ordine sponsalium; item in officio coronationis nuptialis, & sapissimè alibi recitari præcipitur. Plurima addenda forent, nisi alio loco opportuniùs referrentur.



CAPVT V.

De tempore Ioannis X. summi Pontificis, & Alexandri II.



Actenus licet protulerimus multa testimonia celebratæ Conceptionis, & declarati eiusdem celebritatis obiecti, esse immunitatem ab originali labe, nondum tamen inuenimus ab Apostolica Sede esse approbatam hanc festiuitatem, & Officium eius; nunc de hac approbatione agemus, cuius primam originem reperimus cœpisse à Ioanne X. qui ad Pontificatum euectus fuit anno 902. Deindè, eandem approbationem inuenio factam ab Alexandro II. in Concilio Mantuano celebrato anno 1064. quoniam hi duo Pontifices post exactum examen Ritualium, & librorum Ecclesiasticorum Hispaniæ, in quibus recitabatur festum, Officium, & Missa Conceptionis Virgineæ, illos laudarunt,

& approbarunt, imò roborarunt. Hoc constat, tum ex celebri apud nostrates historiâ Compostellanâ, tum ex relatione de Officio Mozarabum approbato, quæ extat in archiuis manuscriptis Ecclesiæ Toletanæ, omnium Hispanicarum Primatis; in qua hæc continentur.

Regnante Carolo Francorum Rege, ac Patricio Roma, & Ordonio Rege in Legionis Ciuitate, Ioannes Papa Romanam, & Apostolicam Sedem tenebat. Siselandus vero Iriensi Sedi retinenti corpus B. Iacobi Apostoli præsidebat. Quo tempore Zanellus Presbyter reuerentissimus, & prudentissimus à præfato Papa Ioanne ad Hispanias est missus, ut statum Ecclesiæ Religionis eiusdem regionis perquireret, & quorum ministeria Missarum celebrarent diligenter perquireret, & comperta fideliter Apostolica Sedes referret. Quod iniunctum sibi officium præfatus Zanellus Presbyter solerter compleuit, & Hispanias veniens, omnem ordinem Ecclesiastici Officij, & regulam consecrationis corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu-Christi perspicaciter perscrutatus, requisit Canones, & omnes libros Sacramentorum perlegit. Quæ cuncta Catholica fide munita inueniens exultauit, & Domino Papa Ioanni, & omni Conuentui Romana Ecclesiæ, ut inuenerat, retulit. Audiens hoc Dominus Papa, & omnis Romana Ecclesiæ, gratias Deo retulerunt; Officium Hispaniæ Ecclesiæ laudauerunt, & roborauerunt. Et hoc solum placuit addere, ut more Apostolicæ Ecclesiæ celebrarent secreta Missæ. Ergo hac auctoritate mansit ratum, & laudabile officium Hispaniæ Ecclesiæ, usque ad tempora D. Alexandri II. Papa.

Quo Alexandro Papa Sedem Apostolicam Era T L X III. obtinente, & D. Ferdinando Rege Hispaniæ regione imperante, quidam Cardinalis Hugo, Candidus vocatus, à præfato Papa Alexandro missus, Hispaniam venit, Officium Ecclesiæ eius à supra nominato Ioanne Papa laudatum, & roboratum euertere voluit. Sed Apostolica auctoritate munitum, & confirmatum inueniens, intactum, ut inuenit, reliquit. Cui Cardinali succedentes quidam Cardinales alij, hoc idem facere laborauerunt, sed nullo modo facere potuerunt. Pro quare Hispaniarum Episcopi vehementer irati, consilio inito tres Episcopos Romæ miserunt, scilicet Munnionem Calagurritanum, & Eximium Aucensem, & Fortunium Alabensem. Ij ergo cum libris Officiorum Hispaniarum Ecclesiarum, se D. Papa Alexandro in generali Concilio præsentauerunt; libros, quos portauerunt, obtulerunt; id est, librum Ordinum, & librum Missarum, & librum Orationum, & librum Antiphonarum. Quos libros D. Papa, & omne Concilium suscipiens, diligenter perscrutantes, & sagaci studio perquirentes, bene Catholicos, & omni heretica prauitate mundos inuenerunt, & ne quis amplius officium Hispaniæ Ecclesiæ inquietaret, vel damnaret, vel mutare præsumeret, Apostolica auctoritate prohibuerunt, & etiam interdixerunt. Et data benedictione super præfatos Episcopos, eos cum lætitia ad propria reddiderunt. Hactenus testimonium istud.

Hoc accidit in Concilio Mantuano, celebrato anno 1064. de quo hæc habet Chronicon Coriolanum ad dictum annum: *Statuto tempore Alexander Papa cum Episcopis, & Cardinalibus Romanis Mantuam venit, ibidemque nonnemo Episcoporum Lombardia, excepto Cadaloo, indicium fugiente, accessit. Adfuerunt, & Hispaniarum aliquot Episcopi, deferentes libros Gothicos Rituales,*

In historia Compostellana.


ruales, à quibus cogniti, inuenti sunt orthodoxi.

Interfuit huic Concilio B. Petrus Damianus, S.R.E. Cardinalis, valde addictus, & deuotus erga puritatem Virginis, in qua nullas maculas Adæ fuisse, in suis scriptis affirmavit.

Tertiam confirmationem Ecclesiasticorum Hispaniæ librorum, possumus notare, eam quæ prodigijs supernaturalibus accidit Toleti, quam placet ipsi verbis Ioannis Marianæ lib. 9. cap. 18. referre, qui locutus de Richardo Massiliensi, Legato summi Pontificis, ait: *Cum primum Toletum applicuit, priusquã Legatus se potestate abdicasset, comuni consensu de Gotthica precũ ratione antiquã actũ: qua Hispani vulgò utebantur ab antiquissimis temporibus, præterea ex Isidori, Ildephonsi, & Iuliani, quos in cœlitum numero habent, coluntque, auctoritate. Tentatum id quidem aliquoties erat, neque tamen successerat: quod vulgo homines, sed & primores gentis antiquis stari malleant, nihilque tenacius inhaeret, quam quod religionis specie defenditur. Hoc tempore tanta à Primate, & Legato contentio adhibita est, ut cum Regina eorum conatibus enixè faueret, tandem peruicerint. Singulari certamine homines militares, & in armis nutriti rē tantam dijudicari voluerunt. Die dicta, duo milites ab utraque parte delecti in arenam descenderunt: vicit qui antiquum Hispanorum morem, & vetustissimam precandi rationem retinendam esse iutabatur, Ioannes Ruizius ex familia Marancia, quæ ad Pisoricam fluuiũ habitabat, & cuius posterii ad nostrã atatem eius certaminis memoria illustres manent. Verùm aduersæ partis studia cum nihil eo casu remitterent, neque victa vincerentur, visum est controuersiam ignis iudicio permittere; sic eius sæculi mores erant rudes, & agrestes, neque satis expensè ad Christianæ pietatis regulam, rogo in platea accenso liber uterque, Romanus, & Gotthicus in ignem proiecti, & Romanus quidem continuo ex igne prosiliit: id populus victoriam interpretabatur: nam liber alter sub igne, & flammis diu permanens, illæsus inuentus est. Rege arbitro, populo nihilominus persuasum, utramque precandi rationem superis placere: quando uterque liber ex incendio euasisset incolam. Quodam temperamento eam controuersiam componendam videri: in antiquis urbis Templis, quæ Mozarabum vulgò dicebantur, vetus precandi ratio retineretur: quod hoc etiam tempore, statis anni diebus, ijs in Templis factitari videmus. Accidit hoc anno 1088. tempore Urbani II. qui temperamentum ratum habuit, & simul duas antecedentes approbationes Ioannis X. & Alexandri II.*

Hæc retuli, quoniam insigne est testimonium pro immaculatæ Conceptionis festiuitate; etenim in illo Missali Gotthico, siue Mozarabe, continetur Missa Conceptionis Virginis Mariæ, quam alij dicunt composuisse S. Isidorũ, alij S. Ildephõsum, in quã sapissimè, & palã cõmendatur omnimoda Deiparæ puritas, & originalis eius sanctitas celebratur: & præter illa, quæ in superioribus de tempore S. Isidori, & Ildefonsi perpendimus ex eadem Missa pro obiecto immaculato huius festiuitatis, rem conuincere placet, ex oratione ad SS. Virginem, quæ dicitur *post pridie*, hoc est, post illa verba, *pridie quàm pateretur*, quæ hæc est: *Virgo Dei Genitrix Maria, cuius hodie veram Conceptionem celebramus, quæsumus indigni, & peccatores, ubi es noui miraculi gloria, beatiore quandoque mereamur attolli, prece quoque tua ditari. Roget quæsumus ibidem pro nobis*

dignitas tui pudoris, qua te de terris ineffabiliter sumpsit in cœlos, &c. Vbi maximè notanda sunt illa verba: *Veram Conceptionem celebramus*: in quibus notatur obiectum huius festiuitatis, esse ipsissimam Conceptionem Deiparæ, & hanc Conceptionem esse non latè sumptam, profanctificatione duntaxat, aut sancturitione, vt ita dicam, aut gratiarum actione; sed ipsam veram Conceptionem; quo vno verbo profligauit tot annis antea expositiones, quas aliqui Recentiores excogitarunt, negantes obiectum huius festi esse veram Conceptionem Virginis, sed alia eiusdem accidentia, quæ gratis architectati sunt contra pontificia diplomata; quod hinc animaduersum velim, vt cum descendamus ad refutanda aliena Neotericorum interpretamenta circa obiectum huius festi, meminerimus vno verbo explosa esse à Missa Gotthica antiquissima, & veneranda, cum in ea sit dictum, *veram Conceptionem Virginis celebrari*: quod sanè mihi videtur diuina Prouidentia fuisse ita dispositum. Adde per nomen *verum* non solum significari quod congruum est veritati, sed etiam quod sanctum simul est, maximè apud Hispanos, à quibus dicitur, *vera Crux*, pro *sancta Crux*, & *Veronica*, pro *sancta Icon*. Et in Euangelio Ioannis cap. 3. dixit Christus: *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius.* Vbi veritatem dixit, pro bonitate, virtute, & sanctitate. Quapropter vera Virginis Conceptio, etiam significatur sancta, quòd si sancta, etiam sine peccato originali. Præterea, in ipso Officio interponitur Conceptio ad mouendum diuinam pietatem, tanquam res sancta, vt eius respectu, & titulo moueamus diuinam pietatem, sicut mouere solemus per alia mysteria sancta, tum Christi, tum B. Virginis, vt cum Deum apprecamur per Natiuitatem Christi, aut B. Virginis, quæ si sanctæ non essent, non proponeremus Deo, vt earum interuentu nobis dona concedat. Passim ergo in illa Missa expostulatur Deus per interuentum Conceptionis virginæ. In initio Missæ dicitur: *Conceptionis gloriosa Virginis Mariæ sic nos tuere subsidio, ne nostro exigente merito tradamur inferno.* In alia oratione: *Tribue per intercessum Conceptionis gloriosa Virginis Mariæ, persecutionum tempestates in tui nominis confessione deuincere.* Rursus in oratione post nomina exposcimus: *Interuentu Conceptionis gloriosa Virginis Mariæ fac nobiscum misericordiam.* Et in oratione ad pacem: *Per intercessionem Conceptionis gloriosa Virginis Mariæ tuæ Matris, tribue nobis perfectum intelligentiæ decus.* Hæc iuncta cum his, quæ supra considerauimus, demonstrant in hac Missa Gotthica immaculatam Virginis Conceptionem celebrari.



CAPVT VI.

De tempore sancti Anselmi.



D S. Anselmum veniamus, qui absque dubio festum Conceptionis, & Officium eius introduxit, ex reuelatione Abbatis Herluini, siue Helsingi in Angliam, & deinde in alia Regna. Neque hoc negare

gare possunt, nisi qui negant puritatem virginæ Conceptionis, qui historiam illam gratis negant, ne suæ opinionationi obstet validum quod inde lumi potest argumentum pro pia sententia; verum historia Anselmi omni fide digna est, & omni auctoritate munita. Etenim S. Bernardus id supponit in epist. ad Lugdunen. cum dissuadens illos, ne festum Conceptionis celebrarent, & obuiam iturus eorum responsionibus, ait: *Sed profertur scriptum supernæ, ut aiunt Lugdunenses, reuelationis.* Accedit, S. Anselmum in sermone de Conceptione argumentari de festo Natiuitatis ad Conceptionem, ut similiter festiui coleretur die, & hac eadem ratione, vti fuere Lugdunenses, ut constat ex S. Bernardo in eadem epist. de Conceptionis festo ad eisdem scripta; ibi enim cū Lugdunenses de causa festi rogaret, respondisse refert, celebrandam esse Conceptionem, sicut & Natalis, quia nimirum si conceptus non præcessisset, non esset Natalis, qui honoratur. En verba Bernardi: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus: Vt honoretur, inquit, nimirum Lugdunenses cum quibus disputat, & conceptus, qui honorandū præiunt partū: quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoraretur.* Verum quidem est, nullatenus eā Bernardo rationem sufficientem visam esse ad celebrandam Conceptionem. Et quidem bene philosophatur Bernardus, si nulla fuisset reuelatio, aut fundamentū de sanctitate Cōceptionis: at quia S. Anselmus, & Lugdunenses sanctam supponebant, meritò celebrationem festi dignam iudicabant. Ratio differentiæ erat, quod D. Bernardus fidem reuelationi non dedit, quia per Conceptionem intellexit receptionem seminis in matrice; S. verò Anselmus receptionem animæ in fœtu. Satis igitur ex dictis liquet, historiam illam S. Anselmi de immaculata Conceptionis solemnitate veram esse. Constat etiam tempore Bernardi, & Petri Cellensis, Anglos eo temporis celebrasse Conceptionis festiuitatem, cœlesti reuelatione allectos: nam Petrus ipse Cellensis lib. 6. epist. 23. Nicolaum Anglum, S. Albani Monachum, & socios eius deridet, quod reuelatione quadam mouerentur, nec eo contentus totam Anglorum gentem notat facilitatis in somniando: imò in Ecclesia Cantuariensi, vbi Præsul fuit S. Anselmus, celebrari festum Conceptionis ibidem meminit idem Petrus Cellensis; nam cum Nicolaus, Monachus S. Albani, illum ad Cantuariensem vocaret Ecclesiam, vbi quem ipse Petrus alibi laudauerat S. Thomas, recens martyrio coronatus, ac innumeris illustratus miraculis, Conceptionem quoque coluerat, respondet: *Repetenda tibi, imò noua, & longa expetenda peregrinatio: non ad S. Thomam Archiepiscopum in Anglia, sed ad S. Thomam Apostolum in India, quia semper interero conuenticulis, vbi Domina nostra digna celebratur cōmemoratio, siue nominetur Conceptio, siue Natiuitas, siue Assumptio, siue alia quacumque veneratio.* Quasi dixerit: inuitas me, ut adeam Cantuariam, quo festo Conceptionis intersim auctoritate S. Thomæ Archiepiscopi, & martyris celebrato; sed numquā ego refugio interesse laudibus Virginis, quocumque censentur nomine, & ob eam rem parum est à Gallia ad Angliam peregrinari: nam Indiam, si necessum fuerit penetrabo. Robur maius addit Concilium Cantuariense, celebratum anno 1328. in eo enim hæc ratio redditur celebrati nis festi immaculatæ Conceptionis: *Quia inser omnes sanctos memoria B. Virginis, & Matris*

Domini eo frequentius agitur, atque festiuius, quo maiorem gratiam apud Deum (qui eius Conceptionem prædestinatam ad vniuersi sui temporalem originem veraciter ordinauit) creditur inuenisse venerabilis Anselmus. Ex antiquis Theologis id proficitur Ioannes Bacchonijs in 4. sent. dist. 2. q. 4. artic. 2. & lib. 3. quodlib. quæst. 13. qui obiit anno Domini 1346. ex Anglia oriundus, vbi Anselmus claruit; asseritque ita se in multis, variisque Bibliothecis, non solum Angliæ, sed etiam Franciæ legisse. Id quoque expressit Paludanus in 3. dist. 3. quæst. 1. in quo vno Authore non solum auctoritas, & antiquitas ponderanda est, sed quod aliàs immunitatē Virginis à peccato originali aliquando impugnaverit, & tamen simul expresserit Anselmum authorem, seu propagatorem festi Conceptionis extitisse. Plurimi sunt Authores antiqui, qui opuscula prisca, quibus asseritur S. Anselmus introductor huius in Anglia festi, comprobent, & allegent. Petrus Episcopus Aquilinus lib. 1. cap. 25. & lib. 6. c. 56. Henricus Gandauo, quodlib. 25. quæst. 23. Argentin. Capreol. Marfil. in 2. quæst. 20. artic. 1. Anton. Zucharus Episcopus Arcenensis 2. part. elucidarij, fol. 55. 137. 202. 264. & 276. Bernardinus Butti, 1. part. serm. 4. part. 1. fol. 48. Iacobus Vorag. Episcopus Genuensis in histor. Lombardica. Claudius de Rota, ibi, lect. 185. Ioannes Gerson serm. de Concept. Pelbartus 2. part. stellarij lib. 4. artic. 3. Baptist. Mantuan. in fastis tom. 2. Robertus Gaunus, tract. de purit. Concept. Mariæ. Dionysius Carthus. serm. 2. & 3.

Nec desunt ex Dominicana Familia, qui eadem probent. Nam præter Paludanum Catherinus opusc. de immaculat. Concept. fol. 85. Ioannes Herolt serm. de Concep. & quod pluris, imò maximi est, Breuiarium perantiquum, quo utebantur Dominicani, sanctorum suorum festa continens, quod extat in Bibliotheca Regia Escorialensi, animaduersum nuper à doctissimo, & diligentissimo in euoluendis SS. Patrum, & Doctorum Ecclesiasticorum voluminibus, D. Antonio Calderon, qui testimonio publici Notarij egregium inde testimonium transcripsit, ex quo felicissimè Turcrematam impugnat; nam antiquitas eius Breuiarij est ante canonizationem S. Catherinæ Senensis. Cæterum, ex modernis innumeri sunt, qui eidem historiæ applaudant, & indubitatum habeant; pro omnibus sufficiat Cardinalis Baronius in not. ad 8. Decembris, qui ait: *Habemus regeſta historiæ in antiquo Codice manuscripto, cuius exordium est: Eo tempore, quo Guillelmus, &c. Ex quibus omnibus satis compertum habetur, eiusmodi celebritatem in Anglia primò celebrari captam, eidemque fauisse S. Anselmum.* Quo videas, non sua dumtaxat auctoritate, sed etiam vetustissimi codicis M. S. testimonio veritatem istam Baronium comprobare. Bona quoque pars sermonis S. Anselmi de Conceptione reperitur in manuscripto codice, qui fuerat Cardinalis Baronij, & asseruatur in Bibliotheca Valicellensi, seu Oratorij Romani, sub titulo Tomus X. vitarum sanctorum, fol. 298. Idem confirmat multarum Ecclesiarum concursus acclamatio; innumera sunt, quæ in suis Breuarijs antiquis legerint in festo Conceptionis D. Anselmum promulgatorem festiuitatis eius extitisse; præsertim illæ, quæ Lectiones Matutini Officij ex epistola Anselmi ad Episcopos Angliæ conflauerunt; quod fecisse constat Hispalensem, Cordubensem, Segouiensem, Conchensem, seguntinam,

guntinam, Hieronymianos, hoc est, Ordinis S. Hieronymi, Eborensem, Giennemensem, & alias, quodque maximi momenti est, in Officio immaculatæ Conceptionis à Nogarole edito, & à Sixto IV. proprio diplomate approbato, & in Breuiario Romano antiquissimo, recognito à R. P. Francisco Felre Ordinis Minorum, anno 1513. excerpta ex his libris Anselmi titulo continentur, vt iure Zucharus supra laudatus, affirmet Ecclesiæ vsui, & consuetudini contradicere, qui illorum Authorem in dubium reuocare audeat.

Ceterum hanc Anselmi festiuitatem, in plurimas propagatam Prouincias, habuisse obiectum ipsam immaculatam Virginis Conceptionem, luce clarius constat, ex Officio eiusdem Conceptionis, quod Anglicanis commendauit Ecclesijs, & in sermone eiusdem de Conceptione. In sermone Conceptionis clarissimè hortatur, *colere animam spirituales creationem, ac corporis, & animæ copulationem. O quam a est dies illa, qua nostræ reparationis anima digna creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori vnitur!* Nihil apertius desiderari potest, nã & vsus est verbo *colere*, per quod cultus Conceptionis significatur, & explicat mysteriũ, & obiectum huius cultus, nimirum copulationem corporis, & animæ Virginis, & sanctitatem vtriusque, cum dixerit, diem festiuitatis eius, in quo Virginis anima digna creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori vnitur. Præterea ibidem dixit, sicut in Ecclesia Natiuitas eius colitur, sic debet & coli Conceptio. Hæc argumentatio supponit eodem modo celebrandam esse Conceptionem Virginis, ac eius Natiuitatem; cum igitur obiectum festi Natiuitatis sit ipsa Natiuitas sancta, eodem modo supponit Anselmus, obiectum festi Conceptionis, etiam esse ipsam Conceptionem sanctam. Postea addit: *Conceptionem Dominicæ Matris colere, Christi generationem est commemorare.* Vbi palam cultum huius festi ipsi Conceptioni sub proprio nomine tribuit; ipsum verò Officium in oratione ad Vesperas apertissimè dixit, *sanctam Conceptionem*, vbi significatur cultus eius sanctitatis. In Missa quoque, in oratione prima dicitur: *Deus qui primæ piacula mulieris, per B. Mariam Virginem expianda sanxisti, da nobis Cõceptionis eius dignè solemnia venerari.* Nemo itaque in dubium vertere potest, sensum S. Anselmi, circa obiectum huius celebritatis alium esse, & quamuis aliquando nuncupet illud spirituales conceptionem eo sensu, eiusmodi eam vocat, vt planè excludat aliquorum Dominicanorum sensum, qui celebrare voluerunt spirituales animæ virginæ conceptionem, seu sanctificatione abstractè, & separatam, aut separabile à primo instanti creationis animæ Matris Dei. At S. Anselmus connexam celebrat, cõtractam, & inseparabilem à creatione animæ Marianæ, vt demonstrat illis verbis: *Si non placet illius celebrare solemnia Conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius spirituales creationem, ac corporis, & animæ copulationem. O quanta est dies illa, qua nostræ reparationis anima digna creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori vnitur.* Hæc clausula explicat antecedentè: *Licet eius Cõceptionem, eo quod carnalis exitit, non placeat hodie celebrare; tamen diem illum, & noctem, quamuis sanè multis incognita, & tempus, & horã spirituales Conceptionis eius, hodie celebrare delectat; quia ipse, qui est animarum creator, animam sue Matris dignam sanctissimo corpori vir-*

ginali eius, Angelis ministrantibus, copulauit. Notanda hæc ratio, vt spirituales conceptio celebranda sit; quia nimirum creata fuit anima Virginis, quoniam vtraque simul fuit creatio, & sanctificatio eius, quod nolunt opinionis affirmatiuæ tutores. In his itaque verbis etiam iungit S. Anselmus spirituales conceptionem cum creatione animæ Virginis, distinguens inter conceptionem carnalem, & spirituales, hoc est inter conceptionem seminis, & animationem Virginis, cum simul habuit vitam humanam, & spirituales gratia. Conceptionis carnalis dies, imò, & hora sciri potest inter castos coniuges cum serò copulantur; animationis verò dies, & hora, & pariter Conceptionis spirituales tempus, quæ eodem momento fuit in Virgine cum animatione eius, sciri nequit, quamvis enim Medici dicant esse in foemina circa octogesimum diem post conceptum, in alijs citius, in alijs serius accidit, iuxta varias foetus dispositiones. Sed quacumque euenerit die, simul in eodem accideret instanti, & spirituales conceptio, & animatio. Tandem concludit Anselmus dicens: *Celebremus ergo hodie dignis Officijs vtramque Conceptionem eius, spirituales scilicet, & humanam.* Hic etiam apertè demonstrat diuersissimum habuisse sensum in celebratione huius mysterij, ab eo quem Neoterici, qui affirmatiuam tuentur sententiam, habent: hi enim minimè dicunt celebrari Conceptionem Virginis humanam, nec separatim, nec coniunctim cum spirituales. Aptissimè vocauit Anselmus humanam Conceptionem, non tamen dixit carnalem; quia eam voluit Conceptionem notare, qua foetus fit persona humana, nimirum cum infunditur anima. Hanc Conceptionem celebravit Anselmus simul cum sanctitate in eodem instanti animæ Virginæ, adeo manifestè suam explicans mentem, vt hoc solo excludat omnes euasiones, & interpretationes obliquas asserentium opinionem affirmatiuam.



CAPVT VII.

De tempore SS. Norberti, & Bernardi.



Lapsam hanc Anselmi festiuitatem in alias Prouincias, eodem sensu acceperunt illam populi, ac transmissa ab Anglia fuit, scilicet ex Anselmi sententia obiectum eius solemnitatis colentes, ipsam Conceptionem sanctam. In Germania quidem SS. Patriarcha Norbertus, qui Religionem instituit in honorem Conceptionis, iuxta vniuersalem suæ familiæ Traditionem, & scripta ab Hugone, ipsius S. Norberti discipulo, Officium etiam immaculatæ Conceptionis approbatione sua firmavit, in quo ad B. Virginem dicitur: *Aue Virgo Spiritu sancto præseruante, qua de tanto parentis primi peccato triumphasti innocia.* Et similia spatim in toto Officio continentur. Celebratiue hæc sacra Religio à sua primæua origine festum B. Virginis, sub titulo puræ, & mundæ Conceptionis, vt constat ex Missalibus, Breuiariis, Processionariis, & Diurnis, quibus ab antiquo vsa est. Quod testantur


testantur Abbas Bernardus de Leon in Prologomeno opusculorum, & Bernal tract. de Conceptione disc. 3. fol. 36. Hinc constat, idem fuisse obiectum huius festiuitatis S. Anselmo, ac S. Norberto. Cum enim in titulo Festi, pura, & munda vocetur Conceptio in priscis Præmonstratensium Breuiariis, satis intelligitur, ipsam munditiam, & puritatem Virginis in Conceptione, obiectum eius festiuitatis habuisse. Cumque in Officio ad eam aperte affirmetur præseruatio Matris Dei, cultus eius profectò significatur.

Extat quoque Caroli VIII. Francorū Regis, privilegium datum anno 1475. quod de B. Norberto sic loquitur: *Habitū tamen album iam deliberauerat assumere, de quo à B. Virgine admonitus fuerat: afficiebat enim in honorem suum, & sua purissima Conceptionis candidum Ordinē præparari; ideoque aliquando dictum est ab ea: Norberte, accipe candidam vestem, quo factum est, ut locum & habitum sancto Viro mirabiliter præmonstraret* Similiter diploma antiquum Ludouici XI. dixit, per reuelationem B. Virginis, in honorem suæ purissimæ Conceptionis Ordinem candidum institutum à B. Norberto. Quid autem est hic honor Conceptionis, nisi cultus ipsius, quem cum tribuisset institutioni sacræ Familiæ, nequaquā negauit Ecclesiastico Officio?

Non est silentio prætereundum testimonium R. P. Philippi Quintanilla Generalis S. Norberti, qui in epistola ad Philippum Regem, hæc habet: *Ad nullam Religionem ita pertinet tueri articulum de pura Conceptione, sicut ad istam Præmonstratensem, quoniam à quingentis annis eius fundator S. Norbertus Parens noster eam consecrauit immaculata Conceptioni superna Regina. Quapropter ad gratificandum ei hoc obsequium, donauit illi de manu sua habitum candidum, quo filij sui induuntur.* Postea subdit locutus de S. Dominico: *Edoctus fuit hanc sanctam doctrinam à Religione Præmonstratensi propugnatrice pura Conceptionis Virginis, cuius festiuitatem à quingentis annis celebrat suo ipso die, & in Sabbatis vniuscuiusque hebdomade.* Illa priuilegia Gallicanorum Regum inueniuntur in Bibliotheca Præmonstratensi, tom. 2. quam collegit Ioannes Paige. Frequentata quoque fuit in Germania post sæculum sancti Anselmi, & in tempore sancti Norberti, & sancti Bernardi apud Benedictinos Monachos celebratio Conceptionis Virgineæ, prout testatur Photo Prumiensis lib. 3. de statu domus Dei in fine; qui floruit illo æuo, in eaque celebrari à Benedictinis supponit sanctitatem eiusdem Conceptionis, cum reprehendens ipse Photo propria auctoritate institutum festum sanctissimæ Trinitatis, Transfigurationis, & Conceptionis Matris Dei, ostendit non condemnasse sanctitatem eorundem mysteriorum, quam dignam sacro cultu sentit, sed nouitatem Ecclesiasticam sine auctoritate sedis Apostolicæ.

Lugdunenses quoque idem obiectum habuere istius festiuitatis; tum quod edocti fuerint ab ipso B. Anselmo, à quo festum istud accepere, quem Lugdunum aduenisse affirmat Edinerus, focus eius itineris, lib. 2. vitæ ipsius: imò addit aliquandiu ibi mansisse Hoc accidit cum propter persecutionem Anglicani Regis, absens erat in Gallia, & postquam studiosissimus exaltandæ Conceptionis Virgineæ, eius cultum, & solemniam induxerat in Ecclesias Angliæ: vt colligitur ex sermone de Concept. vbi ita loquitur: *Quis-*

quis igitur Presul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius solemniam, & cunctis inbe eam coli; quia si eam toto corde amaueris, nunquam à gradu tuo depositus eris. In memetipso probavi quod aio. Cum igitur tanta deuotione incensus erga hoc mysterium, Lugdunum aduenerat Anselmus, & ibi manserat, non est dubitandum, quin Lugdunenses permoueret ad eius celebritatem, & in eiusdem instrueret sensu. Tum etiam, quia vt Bernardus in epistola ad ipsos Lugdunenses supponit, causam admissæ festiuitatis referebant ad reuelationem diuinam; illam scilicet, de qua loquitur Anselmus. Denique, quia eandem festiuitatem confirmabant ex comparatione ad festum Natiuitatis Virginis; dicebant enim non minus deberi solemniam ecclesiasticam Conceptioni, quam Natiuitati. Cum igitur indubitatum obiectum Natiuitatis Virgineæ sit ipsa Natiuitas sancta, eodem modo censebant obiectum festi Conceptionis, ipsam fuisse immaculatam Conceptionem. Id ipsum confirmo ex S. Bernardo, qui minimè dubitauit ipsissimam Conceptionem coli à Lugdunensibus; idè conabatur probare non fuisse sanctam, vt illam colere desinerent. Conatus hoc fuit Bernardus, quia suspicabatur eos colere carnalem conceptionem, cum tamen ipsi colerent non nisi creationem animæ Virginis, simul cum gratia peccatum originale excludente. Neque dubitauit Petrus Cellensis, contemporaneus Bernardo, obiectum cultus huius festi habuisse eius celebratores ipsam Conceptionem; solum requirebat originem eius, aut approbationem à Romana Sede, vt constat ex lib. 9. epist. 10. Adamus quoque de Sancto Victore coæuus similiter Bernardo, idem censuit de obiecto huius festiuitatis, imò, & ipse coluit, vt testatur Hymnus, quem in eius celebrationem composuit, cuius fragmentum alibi dedimus. Dedit quoque Canisius lib. 1. de B. Virg. disputans de Concept. Mariana. Tandem hic censui obseruandum, non temerè hanc Immaculatæ Conceptionis festiuitatem admisisse, & retinisse Lugdunenses, sed cū magnā maturitate habentes exemplaria Ecclesiarū Anglicarum, & Germanicarum, atque plurium aliarū; nec enim in hac parte notati sunt amatores nouitatum; sed potius de iis loquens Nicolaus Clemengius, lib. de nouis Solennitatibus non instituendis, ait: *Licet autem in multis Ecclesiis leuiter nimium suscipiantur nouitates, nec cum tanta maturitate deliberationis; quantam res exigeret; sunt tamen adhuc aliquæ Religiones in suis antiquis Observationibus, consuetudinibusque persistentes, quæ & totam sacri Canonis Historiam perlegunt, & nonarum celebratum multiplicationem repudiant. Sunt etiam nonnullæ Cathedralis Ecclesia, quæ id ipsum faciunt, sicut de Lugdunensi fama est, quæ nullas fertur nouitates prorsus admittere.* Et quidem tempore S. Bernardi non erat valde nouum in Gallia festum Conceptionis, nam, vt ostendit Augustinus Wichmans in diario Eccles. tam in Ecclesia Narbonensi quam in aliis Franciæ primariis, iam ante tempora Bernardi solitum erat celebrari.



CAPVT VIII.

*Continuatio huius festiuitatis
iuxta obiectum S. Anselmi.*



Xcreuit deinde huius celebritatis propagatio eodem sensu, ac deducta ex Anglia fuit; adeo ut ab Ecclesia Romana accepta totam Europam, imò totum orbem Christianum peruaserit. Nec iam opus erat curare, an reuclatio relata ab Anselmo fuisset vera, imò nec tota eiusdem historia de celebranda Conceptione Virginis; quamuis enim vtrunque fuisset à veritate alienum, parum refert occasio excitandæ deuotionis, cum Ecclesia admittit veritatem alicuius mysterij. Quemadmodum & posset aliquis credere, assensum præstans alicui veritati, occasione alicuius dicti, aut facti minus consentanei vero; fides tamen illius vera erit: frustra ad testimonium veritatis requiritur occasio rei, cum res de facto est, constatque omnibus esse, nec argumenta requiruntur, vbi ad oculum conspicua est veritas. Sed satis iam firmam ostendimus veritatem Anselmianæ historiæ, merito ab Ecclesijs admissam, & celebratam. Quod autem Ecclesia celebritatem Conceptionis, ipso Anselmi sensu admisit de facto, euidentissimè præstant tot Officia Conceptionis Romanorum Breuiariorum, & aliarum Ecclesiarum, in quibus plures Lectiones sumuntur ex opusculis Anselmi de hac celebritate, & eius institutionis historia, quibus vsæ sunt plurimæ, ut diximus, Europæ Ecclesiæ ante Sixtum IV. & post ipsum Sixtum, vsque ad Pium V. Imò Officium ipsum Conceptionis, quod approbatum à se fatetur Sixtus IV. in extrauag. *Præexcellentia* Similiter in Lectionibus fragmenta S. Anselmi habuit. Hoc sanè ostendit huius festiuitatis obiectum idem fuisse in Ecclesia, ac habuit S. Anselmus, & conuincit violentas interpretationes eorum, qui opinioni affirmatiuæ fauent, prorsus esse à veritate alienas, & quamuis potuisset admittere Ecclesia obiecta huius festi, quæ ipsi fingunt, de facto tamen non admisit, sed solum Anselmi obiectum, quod est humana Virginis Conceptio, simul cum spiritali gratia vitæ.

Ceterum, & Pius V. quamuis in reformatione Breuiarij, antiquum Conceptionis Officium mutaret, non propterea discessit ab Anselmiano huius festiuitatis obiecto, imò potius ipsi videtur amplius adhaesisse, eò se magis conformauerit Officio Conceptionis, quo vsus est ipse Anselmus, introduxitque in Anglicanas Ecclesias. Sequitur inquam est Pius V. S. Anselmum; quia sicut Anselmus Officium Natiuitatis Virginis tradidit Ecclesijs, ut eodem vterentur in die Conceptionis, mutato solum nomine Conceptionis; id ipsum iussit Pius V. qui potius restituisse videtur Officium S. Anselmi. Et quidem vterque id fecere iuxta antiquum Ecclesiæ vsum in celebranda Conceptione Virginis. Quæ consuetudo, sicut diximus, & probat testimonium S. Ildephonsi lib. de parturit. Virgin. erat celebrare Conceptionem, non solum eodem Officio Natiuitatis Ma-

Ioanni. Euseb. Op. Parib.

riana; sed in ipso die, cum par sit, imò initium integræ Natiuitatis ipsa Conceptio, quam merito vocauit S. Ildephonsus *Natiuitatem inchoatam*. Præterea sicut in S. Anselmi Officio vocatur Conceptio sancta, sic etiam & in Officio Pij V. in quo præterquam quod sit secutus S. Anselmum, ostendens eius sententiam sequi in hac festiuitate, & eiusdem amplecti obiectum, celebrauit maius elogium de hac festiuitate, quam alia encomia recitata in antiquis Officijs. Plus enim dicit Conceptio sancta, quam Conceptio immaculata, cum sanctitas conceptionis non solum neget deformitatem peccati, sed affirmet pulchritudinem gratiæ. Tum etiam, cum obiectum S. Anselmi fuerit Conceptio humana Virginis simul & spiritalis, hoc est, instans illud primum, in quo sacratissima Virgo simul habuit vitam humanæ naturæ, & gratiæ diuinæ, hoc melius explicatur per Conceptionem sanctam, quæ addit supra negationem mortis culpæ, vitam spiritus per gratiam. In alijs quoque Ecclesijs similius est Officium Pij V. Anselmiano Officio; quare negari non potest in sensu S. Anselmi permansisse Ecclesiam post Pium V. non minus quam antea. Accedit ad hæc, Officium Sixti IV. antiquum permansisse Fræsciano Ordini. Vnde dupliciter confirmauit sensum Anselmi, & noui Officij iussu, & permissu antiqui, imò & approbatione: nam cum approbauerit Sixtianas Constitutiones, vbi hoc Officium approbatur, idem ipsum Pium fecisse constat, approbatumque à se Franciscanæ Familiæ concessit, quod & alij sequentes Pontifices confirmarunt. Et quamuis hodie non recitent Franciscani fragmentum epistolæ Anselmi, recitant tamen illustrius testimonium eiusdem Anselmi Lect. 5. in octaua Conceptionis; vbi apertissimè immunitatem Virginis in sua Conceptione à peccato originali declarat, obiectum scilicet eius festiuitatis.

Sed & Gregorius XV. insistens antiquo Anselmi sensui de obiecto huius festiuitatis, maxime eidem fauit, cum in Bulla sua iusserit in Officio huius festi, non alio nomine quam Conceptionis vti, exclusurus hoc pacto conficta aliorum huius solemnitatis obiecta, nimirum sanctificationem, actionem gratiarum, & alia separata à naturali Conceptione. Adeo itaque inhaerit Ecclesia vestigijs S. Anselmi, ut quemadmodum euasiones, & interpretationes sentientium contra, nequaquam congruunt, imò absonæ videntur, si aptarentur festiuitati Conceptionis à S. Anselmo institutæ, aut introductæ, ita prorsus sūt absurda applicata ad sensum Ecclesiæ Romanæ.

Animaduertendum denique est, licet post Pium V. nulla in Breuiarijs Romanis sit mentio historiæ Anselmianæ; celebris tamen sit apud recentiores scriptores, plures numero, & doctrina magnos, qui illam approbant, aut probant, laudantque: quod tantundem penè est, quoad communem stabiliendam acceptiōnem, & antiquam conseruandam. Horum scriptorum aliqui sunt, Ægidius de Præsent. lib. 3. de præseruat. Virgin. quæst. 4. artic. 1. Suar. tom. 2. in 3. part. q. 27. artic. 2. disput. 3. sect. 2. Salaçar cap. 33. argum. 8. & cap. 35. §. 1. & cap. 42. Ioann. Perlin. apolog. pro immacul. Concept. dist. 10. cap. 12. §. 3. Ioann. Bapt. Nouar. tom. 1. cap. 3. quæst. 8. Baron, in notis ad Martyrolog. Roman. Bosius de

ling. Ecclef. lib. 9. cap. 54. D. Francisc. à So-
fa, epist. pro orat. habita Vallisolet. Ojeda
apolog. cap. 12. Lezana item apolog. cap. 14.
Francisc. Buiard. in Anselmo vindicato. Fran-
cisc. Serran. Episcop. Acernens. lib. 2. de im-
maculat. Virgin. Concept. cap. 27. Balthasar
Porren. cap. 9. fol. 18. Guerrer. in concord.
discurs. 16. Bernal. de Concept. disp. 3. fol. 36.
Alphonf. Sobrin. fol. 39. Hieronym. Embund.
cap. 18. fol. 97. Petr. Diaz de Aguero, cap. 2.
& 4. Gauantus tom. 2. sect. 7. cap. 2. Syluest.
Saauedr. cap. 8. fol. 93. Anton. Daza cap. 17.
fol. 132. Luzer. cap. 5. fol. 40. Cartag. lib. 1.
homil. 19. Salmer. tom. 13. disp. 52. in epist. ad
Roman. Georg. Coluener. Kalend. Mari. to-
mo 2. fol. 380. Spinel de festis MARIÆ,
num. 2. Extat libellus singula. de hac re, excus-
sus Parisijs anno 1617.



CAPVT IX.

*Independenter à S. Anselmo colit
Ecclesia in hac Conceptionis
solemnitate præseruationem
Virginis à culpa originali.*



Lacet nunc independenter ab
Anselmi historia de festiua Con-
ceptione, alijs comprobare ar-
gumentis obiectum eius in Ec-
clesia Romana, ipsam Concep-
tionem esse Virginis immaculatam, absque sorde
originali. Et quidem certum est, post S. Bernar-
dum in multas fuisse propagatam Ecclesias hanc
celebritatem, prout testantur antiquissimi scho-
lastici S. Thomas, & S. Bonaventura, qui al-
tero post Bernadum saculo floruerunt. Procedebat
indies deuotio erga hoc mysterium, tum sole-
mnitate diuinorum Officiorum, tum in conscri-
bendo hoc festo in Martyrologijs: quæ omnia
populi, & Ecclesiæ præstabant, venerantes im-
munitatem Virginis à peccato originis, vsquequo
in Romanam penetrarunt ditionem, & deinde
a Romana Sede fuerit approbata hæc fidelium
deuotio.

Capio primum argumentum à Martyrolo-
gijs Cum enim in Menologijs Græcorum ce-
lebraretur annuntiatio ortus S. Ioannis Bap-
tistæ, sub nomine Conceptionis eiusdem trans-
missa quoque facile in Latinos hæc celebratio
fuit: quod demonstrat peruetustum Romanum
Martyrologium, quod è tenebris eruit Rosuuei-
dus, vbi 24. Septembris legitur, *Conceptio Ioa-
nis Baptista*: constat autem non fuisse cultam,
vt sanctam, & à peccato originali immunem,
imò verò solum celebratum esse miraculum, aut
annuntiationem Zachariæ factam. Hinc tamen
potius comprobo, Romanam Ecclesiam colere
Conceptionem Virginis, vt immaculatam, &
præseruatam; nam cum olim (fortè Græcos imi-
tata) coluisset conceptionem Ioannis, tamen abo-
lendum censuit eiusmodi festum (hodie enim abest
à Romano Martyrologio, & Calendario) nempe
ne putaretur celebrare sanctitatem Ioannis in


conceptione, & eam, vt à peccato immunem: id
enim præfert festum conceptionis simpliciter ac-
ceptum, & nihilominus festum conceptionis
Baptistæ propterea abrogans, festum Cōceptionis
Virginis instituit, planè ostendens huius immu-
nitatem celebrari, quod de Ioanne nefas erat
intelligi. Ecclesia quoque Græca rationem habuit
discernendi inter celebritates Conceptionis Vir-
ginis, & Baptistæ, cum in multis Menologijs
non simpliciter dixerit Conceptionem Virginis,
sed addiderit mundam, vel puram; quod non
fecit in festo conceptionis Baptistæ: vt hoc
facto ostenderet, in festo Conceptionis Virgi-
næ colere puritatem ipsius Conceptionis à pec-
cato originis liberam; in Conceptione verò Bap-
tistæ non celebrari hanc, sed annuntiationem
eius: quare in hoc festo conceptionis Baptistæ
supplebatur vox annuntiatæ, quam compendij
causâ, aut scriptorum negligentia omiserunt. Hoc
enim certum mihi est, non celebrasse ipsam na-
turalem conceptionem Baptistæ, sed enuntia-
tionem eius ab Angelo Zachariæ factam: quod
satis comprobatur consensus aliarum Ecclesiarum
Orientis. Coptitæ enim, siue Alexandrini, in sua
computatione Paschali Arabica, hunc titulum
præbent huic Ioannis festiuitati *Annuntiatio*, si-
ue *Euangelizatio Ioannis*: quod alludit ad
verba, quæ Angelus dixit ad Zachariam: *Mis-
sum hæc tibi euangelizare*. Hanc Arabicam com-
putationem affert Scaliger. lib. 7. de emendat.
tempor. Similem titulum in hoc Ioannis festo
habent Syriacæ Ecclesiæ, prout constat ex titulo,
quem ipsi tribuit Testamentum nouum Syriacum,
nam Luca 1. num. 19. sic inscribitur: *Lectio in
Matutinis annuntiationis ipsius Zachariæ*. In ex-
emplari Bibliæ Guidonis, non ibi, sed initio Euan-
gelij S. Lucæ hic titulus præfigitur, similiter in
epist. ad Rom. cap. 9. ante vers. 6. præscribitur,
Annuntiatione Zachariæ, nimirum *Lectio in an-
nuntiatione Zachariæ*. Idem dicendum de Abisi-
nis, prout apparet ex declaratione Zogazabi
Episcopi, quemadmodum notauit eruditissimus
Petrus Ojeda, fundam. 1. cap. 4. Quin & apud
Græcos video idem explicatum: nam Ionnes Ni-
cænus Archiepiscopus, in epistol. ad Zachariam,
vbi multa de festiuitatibus agit, quàm semel dix-
erat conceptionem Ioannis, paulò antè notarat ap-
paritionem Angeli, nimirum ad Zachariam,
cum immediate mox addat: *Sacerdosque mutus
remanserit*. Latina verò Ecclesia licet initio imi-
tata fuit nomenclaturam Græcorum, & sequuta
Anteriorum sensum, cum postea vidisset deu-
otionem erga Virgineam Conceptionem auctam
indies, suisq; omnino adscribendam Martyrolo-
gijs; vt immaculatam, & prorsus puram profite-
retur, voluit omnem ambigendi rationem tollere,
festum Baptistæ omisit: quod quidem etiam fecit
iuxta morem ab Augustino notatum Romanæ
Ecclesiæ, quæ non nisi res sanctas colit. Ideò,
quamuis euangelizatio Baptistæ concepti sancta
fuisset, quippe à Deo mirificè destinata, &
promulgata ab Angelo sancto, & ad Prophe-
tam sanctum directa: quia tamen non aptè sig-
nificabatur hæc annuntiatio per nomen concep-
tionis, voluit potius omittere Ecclesia, quàm
occasionem dubitationis præbere, an rem non
sanctam coleret, qualis fuit conceptio natura-
lis Baptistæ, qui cum labe originali genitus
fuit. Hoc factò Ecclesiæ Latinæ eueruntur
omnia

omnia commenta, & interpretationes fautorum affirmatiuæ sententiæ circa obiectum festi Conceptionis B. Virginis, quippe iuxta expositiones obiectorum, quæ aduersarij tribuunt conceptioni virginæ, posset eodem modo celebrari conceptio Ioannis. Quidam dicunt, obiectum festiuæ Conceptionis esse sanctificationem Deiparæ, siue spirituales conceptionem, quocumque tempore ea fieret. Alij sanctitatem futuram Virginis, alij actionem gratiarum, & alia huiusmodi. Hæc omnia cadere possent in conceptionem Præcursoris; abstulit nihilominus illam Ecclesia Romana, ostendens se res actu non potestate colere, maximè in festiuitate Conceptionis Virginæ, sanctitatem eius actualem, non alia obiecta extra morem suum excogitata celebrare. Idem quod Martyrologia, confirmant Kalendaria Ecclesiastica; nam ante annum 1290. continebant festum Conceptionis, vt constat ex historia B. Petri Conuersi, quam refert Benedictus Gononus in suo Chronico ad ann. 1292. cum ex Kalendarij inspectione constaret eidem Petro dies festi Conceptionis. Et quidem in Belgio ex sæculo Sancti Bernardi in vsu fuisse hoc patet ex duobus diplomatibus Balduini Flandriæ, & Hannoniæ Comitum, quorum prius sic concluditur: *Actum in solemnitate Conceptionis gloriose Virginis MARIÆ anno 1195.* Posterius: *Actum mense Decembri in Conceptione gloriose Virginis MARIÆ 1195.* Extat vtrumque apud Miræum in notitia Ecclesiarum Belgij cap. 178. idem patet ex Breuiario proprio.

Alterum indicium celebratæ ab Ecclesia immaculatæ Conceptionis, est propagati, & propagandi eiusdem festi deuotio, & ardor fidelium, qui magnum quid, & singulare in Virgine coli in illo æstimabant. Nec credibile est, tantum zelum, & feruorem pro re alijs communi militasse, sed pro singulari Dei genitricis priuilegio. Vnde excitati ad honorandam Virginem hoc festum libenter admittebant, & certatim instituebant, inque eius celebratione id venerabantur, nimirum immunitatem Virginis à culpa originali; hoc corde tenebant, hoc ore promebant, hoc in contradictores opere ipso demonstrabant, pio incensi zelo aduersus eos, qui labem originariam sanctissimæ MARIÆ imputabant. Vox ipsa affirmantium hanc labem, declarabat eos, qui sibi repugnabant negasse, & negando coluisse puritatem Virginis; cuius causa festum Conceptionis instituebant. Hæc omnia accidebant antequam Ecclesiæ Romanae autoritate admitteretur, & eius celebraretur iussu, quæ id tandem præstitit deuotionem fidelium approbans; quare non alio sensu admisit, & celebravit, quam eodem, quo pius multarum nationum affectus eam colebat, & coli desiderabat, scilicet immunitatis Marianæ à communi originis sorde. Sixtus IV. fuit qui solemnem eam fecit in Ecclesia Romana, anno 1476. ordinato ad eam proprio Officio, & indulgentijs concessis; sed ante illum iam olim fideles suam pietatem erga hanc festiuitatem demonstrarant, & feruè contrarium sentientibus obfistebant. Ob exorientia inde in populis iurgia, & capitales dissensiones, Aragonum, ac Valentis Reges ab anno 1394. vsque ad annum 1461. legibus se-

Ioan. Euseb. Op. Parcb.

uerissimis agere in buccinatores maculatæ Conceptionis sunt adacti. In Gallia quoque multæ ob hanc causam, imò maiores fuere turbæ: mirandam describit Thomas Valsinghamus, Benedictinus, Hortor. Angl. ad annum 1389. Huc spectant turbæ excitatæ Lutetiæ, anno 1387. cum vt scribit Ioannes Iuuenalis Vrsinus, hi qui Virginis Conceptioni immaculatæ detraxerent, tolemniter admodum damnati sunt ab Episcopo, & vniuerso Clero Parisiensi, & cum frater Ioannes de Montefono aduersus immaculatam Deiparæ Conceptionem licentius egisset, tot turbæ aduersus ipsum Montefonum, & Ordinem Prædicatorum sunt excitatæ, vt Author gestorum Clementis VII. qui Auenione agebat pro Pontifice, testatus se adfuisse, & omnia cominus perspexisse, diram procellam in Ordinem suum Dominicatum ea de causa excitatam describens, altè ingemiscat. De turbis occasione eiusdem controuersie Rothomagi excitatis, & indito aduersarijs Conceptionis immaculatæ, probroso *Huictorum*, id est exhibitorum nomine, meminit eiusdem temporis res describens memoratus Iuuenalis Vrsinus Archiepiscopus Rhenensis, lib. de reb. gest. Caroli VI. Regis Francorum, cuius acta testantur, nec sedatam vteumque fuisse tempestatem in populo coortam, priusquam inducti fratres Regia autoritate festum Conceptionis celebrassent, & sententiam immaculatæ Conceptionis aduersantem publicè reuocassent. Hæc planè confirmant, obiectum festiui Virginis Conceptus ipsam fuisse puritatem illius. Cum enim controuersia fuisset de Conceptione Virginis, immuni ab originaria sorde, & sedata fuisset per celebrationem festi ipsius Conceptionis, planè constat, obiectum huius festi illam immunitatem fuisse. Itaque ex testimonio vtrorumque sectatorum, tum affirmatiuæ, tum negatiuæ sententiæ, liquet solemnitatem Conceptionis habere obiectum prædictum, quod testabantur, qui affirmatiuam sequebantur, repugnando celebrationi, qui negatiuam habebant pietissimè colendo. Hæc omnia euenerunt ante Sixtum IV. cumque ipse Sixtus in favorem negatiuæ sententiæ festum instituisset Conceptionis in Romana Ecclesia, & illius Ecclesiasticum ordinasset Officium, planè constat idem habuisse festi obiectum, quod euentius postea demonstrabimus.



CAPITULUM X.

De Concilio Basiliensi, confirmante obiectum huius festi esse immunitatem Virginis à labem originali.

Nunc placet idem confirmare ex Concilio Basiliensi celebrato anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono, quod quavis non fuerit approbatum à Pontificia Camera

thetra, magnam quoad historiam authoritatem habet, nec parvam ad ostendendum statum, quem tunc temporis habebat ista solemnitas. Præterquam quod circa decretum Conceptionis aliqua sit illi authoritas, ut mox dicemus ex Concilio Auenionensi. Hoc igitur Concilium Basiliense, sess. 36. ita constituit, *Doctrinam illam differentem, gloriosam Virginem Dei genitricem MARIAM, præueniente, & operante diuini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiactisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque, & immaculatam, tamquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, rectæ rationi, & sacre Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus. & declaramus, nullique licitum esse in contrarium predicare, & docere. Renouantes præterea institutionem de celebranda sancta eius Conceptione, qua tam per Romanam, quam per alias Ecclesias sexto Idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur. Statuimus, & ordinamus eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesijs, Monasterijs, & Conuentibus Christiana Religionis, sub nomine Conceptionis festiuis laudibus colendam esse. Maius pondus habet hoc decretum, quam cætera eiusdem Concilij: nam specialiter hoc approbatum est à Concilio Auenionensi celebrato anno 1457. cui assistere duo Cardinales Legati Sedis Apostolicæ, nimirum Cardinalis de Fuxo, & Cardinalis Auenionensis, in quo Concilio ita statuitur: Præterea decretum in Concilio Basiliensi festum de Conceptione Beatissima Virginis MARIÆ statuimus inuolubiliter obseruari, districtè omnibus inhiabentes sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid contrarium predicare, vel publicè disputare præsumat, quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus ipso facto, & in prima Synodo per Diocesanos, per quemlibet celebranda, prædicta statuimus publicari, & Curatis Ecclesiarum iniungi, ut hæc populo manifestent. Quamuis enim hoc Auenionense statutum contestentur monumenta Minorum, vbi extat tractatus 1. part. 1. atque authenticum in processu iuridico attestetur Regestum Franciscanum, aliunde posset aliquis conijcere, pondus aliquod authoritatis præstitisse decreto Basiliensi de Conceptione Virginis, illud recitatum esse in Lectionibus Officiorum diuinorum in Breuarijs antiquis, etiam post Bullam retractationis Pij II. in qua Concilium Basiliense declarauit illegitimum; imò in proximis temporibus Pij V. vidi enim aliqua Breuiaria excussa ante Pontificatum Pij V. quindecim tantum annis, in quibus in Officio Conceptionis feria 2. legitur, decretum Basiliense de Conceptione, tanquam fragmentum istud illius Concilij, adeptum maiorem authoritatem, quam alia eiusdem Concilij decreta, & partes, alioqui in Ecclesiasticis Officijs non infereretur quod ab Ecclesia fuisset prorsus repudiatum. Ex suppositione autem prædictæ approbationis, pronum esto dicere, commendationem Concilij Basiliensis, quæ in Lectionibus sui decreti inuenitur in nonnullis Officijs Ecclesiasticis antiquis, restringen-*

dam omnino esse ad illud dumtaxat fragmentum.

Hoc factum indicat Gabriel in sent. dist. 3. quæstion. 1. ex Concordatis Principum propterea ille loquitur, qui quoad hanc partem admiserunt prædictum Concilium non reprobante Pontifice. De huius etiam authoritate Concilij Basiliensis circa hanc materiam hæc dixit Ambrosius Catherinus ad Concilium Tridentinum in tractatu pro Immaculatâ Conceptione 1. part. quem ad ipsum Concilium tunc congregatum dedicauit. Non est existimandum nisi ab eis qui præuè affecti fuerint eos talis sint Concilij, siue Congregationis viros (fuit enim Concilium legitimum ab initio) qui cum magna discussione, maturaque tractatu rem tanti momenti definierunt, eos usque mente excecatos, ut non viderint contra fidei fundamenta se definire, aut si viderint, voluisse nihilominus fidem euertere: Denique illud item animaduertendum: etsi non fuerit eo tempore authoritas Synodi, erat tamen authoritas virorum Doctorem ac sapientum. Nec parui est momenti Concilium illud (quod ad hanc determinationem attinet) à nonnullis Nationibus esse receptum; quodque magnopere est considerandum non reclamante summo Pontifice, & sede Apostolicâ minimè reprobante. Idem Catherinus in opusculo altero de Conceptione lib. 1. locutus de Caietano ait: Admiratus sum valde altitudinem cordis viri huius, & censuram tantam: sed neque hic finis. Nam & Basiliense Concilium, quod idem quoque determinari Synagogam Satanae vocat. Cum tamen Concilium illud multa Catholica Ecclesie ipsâ etiam Romana tacente, & consentiente, hæc saltem parte suscipiant, & venerentur, & hic vnus homo tantum verbum contra pronunciare tam audacter non dubitat; quod nunquam Romani Pontifices ausi sunt, ad quos tamen eam vocem emittere, si conuenisset, potius pertinebat. Quin ipsemet Eugenius IV. aduersus quem nonnulla, in eo Concilio tractata & acta sunt, illud Concilium se venerabiliter suscipere, & eius acta professus est. Similiter & Nicolaus V. propriis decretis, & confirmatione eius Concilij acta comprobauit, quanquam non omnia, id est ea, quæ contra Romanum Pontificem gesta sunt, quibus ipsi sunt aduersati. Reprehendit his verbis Catherinus Caietanum, quod illud conuictum vibrarit in Patres Concilij Basiliensis quatenus Decretum illud de Immaculata Conceptione fecerint: verum tamen quatenus non obedierint Pontifici Romano rectè dici posset pro tunc temporis Synagoga Satanae.

Referam tamen quod post allegatum decretum Concilij Basiliensis annotauit Canisius dicens: Quæ verba nimirum Concilij Basiliensis tanto plus ponderis apud sapientes debent habere, quo constat certius à plurimis & electissimis variarum nationum Episcopis, & Theologis ea esse profecta, qui post graues, ac diurnas conflictationes in vnâ hanc sententiam tandem conuenerunt, ut Mariæ Conceptione ab omni peccati contagione, imò & suspitione prorsus aliena cenleatur adeoque solennis & festi diei annuâ celebratione in Ecclesia cohonestatur, sicut passim multis abhinc annis cernimus obseruari atque hæc

hæc de illibatâ Conceptione doctrina tanquam pia, fideique Catholica, & rectæ rationi, sed & sacræ Scripturæ consentanea, nec minus cultui Ecclesiastico consona, & proinde omnibus amplectenda, hic clarissime definitur atque declaratur, scimus interim auctoritatem huic Concilio maiorem posse constare si Romanæ Ecclesiæ calculam meruisset, quoniam ut Gratianus ex antiquis canonibus probat quæ Concilia Episcoporum à sede Apostolica non approbantur ad definiendum, & constituendum inualida reputantur, at vicissim intelligimus synodum hanc Basiliensem à multis prouincijs receptam, & à sede Apostolica non omnino reiectam esse. Imo quod ad prædictum Decretum attinet re ipsa testatur & fidem, & celebritatem de hac ipsa Conceptione non modo nostra, sed etiam maiorum ætate, cum in aliis Ecclesijs, tum in Romana ritu publico comprobarit, deinde nullum præclari nominis vel Episcopum, vel Theologum hac de re scribentem videas qui eidem Decreto, & festi huius celebrationi se palam opponat. Certe Pontifices maximi, qui nostrâ & maiorum ætate Romanam & catholicam Ecclesiam administrarunt, Sixti Quarti Pont. Constitutionem mordicus retinuerunt, propositis indulgentiis corroborarunt, & anniuersaria festi diei celebratione cohonestarunt. Hactenus Canisius.

Nec desinam aduertere quoad res Concilij Basiliensis & eius auctoritatem, distinguenda esse tempora. Inchoatum est Basiliense Concilium mense Iulio anni 1431. hic per annos ferme octodecim durauit. Ipso principio quin fuerit legitimum nemo dubitat. Incederunt paulopost simultatum semina in Eugenium Pontificem, per quarum tamen vices, atque æstus varios Concilio sua fama, suaque auctoritas constitit per annos plures: ipso Eugenio post quædam acta contraria plenam proficiente consensionem cum Patribus Basiliensibus per annos 1433. 34. 35. 36. donec recrudescentibus odiis anno demum 1437. in apertum diffidium res erupit. Iam vero si recte attendimus quæ rem propriè attingunt, sic reperiemus pleamque negotij partem ad ea tempora pertinere, quibus in fide atque obedientia Eugenij perseverans Synodus nullam status sui controuersiam patitur. Primis quippe iam tum annis ritè indicto, ritèque celebrato Concilio proposita legitime, moreque bono est causa, dum Ecclesiam in partes scindens (quod Ecclesiasticæ in primis Prouidentia, ac Synodici fuit officij) Quæstionis de Immaculatâ Conceptione Virginis, deque eâ congressus hominum Doctorum, ac concertationes celebratæ, si qua ex illis conflictibus emicaret scintilla veritatis, atque huius rei non alius locupletior est testis quam Ioannes de Turrecremata Cardinalis Sancti Sixti, qui, quotempore Eugenij Pontificis legati nondum recesserant quando legitimam adhuc Synodum fuisse certum est, significat magnopere feruisse certamen de Quæstione istâ iam tum celebri. Quod quidem manifestò comprobatur ex eo quod in actis eiusdem Concilij Nauarricis quæ recitat Spondanus ad annum 1435. num. 12. *exstat mandatum Concilij Basiliensis, decimo Kal. Iunii anni modo dicti, Ludouico Cardinali Arelatensi coram impostum: quod post narratas disputationes, quæ factæ fuissent apud Delegates* Ioann. Euseb. Op. Parth.

Concilij pro rebus fidei tractandis (Verba sunt Spondani) de Conceptione Beatissima Virginis Virum eius anima in instanti sue infusionis in corpore preseruata fuerit à peccato originali an non. Iniunxit ut diligenter procuraret per omnes Bibliothecas, ac singula Archina Vniuersitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Regumque, ac Principium perquiri quoscumque libros, scripta, acta, deliberationes, decisiones, Conclusiones publicas, vel priuatas qualeslibet in generalibus studiis, & alibi de hac materiâ factas, aut quæ ad eam quomodolibet spectarent, easque extrahi, & ad synodum deferri, ut iis adiuta posset illa quæstionem hanc decidere ac definire. Hæc ibi: quæ diligenter executioni mandata dubium non est ab Arelatensi, eo maximè biennio quo post hæc Synodus in obedientiâ mansit Eugenij. Itaque licet definitioni post quadriennium latæ, desit pro eo tempore, quo est edita, legitima iusti Concilij potestas; tamen ut olim Romæ cum aliquâ intercessione obstante quo minus senatus consultum ritè perferretur, excepta Patrum sententiâ, pondus tamen maximum apud sapientes obtinebat Auctoritatis, ut loquebantur *per scripta*: sic profectò apud æquos omnes hæc Conuentus numerosè, & initio ac longo exinde tempore legitime congregati conspiratio auctoritatis inter humanas, vel maximè habere instar suo iure postulat. Nihil enim hic temere, nihil cupide consulitur: cuncta ritè, maturè, ordine tractantur. Atqui ut notat Petrus Possinus, quemadmodum Nicolaus V. successor Eugenij quædam per illum furorem discordiæ Basileæ acta comprobauit tamen, rataque iussit esse auctoritatis defectum de suo supplens: ita visus est Deus ipse hoc decretum de Immaculatâ Conceptione à schismaticarum actionum turbâ exemptum sigillo velut suo consignasse, beneficio nempe suo præsentissimo, ac miraculo manifesto. siquidem, cum lues sæuissima ingentes dudum strages Basileæ ederet, ex eo die, (verba sunt Ecclesiasticorum Annalium) tota ciuitate experimento palpabili remissa est. Quinimo penitus cessauit.

Modo autem non est opus plura examinare, satis enim est magnam auctoritatem videri accessisse Basileensi statuto ex Concilio Auionensi, vbi adfuere duo legati Apostolicæ sedis; nisi quis dixerit approbatum decretum Concilij Basiliensis, præter definitionem, statutum, & ordinationem generalem, non solum facto ipso Sixti IV. sed per eius Extrauagantem *Præcellsa*, qui instituit festiuitatem Conceptionis, indulgentijs concessis, sicut fecerat Basiliense Concilium.

His suppositis, multifariam ex decreto Concilij Basiliensis comprobabo, obiectum festiui Dei genitricis conceptus esse ipsam Conceptionem immaculatam, liberamque à communi humanæ naturæ contagio. Primò, quia Concilium dicit instituire celebrationem *de sancta Virginis Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias sexto Idus Decembris antiqua, & laudabili consuetudine celebratur.* Cùm igitur festiuitatem Conceptionis, quæ antea consuetudine fidelium introducta fuerat, indubitatum fuit habuisse obiectum immunitatem Marianæ Conceptionis à generali Adami plaga, prout nuper notauimus, eamque ipsam festiuitatem consuetudine introductam instituerit Conciliū, planè est eius obiectum

respexisse. Confirmatur hoc ex verbo *Renouantes*, cum ait: *Renouantes institutionem de sancta eius Conceptione*: qui enim renouat quod antiquum erat, reficit; cumque antiqua solemnitas prædicta habuisset obiectum, idem quoque perseverat in renouatione facta per decretum Patrum Basiliensium. Secundò, id ipsum fulcio ex ijs verbis decreti, quibus sententiam negatiuam, *piam*, & *consonam cultui Ecclesiastico*, declarauit. Quid est dicere, consonam cultui Ecclesiastico, nisi dignam dicere sacri cultus, & idoneum obiectum festi Ecclesiastici? Cum igitur immunem Virginis Conceptionem à peccato originali declarauerit Concilium, dignum obiectum festiuitatis Ecclesiasticæ, & statim instituit festiuitatem de eadem Conceptione, euidenter est, illam esse obiectum instituti à se festi. Sed vt clarius hoc constet, videamus quid dixit Concilium consonum cultui Ecclesiastico, quidque destinauerit obiectum suæ celebritatis, nimirum *Gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiactis originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque, & immaculatam*. Hæc verba Concilij. Quomodo clarius suam mentem explicare posset, & nostram thesism confirmare? Tertium argumentum inde capio, vbi vocauit Concilium sanctam Conceptionem dicens: *Renouantes Constitutiones de celebranda sancta eius Conceptione*. Cum igitur iudicaret, sanctitatem fuisse in Conceptione, & de ea festum instituerit, apertum est ipsam sanctitatem Conceptionis pro obiecto huius festi sibi proposuisse. Cumque declarauerit quod genus sanctitatis istud fuisset, nimirum Dei genitricem, *nunquam actualiter subiactis originali peccato, semperque sanctam, & immaculatam*: patenter excludit aduersariorum explicationes de sanctitate futura, aut sanctificatione sola. Quarto loco stabilio hoc festiuitatis obiectum ex illis verbis: *Ordinamus, eandem celebritatem, &c. Sub nomine Conceptionis colendam esse*. Cum igitur dixisset antea, *Conceptionem sanctam*, & nunc præcipiat eius festum *sub nomine Conceptionis coli*, planè obiectum eius designat ipsam conceptionem sanctam, excludens pariter alia obiecta ab alijs excogitata, nolens coli hanc celebritatem sub nomine sanctificationis, aut aliorum, quibus aduersarij explicant sua aliena obiecta. Quintum indicium accedat, dixisse Concilium, laudabilem consuetudinem fidelium in celebranda Conceptione, cumque fideles celebrantes habuissent obiectum sui cultus, ipsam Conceptionem Virginis sanctam, sine peccato originis, laudans eam consuetudinem Concilium, imitari fatetur. Sextum argumentum sumo ex his, quæ antea præmiserat Concilium de controuersia hac, coram se disceptata, & à se expenta: *Hactenus difficilis questio in diuersis partibus, & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriose Virginis Mariae Matris, & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus, ipsam Virginem, & eius animam per aliquod tempus, aut instans temporis subiactis actualiter originali culpa: alijs autem è conuerso dicentibus, à principio creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Pa-*

tris, vt esset Mater eius in terris. Nos verò diligenter inspectis autoritatibus, & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte virinsque doctrina, coram hac sancta Synodo allegata sunt, alijsque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem, &c. Cum igitur adeò integram totius controuersie notitiam Concilium fateatur habuisse, nemo ambigere potest, propositas illi ab aduersarijs explicationes suas de obiecto festiuitatis Conceptionis, allegatis autoritatibus S. Thomæ, & S. Bonauenturæ, nihilominus tamen Concilium eas non admisit; sed multipliciter ostendit, obiectum suæ festiuitatis immaculatam Conceptionem esse, absque peccato originali, actualiter contracto: quapropter ex omnibus dictis euidenter videtur colligi, explosa à Basiliensibus Patribus obiecta excogitata affirmatiuè sentientium, & designatum verum obiectum, quod naturale est significationi nominis Conceptionis, & commune est sensui fidelium, qui hanc celebrant solemnitatem.

Mirum est, cum contrarij festum Conceptionis non celebrassent, voluissent signare obiectum festiuitati à se repullæ, & interpretari alienas fidelium mentes, qui deuotissime hanc festiuitatem introduxere. Nemo fuit olim, qui coluisset Conceptionem, qui dixerit, obiectum sui cultus aliud esse, quàm Conceptam Virginem sine peccato originis. Et è contra quotquot dixerunt, obiectum eius festiuitatis aliud esse, nunquam ipsum festum olim celebrarunt. Idcirco utebantur in sacris, & diuinis Officijs nomine sanctificationis, deuitantes vocem Conceptionis; nimirum: quia non celebrabant Conceptionis festum. Cur igitur in alienam messem falcem mittunt? Et quibus magis credendum est Autoribus, & cultoribus festiuitatis Conceptionis, an impugnantibus illius? Quis garruiuit, aduersarijs obiectum Conceptionis esse aliquod ex his, quæ machinati sunt, an fideles, qui pietissime colunt hanc festiuitatem, & indies promouere, minimè contrarium prorsus clamant: an summi Pontifices qui eam solemnitatem libenter olim permisere, deinde coluere, mox instituerunt, tandem præceperunt. Nequaquam cum priores deuotioni communi se associauerunt, posteriores in Officijs à se ordinatis palam explicauerunt, vt postea videbimus. Vnde igitur contrarij, pro libito suo designant obiectum festiuitatis ab Ecclesia instituti, & præcepti, cum Ecclesia non id dixerit, sed contrarium potius; Ecclesia enim ex capite, & corpore constat, ex Pontifice, & fidelium cœtu, à neutro illis enuntiatum est. Diuinant igitur.

Vltimo loco ad constabilienda dicta, considerare lubet, quomodo commendat Concilium antiquam celebrandæ Conceptionis consuetudinem, tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias, vbi respicit propagationem antiquam huius festiuitatis ex Anglia deducti, & accepti per Ecclesias Galliarum, & alias plurimas, vt notauimus supra; eodem sui obiecti sensu ac S. Anselmus prædicat: quod confirmat idem obiectum habuisse Concilium in eiusdem festiuitatis celebratione.

Illud singillatim inspiciendum est, à quo tempore cœpit per Romanam Ecclesiam celebrari. Referunt aliqui ad annum 1322. quo anno Ioannes XXII. huius festiuitatis sacris interfuit Auenione, prout testatur Iacobus de Valentia Episcopus Christopholanus, expositione in Magnificat, vers.

3. Cui consentiunt Catharinus lib. 2. de Conceptione, perusal. 19. Verum maiorem antiquitatem indicat Bachonus in 4. distinct. 2. quaest. 4. artic. 3. qui floruit anno 1340. is testatur hoc festum Conceptionis fuisse celebratum Romae in Domo Carmelitarum cum Cardinalium interuentu, Missa solemnī, & sermone de eodem festo, singulis annis, tanquam de re annorum multorum ante se, scribit oculatus testis. Accedit quod anno 1306 in Capitulo generali in Gallia celebrato, factum est statutum pro celebranda Virginis Marię immaculata Conceptione. Ita refert Paleonidorus lib. 3. Antiqu. Mont. Carn. c. 10. eodē tempore floruit Cardinalis S. Sabinae, Thomas Anglicus Dominicanus, qui puritatem Conceptionis Marianę defendit, & eius festiuitatem, non solū vocalibus disputationibus, sed peculiari tractatu de hoc mysterio, edito, inter alia ipsius opuscula, Venetijs anno 1523. vt testatur Antonius Senensis in Biblioth. Dominic. fol. 243. Et quidem verissimile videtur inauguratam Romae ex Pontifice Anglo, circa annum 1155. cum sedit in Apostolica Cathedra Adrianus IV. natione Anglus, qui patria deuotione huic mysterio addictissimus fuit, vt de eo scripsisset librum, de quo sic scribit Possēuinus in Apparatu sacro: *Scriptis ante Pontificatum de Conceptione B. Virginis Marię ad Petrum Pontiniacum, libr. 1. Nec desūt, qui dicant, ipsum Pontificem celebrauissē Conceptionem, id certum, laudatum esse hunc Pontificem ab scriptoribus, qui iustus fuit, pius, ac deuotus, vt fas sit credere, deuotionem huius mysterij influxissē in aliquas ditionis Romanę Ecclesias. Et Capuę quidem videtur sensissē illius affectum, quippe in Calendario anni 1300. vbi festa illius Ecclesię designantur, sic describitur die octaua Decembris, *Conceptio sancta Dei genitricis, & Virginis Marię, ix. Lect.* de quo videri potest Michael Monachus in Sanctuar. Capuan. Kal. 3. fol. 412. Tum etiam anno 1290. florebat Iacobus de Voragine Ordinis Prędicatorum, & Episcopus Genuensis, qui in Liguria celebrauit festum Conceptionis, idque constituit 8. die Decembris, in sua legenda aurea, siue specula sanctorum cap. 185. Iudico igitur festum Conceptionis in Romanis Ecclesijs, aut continuum descendissē ex Adriano IV. aut contiguum transcendissē ex Gallia, quę etiam illud accepit ex Anglia, eodem festiuitatis sensu, quo fuit Cantuarię initiatum, & in exteris nationes productum. Quamuis enim ante S. Anselmum, celebratam lego Conceptionem in Italia per S. Decorofum, & Fridericum Aquileiensem, nihilominus per propagationem Anselmianam, fidelium deuotio circa hoc mysterium renouata, aut geminata fuit.*

Illud tandem aduertendum, vt concilietur Ægidius Romanus, & Turrecremata cum Concilio, ne illos falsitatis criminemur, tempore Concilij nondum Ecclesiam Romanam inseruissē suo Missali, & Breuiario Officium Conceptionis, ideo verum esse non celebrari ab Ecclesia Romana; indulsissē tamen, vt qui vellent, pro libito recitarent, idque frequenter factum etiam Romę, annuente Pontifice: quod etiam testatur Ioannes Bachon, atque hoc esse quod ait Concilium *per Romanam Ecclesiam*, antiqua consuetudine celebrari, non enim dixit *à Romana Ecclesia*.



CAPVT XI.

*De Sixto IV. idem approbante,
& mirificè huic mysterio fauente in suis Extrauagantibus.*



Ropero ad peremptoria, capeffiturus arma ex Sixti IV. Extrauagantibus, qui anno 1476. volens promouere in vniuersum orbem terrarum festum Conceptionis, quod per Ecclesiam Romanam, & omnes Prouincias Europę acceptum viderat, speciali ad id Officio ordinato, & in Romanis Missalibus reponendo; in quo palam dicitur celebrari immaculata Virginis Conceptio, & præseruatio eius, post varias huius controuersię disputationes, vtraque parte audita, sic in prima sua Extrauagante *de Reliquijs, & ueneratione sanctorum*, posita inter communes Iuris canonici, quę incipit: *Cum præ excelsa*, edixit: *Hac igitur consideratione inducti, eiusdem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam, & Officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosę, iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis, Notarij nostri, & qua desuper à Nobis emanauit, Missa, & Officij huiusmodi institutionem, in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Marię, & per octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illis horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, quàm iuxta felicitis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbata, ac Marixi V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequantur illi, qui Missam, & horas Canonicas in festo corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu-Christi, à primis Vesperis, & per illius octauas iuxta Romanę Ecclesię constitutionem celebrant, dicunt, aut Missę Officio, & Horis huiusmodi intersunt, presentibus perpetuis temporibus valituris. Dat. Romę apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicę 1476. 3. Kalen. Martij, Pontificatus nostri anno sexto.*

Ex hac constitutione manifestè colligitur, obiectum festiue Conceptionis esse id quod asserimus, & in Ecclesijs olim acceptum erat, vt iam demonstrauimus, Hoc supponit Sixtus, cum dixit paulò antè se inuitare fideles, vt de Virginis Conceptione *instituta in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina Officia dicant*. Ergo admittit, & acceptat institutionem antiquam, ex consensu fidelium de celebranda Conceptione, quam ampliare conatur, non minuere. Itaque Ecclesia Rom. celebrat illud omnino festū quod ante Sixtum IV. celebrabant pleręque Ecclesię, & ex ipsarum Breuiarijs manifestissimum est, celebrasse Conceptionem sanctam, & immaculatā. Cumque Sixtus dixerit inuitare ad colenda instituta iam de Conceptione

Ioann Tamaius in Chrō. Concep. ann. 1155. vide Marrac. in Pontificib. Marianis.

Officia, & nouum ordinauerit Officium festiuitatis, planè supponit idem conseruasse obiectum sub alio Officio, & festiuitatem eandem esse, sed officium aliud, festiuitatem antiquam quamuis Officium nouum. Votum Sixti IV. fuit promouere deuotionem fidelium erga Deiparam, per cultum suæ Conceptionis, prout constat ex initio eiusdem Extrauagantis, vbi dixerat: *Dignum debitum reputamus, vniuersos Christi fideles, vt omnipotenti Deo, &c. de ipsius immaculata Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia, Missas, & alia diuina Officia dicant, & illis intersint, indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitare, vt exinde fiant eiusdem Virginis meritis, & intercessione diuina gratia aptiores.* Cum igitur fideles in ea deuotione fuissent, vt in cultu Conceptionis celebrarent immunitatè Virginis à communi naturæ labe, perperam promoturus eorum deuotionem, tam gloriosum Dei genitrici obiectum mutaret: nam quodcumque aliud designant aduersarij, multò minùs honorificum est Virgini. Sixtus autem noluit minuere gloriam immaculatæ Virginis, nec attenuare pium fidelium in hac celebritate obiectum, sed potiùs promouere gloriam Dei genitricis, & ampliare suæ immaculatæ Conceptionis solemnitatem: idèò ordinauit, & introduxit Officium eius, in quo multoties declaratur præseruata ab originali culpa.

Præterea falleret Sixtus IV. fideles, si existimantibus illis per celebritatè Conceptionis Deum honorare, & gratias agere de Conceptione immaculatæ Virginis, absque peccato originali, supposuisset aliud festum, pro quo non redderentur Deo gratiæ. Nec tantum dixit Sixtus, vt fideles de Conceptione Virginis referant Deo gratias, sed & laudes: non ergo potuit instituere festum, in quo esset minor materia referendarum laudum, inuitaturus, & suaturus ad illas. Tum etiam, cum dixisset Pontifex, non solum de *immaculata Virginis Conceptione*, sed addiderit epitheton *mira*, quo verbo voluit augere, aut declarare materiam laudum, apertè ostendit loqui de Conceptione immaculata, quæ admirabilis est, non de communi filijs Adami, quæ nequaquam mira est, sed potius misera. Quod si dixeris *miram* fuisse Conceptionem naturalem Virginis, quia miraculosa ex parentibus inæcundis, & senibus, magis proinde deciperentur fideles, existimantes id dictum à Pontifice de ea gratia facta Virgini, quam ipsi admirantur, nimirum immunitatem à peccato, quæ prorsus admirabilis est, & supernaturalis omnino: Pontifex verò loquatur de minori gratia, & quoad substantiam naturali, nec valde mira, cum eadem sit concessa Samueli, Isaac, Baptistæ, & alijs pluribus fuerit communis. Fraus prorsus esset loquutum fuisse Pontificem in vno sensu, & voluisse in alio intelligi; verùm Sixtus sincerè dixit miram Conceptionem, quia immaculata est, idcirco quam hic vocauit miram, in sequenti Extrauagante, *græue nimis*, dixit *immaculatam*, quod dixit ex propria sententia. Sin minus supponens à se probari Officium eiusmodi insigniri *immaculata Conceptionis*. Ij enim, quorum rationes referebat Sixtus, erant aduersarij, qui nequaquam Cõceptionem dicebant *immaculatam*, cum igitur in eorum causa referenda, id verbum intruferit Pontifex, suum sensum declarauit, vel declaratum supposuit ex communi titulo Officij, defensi ab ipso Pontifice. Ad hæc tantus indulgentiarum

apparatus, quò spectabat, an vt pater fidelium suos filios deciperet, & illuderet, vt nullas lucrarentur indulgentias, ex oppositione intentionis concedentis illas, & lucraturorum, cum fideles colerent Conceptionem immaculatam Virginis, & Põtifex nõ cõcesisset eas pro cultu eius obiecti, sed Conceptionis communis, quamuis maculatæ, aut alterius obiecti, alieni à fidelium mente. Hoc indignum est simplicitate Christiana, quanto magis salutari Vicarij Christi cura, & Apostolica veritate, quæ debuit splendere in columna eius. Idem cõfirmatur ex circumstantijs huius cõstitutionis, quæ edita fuit à Pontifice Franciscanæ Familiæ, & eximio cultore immaculatæ Conceptionis, & post disceptatam hanc quæstionem à doctissimis vtriusque partis Theologis, causaque prudentissimè inspecta, adharente ipso sententiæ negatiuæ cupido promouendi illam.

Deinde ex huius Officij approbatione, euidentis est obiectum eius esse præseruationem: nam Ecclesia Romana celebrat festum Conceptionis in eo sensu, quem præsert Officium ab eadem Ecclesia ordinatū, & suo Missali, & Breuiario insertū, sed in hoc Officio apertissimè iterū, atque iterū, & sæpius appellatur Conceptio immaculata, & præseruata à peccato originali: ergo hæc colit Ecclesia Romana. Hoc argumentū idem est, ac quod magni Theologi sic premunt, vt ex Officio Sixtiano, siue Nogarolico, non solum euincant obiectum huius festi esse præseruationem; sed & ipsam veritatem negatiuæ sententiæ. Quanta Ecclesiastici Officij ab Ecclesia approbati sit autoritas, maximè si Lectiones, vt vocant, demas, nullus doctus potest dubitare. Verùm de hoc specialius certum est, cum in eius approbatione summus Pontifex, eisdem verbis vtatur, quibus in canonizatione sanctorum vti consuevit: *Omnipotentis Dei, inquit, ac Beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli auctoritate, &c.* Et infra: *Auctoritate Apostolica statuimus, &c.* vt non temere tunc potuere iudicare antiqui Virgineam Conceptionem per hanc Bullam penè sanctorum Canoni ab eo fuisse adscriptam, adeoque approbatam omnino sanctam.

In eodem Officio verbis sacre Scripturæ, quæ in huius fauorem mysterij adducuntur, verba alia interferuntur, quæ puram Conceptionem expresse tradunt. Sic enim dicitur in quadam eius Antiphona: *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te.* Vbi verba *Maria, & originalis*, interposita verbis sacre Paginæ, illa omnino declarant, & determinant. Porro hæc interpositio, quam vim habeat, docet Bernardus, seu quisquis Author est sermonis 3. de Natiuitate Virginis. *Quoties, inquit, Ecclesia in Scripturis sanctis verba alterat, aut alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum.* Fortior inquam, non quasi alternationi, quia additæ ab Ecclesia, maior fides debeat, quam Scripturis, sed quia declarat, quod in illis est obscurum; atque ita declarat, ac si Spiritus sanctus locutus esset. Quod maximè in præsentem locum habet, cum hoc officium, præter auctoritatem Sixti IV. qui illud approbauit, habeat & pondus Concilij Tridentini, quod eiusdem Sixti innouauit constitutionem.

Tum etiam in eodem Officio, & oratione, quæ tam in eo, quam in Missa dicenda ponitur, non solum præseruatio Mariæ palam asseritur, sed etiam adstruitur exemplar iustitiæ nostræ. *Vt sicut, inquit, ex morte Filij tui præmissa, eam ab omni labe*

Vide Franc.
Suar tom 1.
de Religion.
tract. 4. c. 2.

labe præseruasti, ita nos mundos ad te peruenire concedas. Quibus verbis, quod maximè ad rem facit, id vnum aduertendum esse putamus: Sacerdotem in Missæ sacrificio sicut non suo tantum nomine offert, sed Christi, atque Ecclesiæ, qui præcipui offerentes esse dicuntur: ita nec nomine tuo tantum orare, sed etiam præcipuorum offerentium. Quare nomine Ecclesiæ, & Christi petit, *ut sicut Virgo ab originali munda fuit, ita, & nos ab actualibus mundemur.* Quòd si Virgo contraxisset labem originis, talis petitio nobis, non in salutem, sed in condemnationem, quoties concederetur, cessura foret. Quis autem dicat Ecclesiæ, & Christi nomine, ipsa Ecclesia dictante, & approbante, talem Deo præsentari petitionem? Certè Ecclesiam non posse errare in dirigenda oratione ad verum Deum, per verum mediatorem, qui est Christus, neque in modo postulandi intercessionem sanctorum, communi Theologorum firmatur calculo, nemine refragante melioris notæ.

Nec refert, quod in aliquibus codicibus illa particula, *sicut*, non habeatur, sed simpliciter tantum positum sit: *Vt qui ex morte Filij tui præmissa, eam ab omni labe præseruasti, nos quoque mundos ad te peruenire concedas.* Non inquam hoc argumentum vim euacuat: tum quia illa eadem omninò phrasi Ecclesia protestari solet mysteria fidei, & ad instar illorum postulare. Vnde in die Ascensionis etiam orat: *Vt qui hodierna die unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus.* Quod ad instar illius omnes intelligunt. Tum quia, estò petitio diuersa foret, neque ad instar mysterij, sed absoluta, vt minus tamen, si res ita non esset, nec præseruata à culpa originali Virgo fuisset; mendacium Deo in Missæ sacrificio, nomine Christi, & Ecclesiæ proponeremus, idque approbante, & dictante ipsa Ecclesia: quod quis quæso fidelis dicere audeat?

Non item valet, quod alijs placuisse dicitur, præseruationem nequaquam affirmari, tanquam certam; quod (inquiunt) fieri omnino non posset sine mendacio; sed vt piè credibilem, & creditam ab his, qui ita orant: quod verum est, & verum sensum facit in eunctis clausulis, in quibus præseruata prædicatur, etiam si aliàs originalem labem contraxerit. Non inquam valet, si altius res pensetur. Etenim, licet pietas Christiana cum materiali mendacio, dum excludat formale, compatiatur; adeoque in singularibus personis deceptioni obnoxij, possit admitti: at in Ecclesia, quæ in his rebus decipi nequit, longè alia ratio est, quia non admittit materiale mendacium sine formali, quod pietatè Christianam prorsus excludit. Quare cum hæc proferatur Ecclesiæ nomine, necesse est, vt aut verificentur vtroque modo, materiali nimirum, & formali; aut pietatis Christianæ expertia sint, adeoque, nec admittant hanc euasione.

Sic eos viros, quos piè sanctos credimus, veneramur priuatim, singulique, sed non publico cultu, neque vt Ecclesia, & multò minus per Missæ sacrificium, quoad vsque, magno examine præmissa, solemniter adscribantur sanctorum Canonibus. Nempe, quia pietas vera, Religioque, qualis consuli potest, atque permitti, in singulis cum errore aliquo stat, vtpotè, qui prudenter decipi possunt: non in Ecclesia, quæ decipi non va-

let. Vnde etiam videas Apostoli doctrinam, penitentis ad orandum linguam, populo notam: *aliàs quomodo, inquit, idiota dicet, Amen, quoniam quid dicat, nescit?* A viris doctis de oratione priuata tantum exponi, non de publica, quàm potius à vernacula lingua Ecclesia relegat. Quia nimirum priuata errori subest, qui discerni indigeat à respondente, publica secus: in qua Christianis omninò certum est, nihil erroris posse contineri.

Nec minus opitulabitur instituto nostro altera Sixti Extrauagans, quæ in iure extat. Nam Ecclesia Romana colit in festo Conceptionis, quod Authores sententiæ negatiuæ defendunt in controuersia de Conceptione; sed hi defendunt Virginem sine peccato originali fuisse conceptam, vt est manifestum; ergo Ecclesia Romana colit Conceptionem à peccato originali liberam. Maior probatur ex verbis Sixti IV. in Extrauagante: *Graue nimis, vbi sic inquit: Cum sancta Romana Ecclesia de intemerata, semperque Virginis Maria Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinauerit; nonnulli, vt accepimus, diuersorum Ordinum Predicatores, in suis sermonibus ad populum publicè per diuersas Ciuitates, & terras affirmare hætenus non erubuerunt, & quotidie predicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut afferunt, eandem gloriosam, & immaculatam Dei genitricem absque originali peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos.* Pergit deinde, & hanc, & alias concionatorum assertiones damnat, vt falsas, erroneas, & à veritate penitus alienas. Ex his verbis luce clarius est, Ecclesiam Romanam in festo Conceptionis colere illud ipsum, quod defendunt, qui tenent Virginem aasque originalis peccati macula fuisse cõceptam, alioquin perperam Pontifex ex festo Romanæ Ecclesiæ argumentum sumeret, ad damnandos concionatores, qui hanc sententiam hæresis nota inurebant. Itaque concionatores illi qui hæreticos appellabant cultores festi Conceptionis, & quos propterea damnat Sixtus IV. ea nota inurebant cultores Conceptionis immaculatæ, vt euidentissimum est ex ipsa Sixti constitutione; horum autem audaciam idèò ægrè tulit Pontifex; quia hoc affirmabant, cum scirent ab Ecclesia Romana huiusmodi festum coli, vt patet ex illis verbis: *Sanè cum sancta Romana Ecclesia, &c.* ergo manifestissimum est, sanctam Romanam Ecclesiam de Conceptione immaculata festum celebrare; nam si alio sensu coleret, non erat cur Pontifex reddidurus rationem iustæ animaduersionis festum Romanæ Ecclesiæ ob oculos poneret. Denique, qui nomine sanctificationis in hoc festo utebantur, & cauebant à voce Conceptionis, idèò cauebant, quia sub hoc titulo Conceptionem immaculatam celebrari non dubitabant.

Ex alia Extrauagante eiusdem Sixti, id ipsum suffulcio, qui in ea damnauit tanquam falsam, & erroneam, ac à veritate alienam hanc propositionem, *Romana Ecclesia solam spirituales Conceptionem, seu sanctificationem Virginis Maria celebrat.* Ergo erroneum est asserere Ecclesiam nõ celebrare naturalem ipsam, & corporalem Conceptionem Virginis, Patet, tum quia perinde est solâ spirituales Conceptionem celebrare, & non celebrare naturalem. Tum etiam, quia si Ecclesia non solam spirituales Conceptionem colit, ergo aliam præter spirituales colit; ergo naturalem.

D Thom. 3.
p. q. 82. art.
7. & q. 83.
art. 1. ad 3.
& Scholast.
cum Magist.
in 4. dist. 13.

Vide Franc.
Suar. vbi su-
pra.


1. ad Corin.
14.

Cornel. à la-
pide, ver. 16.

Sixtus IV.

Quæ enim alia est Conceptio ab spirituali diuerſa, niſi naturalis, & corporalis? Ergo ſi erroneum eſt aſſerere Eccleſiam Romanam ſolam ſpiritualem Virginis Conceptionem celebrare, erroneum etiam eſt aſſerere non celebrare naturalem. Antecedens verò conſtat ex motu proprio Sixti IV. qui incipit: *Graue nimis*, non illo quidem eiufdem initij, qui inter Extrauagantes in iure canonico numeratur; ſed alio longe diuerſo, & priùs edito, qui extat in monumētis Ordinis Minorum, & in Firmamento trium Ordinum, & in Bullario Emanuelis Rodriguez, & alibi. In hoc ergo diplomate ita loquitur Sixtus: *Sanè ſicut accepimus, nonnulli diuerſorum Ordinum profeſſores ad prædicandum verbum Dei in diuerſis Ciuitatibus & locis in partibus Lombardia deputati, & non ignari, quod ſancta Romana Eccleſia de intemperate ſemperque Virginis glorioſæ Mariæ Conceptione feſtum celebrat, & ſpeciale, ac proprium Officium ordinauit, in eorum prædicationibus ad populum publice affirmare hætenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſſant aſtante populi multitudine, omnes illos, qui tenent, & affirmant eandem glorioſam, & immaculatam Dei genitricem Virginem Mariam abſque peccati originalis macula fuiſſe conceptam, hæreticos eſſe, & ipſam Romanam Eccleſiam ſolam ſpiritualem Conceptionem, ſeu ſanctificationem eiufdem Virginis Mariæ celebrare, &c. Nos igitur huiusmodi temerarijs auſibus, & peruerſis à veritate penitus alienis aſſertionibus, &c. obuiare volentes, &c. huiusmodi aſſertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent eandem ſanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali dumtaxat Conceptione, & ſanctificatione eiufdem Virginis glorioſæ feſtum celebrare, & eos qui crederent, & tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, utpotè falſas, & erroneas, ac à veritate alienas, editosque de ſuper libros prædictos id continentes auctoritate Apoſtolica præſentium tenore reprobamus, & damnamus, &c.*

Quibus verbis non ſolum damnat Pontifex tanquam erroneum, quod Eccleſia Romana de ſpirituali dumtaxat Conceptione, & ſanctificatione feſtum celebret, ſed etiam rationem reddit, cur id aſſerentes arguat erroris; nempe quia id aſſerunt non ignari, quod ſancta Romana Eccleſia de intemperate, ſemperque Virginis glorioſæ Mariæ Conceptione feſtū celebrat, & ſpeciale ac propriū Officium ordinauit, ſatis innuens ex ipſa ſanctiſſimæ Inſtitutione, & Officio manifeſtum eſſe Eccleſiam colere Conceptionem naturalem; id enim propriè ſignificat vox *Conceptio*, atque aded errare eos, qui rem tam apertam negant, & de ſola ſanctificatione feſtum interpretantur. Hanc Extrauagantem reſpexit, & non leuiter confirmat Gregorius XV. in ſuo decreto, dum iubet non alio nomine uti in Officio Eccleſiaſtico, quam Conceptionis, de quo poſtea.



CAPVT XII.


De Innocentio VIII.



Equus Sixtum Innocentius VIII. nouis demonſtrationibus exhibuit immunitatem Virgineam in immaculata Conceptione obiectum ſacri cultus; nam præterquam quod Sixti IV. prædeceſſoris ſui Extrauagantes pro immaculata Virginis Conceptione confirmare ſerunt, prout teſtantur Antonius de Trejo in orat. 8. ad Paulum V. & Hippolytus Marracius in Marian. Pontif. cap. 77. inſtituit ſub inuocatione Conceptionis Religionem Sanctimonialium, iſſque quotidianam, exceptis quibusdam diebus ſolemnioribus, præſcripſit Officium Conceptionis, in quo immaculata recitatur, confirmans ſacra hac lege repetendi aſſiduè encomia puriſſimæ Conceptionis, ipſam eſſe religioſæ uenerationis, & ſacri cultus digniſſimum obiectum. Præterea ipſa religioſæ familiæ inſtitutio ſub inuocatione Conceptionis, eſt aliud genus ſacri cultus. Hic modus loquendi *ſub inuocatione* pertinet ad res ſacras, cum res non ſacræ ſolum dicantur nominari. Tum ſi aliquas clauſulas Bullæ eiufdem Innocentij, quæ incipit: *Inter munerata*, datæ anno 1489. ad confirmandam Conceptionis religionem conſideremus, illuſtria de legitimo feſtiuæ Conceptionis obiecto reperiemus argumenta. Eximie ibi collaudat Reginam Catholicam, uxorem Ferdinandi Regis Catholici, ob cultum Conceptionis Virgineæ, dicens: *Filia Eliſabeth Caſtella, ac Legionis Regna, illuſtris ob ſingularem, quem ad Conceptionem Beatæ MARIÆ Virginis gerit deuotionis affectum.* Hoc dixit Innocentius propter inſtitutionem Religionis ſub inuocatione Conceptionis, quam deuotè deſiderabat Regina, & operam ſuam poſuiſſet ad illam opere exequendam. Etenim venerabilis D. Beatrix de Sylua, earum Monialium fundatrix, è domeſticis fuit eiufdem Regine, cui dedit maximum prætorium, & Eccleſiam: *Vt inibi vnum Monasterium alicuius Ordinis approbati, ad honorem eiufdem Conceptionis erigeretur.* Hæc verba Pontificis explicant deuotionem pientiſſimæ Regine, ob quam cum alias innumeras dotes, & illuſtres virtutes haberet, à Pontifice non ob illas, ſed propter affectum erga Conceptionem *illuſtris* nuncupatur, atque hunc affectum non fuiſſe erga Conceptionem utcumque, ſed immaculatam, oſtendit ipſa deuotio Monialium, quæ vna erat cum deuotione Regine: & tandem ipſa regula Monialium à Iulio II. conſtituta, aut approbata, palam oſtendit coli à Monialibus immaculatam Conceptionem. Ibidem ait Monasterium Monialium diſti Ordinis eſſe *ſub inuocatione Conceptionis*. Poſtea magnoperè laudat Pōtifex tum Reginam, tum venerabilem Beatricem, ob hunc affectum, & Conceptionis ſtudium dicens: *Pium, & laudabile propoſitum Regine, & Beatricis prædictarum plurimum in Domino commendantes.* Satis ex his conſtat, Innocentium VIII. fauiſſe, & ſquiſſe hoc ſacri cultus obiectum. Bulla hæc archetypa ſeruetur omni ueneratione in ipſo Monialium cœnobio,

Anton de Trejo in oratione 8. ad Paul. V. præ Concept.

bio, virtute eius erecto, tum ob foundationis memoriam, tum ob miraculum. Accidit enim nauim, qua hæc literæ Apostolica deferebantur, in maris profundum, vi tempestatis, cum rebus omnibus, quæ in ea erant, ipsisque aded Apostolicis literis demergi: & post duos menses eadem literas integras, & illæfas ab illustri, & venerabili D.D. Beatrice de Sylua Toleti reperiri. Hanc historiam præter traditionem vniuersi Ordinis, contestantur Franciscus Biuarius Cisterciens. histor. Concept. part. 1. §. 4. à fol. 6. ad 15. P.Torres cap. 14. fol. 62. Christophor. Meren. cap. 7. fol. 401. Salazar Franciscan. lib. 8. Prouerb. Cast. cap. 11. & 12. Hieronym. Roman. lib. 6. Rerumpublicarum cap. 39. Porren. cap. 3. fol. 5. Iustinian. §. 4. fol. 6. Ægid. de Præsentat lib. 4. quæst. 6. artic. 3. fol. 322. Castill. tom. 1. de Incarnat. disput. 2. quæst. 1. c. 2.



CAPVT XIII.


De Alexandro VI.



Vculentiùs adhuc Alexander VI. de obiecto huius festiuitatis sollicitus fuit, cum non solum comprobauit obiectum esse ipsam Conceptionem Virginis à peccato originali immunis; verùm etiam omnes alias opiniones exposuit. Nã cum ante Sixtũ IV. licuerit Theologis scholasticis de festo Conceptionis, vt cuique libebat, sentire, & aut reprehendere illud celebrantes, aut sensum, & mentem eorum interpretari, variasque explicationes comminisci, quin Sedes Apostolica decreto aliquo id prohiberet, tamen postquam Ecclesia Romana hoc festum amplexa est, cum nihilominus auderent aliqui ad antiqua commenta redire, curauerunt illico summi Pontifices hanc opinandi licentiam coercere, cœpitque Sixtus ipse IV. duplici illa Extrauagante *Græue nimis*, & cum adhuc circa earum mentem, & vim nonnulli auderent opinari, Alexander VI. post triginta ferè annos edidit Motum proprium, qui incipit, *Illius qui*, vbi cum inseruisset Sixti Extrauagantem *Græue nimis*, pergit ipse his verbis: *Cum autem, sicut non sine animi molestia accepimus, nonnulli diuersorum Ordinum Religiosi effectum literarum prædictarum forsan ignorantes, aut illas temerarijs ausibus contemntes, in sermonibus, & prædicationibus ad populum, & aliàs publicè per diuersas Ciuitates, & terras varias opiniones circa contenta in ipsis eisdem literis contra earum tenorem in medium proponere, & quidam vnum, alij verò reliquum affirmare non erubescant, ex quibus in populo varia opiniones imprimuntur, & scandala non modica generantur, Nos, &c. autoritate Apostolica tenore presentium decernimus, & declaramus, præinsertas literas, ac omnia, & singula in eis contenta perpetuis futuris temporibus, donec per sedem Apostolicam aliter decisum, & ordinatum fuerit, inuolabiliter obseruari debere.* Quibus verbis planè prohibet Pontifex illas varias opiniones circa contenta in literis Sixti, contra earum tenorem. Cum autem in literis Sixti, & earum tenore contineatur, Romanam Ecclesiam celebrare Conceptionem ipsam Virginis à peccato

liberam; manifestum est Alexandrum damnare omnes illas explicationes, quibus aduersarij nituntur ostendere Romanam Ecclesiam non celebrare Conceptionem immaculatam. Eiusmodi enim expositiones sunt, *varia opiniones circa contenta in ipsis eisdem literis contra earum tenorem.* Sciant ergo recentiores post Sixtum Theologi, quicumque Romanæ Ecclesiæ sensum circa festum Conceptionis aliò torquent, quàm vt de immaculata intelligatur, & ad id persuadendum refricant antiquorum expositiones, se non solum illorum autoritate abuti, cum causa sit longè diuersa, sed explicationes amplecti ab Alexandro VI. damnatas.

Sic denique fauit Conceptioni Virgineæ, ac proinde religioni Conceptionis Beatæ MARIE Virginis, sub suis prædecessoribus Sixto IV. & Innocentio VIII. vt non modicè se dilatauerit per Hispaniæ Regiones, in quibus sub eodem etiã Pontifice plurima Templata sunt ædificata, & Fraternitates institutæ, præcipuè in Lusitania, & Catalonia, in Conceptionis honorem, prout testatur Hippolytus Marracius in Alexandro VI. & Antonius Trejo in orat. 8. pro causa Concep. Omnia hæc ad cultum sacrum spectant.



CAPVT XIV.

De Iulio II.




Larius Iulius II. colendæ Cœptionis obiectum ipsum multoties exhibuit. Quid magis cõspicuum, quàm iubere venerari *Conceptionem immaculatam.* Non enim solum dixit immaculatam Conceptionem, non solũ exhortatus est vt celebretur in diuinis Officijs Conceptio Virginis, prout Sixtus IV. & alij prædecessores Iulij fecerunt; nec tantum iussit celebrare Officium Conceptionis, prout postillum iussit Pius V. sed expressissimè iussit venerari Conceptionem, & addit immaculatam; ne quis ad alia referat obiectum huius venerationis, prætexatque alienas interpretationes. Quid aliud hoc est quàm obiectum sacri cultus eam esse. Nec hoc solum iussit simpliciter, sed iubet custodire ad vnguem & hoc multis modis, per diuina Conceptionis Officia, per sacrificia, per imagines sacras, per titulos sacre inuocationis, & denique per totius vitæ professionem. Hoc constat ex Bulla sua, quæ incipit: *Ad statum*, data anno 1511. in qua inseruit regulam, quam concessit Monialibus, quas non semel vocat *Ordinis sub inuocatione Conceptionis*, vbi iam supponit sacrum cultum. Postea addit regulam à se datam, & concessam ad vnguem obseruari debere decernimus. Inter præcipua quæ vult eiusmodi seruari, est, *immaculatam Conceptionem venerantes, voueant semper viuere sine proprio, & in castitate cum perpetua clausura.* Quid est hoc, nisi iubere exactè venerari immaculatam Conceptionem? Clarius adhuc patet ex formula, quæ præscripsit Monialium professionem fieri, qua huiusmodi est: *Ego soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri & immaculate Conceptionis eiusdem genitricis voueo, & promitto Deo, & Beatissima MARIÆ Virgini, & B. Francisco, & omnibus san-*
ctis,

elis, & tibi Mater, toto tempore vite mea viuere in obedientia, sine proprio, & in castitate, & in perpetua clausura, sub Regula per sanctissimum Papam Iulium II. nostro Ordini concessa, & confirmata. In ipso quoque habitu voluit Pontifex purissimam Virginis Conceptionem coli, & immaculatam ostendi. Sic eum describit cap. 3. Regulae: *Habitus cum scapulari sint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior virginiae puritatis mentis, & corporis testimonium pretendat: pallium sit grossi panni, seu staminea hyacinthini coloris, propter mysticam significationem, videlicet, quod gloriosa Virginis anima à creatione sua tota facta fuit caelestis, & singularis Regis aeterni thalamus. Quid illustrius his dictis, quae non à priuato Doctore sunt prolata, sed à summo Pontifice, non quidem relatiue ex alio non approbante solum quod alius scripsit, sed ex propria sententia loquutus, & in Bulla Apostolica, & in re tam graui, ac est institutio Ordinum, & informatio obleruantiae regularis, & traditio Regulae religiosae*

Liquet hoc ex ipsa Regula, vbi in cap. 4. dicitur: *Vt diuinum seruitium semper crescat, & sit stabile ob prouidam, religiosamque gubernationem bonorum Pastorum, & gloriosae Virginis pijs in cordibus purissimae Conceptionis augetur deuotio: volumus, quod Dominus Cardinalis, qui est, vel fuerit Minorum fratrum de Observantia Protector, huius Religionis sit gubernator, & defensor. Quis haec verba potuit proferre, nisi qui potuit facultatem concedere homini non regulari, vt sit gubernator Regularium; Et paulò post conceduntur etiam aliae facultates, quas solum ad Pontificem Maximum spectat concedere. Sic enim additur: *Volumus etiam, quod ex quo fratres Minores tam indefesso studio, & vigilantia puritatis, & innocentiae Dei genitricis defensores existunt, quod Vicarij generales in suis Prouincijs, & Custodijs sint Visitatores huius sanctae Religionis, quibus firmiter teneantur obedire in omnibus, quae promiserunt Domino obseruare. Obiter aduertendum est, quam libenter inculcauerit Pontifex puritatem Virgineae Conceptionis. Notanda sunt illa, gloriosa Virginis pijs in cordibus purissimae Conceptionis augetur deuotio. Quamuis non alia Pontifex dixisset, satis his indicat verbis, obiectum Religiosae uenerationis esse purissimam Cōceptionem. Notanda quoque illa sunt, in quibus comendat fratres Minores, quia indefesso studio, & vigilantia puritatis, & innocentiae Dei genitricis defensores existunt. Quauis aliquis negaret, caetera Regulae verba esse Pontificia, has duas clausulas nemo inficiari potest à summo Pontifice ex propria sententia dictas: at nullum est in regula verbum, et eius Authorem non se profiteatur Iulius II. Idcirco finita regula sic ipse prosequitur dicens: *Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc Paginam nostrae absolutionis, liberationis, decreti, declarationis, approbationis, confirmationis, communicationis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Animaduertant hoc negantes Conceptionem immaculatam esse obiectum religiosi cultus, ne contraeant Pontificijs Rescriptis, cum maximè idem Pontifex in cap. 10. praecipiat: *Vt in singulis festis simplicibus, & semiduplicibus, Dominicisque recitent Moniales Officium Conceptionis illis institutum. In hoc autem Officio palam colitur immaculata Virginis Conceptio, vt constat ex ipso Breuiario Monialium, ab****

ipso Iulio II. approbato: sic enim in nonnullis antiquis Breuiarijs ipsarum Monialium pag. 2. legitur: *Breuiarium immaculatae Conceptionis Virginis MARIAE approbatum, & confirmatum à quatuor summis Pontificibus, Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II.* Distribuitur totum Officium immaculatae Conceptionis per septem hebdomadae dies, in Dominica omnia fiunt sicut in Officio Nogarolis: *Sicut lilium, &c.* Quod satis erat ad firmandum, immaculatam Conceptionem esse huius cultus obiectum. Sed notemus specialia huius Breuiarij in alijs diebus. Feria 3. in Responsorio 4. de B. Virgine dicitur: *In nullo maculata.* Antiphona 3. secundi Nocturni: *Sine labe totali est eius generatio, & absque originali.* Lect. 6. *MARIA ergo etsi communicat aliquibus arumnis Eius, non communicat contrahendo peccatum.* In Orat. *Vt qui purissima Conceptionis Virginis MARIAE Matris eius commemorationem colimus.* Fer. 5. Lectio. 5. *Diligant praecordia mea sanctam Conceptionem tuam.* Ad Laudes Antiph. 3. *Cuius Beatam Conceptionem colimus.* Ad Benedict. Antiph. *Virgo Maria, cuius gloriosa Conceptio, &c.* Oratio. *Qui B. Mariae genitricis tuae carnem ita praesernasti, vt eius animam sacratissimam nulla prorsus contagio naturae foedaret, &c.* Quid clarius quam recitari ipsum obiectum huius festiuitatis in ipso Officio diuino repetente, *Beatam, aut purissimam Conceptionem coli?*

Præterea, ne qua via esset, qua non fulciret hic Pontifex cultum Conceptionis, & legitimum obiectum eius, plures indulgentias concessit illis, qui in Regno Castellae Imaginem Conceptionis, quam praefatae Moniales portant, secum portant: quasi deuotionem hanc in immaculatam B. Mariae Conceptionem, non solum voluerit intus in corde latere, sed & exterius in pectus prodire, in Bulla, in qua tot gratias Imagini illi religiosae indulgit, & incipit, *Dum praecleara, expedita anno 1510. absolutè vocat Conceptionem sanctam.* Sed quid opus est alia addere, cum ea quae dixisset in regula conceptionis, egregium praestent testimonium de sensu huius Pontificis circa obiectum celebrandae Conceptionis. Etenim illa regula non fuit approbata à Sede Apostolica, eo dumtaxat modo, quo aliae Regulae Religionum sunt confirmatae, tanquam aliena scripta, sed approbata à Pontifice; huius tamen Regulae Authorem ipse Pontifex se monstrat, ex propria loquutus sententia.



CAPVT. XV.

De Leone X.




Nelytus quoque fuit Leo X. in colendo Virginis Conceptu, eximiam ostendit pietatem, plurima aedificando Templa in honorem huius mysterij, magnas etiam elargiendo indulgentias, non solum fratribus Minoribus, & Monialibus Conceptionis hoc mysterium, & festum tanto prosequentiibus affectu, sed etiam alijs Religionibus, vt constat ex Bulla: *Sanctae Religionis sinceritas*, in qua fratribus Benedictinis indulgit facultatem interdictum suspendendi in festo,

Anton. à
Trejo orat.
8. de Cōcep.

festis, & per totam Octavam Conceptionis, quod postea omnibus Hispaniæ Ecclesijs communicavit, Ædem S. Mariæ in Campo sancto à Leone IV. constructam reedificavit in Conceptionis honorem, & alijs quàm plurimis vrbis Ecclesijs S. Mariæ de Populo, de Monte, de Araceli, SS. Apostolorum, sancti Francisci Trans Tyberim, S. Laurentij in Damaso, &c. in ipso Conceptionis die iubilæum concessit. Hymnos insuper approbavit Zachariæ Episcopi Gardiensis, quos ad ipsius Pontificis iussum in encomium composuit Conceptionis, & maximas concessit indulgentias vtriusque sexus personis Imagines Conceptionis deferentibus.

Anno salutis 1518. Pontificatus sui sexto, Bullam edidit, qua dilectis filijs Rectoribus, & Beneficiatis Parochialium Ecclesiarum oppidi Molinæ in Hispania, vt in nocte ante diem festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, post Laudes annis singulis vnam Missam in cantu cum Presbytero, Diacono, & Subdiacono solemniter celebrare, liberè, & licitè valerent, autoritate Apostolica de specialis dono gratiæ, perpetuò indulgit. Bulla incipit: *Pia Christi fidelium*, eiusque exemplar authenticum vidi apud eruditissimum virum Bernardum de Toro Hispalensem. Sic Hippolytus Marracius testatur. Ego quoque legi aliud authenticum eiusdem Bullæ testimonium, quod Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, mihi ostendit, Archetypum autem extat Molinæ, quæ Seguntinæ Diocesis oppidum est. Mirificè in his literis fauet Leo cultoribus festiæ Conceptionis, cuius prima verba sunt: *Pia Christi fidelium, & presertim immaculata Conceptionis B. Mariæ Virginis, Redemptoris nostri, & humane salutis authoris Domini nostri Iesu Christi genitricis honorem tendentia vota, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & fauoribus prosequimur opportunis.* Opportunè quoque vocauit *immaculatam Conceptionem* Virginis, atque deuotionem ad hoc mysterium colaudat, cum concessit solempne eius sacrum fieri extra morem, & permissum Ecclesiæ, nisi in Natiuitate Domini, ostendens planè ipsius Pontificis concedentis, & fidelium supplicantium obiectum eius celebritatis esse immaculatam Conceptionem.



CAPVT XVI.

De Adriano VI.




Adrianus VI. Pontificem egit Adrianus VI. & largiter fauit immaculatam Virginis colentibus Cōceptionem. Pontificia siquidem Bulla incipiente: *Romanus Pontifex*, data Tarragonæ anno Domini 1522. vltimo die mensis, & sui Pontificatus anno primo, regiam, & grauissimam approbavit Confraternitatem Toletanam, in obsequium, & laudem Conceptionis Beatissimæ Virginis immaculatæ fundatā, in qua Oeconomus, & primus Confrater erat Carolus V. Imperator, cuius deuotionem in Virginem imitati totius Regni proceres, se eiusdem Sodalitij legibus subiecerunt, in quibus multoties profitebatur expressè, se omnia illa, & magna, quæ exhibe-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

bantur obsequia, Deo obtulisse in honorem immaculatæ Conceptionis suæ genitricis, & hanc sodalitatem concessit per omnes Hispaniæ Ciuitates fundari, quam per cunctas propagari præcepit prædictus Imperator.

Primus primariæ institutor fuit admirabilis Franciscus Ximenez S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Toletanus, quam fundauit in ædibus Archiepiscopalibus, ad eò principum personarum nominibus nobilitata, vt præter Duces, Marchiones, Comites, Equitesque magno numero, omnes Archiepiscopi Toletani post prædictum Cardinalem Ximenum, ipsique Hispaniæ Reges à Ferdinando, & Elisabetha, omnes, vt patroni, & confratres adscribantur pietatis eximiae, erga immaculatam Cōceptionem egregium documentum. Est in hac Adriani confirmatione notatu dignissimum, expeditum fuisse ad instantiam Confraternitatis erectæ sub titulo, Immaculatæ Conceptionis, & cum concessiones iuxta petitionum tenorem sint interpretandæ, prædictum titulum autoritate Pontificia certum est roborari. Tum etiam, in iisdem statutis sæpè vocatur *Conceptio sanctissima*, inter alia cap. 29. ait: *Ordenamos, que celebremos en cada vn año para siempre jamas la fiesta de la santissima Concepcion de nuestra Señora en su proprio dia, y casa, Visperas, e Missa, e Sermon.*



CAPVT XVII.

De Clemente VII. Iulio, & Paulo III. Paulo, & Pio IV.



Sæcularis quoque Clemens VII. suorum prædecessorum vestigia, Officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ à Francisco Quinonio Cardinali ordinatum approbavit, quod ab illo vsque ad Pium V. à pluribus recitabatur. Literis etiam Pontificijs factis fauit Religioni Monialium Conceptionis, circa quam cuncta confirmavit, quæ sui concesserant prædecessores.

Quid dicam de Pontificibus sequentibus? Paulus III. p.riuilegia omnia Religionis immaculatæ Conceptionis B. Virg. confirmavit, & Concilium Tridentinum indixit, sub quo facta est illa declaratio decreti vniuersalis de peccato originali sess. 5. ad eò fauorabilis piæ sen tētiæ Cōceptionis absque peccato, vt eam liber auerit à magna molestia aduersariorum, quotidie obtrectantium Virginem comprehendī, tam sub vniuersalibus loquutionibus sacre Sripturæ, quam alijs Conciliorum generalibus decretis. Vnde, & Pontificem hunc non minus suis prædecessoribus, imò cunctis præstantius sententiæ, quæ immaculatam Conceptionem tuetur, fauisse iudicandum est. Idem omninò præstitit Iulius III. quod Paulus III. Tum etiam Paulus IV. in mysterium immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis nihil minus suis prædecessoribus propenius, varias elargitus est per specialia diplomata indulgentias, & gratias sanctimonialibus Conceptionis. Similiter Pius IV. in cultum Cō-

Ant. à Trejo in Orat. 8. de Concept.

Ant à Trejo orat 8. de Concep. ap. Vuadd. in Legat.

Ant. à Trejo in orat. 8. de Concept.

Voa'dd. in
sua Legat.
orat. 8.

ceptionis propensissimus fuit. Sub hoc Pontifice conclusum est Concilium. Tridentinum, quod & ipse Pontifex confirmavit plenarie, & consequenter declarationem illam decreti vniuersalis de peccato Originali, qua dicitur, non esse intentionis Concilij MARIAM Virginem sub communi regula de peccati originalis contractione comprehendere. Nec sat sibi in hoc fecisse in Virginis obsequium visus est, nisi & plures concederet gratias Religionibus Minorum, & Conceptionis pro eadem celebranda, quas ad alias postea extendit, præcipue Hieronymianam, in qua tolli interdictum concessit in festo Conceptionis Beatissimæ Virginis. De his Pontificibus videri possunt Antonius Trejo in orat. 8. Marracius in Pontificibus Marianis.



CAPVT XVIII.

De sensu Concilij Tridentini.




Vuat etiam Tridentini Concilij assensum demonstrare, circa obiectum huius festiuitatis, quod acute expendit acerrimus immaculatæ Conceptionis defensor D. Antonius Calderon, cuius commentationibus in hac speculatione nihil felicius spero tractandū, quam quæ eruditione, & acumine plenus disseruit. Fruar igitur eius ingenio: vtar interdum verbis, vt meum mixta condiant sermonem, tanquam sale edulium, & fermentum massam. Si quæ addiderim, cum pudore præstabo, si quæ omiserim, cum dolore; sed breuitatis causa hoc exiget, sicut & posterioris tractationis vis excusabit illud. Ad rem venio. Ecclesia celebrat festum Conceptionis in eo sensu, in quo Concilium Tridentinum sentit celebrari: sed Tridentinum sentit celebrari ab Ecclesia Conceptionem à peccato originali præseruatam: ergo hanc celebrat Ecclesia Romana. Maior per se nota est, minor ostenditur, quia Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali, postquam declarat: *Non esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Dei genitricem*, subdit: *Sed obseruandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis quas innouat.* Quibus verbis non solum confirmat festum Conceptionis à Sixto institutum, sed etiam sentit hoc festum esse de Conceptione à peccato originali præseruata, atque in hoc sensu à Sixto fuisse institutum. Alioquin ineptè Concilium meminisset constitutionum Sixti, dum in decreto de peccato originali declarat non esse suæ intentionis comprehendere Virginem: nam si festum non est de Conceptione ab hoc peccato libera, nihil attinet ad declarationem, quæ in hoc decreto fit, neque aliquam cum ea connexionem habet. Mens ergo Concilij est, se non comprehendere in decreto de peccato originali B. Virginem, quin potius confirmare festum de eius immaculata Conceptione à Sixto institutum, damnare etiam propositiones ab ipso damnatas, & innouare pœnas ab ipso statutas. Sane dubitandum non est Concilium valde permotum fuisse ad hanc declarationem faciendam ex festo immaculatæ Con-

ceptionis, quod videbat celebrari ab Ecclesia Romana ex Sixti institutione: ergo perspicuum est, Tridentinum sensisse festum Conceptionis, quod Ecclesia celebrat, esse de Conceptione immuni à peccato originali.

Præterea, in Extrauagante *Graue nimis*, quam nemo dubitat à Tridentino confirmatam (vt interim omittamus aliam constitutionem eiusdem initij, de qua iam egimus) non solum fit mentio festi Conceptionis, quod Ecclesia Romana celebrat, & officij super hoc ab eadem Ecclesia ordinati, sed ipsum assumitur tanquam argumentum, & ratio decisionis, vt supra ostendimus. Quare manifestum est, festum ipsum, & Officium approbari à Concilio, non solum quia approbat ipsam Extrauagantem, atque ad eam eius partes; sed maximè quia confirmat censuram erroris, qua Pontifex inurit damnantes eos, qui festum Conceptionis celebrant, qua censura festo ab Ecclesia Romana celebrato innititur. Cum ergo decisionem ipsam approbet, motiuum etiam, & fundamentum decisionis approbasse necesse est, nam sublato festo tollitur etiam decisio. Ideo enim est erronea, & excommunicatione digna, propositio affirmans, hæreticos esse, qui celebrant festum Conceptionis, quia Ecclesia Romana eiusmodi festum celebrat: ergo sicut Concilium decernit, obseruandam esse hanc Sixti decisionem, & hac nota, & pœna inurendos, & puniendos, qui id affirmauerint; decernit etiam obseruandum esse festum Conceptionis, quod Ecclesia Romana celebrat, cuius celebrationis intuitu hæc nota, & pœna statuta est à Sixto, & à Concilio confirmata. Luce ergo clarius est, Tridentinum approbasse festum Conceptionis, etiamsi demus non approbasse Extrauagantem *Cum præexcelsa*. Quare (quidquid sit de indulgentijs) non debuit Vazquez negare confirmatum iri à Concilio festum Conceptionis, quod quatenus est festum Ecclesiæ Romanæ, multò clarius, & expressius continetur in Extrauagante *Graue nimis*, à Tridentino (vt ipse fatetur) confirmata, quam in Extrauagante *Cum præexcelsa*, vt vtramque legenti patebit. Atque hinc tandem concluditur, quod in nostro argumento assumebamus, Concilium Tridentinum sensisse Ecclesiam Romanam celebrare festum de Conceptione ab originali peccato libera, eo ipso quod approbat constitutionem Sixti, & eius decisionem; quæ perperam inniteretur festo Ecclesiæ Romanæ, nisi in eo coleretur Conceptio sancta, & immaculata.

Addo, Concilium Tridentinum non solum approbasse festum Conceptionis, sed inter principaliora, & celeberrima totius anni censuisse. Id perspiciet lector, si animaduertat Concilij morem, & consuetudinem indicendi, & celebrandi sessiones. Perpetuò enim eisdem assignat ferijs quintis post aliquod ex solemnioribus festis, aut diebus; & notatu dignissimum est, primam, & vltimam sessionem consecratis fuisse Conceptioni Beatissimæ Virginis, vt eruditissime obseruauit, & demonstrat ipse D. Antonius Calderon.



CAPVT XIX.

De sensu Pij V.



Intellexit mentem Concilij Tridentini Pius V. qui ex præscripto eiusdem Concilij, Missale, & Breuiarium Romanum reformandum, & in vniformem methodum suscepit redigendum: quapropter sequutus idem festiuitatis obiectum, ac habuerat hæctenus Ecclesia cum Tridentina Synodo, mutauit Officium Nogarolis, quod necesse omnino fuit pro suo instituto, nam illud Officium variè iam recitabatur, penè pro cuiusque libito, & Lectiones Nocturnorum non erant iuxta normam Romanam. Censuitque reducendum Officium Conceptionis prout antiquitus erat, iuxta reuelationem diuinam, & introductionem S. Anselmi ad Natiuitatis Officium, idque valdè promouit causam Conceptionis immaculatæ, & obiecti suæ festiuitatis, vt iam in sinuauimus. Cum enim idem agat Officium Ecclesia de Conceptione, & de Natiuitate, eisdem epithetis vtramque ornat, eisdem laudibus extollit, nullo discrimine. Quare sicut ex Officio ipso Natiuitatis liquidum est celebrare ipsam Natiuitatem corporalem, vt sanctam, ita idem liquet de Conceptione, ex Officio Conceptionis.

Præterea, idem Officium probat celebrari ipsam Conceptionem naturalem, ita enim habet primum Responsorium: *Hodie Concepta est B. Virgo Maria ex progenie Dauid.* Quartum verò: *Conceptio gloriosa Virginis Mariae, ex semine Abrahe, orta de Tribu Iudæa, clara ex stirpe Dauid.* Et idem repetit prima Antiphona ad Vesperas, & Laudes, cū dicitur: *Cōcepta ex progenie Dauid, & Cōceptio ex semine Abrahe.* quid nisi naturalem Conceptionem audis? Nam de spirituali accipere absurdum esset. An ex semine Abrahe; aut ex progenie Dauid propagata est gratia sanctificans, qua Virgo spiritualiter est concepta? Cum ergo Conceptione dicatur *ex semine Abrahe*, euidentissimum est de Conceptione corporali sermonem esse. Quare sicut in Officio Natiuitatis illa verba: *Hodie nata est B. Virgo Maria ex progenie Dauid*, & illa: *Natiuitas gloriosa Virginis Mariae ex semine Abrahe, &c.* probant eo festo celebrari Natiuitatem ipsam corporalem, & naturalem; ita eadem verba in Officio Conceptionis idem probant de Conceptione. Et sicut erraret contra mentem Ecclesiæ, qui diceret in festo Natiuitatis, non coli naturalem ipsam Natiuitatem, sed spiritualem, qua Virgo per gratiam nata est ad supernaturalem vitam: ita etiam errabit contra eandem mentem, qui dixerit in festo Conceptionis non coli ipsam naturalem Conceptionem Virginis, sed sanctificationem dumtaxat, cum enim eadem prorsus sint verba vtroque, pari iure eandem explicationem, aut admittunt, aut respuunt.

Caterum, hanc Conceptionem naturalem coli vt sanctam ab Ecclesia, ibidem probatur, eamque fuisse in primo instanti gratia præuentam, atque aded immaculatam, & à peccato originali immunem. Ita enim habet Antiphona ad Magnificat in primis Vesperis, & tertium Responsorium.


Ioann. Euseb. Op. Parth.

ponitorium primi Nocturni: *Gloriosa Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus.* Dignissimam videlicet Matri Dei, dignissimam cultu, & veneratione. At Conceptione originali peccato conspurcata indignissima est sacro cultu. Sed clarius Responsorio octauo: *Sentiant omnes tuum inuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Ecce pleno ore Ecclesia *sanctam* vocat Conceptionem. Quid ni immaculatam sentiat? An simul potuit esse sancta, & peccato maculata? Immaculata ergo necessariò fuit, quæ sancta fuit. Sicut ergo in Officio Natiuitatis, illa verba: *Ortum dignissimum recolamus*, & illa: *Quicumque celebrant tuam sanctam Natiuitatem*, probant Natiuitatem fuisse actu sanctam, & excludunt sensum de sanctitate futura, ita idem conuincunt de Conceptione in Officio Conceptionis. Et sicut erraret contra mentem Ecclesiæ, qui diceret in festo Natiuitatis, non coli Natiuitatem ratione sanctitatis, quam Virgo haberet cum nata est, sed quia mox erat sanctificanda: ita etiam errabit contra eandem Ecclesiæ mentem, qui dixerit in festo Conceptionis, non celebrari ipsam Conceptionem, ratione sanctitatis, quam Virgo habuerit in ipso primo instanti, quo concepta est; sed relatè ad sanctitatem futuram, quia mox erat sanctificanda. Nam vt supra argumentabamur, eandem vim habent verba in Conceptione, & in Natiuitate.

Gloriosius itaque in Officio Pij V. Conceptione exaltatur virginea, deciaraturque venerabilior, quàm in Officio Nogarolis, cum illud vocet eam sanctam, quod plus complectitur, quàm si immaculatam diceret. Etenim conceptio humana in puris naturalibus immaculata fuisset, non sancta. Deinde appellat illam *dignissimam*, quod plus significat, quàm si præseruatam recitaret; ad præseruationem enim sufficeret quælibet gratiæ particula, dignitatem verò Matris Dei decebat cumulus gratiæ.

Nihilominus ausi sunt aliqui ex patrocinantibus opinioni affirmatiuæ, excogitare Pium V. mutato Officio mutasse etiam obiectum huius festiuitatis, quod oppugnare non est opus, sed mirari, hoc alicui in mentem venisse, cum conspicuum meridiani Solis splendorem, si quis dixerit tenebras; superuacanea essent argumenta ad euincendum quod oculi intuebantur. Deinde licet potuerit Pius V. festum Conceptionis omnino tollere, vel eius diei festiuitatem in aliam transfutare; at iudicium speculatiuum, quod semel fecit Ecclesia de dignitate Conceptionis, immunis à labe originali, vt esset obiectum idoneum solemnitate Ecclesiastica, non potuit tollere, nec damnare sensum communem Ecclesiæ per tot sæcula approbatum à Sixto IV. & alijs Pontificibus, atque etiam à Concilio Tridentino: quare parum prodesset aduersarijs si festum fuisset sublatum, cum iudicium tam solemne Ecclesiæ semper erit verum, & semper aduersus eos. Satis est nostræ causæ si concedant in festiuitate Sixti IV. à tota Ecclesia celebrata tot annos obiectum fuisse præseruationem Beatissimæ Virginis. Quod si adhuc velint perseverare in mutatione obiecti Pij V. deferentis pristinum, quia minus tutum, aut dignum Ecclesiastica solemnitate, dicent pariter seductum S. Ildephonsum, S. Anselmum, S. Norbertum, & Ecclesias per Romanam ditionem, & totam

Europam; seductos etiam multos Pontifices, Sixtum IV. Innocentium VII. Alexandrum VI. Pium III. Iulium II. Leonem X. Adrianum VI. Clementem VII. Paulum III. Iulium III. Marcellum II. Paulum IV. & Pium IV. qui omnes coluerunt vetustum obiectum. Imò & seductum possent dicere ipsum Pium V. cum confirmauerit Extrauagantes Sixti IV. in quibus mirificè obiectum huius festiuitatis explicatur ipsa immaculata Virginis Conceptio.




CAPVT XX.

De Gregorio XIII. & Sixto V.



Ost Pium V. Gregorius XIII. cultum immaculatæ Conceptionis, etiam ultra hunc orbem prouexit; quandoquidem vt plurà ædificarentur Monasteria Ordinis Conceptionis Beatissimæ Virginis, tam in Hispaniarum regionibus; quam in Indiarum remotissimis plagis, proprijs diplomatibus in, quibus non tepidè fideles ad prædictæ Conceptionis deuotionem inceridit, liberaliter concessit. Sic testatur Antonius Trejo orat. 8. & Hippolytus Marratius cap. 18. suorum Pontificum. Tum etiam approbavit Officium Conceptionis cum alijs fratrum Minorum, quo hucusque vtuntur, & in quo palam Conceptio immaculata colitur, vt constat ex Missali, & Officijs fratrum Minorum in omnibus impressionibus.

Nec in Sixto V. desiderata est Franciscana pietas, erga hoc mysterium, Constitutione sua *Expositum nobis, &c.* edita anno 1586. omnibus, ac singulis Ordinis immaculatæ Virginis Conceptionis Monialibus, & vtriusque sexus fidelibus visitantibus Ecclesias Monasteriorum prædictarum Monialium, in festo Conceptionis Virginis plenariam indulgentiam concessit. Idem Sixtus in Bulla anno 1588. quæ incipit: *Ineffabilia*, concessit Fratribus, & Monialibus Minorum de obseruantia, in festo Conceptionis Officium eiusdem posse per totam octauam recitare, in eadem Bulla vocat. *Purissimam Dei genitricis Conceptionem*, ne quis dubitet de obiecto huius festiuitatis.




CAPVT XXI.

De Clemente VIII.



Vas excellentias, quibus Pius V. supra Sixtum IV. festiuam decorauit Conceptionem, prouexit Clemens VIII. Primam, quod post reformationem Breuiarij, non solum Ecclesia Romana, sed etiam omnes alie Ecclesiæ tenentur sub præcepto, & sub pœnis, in Constitutionibus Pij contentis festum Conceptionis celebrare. Secundam, quia designans Pius V. ad celebrationem festi Conceptionis, idemet Officium, quo vniuersalis Ecclesia antiquitus festum Natiuitatis Virginis celebrabat; festum

Conceptionis, non solum in substantia, sed etiam in circumstantia ritus, & Officij cum festo Natiuitatis coæquauit: vt necesse sit idem de vtraque dicere, & fateri Conceptionem sanctam, sicut, & Natiuitatem; atque eodem ipso argumento, quo S. Bernardus, S. Thomas, & S. Bonaventura conuicti sunt, vt sanctam Virginis Natiuitatem acclamarent; nimirum ex celebratione festi Ecclesiastici. Prouexit, inquam Clemens has excellentias huius festi, dum solemnius illud reddidit in recognito à se Breuiario Romano, cum confirmato Officio Pij, & præcepto illud recitandi in vniuersalem Ecclesiam, fecit illud duplex maius, vt notat Gauantus tom. 2. thesauri, lect. 7. cap. 2. vt sicut illam adæquauit Pius V. in Officio Natiuitatis Virginæ, sic adæquasset ipse in solemnitate Visitationi, & Præsentationi. Planè haud leue est indicium magnum Virginis priuilegium in hac festiuitate celebrari ab Ecclesia, tot priuilegia, quibus summi Pontifices illam donarunt, superantia in multis, & rebus non parui ponderis alias Virginis festiuitates. Leo X. comparauit illam Assumptioni in exemptione interdicti, imò per totam extendit Hispaniam, ad integram festiuitatis octauam, cum tam amplum priuilegium non habeat festiuitas Assumptionis, cuius solus dies, non autem octaua à suspensione interdicti liberatur, & solum hoc concessum est festiuitati Corporis Christi, & festo Conceptionis. Sixtus IV. eandem Conceptionis solemnitatem iisdem indulgentijs promouit, ac habet festum Corporis Christi. Quid dicam de Religiosarum familiarum institutione, in honorem Conceptionis à multis Pontificibus decreta, in quo etiã Conceptio Virginea obiectum est cultus sacri, vt inde liceat confirmari obiectum quoque esse solemnitatis Ecclesiasticæ. Cum igitur hæc Conceptionis Marianæ festiuitas adæquata sit in Officio Natiuitati, cum solemnitate Visitationi, ac Præsentationi, in suspensione interdicti Assumptioni, in indulgentijs comparata festo Corporis Christi, institutione Religionum antelata alijs festiuitatibus; cur ergo aduersarij illam sic parui pendant, vt anomalam faciant in exclusione proprij obiecti à proprio festiuitatis nomine, quasi indignum censeant celebritatis Ecclesiasticæ, cum tamen ipsa Ecclesia ipsum adæquet alijs festis, & anteferat multis.



CAPVT. XXII.

De Paulo V.



Quit quoque Paulus V. hanc Conceptionis solemnitatem, & eius mysterium; nam in Bulla, cuius initium est, *Regis pacifici*, edita anno 1616. considerans scandala, & dissensiones, quæ oriebantur, ex eo quoddam aliqui prædicabant, colentes festum Conceptionis esse hæreticos, per Constitutiones Sixti IV. à Concilio Tridentino, & à Pio V. innouatas, non esse extincta, prædictarum Constitutionum mentionem faciens, olim ordinata confirmat, pœnas auget, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis contra transgressores procedendi aut horj-


Ant. à Trejo in orat. 8. de Concept.

Vvading. in legat. Concept. orat. 8.

authoritatem tribuit. Imò in generali Congregatione S. Romanæ, & generalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali, die 31. Augusti anno 1617. considerans, *Ex occasione* (verba sunt Pontificis) *assertionis affirmatiue in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia & dissensiones, &c.* prædictam assertionem affirmatiuam à publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs actibus publicis suo decreto Pontificio relegauit. Plurimum in his omnibus fuit huic mysterio, demonstrans pariter dignissimum Ecclesiastici cultus, imò professus. Cum enim coram ipso Paulo V. sermo infereretur de obiecto festiue Cōceptionis, ipse dixit, nullum esse dubium quin foret ipsa immaculata Conceptio, & immunitas Virginis à peccato originario, prout testatur Waddingus in sua legatione. Idcirco, cum iudicaret in Ecclesiasticis Officijs celebrari immaculatam Cōceptionem, vetuit in sermonibus sacris, quidpiam aduersus illam dicere, vt conueniret doctrina cultui, & vox Ecclesiastæ non dissonaret Ecclesiæ. Quanta autem lætitia, & congratulatione populorum hoc decretum Pauli V. anno 1617. fuerit acceptum, multis testatur Ioannes Bourghesius, libr. de patrocinio Deiparæ, cap. 21. significat quoque non sine cœlesti plausu promulgatum dicens: *Quo die Madritum cursor Regius Pontificium diploma detulit, ubi descendisset ex equo, ferunt lampadem nocturnis tantum horis, coram Imagine concepte purissima Virginis, accendi solitam, medio foro clara die, eo ipso, cum cursor appelleret, momento, cunctis obstupescens, sponte ardere coepisse, consumptoque exiguo quod à præterita nocte supererat oleo, perdurasse flammam, ipsa, que supposita erat, aqua ignis fomentum suppeditante: ad quod exciti spectaculum proxima nocte innumeri propè mortales conuenere, vigiliaeque stupore defixi produxere.* Testis sum ego ingentem admirationem excitatam fuisse ex ardente repente, & opportunè lampade. Egregiè quoque fuit Paulus V. cultoribus purissimæ Conceptionis, in Bulla anni 1615. quæ incipit: *Ad augendam*, in qua concessit indulgentias recitantibus deuotè Antiphonam, & orationem Conceptionis approbatam. Antiphona autem approbata à SS. D. N. Paulo illa est, quæ habetur in Officio fratrum Minorum, in secundis Vesperis ad quintum Psalmum, scilicet: *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpe fuit.* Quæ secundum aliquos composita à S. Ambrosio. Vide Bernardinum de Bustos, serm. 5. de Concept. part. 2. Alij tribuunt S. Bernardo, vt Biuar. §. 10. fol. 142. cui Sixtus IV. Pontifex Maximus, vt referunt Galatinus lib. 7. de arcanis, & Biuar. loco citato addidit Versiculum, *In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti.* Resp. *Ora pro nobis Patrem cuius Filium peperisti.* Et Orationem, *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem.* Hoc epitheton immaculatæ Cōceptionis fuisse gratum Paulo V. constat ex Breui, quod rescripsit ad Philippum Tertium anno 1617. vbi aperte vocat immaculatam Conceptionem. Ibi postquam dixisset accepisse: *Literas Maiestatis tuæ de negotio immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, addit. Non mediocriter in Domino lætati sumus, tantam pietatem erga cælorum Reginam, & tam ardentem honoris*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

eius zelum in te conueniens, cuius salutare presidium, nunquam tibi defuturum sperare Nos iubet singularis huiusmodi in eam deuotio. Vbi notandum est, præter elogium illud, *immaculata Conceptionis*, tributum à Romano Pontifice, exhortari Philippum ad ipsius Conceptionis deuotionem, & cultum, significatum per illa verba, pietatem, atque honoris eius zelum.



CAPVT XXIII.

De sensu Gregorij XV.



Ccedat iam Gregorius XV. qui in suo decreto sic fuit mysterio Conceptionis, & eius solemnitati, vt præter definitionem nihil videatur amplius posse desiderari. Etenim prohibuit pronuntiarum opinionem affirmatiuam, ne quis vllus auderet illam asserere, etiam in priuatis colloquijs; nec satis reputans interdiceret verba, interdixit quoque mentem quoad officia ecclesiastica, hoc est, intentionem eo modo quo dicemus. Præcipit siquidem, ne quis in Officio Conceptionis alio vteretur nomine, quàm Conceptionis, rationem reddens huius præcepti, quia Ecclesia Romana celebrat festiuitatem Conceptionis, in quo significauit obiectum huius festiuitatis in Ecclesia Romana, esse ipsam naturalem Virginis Conceptionem, quia sancta fuit Conceptio, & in illa ipsa Virgo sanctificata. Propterea, vt celebrans conformaretur cum festiuitate Ecclesiæ, iussit vt non alio nomine vteretur quàm Conceptionis. Quapropter ne mendacium diceret, coram Deo, qui celebraret, debuit intentionem significandi aliud cohibere. Itaque eo suo decreto Gregorius confirmat, quod Sixtus IV. intendit in priori Extrauagante *Graue nimis*, de excludendo à celebritate Conceptionis obiecto solius sanctificationis. Quare, parum prodesset aduersarijs, si hæc Sixti IV. Extrauagans minus authentica foret, cum decretum Gregorij XV. satis ableget illud sanctificationis obiectum, verum non solum refellit Gregorius dicentes in festo Conceptionis celebrari sanctificationem, non coniunctam cum instanti ipsius Conceptionis, sed etiam refutat quæcumque alia meditates, siue fingentes obiecta, cum præcipiat non alio vt in nomine, nisi Conceptionis; in quo statuto, sicut excludit nomen sanctificationis, aduersus eos, qui dicebant celebrari primam solum Virginis sanctitatem, extra Conceptionis momentum, sic etiam explodit nomen sancturitionis, contra eos, qui dicebant, coli sanctitatem Virginis futuram. Similiter, & nomen gratificationis, siue actionis gratiarum contra opinantes, hanc solum fuisse obiectum huius festiuitatis. Eodem modo repulit nomen gratulationis aduersus eos, qui festum Cōceptionis institutum dicebant pro gratulatione, & gaudio fidelium de concepta Infante, quæ futura erat Mater Dei, excludentes ipsam Cōceptionem ab obiecto huius festiuitatis. Excludit deniq; quotquot alia obiecta possunt meditari, quæ excludat ipsam naturalem Cōceptionem, immaculatam, & sanctam: nam cum excludat nomina, excludit etiam significata illorum, cumque admittat solum vocem Cōceptionis, admittit quoque significatum

per eam vocem, alioquin illuderet fideles, in-vertens nomina, & conceptus eorum. Quomodo enim si obiectum huius festi fuisset sanctificatio sola, & non conceptio immaculata, prohiberet Pontifex uti proprio festiuitatis nomine, & iuberet alienum reponi. Quæ mens sana in hoc venire potest, nisi potius palam agnoscere Pontificis mentem fuisse id celebrari, quod tam seuerè, & vnicè præcipit nominari. Quare licet alia obiecta nullum haberent incommodum, aut non essent extra Ecclesiæ morem, reiecta profus manent ex decreto Gregorij à festo Conceptionis Virginæ, ut non sit iam opus respondere opponentibus illa, nisi cum ipso decreto omnia alia de facto reselente obiecta sine Conceptione, cuius duntaxat uti nomine iubet.

Hæc sunt aded conspicua, ut non habentes aduersarij quid contra mutant, mirificè conantur obscurare ipsum Solis iubar, monstruosumque responsum dedere, inopinabile prorsus cogitatus, causantes à Gregorij decreto mutasse significatum nomen Conceptionis, ita ut deinceps significet sanctificationem, & hoc in ambiguo, siue leparatam à conceptu naturali, siue vnitam cum illo, pro cuiusque pronuntiantis arbitrio.

Planè hæc responsio iniuriosa est Romano Pontifici, quem facit illusorem fidelium, vocum instabilitate. Nam Gregorius in suo decreto non semel, sed quater Conceptionis vocabulum vsurpat. Primò, cum prohibet, nequis etiam in priuatis colloquijs audeat affirmare quòd B. Virgo fuit in peccato originali *Concepta*. Secundò, ubi iubet, ut prædecessorum Constitutiones super *Conceptione* B. Virginis, firmæ, & illibatæ remaneant. Tertio, cum affirmat ab Ecclesiâ Romana festum de *Conceptione* celebrari. Quarto, cum præcipit, nequis in Officio diuino, alio quàm *Conceptionis* nomine vtatur. Dicere autem in diuersis sensibus loquutum fuisse Pontificem, quid aliud esset quàm in verbis Gregorij ludere, & ipsum notare, quòd data opera tenebras effundat decreto suo, & in æquiuoco labore: Naturalis animatio, & sanctificatio diuersissimæ res sunt, altera opus naturæ, altera gratiæ. Quis credat in paucissimis verbis eandem vocem simpliciter prolatam, nunc naturæ opus, nunc sanctificationem significare? Romani Pontifices magnam curam adhibent, ut in suis decretis quàm clarissimis verbis vtantur, ne vllus dubitationi, aut interpretationi relinquatur locus. Ided sæpè sæpius pluribus vocabulis eandem rem proferunt, nempe ut clarissimè explicent, & mentem suam omnibus aperiant. Hæc cum sit Sedis Apostolicæ perpetua cura, vnus Gregorius in paucis lineis, vna voce Conceptionis, diuersissimas res voluit intelligi, nunc hanc, & statim aliam: Minimè id quidem. Neque enim Pontifex committeret, quod cuiusque priuato scriptori vitio verteretur, ut ambiguus sit, & lubricus sensu, atque Protei instar varias significandi formas repente mutet, & lectorem illudat. Affirmandum ergo omnino est, Gregorium quoties in suo decreto Conceptionis vocabulum vsurpat in eodem prorsus sensu accipere.

Atqui euident est, cum primùm protulit, de naturali Conceptione loquutum, non de sanctificatione præcisè sumpta: ergo manifestum etiam est in eodem sensu accipere vocem, cum eam repetit. Adeat decretum lector, & perlegat, non alia probatione opus est. Præcipit in primis, ne

quis etiam priuatim audeat asserere, *Quod Beatissima Virgo fuerit concepta in peccato originali*. Ecce vox *concepta* non sanctificatam, sed genitam in vtero significat. Addit statim, ut Cõstitutiones prædecessorum suorum, *super Conceptione Beatissima Virginis firmæ, & illibata remaneant*: at prædecessores Conceptionis nomine, naturalè intelligunt. Hæc est enim subiectum opinionum, quarum vna in peccato factam defendit, altera in gratia, de quibus opinionibus ipsi in suis Constitutionibus multa decernunt. Deinde subdit Gregorius: *Cum sancta Romana Ecclesia de Beatissima Virginis Conceptione festum solemniter, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm cuiusvis Ordinis, & Instituti Regularibus mandat, ac præcipit, ut in sacrosancto Missa sacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine uti debeat*. Cum festum de Conceptione dicat celebrari ab Ecclesiâ, cuius, obsecro, Conceptionis nisi illius de qua proximè fuerat sermo: Nisi illius, quam in peccato originali factam fuisse affirmari ab aliquo prohibet, Nisi illius, super qua aliorum Pontificum Constitutiones firmas, & illibatas fore decreuerat; At hæc Conceptio naturalis est, ut res ipsa docet: ergo de ea perpetuò loquitur Pontifex.

Conspicuum est, Gregorium eodem prorsus sensu accipere nomen Conceptionis, cum de ea ab Ecclesiâ Romana festum celebrari commemorat, & cum præcipit, ut omnes non alia voce in Officio diuino vtantur. Si rectè verba supra relata expendantur, non solum præcipit, quid agendum sit, sed reddit etiam rationem, cur id præcipiat. Nempe vult, ut ab omnibus sub Conceptionis voce festum celebretur, quia sub hoc nomine celebrat Romana Ecclesiâ. Equum autem est, ut omnes ei conformentur, neque alia voce, quàm ipsa, vsurpent in Officio diuino: ergo præcipit, ut in eodem sensu vocem accipiant, quo accipit Ecclesiâ, nomine Conceptionis, animationem Virginis in vtero celebrat: ergo hanc ab omnibus celebrari iubet Gregorius. Alioquin periret conformatio ritus, quam intendit: ipse etiam recederet à sensu Romanæ Ecclesiæ nouum introducens, denique ineptissimam sui decreti, imò pugnantem cum eo, causam reddidisset. Hic enim esset sensus: *Cum sancta Romana Ecclesia de Virginis Conceptione, hoc est, animatione in vtero festum solemniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis, &c. mandamus, ac præcipimus, ut in sacrosancto Missa sacrificio, ac diuino Officio celebrandis, non alio nomine vtantur, quàm Conceptionis, non ut significat animationem, sed sanctificationem præcisè*. Quod perinde esset ac si diceret: *Præcipimus, ut quia Ecclesiâ Romana, nomine Conceptionis animationem intelligit, omnes deinceps non intelligant, sed à sensu Romanæ Ecclesiæ, ex præscripto nostro discedant*. Quid absurdius?

Præterea, Gregorius in hoc decreto prohibet vsus vocis *sanctificatio* in Officio diuino: ergo prohibet significationem eius: ergo eam non tribuit voci Conceptionis. Antecedens aded certum est, ut potissima causa decreti fuerit interdicere hanc vocem, qua aliqui adhuc vtantur. Certè non negabis ex vi decreti exclusum ab Officio diuino vocabulum sanctificationis: quod si exclusum est: ergo prohibita etiam eius significatio, abstrahens, & indifferens. Voces enim non

ob aliam causam eliguntur, aut respuuntur, quàm propter sensum, & significationem, quod si sensus vocis *sanctificatio* exulat ab Officio diuino ex vi decreti Gregoriani, quis sanæ mentis asserat tributum voci *Conceptio*, vigore eiusdem decreti? An idem præcipitur, & vetatur? Qui enim præcipit vsum vocis, præcipit & sensum, & significationem eius. Voces enim, vt sæpius diximus, non iubentur, aut vetantur, nisi propter significationem. Quare ridiculum est præcipi vocem, & non præcipi sensum. Quid enim aliud esset, quàm inanem soni prolationem, seu articulationem iuberi, quæ pſytaco etiam sine mente per naturam licet? Hinc etiam fit non esse liberum seditatoribus vtriusque opinionis, cum in Officio diuino vtuntur voce *Conceptio*, eam accipere pro sua quemque sententia, sed ab vtrisque eodem omnino sensu accipiendam esse, eo videlicet, quo Romana Ecclesia accipit. Hic autem cum necessariò sit vnus, & simplex, non potest vtrique sententiæ, quatenus inter se differunt, deseruire. Vnde si cum vna conueniat sensus Ecclesiæ, ab altera discordare necessè est, & tamen huius Authores (quidquid priuatim sentiant) debent non in priuato sensu, sed in sensu Ecclesiæ vocem in Officio diuino proferre, vt hac ratione verè, & re ipsa, non fictè, & apparenter cum Ecclesia conformentur. Hæc est planissima, & manifesta Gregorij mens, dilucidata in dilucida apologia D. Antonij Calderon, cuius etiam verba vsurpauit.

Deinde quia Pontifex non præcipit celebrari in sensu quem tanquam erroneum damnauit Ecclesia Romana, sed intelligere in Officio diuino nomine Conceptionis sanctificationem præcisè, est error damnatus ab Ecclesia Romana: ergo eum sensum non tribuit Gregorius voci, nisi velis ipsum damnatos ab Ecclesia errores amplecti. Hunc autem sensum damnatum fuisse ab Ecclesia, constat ex constitutione Sixti IV. prima ex duabus quæ incipiunt, *Græue nimis*, vbi reprobatur, & damnatur tanquam fallam, & erroneam, & à veritate alienam assertionem eorum, qui affirmare præsumunt sanctam Romanam Ecclesiam de spiritali duntaxat Conceptione, & sanctificatione Virginis festum celebrare.

Hactenus declarata manet sincera mens Gregorij ex verbis, & tenore sui decreti, nunc idem demonstramus ex intentione impetrantium illud, nam iuxta petentis mentem debet fieri gratia concedentis, alioquin impostor esset, sicut qui aurea vasa ementi dedisset solum ærea. Ad instantiam, & in gratiam Regis Hispaniarum, à Legato suo Comite Monteregeio impetratum illud decretum, notum est vniuersæ Europæ. Quæ autem mens pietissimi Regis, nisi Conceptionis immaculatæ deuotionem, & cultum promouendi, atque potissimum festiuitatis eius sinceram celebritatem. Ne quis menti Ecclesiæ aliquid subtraheret per diuersa obiecta, & nomina quibus utebantur in Officiis diuinis. Hoc testatur ipse Comes Monteregeus, id ipsum testatus est mihi eiusdem Comitum Confessarius, & Theologus ad hanc causam, P. Gundisaluis Albornoz. Imò idem testatur idem Pontifex Gregorius in epistola ad Philippum IV. vbi postquam se addictissimum erga Conceptionem Deiparæ ostendit, & propter hanc deuotionem collaudat ipsum Regem, remittit declarationem suæ mentis ad Legatos Regios, dicens: *Ex dilectis filijs nobilibus viris Oratoribus*

tuis Comite Monteregeij, & Duce Albuquerque mentem nostram uerius cognoscat Maiestas tua. Ij autem Legati mentem Pontificis declararunt, eam esse quam diximus mysterio, & festo Conceptionis fauorabilem. Quare si decreuisset quod aduersarij dicunt, contrarium potius Regijs votis, & significationi sui animi exhibitæ Legatis Hispanis à Gregorio, insignis impostura fuisset, fefellissetque Pontifex Regem Catholicum, omnem Hispaniam, imò vniuersum orbem. Accedit, quòd gratijs remissis ab Hispalensi Ciuitate ad ipsum Gregorium, pro tam insigni erga Deiparæ Conceptionem obsequio, respondet ad illam tam benignè summus Pontifex, vt ipsum eius Breue Apostolicum iubeat hic transcribere.

DILECTIS FILIIS Senatui Ciuitatis Hispalensis.

GREGOR. PAPA XV.

Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Opulenta Indiarum classes non tantum urbi vestra decus asserre possunt, quantum Catholica Religionis cultus & Christiane pietatis studium. Magnum quidem est, alterius orbis diuitias in vestrum portum conuechi, sed profectò longè præclarior thesauris diuine gratiæ animas vestras locupletari, præterquam quòd ea opulentiâ multos exterarum nationum homines ad Hispalensia litora conuocat: at enim pietas militiam cœlestis exercitus in vestras arces introducit, & Angelorum opem, consuetudinemque pijs fidelium cordibus conciliat. Beati profectò estis, dilecti filij, cum intelligatis, quanto perituris diuitijs præstantiora sint eloquia Domini desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum. Proinde Nos, quorum felicitas Christianarum nationum salute continetur, paterno solatio litera vestra cumularunt, quas nobis non ita pridem reddiderunt dilecti filij Mattheus Vazquez, & Bernardus de Toro; ex illarum enim sententia, & ex horum sermone intelleximus, quò studio Beatissima Virginis gloria inseruiatis. Ita sentire, ita loqui par est, Ciuitatem à dominantium Domino custoditam, & solida pietatis fundamentis innixam. Neque enim vera mortalium laus, atque gratulatio à cœlestis aula gloria seungitur. Vos autem scientiam salutis præclare didicisse ostenditis cum beneficium vobis tributum esse profiteamini eo Apostolico decreto, quo altercantium Theologorum dissidia tollere, & cœlestis Regine dignitati consulere nuper voluimus. Non deerit vobis remuneratio ab eo, qui diues est in misericordia, & beneficentiâ illius Virginis perfruemini, qua causa est nostra letitia, & diuina vlsionis flagella tam sæpè à Catholica plebis capite auerruncat. Nos autem paternâ vos charitate in visceribus Iesu Christi complectimur, ac super urbem istam non minus virtutibus, quàm diuitijs abundantem Apostolica benedictionis thesauros liberaliter effundimus. Deû, Beatissimamque Deiparâ orantes, vt Hispalensem Ciuitatem illustrioribus semper locupletent diuina beneuolentiæ documentis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, die 4. Decembris 1622. Nostri Pontificatus secundo.

In hac Apostolica epistola necessariò fauit Gregorius immaculatæ Conceptioni, tanquam obiecto sacri cultus, si ad mentem scribentium,

Extat in eadem legat. pag 461.

Data Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 4. Iunii 1622.

& gratias agentium rescripsit. Et quidem ad eius mentem necessario respondit, cum pium eorum studium collaudauerit; studium quippe Hispalensis Ciuitatis, totum fuit in promouendo cultu, & ueneratione Conceptionis Virgineæ, tanquam immaculatæ, absque nœuo originalis maculæ, quod omnibus notum est, ut inter Hispanas Ciuitates in hoc cultu se eximiam demonstrauerit. Singillatim tamen expendenda sunt aliqua huius Breuis Apostolici uerba, & primum illa: *Intelleximus, quo studio Beatissima Virginis glorie inferuatis. Ita sentire, ita loqui par est, Ciuitatem a dominantium Domino custoditam, & solida pietatis fundamentis innixam.* Vbi uocat solidam pietatem, quã habent Hispalenses erga immaculatam Cõceptionem, quæ si non fuisset obiectum cultus sacri, nequaquã fuisset solida pietas, sed tantum pietas existimata. Deinde consideranda sunt, quæ subdit: *Vos autem scientiam saluus præclare didicisse ostenditis, cum beneficium uobis tributum esse profiteamini eo Apostolico decreto, quo altercantium Theologorum dissidia tollere, & cœlestis Regina dignitati consulere nuper uoluimus.* Ecce quomodo fatetur Pontifex scientiam habuisse Hispalenses de beneficio Gregoriano decreti. Vnde palam etiam necessario falsus est scientiam habuisse eorum, quæ in decreto continebatur: scientia autem Hispalensium hæc erat, silentium in eo fuisse impositum aduersarijs, & in solempni Officio solum nominandam Conceptionem: quia ipsa immaculata Conceptio celebratur in eo, non sanctificatio sine Conceptione: ergo hæc etiam fuit mens Pontificis, ab ipsomet Gregorio in ijs uerbis declarata. Illud etiam animaduertendum, dixisse Pontificem in eo decreto: *Cœlestis Regina dignitati consulere:* quod nequaquam fecisset si contra communem intellectum Romanæ Ecclesiæ diminueret celebritatem Conceptionis, mutando hanc uocem in cultu sacro, ita ut peccatum originale in illo non excluderet. Sed non nimium ei let consuluisse negatiuè dignitati uirginæ, non subtrahendo huic mysterio, amplius aliquid indicat præstitisse Pontifex, insigne scilicet exhibuisse obsequium, ut cum aliqui excluderent suam naturalem Conceptionem à solennitate huius festi, iussit, ut omnes omninò comprehenderent, non alio uisuri nomine, quàm Conceptionis. Duo præstiterat in decreto, unum imponere silentium aduersarijs, & hoc significauit per sublationem scandalorum; alterum iubere in Officijs diuinis uti duxerat nomine Conceptionis: & hoc indicauit dicens, consuluisse dignitati Regiæ cœlestis.

Verum non solum Hispani intellexerunt, in fauorem festiæ Conceptionis, expeditum diploma Gregorianum, sed etiam exteræ nationes. Ideò in Belgio Antonius Balinghem in suo Calendario Mariano, tanquam eximium erga Virginem obsequium, illius memoriam celebrat die 24. Maij. In Gallia Amædeus Salius in dissertatione sua legitimum Gregorij sensum acerrimè tutatur, & inuectus in nouos nomenclatores, & carpit, & ridet. In Germania Nicolaus Lancicius, tom. 2. opusc. 11. cap. 13. commendans fauorem dicti decreti erga Conceptionem, colligit nunquam contra illam definiendum. In Italia quoque eadem prorsus mente indubius, certusque ueritatis Hippolytus Marracius à Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, in suis Pontificibus Marianis, cap. 94. ut exaggeraret Gregorium XV. addictissimum Conceptionis myste-

rio, primum, & præcipuum, argumentum sumit ex memorato decreto.

Cæterum, & hæc deuotio Gregorij erga immaculatam Conceptionem non leue iudicium est, nihil minus illa dignum decreuisse. Ipse Hippolytus post alia hæc subiicit: *Idem pro eo, quo sanctissimam Deiparam, eiusque param Conceptionem studio persequebatur anno 1623. nouam instituit, uel saltem confirmauit sub eiusdem Conceptionis titulo, Equitum (ne dicam Principum) Religionem, tantis ditatam privilegijs, ut merito ab omnibus credatur (inquit Serranus) omnes antea Equitum institutas Religiones breui superaturam. Congregationem nostram sub inuocatione Sanctissima Virginis Dei Matris, à venerabili uiro Ioanne Leonardo, Luca primitus erectam in Religionem trium uotorum solempnium Apostolica auctoritate approbauit, & fauoribus, gratijsque specialibus ornauit.*

Ioann. Serranus in tractat. de Conceptione, lib. 2. cap. 8.

Hinc capi aliud argumentum potest, obiectum sacri cultus esse iuxta Gregorium, Conceptionem immaculatam, quandoquidem eam censuit obiectum inuocationis Religiosarum Familiarum, de quo antea diximus, & mox dicemus.

Denique suo ipso fundamento nunc subuertemus, imò obuiemus assertionem contrariam, cuius basis raticcinatio est. Præcipiens Pontifex ut omnes in diuino Officio, non alio, quàm Conceptionis nomine utantur, expressis uerbis declarat, per hoc nullum prorsus præiudicium inferri, sed relinqui in eodem statu, & terminis, in quibus erat ante emanatum decretum; sed si nomine Conceptionis non intelligeret *sanctificationem*, abstrahentem à primo, & posteriori instanti, & utriusque sententiæ communem, plusquàm notabile præiudicium inferret sectatoribus sententiæ affirmatiuæ (quia in celebratione diuini Officij obligaret eos relinquere suam sententiam, & adherere oppositæ, ne fide celebrarent) ergo ne dicamus Gregorium sibi esse contrarium, necessario fatendum est, ipsum nomine Conceptionis, non intelligere Conceptionem naturalem in primo instanti sanctam, & immaculatam, sed sanctificationem.

Verum si aliqua huic argumentationi uis inesset, equo utique probaret iure, Gregorium etiam sibi aduersari in altero eiusdem decreti præcepto. Ne in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Siquidem immediatè, post istud decretum ponuntur hæc uerba: *Per hoc tamen sanctitas sua non intèdit reprobare hæc opinionem, neque ei ullum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur.*


Cæterum, nescio an audacia, uel inconsideratio aduersariorum fuerit, cum dicam illud de præiudicio non inferendo affirmatiuæ opinioni, promittatum in decreto Gregoriano, postquam præcepisset in diuino Officio non alio quam Conceptionis nomine uti: quod omnino falsum est, cum post hoc secundum præceptum nihil eiusmodi dicatur, sed solum post illud præceptum primū: *Ne in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd Beatissima Virgo Maria fuerit concepta in peccato originali.* Nec alia amplius opus erat responsione ad aduersarios, quam fraudem esse, aut deceptionem, quod assumunt.

Præterea, quamuis ea præseruatio præiudicij, postposita fuisset secundo præcepto, non ob id fuisset summus Pontifex contrarius: nam quoties

clausula

clausula sine præiudicio adhibetur, semper intelligi debet de alio præiudicio, quam in decreto expresso, ac propterea tantum operatur super præiudicijs expressis, ut est communis sententia inter iurisperitos. Imò hac solutione non est opus, si verba decreti Gregoriani perpendamus. Postquam enim dixit, se nullum præiudicium inferre velle affirmatiuæ sententiæ, limitat hanc clausulam, his verbis: *Præterquam, quod supradicta felicitis recordationis Pauli V. & hoc suo decreto disposita.* Cum ergo expresse excipiat ea, quæ in hoc decreto disponit, nulla contrarietas est, quod ea sint præiudicia, & tamen asserat se nullum præiudicium inferre velle, excipit enim illa ab hoc vniuersali decreto.

Deinde, ipsa decreti materia mentem explicat Pontificis, & quid intelligat nomine præiudicij. Agit enim summus Pontifex in prædicto decreto de sententiâ affirmatiua, quatenus opinio quædam est, & quam quis licite potest amplecti, dum Ecclesia Romana aliud non disponit. Præiudicium autem opinionis, quatenus opinio est, nullum aliud esse potest, quam damnatio, aut alicuius censuræ iniunctio, ut si declaretur hæretica, erronea, temeraria, &c. aut eius assensus prohibeatur: hæc enim si fiant, præiudicium infertur opinioni, cum iam definat esse opinio, & statum profus mutet. Cum ergo Pontifex dixit se non intendere suo decreto vllum sententiæ affirmatiuæ præiudicium inferre, de his numeratis præiudicijs loquitur, non de alijs, quæ cum tolerantia opinionis compati possunt, & ob iustas causas inferri, adhuc non prohibita, neque damnata opinione, ut sunt silentium publicè, & priuatim, & quod omnes in diuino Officio non vntur alio nomine, quam Conceptionis. Tum, si attendamus ad vim, & proprietatem vocis præiudicium, præiudicare est ante tempus iudicare, seu ante sententiam inferre illud damnum, quod non potest nisi per sententiam inferri, vnde præiudicium propriè dictum importat læsionem iuris alieni, neque quocumque damno præiudicamus alicui, sed illo dumtaxat, quod contra ius eius inferimus: nam si merito, aut iure infertur, incommodum quidem, seu damnum erit, non præiudicium, nisi laxiori, & impropria significatione. Voluit igitur Pontifex, ne opinio affirmatiua damnata dicatur, aut eius assensus prohibitus, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica sit definitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam aliter sit ordinatum. Adhuc ad Gregorium spectantia tangemus, vbi de Innocentio X. sermonem instituemus.



CAPVT XXIV.

De Vrbanò VIII.




Equè certum est longo Vrbanò VIII. Pontificatu, cultam in Ecclesia fuisse ipsam immaculatam Deiparæ Conceptionem, & acceptum fuisse ab omnibus iuxta legitimum sensum decretum Gregorij XV. Etenim ipsius Gregorij tempore, & anno Principatu Vrbanò inaudita fuit, imò inopinabilis interpretatio eius ab aduersarijs serò aborta. Quarè

syncerè celebratur ab Ecclesia festum Conceptionis, cum germano suo obiecto. Deinde ipse Vrbanus eandem Conceptionem Virginis, sine labe in suis celebrauit carminibus, ut constat ex Hymno de B. Virgine, ab ipso Vrbanò composito; & suo ipso tempore publicè excusso in strophe 2. cuius verba dedimus in tractatu de exceptionibus Concilij Tridentini; vbi eam luculenter est professus. Nec desijt approbare illam, tanquam obiectum cultus sacri: nam licet quoad Officia diuina non occurrat in Pontificatu suo occasio promouendi illam, occurrit tamen alia cultus sacri materia, cui ipse libentissimè fuit. Inuocatio enim rerum sacrarum, ut diximus, etiam extra Officia diuina genus quoddam est religiosi cultus. Confirmauit igitur Vrbanus Religionem Militarem sub inuocatione Conceptionis, quam instituit Niuersensis, & postea Mantuanus Dux, quod præstitit eâ pietate, quam demonstrauit in Apostolica institutionis Bulla, pridie Idus Februarij primi sui Pontificatus anni, sic inter cetera fatus: *Inestimabili gaudio perfundimur, cum Principes viri, vel ad veteres Ordines amplificandos, vel ad novos Apostolica autoritate instituendos, animos generose conuertunt. Verum præcipuè in Domino oblectamur, dum institutionem vnius Militaris Religionis sub inuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis immaculate meditantur, quam Christi fideles omnes propitiam apud unigenitum Filium suum nacti sunt Advocatâ, utpote quæ Mater gratiæ, & pietatis, pro humani generis salute sedula oratrix apud Regem, quem genuit, semper intercedat, sperantes huiusmodi institutionem, eiusdem Virginis cælorum Regina intercessione, Christiana Reipublicæ vberimos fructus allaturam, &c.*

Quis non videat ex his verbis, sacrum cultum agnouisse in Conceptione Mariana, præcipuè cum dixerit sub inuocatione Conceptionis Deiparæ Virginis immaculatæ; non enim dixit sub nomine Conceptionis: Qui modus loquendi communis est ad res non sacras, nec dignas religiosi cultus, sed sub inuocatione Conceptionis: vnicus de rebus sacris loquendi modus, & religiosâ veneratione dignus: nec contentus Vrbanus dictis, factis promovit eundem Conceptionis cultum, cum habitû huius Militariæ, Apostolica benedictione locupletatum, ut augeter deuotionem erga Conceptionem, misit ad Catholicam Hispaniarum Reginam Isabellâ Borboniam, nec contentus hac simplici propagatione cultus Mariani, & colendæ Conceptionis, prouexit illam multis gratijs spiritualibus; nam habitui militiæ Christianæ Conceptionis B. Mariæ Virginis eidem Reginæ transmissio, impertitus est indulgentias omnes S. Caroli Borromæi, item indulgentias omnes canonizationis sanctorum quinq;. Item similiter omnes indulgentias Comitissæ de Montereï, & insuper (ut ipse sanctissimus dixit) post longam, & plenam dierum vitam in articulo mortis indulgentiam plenissimam, & remissionem omnium suorum peccatorum.

Vt quid tantus indulgentiarum apparatus? Nisi ut coleret, gestato eius habitu, Conceptionem Virginis. Quam nam Conceptionem? Prorsus non aliam præter illam, quam Equites venerabantur, qui militiam Christianam sub inuocatione Conceptionis Virginis immaculatæ institui deposcebant; nimirum immunem à peccato originis, prout ipse testatur Vrbanus in diplomate ad Isabellam Reginam Hispaniarum, dato Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 20. Septem-

Septembris, anno 1625. ubi loquutus de hac militia Christiana, ait: *Que ab eiusdem Virginis Conceptione petijt sacrum equestris familia nomen, & auspiciam.* Horum equitum animus erat, colere Conceptionem immaculatam Deiparæ, cuius votis annuit Urbanus, eodem sensu eis concedens, quo ipsi postulabant, alioquin eos falleret. Notandum quoque est nomen Conceptionis vocari à Pontifice *sacrum nomen, & auspiciam*, in quo fatetur sacrum ipsi Conceptioni cultum cōcedere, ipsamque Conceptionem esse sacram, nec enim sacrum esset eius nomen, nisi ipsa sacra esset, quod si sacram profiteretur, immaculatam quoque falsus est. Tum etiam hic nomen *auspiciam*, sacrum quid subsonat. Hoc amplius declaratur ex his verbis, quibus Pontifex alloquitur ipsam Elisabetham, *quod in signe (Catholica Regina) condis in corde, idem in Regali pectore gestabis*: nam quod gestabat in corde Regina, non erat sanctificatio Virginis utcumque, sed cum immunitate peccati originalis. Erat inquam, deuotio Conceptionis immaculatæ, sic & insigne quod gestabat in pectore erat Conceptionis; non utcumque, sed immaculatæ.



CAPVT XXV.

De Innocentio X.



N Pontificatu Innocentij X. erupit inopinata illa interpretatio, de mutata significatione nominis *Cōceptio* per Gregorianum decretum. Nullum tamen habuit plautum in Christiano orbe, sed communi reclamatione, & repulsa explosa est, aut contempta, ne amplius dicam. Quare continuatus est Innocentij tempore idem Conceptionis immaculatæ cultus. Addo, & ab ipso Innocentio promotum quoque in celebratione huius festi cum solemnius id esse indulerit per vniuersa Regna Hispani Regis. Cum enim per decretum de festis præceptis Urbani Pontificis, tollerentur omnia illa festa de præcepto, quæ non extarent in iure Canonico, ac proinde festum Conceptionis exclusum maneret, Catholicus Rex noster Philippus, flagrantissimo in Deiparæ Conceptionem amore semper succensus, Romano oratori suo iussit, ut à SS. D. N. exposceret, quod declararet, ac decerneret hanc festiuitatem in suis Regnis, ac Proincijs, vel ex præcepto colendam, vel ad suum pristinum restituendam statum; non quia ad eius obseruantiam præcepto Hispanis opus esset, sed pro maiori Virginis gloria, strictiorique huius solemnitatis obseruantia. Sanctissimus igitur votis Regis nostri annuens Bullam Apostolicam ad illum emisit, ubi significauit Regia hæc vota, & postulata libenter exaudisse, & libentissimè indulgit his verbis: *Nos dicti Philippi Regis, erga eandem Beatissimam Virginem deuotionis affectum summoperè in Domino commendare, ac eius desiderio huiusmodi favorabiliter annuere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romane Ecclesiæ Cardinalium, Sacris Ritibus Prepositorum consilio, quoad festum Conceptionis prædictæ Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantum, obstaculum dictæ consuetudinis nostri prædicti prædecessoris Apostolica*


authoritate tenore presentium remouemus. Vota Regia erant, ut solemnius sub præcepto celebraretur festiua Conceptio immaculata, quibus annuens Pontifex, prorsus fauit eius solemnitati, & eiusdem obiecto, excludens sanctificationem solam, & quidquam aliud sine naturali Conceptione.

Illud perspicuè confirmat interpretationem suo tempore obortam de mutata vocis *Conceptio* significatione, haud quaquam placuisse Innocentio, cum non mutauerit Officium Conceptionis à Pio V. ordinatum, quod necesse fuit mutari si nomen *Conceptio* significatum mutauisset. Nam in Officio diuino, quo his temporibus Ecclesia vniuersalis celebrat festum Conceptionis, hæc verba reperiuntur: *Hodie Concepta est Virgo Maria ex progenie David.* Et iterum, atque iterum: *Cōceptio gloriosa Virginis Mariæ ex semine Abrahamæ oræ de Tribu Iudæ, clara ex stirpe David.* Nunc interrogo pro quo supponat nomen *Conceptio*, in prædictis verbis, nam cum dicere nemo audeat, supponere pro sanctificatione Virginis *MARIÆ* indifferenti ad primum, & secundum instans, & vtrique sententiæ communi, (quid enim absurdus, quam sanctificationem Virginis Mariæ emanasse, seu fuisse medium emanationis Virginis Mariæ ex progenie David, vel ex semine Abrahamæ?) supponere debet pro conceptione naturali, in ipso animationis instanti sancta, & immaculata. Quid ad hæc responderi potest, nisi similiter dicere post Gregorij decretum, mutasse etiam significationem verba diuini Officij, & vocem *semen* significare virtutem, vocem *Abrahamam* Spiritum sanctum, *oræ* electa, *Tribus mille, stirps*, misericordia, *David* Deus, ita ut illa Officij clausula *Conceptio* faciat hunc sensum, *sanctificatio gloriosa Virginis MARIÆ, ex virtute Spiritus sancti, electa de millibus Iudæ, clara ex misericordia Dei.* Quid absurdus?

Præterea cum in quodam Responsorio eiusdem Officij ponantur hæc verba: *Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem*: pro quo ibi supponat nomen *Conceptio*, nam cum non possit supponere pro sanctitate (nam verba facerent hunc sensum, quicumque celebrant tuam sanctam sanctitatem, qui improprius, imò ridiculus est modus loquendi, non secus ac iste *albedo est alba*. Formæ enim (ut dialectici dicunt) etsi sint rationes denominandi, non tamen in actu exercito denominant se ipsas, sed subiectum in quo sunt) fatendum est supponere pro conceptione naturali, quæ in ipso animationis instanti animationis fuit subiectum sanctitatis, & sic ab ipsa sanctitate, propriissimè, & in toto rigore ab vniuersali Ecclesia in diuino Officio, etiam post tempora Gregorij XV. sancta, voce plena nuncupatur. Nisi etiam velint aduersarij vocem *sancta* etiam mutasse sensum, & significare idem quod nomen *indifferens*, ut Ecclesia hoc solum recitet, *Quicumque celebrant tuam indifferentem sanctificationem.*

Addo ad tam inopinam assensum interpretationis, debebant summi Pontifices suam mentem explicatissimè exponere, & sanctiones condere de vocabulorum mutatione; nec enim fideles diuinare poterant obtrusum sui capitis animum: nam licet Gregorius XV. eam mentem habuisset, quam aduersaria pars excogitauit de mutatione significationis, cum eam nullo modo explicuerit, sed potius significari contrarium, nulla

ratio est habenda illius internæ mentis, quæ contraria est signis externis; nec potest dici talem sensum esse Ecclesiæ, cum Ecclesia sit congregatio fidelium, & ipse sit solum vnus fidelis; est tamen caput Ecclesiæ, quam regere debet humano modo, non mentaliter dumtaxat, sed sensibilibiter etiam, ad eumque pertinet per exteriora signa suam mentem significare, cui cæteri fideles tenentur obtemperare. Cumque Gregorius XV. nulla signa dederit mutati significatus, nec etiam SS. Pater Innocentius X. postquam audiuisset hanc interpretationem, omninò abijcienda esset ob hanc solam causam, cum tamen tot sint rationes, quæ illam penitus obruant.



CAPVT XXVI.

De alijs Pontificibus Romanis
in genere.

Lij Pontifices Romani, præter eos, quorum specialem memoriam fecimus, imò ij ipsi memorati Pontifices multis modis approbant obiectum festiue Conceptionis, esse immunitatem Virginis à sorditie originaria. Cum enim in hoc festo nihil aliud intonent concionatores, si aliud esset obiectum festiuitatis non permetteret Apostolica Sedes seduci fideles, & panem doctrinæ falsæ suis filijs distribuere, dissonante festiuitate sono prædicationis. Præterea indulgentias supplicantijs populis in honorem, & cultum immaculatæ Conceptionis, non concederent Pontifices sub hoc titulo, nisi eius cultus esset obiectum. Tum præter Officia diuina non permetterent inuocare Conceptionem, nisi idoneum esset obiectum sacræ inuocationis. Et quidem post Litanias approbatas, quales sunt Lauretanæ, per Conceptionem suam apprecamur Regnam cælorum: nam quemadmodum in his dicitur. *Per gloriosam Assumptionem tuam, & per sanctam Natiuitatem tuam*, sic etiam dicimus: *Per salutarem Conceptionem tuam*. Hæc autem apprecatio cultus religiosus est, cuius sicut est obiectum Assumptio, & Natiuitas, ita & Conceptio est. Qui cultus non solum placuit multis Pontificibus, sed eo sunt vsi. De Gregorio XV. hæc narrat Marracius cap. 94. Primum eius in Pontificatu opus, fuit Deiparæ Virginis laus, etenim cum Pontifex renuntiatus in Pontificias ædes se recepit, statim ante Deiparæ Imaginem in genua procumbens Litanias Lauretanæ maximo deuotionis affectu persoluit.

Ad hæc dedicatio Templorum, institutio Religiosarum Familiarum, concessio indulgentiarum, ob cultum Imaginum Conceptionis, aut festorum eius, & alia huiusmodi approbata, & grata Pontificibus idem suadent.

Denique exactissima Pontificum vigilantia, excernendi à Breuiarijs Romanis, quæ dubia animaduernerunt, indubitatum monstrat Sedi Apostolicæ semper fuisse obiectum festiui Virginis Conceptus esse immaculatam, & sanctam Conceptionem, quandoquidem in omnibus Officijs eius, inconcussum permanserit post tot reformationes, & expurgationes Breuiariorum, vo-

cari in ipsis Officijs diuinis Conceptionem *sanctam*, aut *immaculatam*. In Officio antiquo S. Anselmi, & in nouissimo Pij V. *sancta* vocatur, sicut in Officio Sixti IV. & in alijs ante Pium V. *immaculata* dicitur: imò hodie in Officio Franciscano à multis Pontificibus, repetitis approbationibus, commendato ante Pium V. & post ipsum Pium V. & quod consideratione dignum est in ipsa reformatione Breuiarij, iuxta disposita à Concilio Tridentino, ampliata fuit commendatio purissimæ Conceptionis, cum vocetur *sancta*, quod maius est quàm *immaculata*, atque ipsa commendatio, & vox *sancta* perstitit post recognitionem Clementis VIII. & exactissimam re-purgationem Urbani VIII. Non igitur vestigium dubitationis significarunt Pontifices circa obiectum huius festiuitatis constanque illis fuit quod prædicamus.



CAPVT XXVII.

Refelluntur qui dicunt obiectum
huius festi esse sanctificationem
solam, & illustratur mens san-
cti Thomæ.

Eliquum deinceps est, interpretationibus occurrere aduersariorum, noua huius festi obiecta meditantium, easque prorsus profigare. Sunt qui dicant obiectum sacri cultus intentum ab Ecclesia, in celebratione festi Conceptionis, esse solam spiritualem Conceptionem, id est, sanctificationem, qua sanctificata est Virgo M A R I A, in aliquo posteriori instanti: verum non est iam hæc interpretatio toleranda, cum eam damnauerit Sixtus IV. in prima Extrauagante *Graue nimis*, quæ licet non extet in corpore iuris, vna est ex approbatis à Concilio Tridentino, quod innouat constitutiones Sixti, cum pœnis, quæ continent, cumque loquatur numero plurali, & solum duæ constitutiones *Graue nimis*, contineant pœnas: alia autem, quæ est in iure, incipiens *Cum præexcelsa*, non illas contineat. Sequitur inde prædictam *Graue nimis*, approbatam fuisse à sacra Synodo. In hac igitur Extrauagante condemnantur, qui asserunt, *ipsum Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem Virginis M A R I Æ celebrare*: dicente Pontifice huiusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent: eandem sanctam Romanam Ecclesiam de spiritali dumtaxat Conceptione, & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, & eos, qui crederent, & tenerent eam Dei genitricem ab originali peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse; propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vtpote falsas, & erroneas, ac à veritate alienas, editos quoque desuper libros prædictos id continentes, auctoritate Apostolica præsentium tenore reprobamus, & damnamus.

Deinde in decreto suo Gregorius XV. eandem explicationem relegauit, cum explosurus omninò illam, iussit in diuinis officijs, non aliò quam

quam Conceptionis nomine uti; quod idcirco præcipit, quòd aliqui vterentur sanctificationis nomine.

Similiter ab Alexandro VI. in Motu proprio quod incipit: *Illius qui*, prohibentur variae opiniones, inter quas hæc interpretatio potissima fuit, circa contenta in literis Sixti IV. in quibus Romanam Ecclesiam celebrare ipsam Conceptionem immaculatam Virginis, non autem sanctificationem solam constat.

Tum axioma illud tot SS. Patrum, S. Augustini, S. Ildephonsi, S. Bernardi, S. Thomæ, & S. Bonaventuræ, quorum verba postea dabimus, quod firmiter dicat, Ecclesiam non celebrare festum, nisi de re sancta idem probat. Cum aduersarij dicant Conceptionem in se non esse sanctam, atque ob id mendicent sanctitatem aliunde, ex proxima sanctificatione, nimirum post transactam Conceptionem eodem siquidem pacto celebrari posset Conceptio aliorum, qui primæ sanctificationis gratiam non amiserunt, siue primam sanctificationem acceperunt in vtero, imò extra vterum.

Præterea idem dici posset de Natiuitate Virginis, ex cuius festo S. Bernardus, S. Thomas, & S. Bonaventura colligunt Virginem omnino fuisse sanctificatam, antequam naceretur. Hæc autem argumentatio nullius momenti esset, si festum Conceptionis non haberet obiectum ipsius Conceptionis sanctitatem, sed sanctificationem, ultra Conceptionis momentum factam: idem siquidem dici posset de Natiuitate.

Denique omninò est hæc interpretatio contra S. Thomam, licet eiusdem sancti auctoritate, pro suo abutantur aduersarij placito confirmando, verum in eodem omne recidet pondus doctrinæ Angelici Doctoris, quamuis sententiam, & explicationem suam deducere conantur ex D. Thoma 3. par. quæst. 27. artic. 2. vbi quærens, vtrum Beatissima Virgo fuerit sanctificata ante animationem, postquam pro parte affirmatiua proposuisset tertium argumentum in hunc modum: *Non celebratur festum nisi de aliquo sancto, sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis: ergo videtur quòd in ipsa Conceptione fuerit sancta, & ita quòd ante animationem fuerit sanctificata.* Sic respondet ad præfatum argumentum, *Ad tertium dicendum, quòd licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret; tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium: unde talis celebratio non est totaliter reprobanda, nec tamen per hoc, quòd festum Conceptionis celebretur, datur intelligi quòd in sua Conceptione fuerit sancta, sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius, potius quam Conceptionis, in die Conceptionis ipsius.* Hæc Diuus Thomas.

Veruntamen in his verbis, quatuor notanda sunt, quæ contrariorum explicationem euertunt. Primum est, S. Thomam, non loqui de Conceptione, sumpta pro animatione, qui est modò sensus fidelium, adhuc ipsorum aduersariorum: hoc constat ex illo absurdo, quòd deducit S. Thomas, cum dixit: *Ergo videtur quòd in ipsa Conceptione fuerit sancta, & ita quòd ante animationem fuerit sanctificata.* Quid oliarius cum dicat, *ante animationem.* Quare omninò loquitur de Conceptione pro formatione fetus, de quo non est modò quæstio, sed de tempore animationis: cum

igitur in diuerso sensu loquatur S. Thomas, cur illum pro se allegant, cum potius contra ipsos sit?

Secundo loco est notandum, S. Thomam non negasse fuisse sanctificatam Virginem in ipsa animatione, sed solum ante animationem cum tantummodò erat fetus inanimatus; contrarij autem quòd maximè, & potissimum negent, est sanctificatam fuisse in ipsa animatione. Vnde rursus patet diuersimodè loquutum fuisse Angelicum Doctorem, & præter aduersariorum sententiam.

Tertium, quòd oportet animaduerti, est, S. Thomam minimè sensisse festum Conceptionis habere obiectum, duntaxat primam sanctificationem Virginis, sed solum putauit in die Conceptionis celebrari festum sanctificationis eius, non tamen ipsum diem esse festum Conceptionis, quòd perspicuum est ex illis verbis: *Quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam Conceptionis, in die Conceptionis ipsius.* Ecce quomodò vocat S. Doctor, *festum sanctificationis*, non verò dixit Conceptionis, quam potius excludit, nec dedit obiectum festi Conceptionis sanctificationem, sed solum festi ipsius sanctificationis: quòd non est iuxta aduersarios qui extra mentem S. Thomæ dicunt in festo Conceptionis celebrato ab Ecclesia, esse obiectum sanctificationem solam. Itaque secundum S. Thomam, aliud est celebrare festum Conceptionis, aliud celebrare festum in die Conceptionis: celebrationem autem festi Conceptionis non agnouit in Ecclesia Romana, imò nec in priuatis Ecclesijs intellexit celebrari, sed solum celebrari aliquod festum in die Conceptionis, & hoc festum esse sanctificationis. Quem admodum in die Candelarum celebratur festum, sed hoc festum non est, in quo celebrantur Candelæ, sed Purificatio Virginis. Et in die Luminum olim celebrabatur festum, non autem festum, in quo colerentur Lumina, sed Baptismus Christi. Et in die Consecrationis S. Basilij celebratur festum. At olim non erat festum Consecrationis, sed S. Basilij, vt consta ex Martyrologio Adonis, qui nullo modo meminit Consecrationis. Quamuis enim S. Basilij obitus fuerit prima Ianuarij die, non celebratur tunc S. Basilius, sed in die Consecrationis eius 14. Iunii: nunc verò in Martyrologio Romano iam assignatur ordinatio eius. Igitur extra rem est aduocare auctoritatem S. Thomæ, ad firmandum interpretamentum illud, alienum ab ipsius Angelici Doctoris mente. Quam etiam videtur sequutus Paludanus in 3. sent. qu. 2. art. 3. in quarta conclus. Vbi dicit celebrari sanctificationem, quòd dies sanctificationis incertus est. *Olim festum quatuor Coronatorum fiebat sub nominibus aliorum Martyrum propter incertitudinem nominum eorum: sic etiam fit de die Conceptionis, potius quam die sanctificationis: sicut festum inuentionis Corporis Beati Stephani fit alia die quam contigerit.*

Notandum quarto loco est, non fuisse loquutum Angelicum Doctorem de festo instituto ab Ecclesia Romana, sed de introducto, & vfitato in priuatis aliquibus Ecclesijs, quas benignè voluit excusare: hoc euidentè constat ex illis verbis: *Licet Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebrat; tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, illud festum celebrantium.* Aduersarij autem festum ipsum Conceptionis, & ab Ecclesia Romana celebratum, & institutum, & præcep-

præceptum iam volunt à suo legitimo alienare obiecto: tam parum conueniunt cū S. Thoma. Sunt quidem Authores pro negativa sententia, qui mirantur quomodo aduersarij varias expositiones ab antiquis Scholaſticis mutuuntur, eorumque auctoritate munitos se velint, cum tamen constet antiquos non aliam ob causam eas excogitasse, quam quòd viderent ab Ecclesia Romana non celebrari festum Conceptionis, atque ideò ne damnarent eos, qui sine auctoritate Romanæ Ecclesiæ illam colebant, eorum factum, & mentem benignè interpretabantur. Quod si post Sixtum IV. scripſissent, & vidissent Romanam Ecclesiam Marianæ Conceptioni cultum exhibentem, proculdubio rem plane amplecterentur, abſtinerentque ab illis expositionibus, in quas reuerentia in Sedem Apostolicam, & erga proximos amor, & modestia eos induxerant. Quare dicunt iidem Doctores diuersam causam esse eorum, qui ante Sixtum, & qui post Sixtum scripsere, illorum laudandum est studium in eiusmodi explicationibus adhibendis festo Conceptionis, quod à priuatis Ecclesiis tunc agebatur. Hoc enim præstabant, ne Ecclesias, alioquin venerabiles, apertè damnarent, quod in re tam graui præoccupassent iudicium, & auctoritatem Sedis Apostolicæ. Ideo conabantur benigna interpretatione ad sensum trahere nihil noui inducentem, vt quòd eo festo colatur sanctificatio Virginis in utero, omnibus indubitata, vel quod grates Deo agantur ob iacta fundamenta appropinquantis reparationis humanæ, quæ ea Conceptione iam illucescebat, vel quod is dies lætus habeatur, & festus, quo Concepta est femina Dei genitrix mox futura, & si quæ sunt his similia à veteribus excogitata: at qui scripserunt post Sixtum IV. & viderunt ab Ecclesia Romana ipsam Conceptionem Virginis solemniter coli, excusandi non sunt, certe laudem merentur nullam, si eiusmodi interpretationibus adhuc inhæreant, cum eos destituat honesta illa causa, quæ antiquos mouebat, nempe reuerentia erga Sedem Apostolicam, quæ festum Conceptionis non instituerat, & modestia erga eas Ecclesias, quæ eiusdem sedis iudicium anteuertisse videbantur. Satiùs illis fuisset, & consultius Romanæ Ecclesiæ, piam de immaculata Conceptione sententiam, festo ipso iam commendanti fascès submittere, & planè amplecti, quod tam planè ipsa profitetur; quàm reuocatis ab orco antiquorum interpretationibus, quas ipsi pro sedandis contentionibus piè cogitauerant, contentiones alere, & Romanæ, atque ideò Catholicæ Ecclesiæ litem circa mentem suam, mouere iis ipsis rationibus, quibus veteres ob reuerentiam Romanæ priuatas Ecclesias excusare, & lites sopire curabant.

Præclarè hæc à benemeritis de immaculata Conceptione obseruata sunt; sed quoad ingenuos interpretes S. Thomæ, & doctrinam eius nequaquam erant opus. Nec enim ista pia excusatione indigebat Angelicus Doctor, cum nequaquam sit interpretatus festum Conceptionis, assignans illi obiectum sanctificationem solam: sed dumtaxat est interpretatus diem Conceptionis, assignans illi festum sanctificationis, quod valde diuersum est ab eo, quod aduersarij dicunt. A quibus etiam longè discedit, cum adhuc in sanctificatione, quam assignauit festum diei Conceptionis, non assignauit solam, ita vt excluderet instans animationis. Aduersarij autem sic pronun-

Ioann. Enseb. Op. Parth.

tiant sanctificationem obiectum festi Conceptionis, vt eam solùm velint esse absque instanti animationis.

Etenim mens S. Thomæ, hæc fuit. Cùm vidisset diem Conceptionis Virginis festum esse in multis Ecclesiis, idque reprehendisse S. Bernardum in Ecclesia Lugdunensi, tùm quòd fecissent sine auctoritate Apostolica, tùm quia conceptio carnalis Virginis in conceptione fœtus, non esset sancta per gratiam; quoniam absque anima nullum esset subiectum sanctitatis gratiæ, & nihilominus extenderetur hæc festiuitas ad plures Ecclesias, sine contradictione Sedis Apostolicæ: reputans proinde S. Thomas, nõ esse reprehensibile quod illæ Ecclesiæ frequentabant, iudicauit S. Doctor, cum videret festiuium esse diem conceptionis fœtus, & hanc conceptionem fœtus, non esse sanctam gratia habituali, ac proinde nec obiectum esse alicuius festiuitatis, intulit eo die legitime celebrari non conceptionem fœtus, sed sanctificationem Virginis, cùm iam anima infusa fuisset corpusculo, non negans proinde hic, imò, & alibi affirmans in primo animationis instanti accidisse, sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, quoniam etiam ignoratur quo tempore, & instanti fuerit animata, censuit propterea festum sanctificationis eius, celebrari in die Conceptionis feminalis ipsius; in quo minimè fuit aduersarij, qui diuersissima prorsus abeunt, & aberrant via: & quod magis est, omnino sensit quod hodie sentit Ecclesia Romana, quod valde mirandum est, & venerandum in tanto Doctore, qui in hoc omninò sicut in multis directus, & illustratus fuit à Deo. Etenim Ecclesia Romana hodie celebrat in die Conceptionis feminalis Virginis (cum ignoretur quo die fuerit creata, sanctificata anima eius) ipsam sanctificationem eius in primo instanti animationis. Quod si olim ante declarationem Sedis Romanæ, & huius festi institutionem ab ipsa Sede, se conformauit illi S. Thomas: quid faceret hodie post Extrauagantem Sixti IV. & reformationem Pij V. cum ab illo fuerit instituta, & ab hoc præcepta hæc festiuitas Conceptionis animatæ Virginis, simul & sanctificata, non autem conceptio fœtus, sed in die huius conceptionis fœtalis.

Igitur omnino noster est S. Thomas, cum à temporibus Sixti IV. quibus Romana Ecclesia festum Conceptionis celebrare cœpit, in prædicta celebratione, nomen *Conceptio*, non supponat pro formatione fœtus (quæ ex natura rei; animationem antecedit, vt ante tempora Sixti IV. in celebratione Conceptionis, quæ fiebat ab aliquibus priuatis Ecclesiis, nomen *Conceptio*, ex mente S. Thomæ supponebat) sed potius supponat pro animatione, quæ ad formationem fœtus ex natura rei consequitur. Hoc quidem prorsus est iuxta mentem S. Doctoris.


Præterea, si S. Thomas ex eo precisè, quod Ecclesia Romana celebrabat festum Natiuitatis, pro comperto habuit Natiuitatem Virginis fuisse sanctam, si superstes esset, & agnosceret à temporibus Sixti IV. Romanam Ecclesiam celebrare festum Conceptionis, sumpta conceptione non pro formatione fœtus, quæ sanctitatis gratiæ est incapax, sed pro animatione, quæ sanctitatis est capax, nunquid displicere ei potuisset sententia, quæ affirmat idem de Conceptione, ac de Natiuitate? Vtramque scilicet esse sanctam, & vtramque obiectum suæ festiuitatis.

D Rursus,

Epist. ad
Lugdun.

In 1. sent. d.
44. q. 1. art. 3.
ad 3.

Rurfus, cum S. Thomas (si superstes esset) audiret in Officio Cōceptionis, quo utitur vniuersalis Ecclesia à temporibus Pij V. verba ista: *Hodie concepta est B. Virgo Maria, ex progenie David.* Et iterum atque iterum (scilicet in Vesperis, atque Laudibus) *Conceptio Virginis Mariae ex semine Abraham, orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe David.* Credēdū ne est, quod prædicta verba, non de Conceptione naturali, quæ fit per sanctificationem interpretaretur? Minime quidem, cum talis interpretatio planè absurdissima foret, maneat ergo firmum, & stabile à temporibus Sixti IV. Diuum Thomam (si superstes esset) omnino dixisse quod nunc dicunt, qui negatiuam sententiam tuentur, qui antecederet docuit virtualiter, quod nunc expresse acclamatur. Quapropter doctissimus Angelici Doctoris discipulus, & nobilis inter Prædicatorum Ordinis Doctores frater Ioannes à S. Thoma, non abs re dixit in 1. part. tom. 1. disp. 2. artic. 2. *Semper Diuus Thomas inheret sensui Romanae Ecclesiae, semper eam honorat, semper saluat. Unde cum modo, Romana Ecclesia non solum toleret, sed etiam positiuè præcipiat celebrari tale festum, illudque magnis fauoribus prosequatur, loquendo in vi doctrinae Dni Thomae, oportet vice versa de his sententiis censere, & Diuus Thomas sic censeret, si enim ex sola tolerantia Romana Ecclesia illa festiuitas tunc non erat spernenda, ex positiuo præcepto, & fauore, quanto magis diceret venerandam? Præsertim cum ex hoc probet B. Virgine sine peccato fuisse natam: quia eius Natiuitas celebratur ab Ecclesia, ut patet eadem quæst. 27. artic. 1. Ergo idem de Conceptione diceret, si tunc eodem modo celebraretur sicut Natiuitas. Pro illo ergo tempore sic censuit Diuus Thomas, sicut Ecclesia Romana sentiebat; pro isto verò sentiret id, quod illa sentit, & eo modo quo sentit.*



CAPVT XXVIII.

Expladuntur alia obiecta huius festi, quæ nonnulli commentantur.



Andellus oppressus argumento, quod ex celebratione festiue Conceptionis desumitur, duo alia diuerticula quæsiuit. Primū est, celebrari ab Ecclesia Romana festum Conceptionis naturalis, non quia prædicta Conceptione fuerit sancta, sed relatiue ad sanctitatem mox futuram. Secundum est, celebrari ab Ecclesia Romana festum Conceptionis naturalis in gratiarum actionem, & tanquam initium nostræ reparationis.

Verūm vtraque euasio facile potest euerti, & satis esset opponere meditationem horum, & aliorum obiectorum, quæ aduersarij architectantur, dumtaxat esse vsui, ut credantur ea obiecta possibilia esse alicui festiuitati instituendæ. Restat tamen probare, tum posse esse obiecta festi Conceptionis, prout nunc institutum est: tum etiam licet possent esse, an de facto sint, quod planè nequit probari, cum Sixtus IV. designarit iam legitimum obiectum eius, in institutione festi, simul cum ordinatione Officij ad illud celebrandum,

Sed sigillatim assertio prior facile impugnatur, quoniam est contra Augustini assertū sanctis Patribus, & Doctoribus certū, & constans: *Ideo Ecclesia obitus, non natales sanctorum celebrat, quia obitus sunt sancti, non natales.* Similiter S. Bonauentura in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. sub dub. 3. ad 4. ait: *Statuta vniuersalis Ecclesia de sanctorum celebratibus, omnia fundata sunt supra sanctitatem, ut nullo die pre aliquo sanctorum solemnizet, in quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* At si futura sanctitas coleretur in festis Ecclesiasticis natales quorūlibet sanctorum festiui fuissent; cum tamen nullius festum agat Ecclesia, nisi Ioannis Baptistæ (præter natiuitates Christi, & sanctissimæ Virginis) quoniam in vtero sanctificatus sanctam habuit Natiuitatem. Id certum siue Augustini axioma plausu Patrum fuerit acceptum, siue non, ita obseruatum esse ab Ecclesia.

Deinde idem de Natiuitate Virginis dici posset, nimirum coli in ea sanctitatem futuram, ac proinde consequentia Patrum, & Scholasticorum de festo eius ad sanctitatem, marcida est, & argumentum euanidum.

Tum etiam hæc interpretatio, omnino est contra S. Thomam, qui censuit non posse celebrari conceptionem seminalem, hoc est formationem fœtus, quia incapax est sanctitatis gratiæ, at si sufficeret sanctitas futura, omnino posset esse festiua, & solemniter coli, imo de facto hodie coleretur, quod est contra communem sensum, qui non formationem fœtus, sed infusionem animæ Virginis credit celebrari.

Præterea, si conceptio naturalis Virginis Mariæ celebratur ab Ecclesia Romana, non ratione præsentis sanctitatis, sed futuræ, ergo non ipsa conceptio naturalis sed futura sanctitas celebratur ab Ecclesia: at Ecclesia (ipsis etiam aduersariis consentientibus) celebrat Conceptionem naturalem: ergo ut actu coniunctam cum sanctitate, alioquin coleret rem peccato infectam, & Deo iniuriam. Relatio enim ad sanctitatem futuram non tollit, quod ipsa conceptio naturalis sit actu maculata atque adeo non tollit, quod sit indigna cultu. Maximè, quia illa sanctitas futura nihil attingit ad ipsam Conceptionem naturalem, neque illam redditura est sanctam; nam adueniente sanctitate, iam non existit conceptio naturalis, quæ soli primo instanti correspondet: quare licet ipsa Virgo dum concipitur, possit referri ad sanctitatem, quam mox habebit, minime tamen ipsa conceptio naturalis, cum iam non existat, quando adest sanctitas, vnde relatio illa conceptionis naturalis ad sanctitatem futuram, fictitia est, & vana, neque ratione eius potest celebrari ab Ecclesia ipsa Conceptio naturalis.

Posterior assertio satis reiicitur, propterea, quod Ecclesia in hoc festo Conceptionis, non tantum agit gratias Deo, ob iacta fundamenta nostræ reparationis (ut aduersarij conantur) sed etiam ipsam Conceptionem naturalem veneratur, ut ex Ecclesiastico Officio aperte constat: alioquin festum non esset Conceptionis, sed gratiarum actionis, neque cultus aliquis referretur Conceptioni, imò neque ipsi Virgini, sed soli Deo, qui vnus est tanti beneficij author, & cui solum non Virgini, grates referuntur, sed Ecclesia in hoc festo Conceptionem naturalem colit: ergo sanctitatem ipsius conceptionis agnoscit.

Deinde licet pro tali, ac tanto beneficio debita Deo sint exhibendæ, & referendæ gratiæ, expedit

expedit tamen vt expendatur quale fuerit beneficium: nam si fuit (vt reuera nos credimus, & profitemur) quoddam Virginem sacram à peccato originali præseruauerit, & ex speciali priuilegio diuina gratia peccatum præueniente, illam sanctam efficeret, hoc est quod intendimus. Si verò id ipsum negent, eiusmodi interpretatio, & solutio planè coincidit cum prædictis. Neque ex hoc quod festum hoc in gratiarum actionem institutum dicitur, colligi, & inferri vllò modo potest, quod Virgo sacra in primo suæ Conceptionis instanti non fuerit sanctam maiore, atque vberiores Ecclesia exhibet Deo gratias, ex eo quoddam contra communem cursum ex speciali priuilegio illam à peccato præseruauit, & puram, & sanctam effecerit in primo suæ Conceptionis momento, quam si post contractum peccatum eandem mundauerit, purificauerit, siue sanctificauerit. Quibus omnibus accedit, quoddam ex communi SS. Doctorum doctrina, dies festi in Ecclesia non instituuntur, sicut iam notauimus, nisi ratione alicuius sanctitatis, quæ sit in re ipsa, quæ celebratur, ratione cuius Deo, debita gratiarum actiones referantur, & hucusque nunquam legimus ab Ecclesia celebritatem aliquam fuisse institutam, ob solam sanctitatem futuram, vt rectè aduertit Cordoua, qui expositionem prædictam vocat, non solum friuolam, verum etiam erroneam, & contrariam determinationi Sixti IV.

Ad hæc licet Ecclesia Romana aliqua festa in gratiarum actionem alicuius miraculi, aut beneficii instituerit, vt bene Surius notat; tamen nunquam consuevit ingressam alicuius hominis in mundum, aut eius à mundo egressum celebrare, nisi talis homo in ingressu, aut egressu sanctus fuerit: vt inductione aliorum festorum constat. Ratio fortasse est, ne rudes videtes Ecclesiam celebrare Natiuitatem: v. g. S. Pauli, aut alterius Apostoli, illos tunc sanctos fuisse arbitrarentur, sicut fuit S. Iohannes Baptista, aut B. Virgo; quod inconueniens in festo vinculorum B. Petri, Exaltationis S. Crucis, victoriæ reportatæ à Turcis, & similibus non reperitur; cum ibi absit omnis æquiuocatio, & ipsum festum præferat in illo non sanctitatem, sed miraculum, & beneficium, inde in Ecclesiam deriuatum, celebrari. Confirmatur amplius: nam si conceptio carnalis B. Virginis celebratur ab Ecclesia, solum quia fuit miraculosa, & nobis utilis, etiã non solum Conceptioni multorum sanctorum insignium sed etiam Ario insigni hæresiarchæ, festum institui posset, cum multi sancti miraculose fuerint concepti, Arius miraculose crepuerit; & tam ingressus illorum in mundum, quam egressus illius à mundo, Ecclesiæ utilis fuerit.

Tandem obseruandum est, Ecclesiam multoties ita festum in gratiarum actionem instituere, vt simul sanctitatem alicui concessam colat, & veneretur, vt accidit in Natiuitate B. Mariæ, vbi ita Ecclesia Virginem tunc sanctam veneratur, vt pariter gratias Deo agat; quia nata fuit puella, quæ Christum Deum erat paritura; vt constat non solum ex locis Anselmi, sed etiam ex Responsoriis, & Antiphonis præfati festi, vbi Ecclesia expressè inuitat fideles ad celebrandam Deiparæ Natiuitatem, quia Dei Mater futura erat. Idem accidit in conuersione S. Pauli, natali Baptistæ, & aliis, in quibus festis Ecclesia eos ita colit, vt pariter gratias agat pro beneficio nobis concessio. Idem contigit in festo Conceptionis B. Virginis, vnde sicut ex eo quod festum Natiuitatis Marianæ, sit insti-


tutum in gratiarum actionem, non inferitur in eo non coli sanctitatem Virginis natæ, ita nemo efficaciter inferet, non coli sanctitatem Virginis, vt primò conceptæ, ex eo quod festum præfatum, sit institutum in gratiarum actionem, cum vtraque ratio Ecclesiæ mouerit ad introductionem huius festiuitatis; quod solum voluit Bellarminus.

Aliam, quæ nuper profiliit interpretationem Recentiorum, qui dicunt post Gregorij XV. decretum, obiectum festi Conceptionis esse vtrique Conceptionem nouiter significantem sanctificationem, quæ abstrahit à priori, & posteriori instanti, sitque communis vtrique sententiæ: satis reiecit cum de Gregorio XV. egimus.

Illud memorare oportet, omnes has interpretationes refelli, etiam ex multis, quæ iam insinuauimus, nimirum ex eo, quod festum Conceptionis quod Ecclesia Romana celebrat à temporibus Sixti IV. est ipsummet, quod damnabant Prædicatores illi, in quos inuehitur Sixtus IV. in constitutione *Græue nimis*. Huius autem obiectum, erat immunitas Virginis à peccato originali. Tum etiam ex eo quod festum Conceptionis, quod Ecclesia Romana à temporibus Sixti IV. celebrare cepit, est ipsummet, quod aliquæ particulares Ecclesiæ, ante tempora Sixti IV. celebrabant colentes immaculatam Conceptionem. Similiter ex decreto Gregorij XV. istæ interpretationes ablegantur, sicut etiam ex motu proprio Alexandri VI. pugnat aduersus prædictas interpretationes antiquorum Doctorum sensus, qui omnino negabant festum Conceptionis celebrandum si Deipara fuisset in peccato concepta. Sic glossa verbo Natiuitas, in cap. 1. de consecrat. dist. 3. ait: *De festo Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, & maxime in Anglia: & hæc est ratio, quia in peccatis concepta fuit*. Hæc glossa non est Ioannis Andrea, sed Hugonis perantiqui factorum Canonum Doctoris iuxta quos, & sanctos Patres, & Ecclesiæ morem censuit nullo prætextu celebrandum esse de re non sancta, seu quæ inuoluunt peccatum.

Denique aduersus omnia prædicta interpretamenta, pugnat illa sententia venerabilis Patris, quam refert Ludouicus Blosius, cap. 5. de dictis Patrum: *Quod ad munditiam Conceptionis huius Virginis Matris Dei attinet, non est quod dubites: licet plerique ex antiquioribus Patribus dubitasse videantur, cum nondum festum eiusdem Conceptionis in Ecclesia Romana celebraretur. Modò enim in orbe Christiano Catholici sequunt ipsam Romanam Ecclesiam (quæ omnium Ecclesiarum caput, & magistra est) festum illud iam olim receptum alacri, & magis deuotione celebrant, recolentes exordium nostræ felicitatis, quando scilicet nobilissima anima Maria à Deo creata, & ipsius sanctissimo corpufculo citra originalis culpa contagionem infusa fuit. Quapropter mirum sanè est, adhuc nostro æuo inueniri aliquos, qui hac in parte non satis illuminati, puritatem Conceptionis eiusdem Beatissime Virginis vocent in dubium, & suam opinionem in ea re obstinatius tueantur, citantes quasdam sententias SS. Patrum, qui tamen si nunc hic viuerent, aliter proculdubio sentirent, quam isti eos sensse dicunt. Certè Romana, eademque Catholica Ecclesia, quæ errare non potest, hoc ipso quod festum Conceptionis Deiparæ Virginis celebrandum assumpsit, satis ostendit, atque affirmat eandem Conceptionem fuisse omnino contagionis expertem, ac sanctam: profana siquidem fe-*

sta non nōnit Ecclesia. Precatur autem Deum in ipso incontaminata Conceptionis festo his verbis: Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum preparasti, præsta quasumus, ut sicut eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas. Quidam igitur antiquorum Sacerdotumque Patrum, loquens de istis verbis prophetis: Egredietur virga de radice Jesse, rectissime ait Maria, virga illa est, in qua nec nodus Originalis, nec cortex venialis culpe fuit. Itemque alius dicit: Temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum. Reuera ita est. Nam piæ aures offendit, quisquis modò asserere non veretur, præcelsam illam Heroidem, quæ spiritibus angelicis sanctior est, obnoxiam fuisse peccato originali, quod hominem efficit membrum diaboli, & filium ire. Deceit omnino ut ea, quæ Christum Dominum Deum nostrum concipere, ac parere, caputque serpentis antiqui contereere debebat, nunquam vel ad momentum subiecta esset eadem serpenti, nunquã esset filia ire. Hoc privilegio honorata est Mater Altissimi.



CAPVT XXIX.

*Extruditur alia interpretatio
Grauina.*



Lij dicunt cum Grauina, obiectum cultus sacri esse duplex, aliud absolutum, & primum, & aliud secundarium, & secundum quid: illud est sanctitas indubia, & certa alicuius, & hoc est circumstantia, seu occasio, ob quam aliud adorandum proponitur. Exemplum prioris obiecti est cultus, qui sanctis defertur: exemplum posterioris est aliquod miraculum: ob quod creditum fide humana Pontifex prudenter mouetur ad aliquod festum instituendum. Subiungit Grauina obiectum primum cultus exhibiti ab Ecclesia, debere esse certissime, & à parte rei verum, & idè, ex eo Augustinus, & Patres dogmata demonstrare solent. Ad obiectum secundarium cultus non est necessarium, ut sit certissime verum, sed sufficit, quod probabiliter, seu prudenter verum appareat. Exemplum sit festum Apparitionis S. Michaelis, & festum de victoria contra Turcas, tempore Pij V. reportata, & sub titulo B. Virginis de victoria celebratum, & exaltatio sanctæ Crucis ab Eraclio Imperatore, in quibus festis obiectum primum cultus est sanctitas Archangeli, Beatissimæ Virginis, & excellentia Sanctæ Crucis, obiectum secundarium est Apparitio S. Michaelis, reportatio victoriæ precibus B. Virginis impetrata, & deportatio S. Crucis ex Persia in Ierusalem, ubi licet obiectum primum harum festiuitatum sit indubia sanctitas, at quod Archangelus apparuerit, & Heraclius exaltauit sanctam Crucem, & victoria contra Turcas fuerit obtenta; de fide certum non est, cum solum prædictarum veritatum notitiam per historiam humanam, & fallibilem habeamus. His suppositis dicunt, obiectum primum festi Conceptionis esse sanctitatem Virginis: quæ indubitata est. Secundarium verò immunitatem à sorde originali, quæ est probabilis, potest autem subesse falso. Verum hæc noua tergiuersatio, ut veritatem

eludat, est contra Ecclesiæ Patres, & ipsius Ecclesiæ auctoritatem, quod ut demonstramus aduertendum est, satis esse probabilitatem, ut cultus exhibitus à priuata persona sit licitus, imò religiosè meritorius. Ast cultus exhibitus alicui, nomine Ecclesiæ, circa rem verè, & à parte rei sanctam, versari debet. Hoc enim priuilegium Christus suæ Ecclesiæ concessit, nempe ne possit aliquid adorandum proponere fidelibus, quod verè, & à parte rei sanctum non fuerit, & quod non possit petere, seu orationem fundere pro re falsa: vnde ut constat ex alio celebri dicto Cælestini Papæ: *Legem credendi statuit lex supplicandi*: preces, & orationes Ecclesiæ dogmatum, argumentum irrefragabile sæpe sunt. Ob hanc causam Augustinus lib. de Bono perseuerantiæ, cap. 22. & 23. & passim alibi ex orationibus Ecclesiæ, peccatum originale in paruulis, purgatorium, adiutorium diuinæ gratiæ, & alia dogmata deducit. *Non oraret Ecclesia*, ait Augustinus, *ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & auersas hominum ad se conuerteret voluntates.* Eidem innixi fundamento Theologi, vno ore fatentur canonizatos, imò, & beatificatos, esse verè sanctos; nempe, quia Ecclesia eis cultus sacros exhibet, & eos fidelibus venerandos proponit.

Tum etiam ex eo, quod Ecclesiæ Natiuitatem Deiparæ colit, eam in utero Annæ sanctam fuisse, firmissime tenent S. Augustinus, Ildephonus, Bernardus, Bonauentura, & D. Thomas. *Idè, sentit, Ecclesiam obitus, non natales sanctorum celebrare, quia obitus sunt sancti non natales.* Quasi ea nihil possit celebrare, quod non sit sanctum. Ceteri ad Mariam propius accedunt: & cum natiuitatem eius sanctam prædicent non aliunde sanctam esse probant, nisi quia vident ab Ecclesia celebrari: *Quia eius (id est Mariæ) Natiuitas (ait Ildephonus lib. de Parturit. Virginis) solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subiicitur delictis.* Constat inquam ex Ecclesiæ auctoritate: at non aliunde, quam ex festi celebratione: & S. Bernardus epist. 174. *Quia ortum Virginis didici in Ecclesia indubitanter haberi festiuum, firmissimè cum Ecclesia sentio, in utero accepisse, ut sancta prodiret.* Firmissimè inquam cum Ecclesia sentio, quæ verba rem de fide credendam notant: idque præcisè, quia diem festiuum habet. Idem sanctus in eadem epistola scripsit: *Virgo Maria nascens festiuis laudibus non honoraretur, si non sancta nasceretur.* Neque minus expressè S. Thomas 3. part. q. 27. a. 1. in argumento. *Sed contra. Ecclesia, inquit, celebrat Natiuitatem B. Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro sancto.* Eandem propositionem iterat, art. 2. *Non celebratur festum nisi de aliquo sancto.* Similiter S. Bonauentura dixit in 3. d. 3. q. 3. art. 1. *Pro indubitanti hoc habet Ecclesia, videlicet, quod B. Virgo fuerit in utero sanctificata, & illud ex hoc patet, quod eius Natiuitatem Ecclesia celebrat, quod non faceret, nisi sanctificata esset.* Certè, si consequentia semel bona, sæpe bona inuenitur, ut dici solet, pari ratione dicendum nobis est cum Ildephono: *Quia Maria Conceptio solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis quando concepta est, subiicitur delictis.* Et cum Bernardo: *Quia Conceptio Virginis in Ecclesia festiua est, firmissimè cum Ecclesia sentio, in utero accepisse, ut sancta conciperetur.* Et tandem cum Doctore Angelico, &

Cælestin.

D. Augustin.

D. Augustin.
Scrm. 113.Mag. frat.
Ioan. à sanct.
Thom. in
pælud. 1. p.

S. Bona

S. Bonaventura : *Ecclesia celebrat Conceptionem; ergo sancta fuit : non enim celebrat festum, nisi pro sancto.* Certè grauissimi, & doctissimi ex Thomistis, propter hoc testimonium nostræ sententiæ adherent, prono affectu, nec veluti castrorum defensores, quibus nomen dedissent, sed quia non dubitant Angelicum Doctorem, ex hoc ipso motiuo, si hodie viueret, eidem adhaesurum.

Nunc ad rem venio, vt conuellam cogitata Grauinæ, conuulsura tot Patrum autoritatem, si constans esset distinctio illa obiectorum primarij, & secundarij, illius indubitati, huius autem incerti. Rueret profus ratiocinatio S. Ildephonsi, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum Doctorum, ita vt Natiuitas Virginis sine sanctitate eiusdem Natiuitatis posset coli, cuius contrarium aded certum fuit S. Ildephonso, vt dixerit *constare*, verbum profus magnæ certitudinis, nec *constare* solum dixit, sed addidit, *ex autoritate Ecclesie.* S. Bernardus amplius id exaggerauit dicens, *firmissime cum Ecclesia sentio.* Idem S. Bonaventura confirmat dicens, *pro indubitanti hoc habet Ecclesia*, non dixit, ego habeo pro indubitanti, sed *hoc habet Ecclesia*: vt maiorem veritatis firmitatem ex sensu Ecclesie ostenderet. Simplicia dicta Patrum veneranda sunt, maximè cum vniformiter conueniunt. Quid dicendum cum tam firmiter, & indubitanter, nullo contradicente affirmant. Quare, siue Natiuitas sit obiectum primarium, siue secundarium suæ festiuitatis, certa debet esse iuxta Patres, eius sanctitas: idemque dicendum est de Conceptione. Sed est reuera falsum, Ecclesiam in festo Conceptionis, non intendere etiam primario honorare B. Virginem, vt immaculatam, seu vt erat in primo instanti metaphysico sui esse, tum quia Ecclesia festum Conceptionis celebrat eodem modo (vt ait Anselmus in quadam epistola) ac festum Natiuitatis, & eisdem verbis, & epithetis vtrumque honorat: tum quia celebrat præfatam festiuitatem in sensu, quem aliqui concionatores tempore Sixti IV. damnabant vt hæreticum, quòd Ecclesiam cultum primarium exhibere Virgini, vt erat in primo instanti metaphysico suæ existentie persuadet.

Præterea, fundamenta præcipua Bernardi, quibus innixus probat contra Canonicos Lugdunenses, epist. 174. non esse celebrandum festum Conceptionis ruerent: nam præcipuum est B. Virginem in primo instanti metaphysico sui esse, non fuisse sanctam, sed peccatricem: cui argumento, iuxta doctrinam Grauinæ, facile Lugdunenses respondere possent, illud ita esse, sed esse obiectum secundarium, quòd licet falsum fuerit à parte rei, nihilominus poterat esse occasio, vt festum de Virgine sancta, in ventre Annæ sub nomine Conceptionis, à particularibus Episcopis institueretur: si quidem obiectum primarium illius festiuitatis, erat sanctitas indubia Deiparæ, & aliunde Episcopi in suis Diocæsis, sine noua licentia Sedis Apostolicæ, sanctos indubios qualis fuit B. Virgo in utero materno, publice colere valeant. Dicere etiam posset Canonici colere Conceptionem, vt secundarium obiectum.

Alia etiam via hæc Grauinæ opinio aduersus Patres est, quemadmodum annotauit noster Ambrosius Peñalosa, Doctor sacræ Theologiæ, & eius in Vienenli Vniuersitate Primarius professor, quem de confutando Grauinæ iudico benemeritum, cuius obseruatio hæc est. S. Augustinus

Joann. Euseb. Op. Parth.

necessitate diuinæ gratiæ, ex eo quòd eà à Domino petimus, multoties deducit: *Hæc à Deo* (ait Augustinus epist. 107.) *poscenda non renuis, quid restat frater Vitalis, nisi vt ab illo illa dona fatearis, à quo poscenda esse consentis.* Et infra: *Inaniter agitur, & perfunctorie potius quam veraciter pro eis* (scilicet hæreticis) *vt doctrina, cui aduersantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad eius non pertinet gratiam conuerrere ad fidem suam, ipsi fidei contrarias voluntates.* Idem argumentum repetit Augustinus, lib. de natur. & gratia, cap. 18. quæst. 89. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. c. 20. & lib. de bono perseuer. cap. 22. & 23. & sæpè alibi, vbi ex eodem principio infert alias multas veritates. Eodem argumento vtuntur Patres Africani, epist. ad Innocentium, quæst. 90. apud Augustinum, quorum est illa celebris sententia: *Ipsa igitur oratio clarissima est gratia testificatio.* Quem discursum tenuit ipse Innocentius in epist. 25. quæ est apud Augustinum 19. & Cælestinus in epist. 1. ad Episcopos Gallie, c. 9. Verum, si illa distinctio obiekti cultus primarij, & secundarij ita admittitur, vt simul asseratur obiectum secundarij cultus, approbati ab Ecclesia posse esse falsum à parte rei, via latissima aperietur ad eneruandum argumentum à tot Patribus repetitum. Quilibet enim respondere posset; adiutorium diuinæ gratiæ non esse obiectum primarium, sed secundarium orationis fusæ ab Ecclesia, quòd cum non debeat esse à parte rei verum, sed solum probabiliter, & in iudicio prudenti, idcirco, ex præfato principio solum colligi, esse probabilem necessitatem adiutorij diuinæ gratiæ, & incursionem peccati originalis, non autem esse veram à parte rei.

Neque satisfacies respondendo cum Grauina. Patres non intulisse prædictas veritates, ex solis precibus, externè fusis ab Ecclesia, sed ex illis, vt ortis ex iudicio certo ipsius Ecclesie credentis diuina fide illud obiectum esse verum; quippè hoc esset fateri argumentum à tot Patribus confectum, vt iacet esse infirmum, & vt subsistat, fulcris adhibitis à Grauina indigere, siquidem obuium fuisset cuiilibet respondere, nequè orationes Ecclesie, nequè exorcismos, nequè actiones gratiarum, esse argumentum obiekti veri, nisi vt orta à iudicio certo Ecclesie de eorum obiecto, ac proinde ni prius prædictum iudicium demonstraretur, discursum indè formatum esse inualidum. Vnde Augustino epist. 107. sic argumentanti pro gratia: *Hæc à Deo poscenda non renuis, quid restat frater Vitalis, nisi vt ab illo illa dona fatearis?* Responderet Vitalis, aliquid aliud restare ad soliditatem præfatæ conclusionis, nempe eas orationes esse ex iudicio certo Ecclesie profectas. Ad hæc, Patres aliquot veritates, iam ex iudicio Ecclesie, iam ex orationibus & gratiarum actionibus illius, tanquam ex diuerso capite deducunt, quòd persuadet eos ex solo cultu, aut oratione externa argumentatos fuisse; alioquin, neque discursus, desumptus ex cultu, & orationibus Ecclesie, ab argumento desumpto ex iudicio Ecclesie diuersus, neque ille supra hoc soliditatem, aut robur vllum adderet: siquidem vtrumque vnū & idè esset, & præfato iudicio inniteretur. Cõfirmatur, nã Augustinus lib. de bono perseuer. c. 22. sic ratiocinatur: *Atque vniã tardi corde, & infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent disputationes nostras, vt magis inuere-*

tur orationes suas, quas semper habuit, & habebit Ecclesia. Vbi Augustinus tardos corde, infirmos, & non valentes penetrare scripturas, & disputationes Theologicas, ad assentiendum aliquibus propositionibus, cogere procurat ex orationibus Ecclesie, quas ipsi recitabant: quod arguit illum ex solis externis orationibus argumentum formasse, alioquin, si ad præfatam illationem præter orationes externas, iudicium certum Ecclesie prærequireretur (præterquam quod illius mentionem fecisset, ut potè etiam arguens contra infirmos, & rudes) ex eorum recitatione orationis nõ conuicisset: siquidè facile respondere poterant, neque se, neque Ecclesias de eorum obiecto certum iudicium habere, ac proinde eius discursum infirmum esse. Idem suadet Augustinus lib. de peccato originali contra Pelagium, & Cælestinum, cap. 11. vbi postquam asseruerat pueros baptizari, exsufflari, & exorcizari ab Ecclesia, subiunxit: *Quibus omnibus rerum occultarum secretis, & euidentibus signis à captiuatore pessimo, ad optimum Redemptorem transisse monstrantur.* Vbi duo aduerto, aliud Augustinum eodem modo, ex forma Baptismi, ac exorcismis peccatum originale puerorum intulisse: vnde sicut ex sola forma externa Baptismi prædictam veritatem deduxit, ita ex sola externa oratione eandem veritatem illatam fuisse fateri oportet. Aliud prædictam conclusionem occultam esse deductam ex euidentibus signis: etenim, non exorcismus, vt includens iudicium infallibile Ecclesie, sed solum exorcismus externus hæreticis, contra quos disputabat Augustinus, euidentis erat, cum eos tale iudicium lateret, & tam illud, quàm peccatum originale puerorum, ut potè illis occultum negarent: ergo Augustinus non in iudicio Ecclesie, sed solum in culta, vel orationibus illius externis, argumentum inniti voluit: ex hoc enim tam obiectum cultus, & orationum Ecclesie, quàm ipsum iudicium Ecclesie, ex quo illa dimanant, esse verum Patres stabilierunt. Quod amplius roboratur si aduertat: eos non solum ex orationibus Ecclesie intulisse, rem petitam à Deo esse veram, sed etiam absolute deduxisse, si ea fuisset falsa prædictas orationes nullatenus futuras, vt constat ex locis citatis, quæ consequentia inidonea fuisset, si argumentum in oratione, vt conuincta cum iudicio certo Ecclesie inniteretur, siquidem oratio rei falsæ, vt orta ex iudicio probabili poterat perseverare.

Aduersus exemplum Grauinæ, de apparitione S. Michaelis, & aliorum, quæ ipse vocat obiecta secundaria, & obnoxia fallaciæ, pronuntiat; retorquendum est exemplum stigmatum S. Catharinæ Senensis: quippe ipse Grauina 2. par. tom. 4. quæst. 5. artic. 2. §. *Responsio ad alia motiua*, contra decretum Urbani VIII. decernentis B. Catharinæ de Sena stigmata fuisse impressa, Raymundum Capuanum, ob cuius testimonium Pontifex id sanxit, potuisse mentiri, respondet: *Verum est quod mendacium, & fictio potest interuenire metaphysicè loquendo, sed moraliter non est presumendum.* Et idè quæst. 2. artic. 14. eiusdem tom. eadem impressionem stigmatum, indubiam esse vult. Opportunè propterea aduertit laudatus Ambrosius Pennalosa, dicens: Profectò, si Grauina eodem affectu erga B. Virginem Deiparam, ac circa suam S. Catharinam ferretur, eam fuisse de facto immaculatam, ex cultu publico illi exhibito arguisset, siquidem Ecclesia de facto in Officijs, saltem

particularibus, expressè præsertatam affirmat, & ob eam, vt immaculatam, in suis orationibus à Deo beneficia impetrare intendit. Quare ne deterior conditio sit virginæ Conceptionis deducitur, certam esse eius immunitatem: sicut etiam ex festo impressionis stigmatum S. Francisci à tota Ecclesia 16. Septembris celebrato, ea illi verè, & à parte rei, impressa fuisse, & ex festo Inventionis S. Iacobi in Hispania, solemnè 30. Decembris, corpus B. Iacobi Compostellam fuisse deportatum inferitur, siquidem Ecclesia prædictos sanctos, vt præfatis circumstantijs, & priuilegijs cohonestatos, saltem secundariè colit, & veneratur, & eos, sic sumptos, Deo repræsentat, & præfatis priuilegijs allegatis, ab eo beneficia obtinere procurat. Sicut enim Ecclesia in festo vniuersaliter liberè celebrato, stigmatum S. Francisci, sic orat: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra, tui amoris igne in carne B. Francisci, passionis tue sacra stigmata renouasti.* Et in festo Inventionis corporis S. Iacobi, Hispanis, in Missa, & Officio sic orare concessit: *Deus, qui dispositione mirabili corpus B. Iacobi Apostoli tui, de Ierosolymis in Compostella gloriose sepeliri voluisti.* Ita approbante Sixto IV. hanc orationem in festo Conceptionis aliquæ Communitates, & Dioceses ad Deum fundunt: *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem.* Vnde sicut nemo negabit sacra stigmata B. Francisci, & S. Iacobi corpus fuisse Compostellæ, nempe quia Ecclesia eos saltem secundariè sic colit, ita licet præseruatio B. Virginis à peccato originali, sit circumstantia, seu obiectum secundarium festi Conceptionis, in illo falsitas non reperietur, alioquin in orationibus Ecclesie mendacium inueniretur, & consequenter eadem, saltem ex parte inanes, & perfunctoriæ essent, contra id quod sentiunt Ecclesie Patres.

Itaque siuè hæc obiecta primaria sint, siuè secundaria, ea ipsa quæ ante Sedis Apostolicæ decretum probabilia erant, post illud tamen certa sunt Pontificia authoritate, quemadmodum, & probabilis aut incerta hominum sanctitas post declarationem Pontificis indubitata est: quandoquidem dedecet authoritatem Apostolicam errare in ritibus, dogmatibus, & moribus, cum in his à diuino Spiritu dirigatur, ad gubernandam Christi Ecclesiam, vt nihil eiusmodi proponat ex Cathedra illi falsum. Et licet aliqui scholastici insinuent Ecclesiam in obiecto secundario aliquis festiuitatis errare posse, loquuntur non de possibilitate morali, ita vt licet extraordinariè non implicaret Ecclesiam errare in secundario obiecto; moraliter tamen loquendo errare nequit. Hoc spectat ad maiestatem, & sanctitatem Ecclesie, quam ut potè columnam veritatis, in suis orationibus, etiã secundariè errare, & falsum proferre, moraliter nunquã cõtinget: sic eius orationes nulla ex parte inanes, aut perfunctoriæ erunt, vt Patres. Sic argumentum eorum ex solo cultu, aut orationibus externis Ecclesie desumptum, veritatem cõcludit.

Hæc ipsa certitudo obiecti secundarij communitur, ex communi Theologorum sententia affirmantium cum S. Thoma 2. 2. quæstio. 10. artic. 12. quamcumque Ecclesie approbationem, etiam circa res opinabiles, maioris ponderis esse quam testimonium Augustini, & cuiuscumque alterius Patris, eamque per suas preces, & sacrum cultum robur nouum addere ad conclusionem inde inferendam: fateri id circo oportet Pontifices nunquam errasse in obiecto secundario cultus, & orationum

orationum publicarum, seu moraliter in eis decipi non posse. Et ratio à priori est, nam vt admittit Grauius, & demonstrant Suarius de fide, disp. 5. sectio. 8. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 3. Turrian. de fide, disp. 16. dub. 2. Granad. controverf. 1. de fide, tract. 7. disp. 2. sect. 2. Bellarmin. lib. 4. de summo Pontifice, cap. 10. Papa non potest, quod materialiter malum est, seu quod à parte rei opponitur iuri naturali, aut diuino approbare, etiam si illud ob ignorantiam hominum, probabiliter bonum appareat: quo innixi fundamento superaddunt contractus, & institutum Religiosum approbata ab Ecclesia, non solum probabiliter: sed à parte rei esse licita, & honesta. Cæterum cum materialiter, & à parte rei fuisset contra ius naturale, aut diuinum affirmare in oratione fusa ad Deum, S. Francisco fuisse impressa stigmata, B. Virginem fuisse à peccato præseruatam, si reuera neque S. Franciscus stigmata habuisset, neque B. Virgo fuisset præseruata ab originali, idcirco, ne Pontificem circa mores materialiter errare potuisse fateri cogamur, asserendum est, obiectum etiam secundarium cultus publici, & precum Ecclesiæ, moraliter saltem falsum esse non posse. Nam plures affirmant in hoc certitudinem non solum moralem, sed physicam, & alij ad fidem spectare SS. canonizatorum veritatem, quæ licet non constet ex Scriptura per reuelationem particularem, constare dicunt ex illa per reuelationem generalem, de assistentia diuini Spiritus, super Ecclesiæ Christi caput, vt omnino sit columna veritatis, cuius libet erroris expers.

Ex dictis vtcumque concludo, non esse audientes illos, qui dicunt non celebrari hoc festum à Papa, tanquam indubitatae sanctitatis (quamuis allegent patrocinium P. Vazquez tom. 2. in 3. part. disp. 177. cap. 3.) sed tantum, vt magis probabilis: quia permittit vt opposita sententia defendatur, quo differt ab alijs festis, de quibus dubitari non licet. Quoniam contra eos præter dicta, stet summus Pontifex, qui in celebranda Natiuitate, non distinguit de festo indubitatae sancto, aut cum dubio, sed eam præcepit, vt sanctam, & dignissimam celebrari, sed eodem modo præcepit Conceptionem: ergo. Et certè, si hoc esset verum, non est efficax omnino argumentum ad censuram inferendam, negantibus sanctam Natiuitatem: vt ergo D. Bernardus, Petrus Cellensis, S. Thomas, & S. Bonaventura censent indubitatae sanctitatem festi celebrati, ita debet etiam coli sanctitas Conceptionis, maxime postquam præceptum est, nos vt nomine *Conceptio*, & non *sanctificatio*: olim enim posset esse aliquod effugium, iam non potest. Deinde, non potest Pontifex ita canonizare aliquem hominem, ergo nec festum ita instituit, quia esset occasio grauis erroris, præcipere festum illius qui fortè esset damnatus; & vt à nonnullis publico cultu adoraretur, ab alijs exagretur conuictis. Ratio à priori est, quia Ecclesia in re tam graui non potest errare, nec nos exponere absurdissimo errori; nec Pontifices aliter celebrant Assumptionem, quam Conceptionem. Nec Bernardus, Ildephonsus, Thomas, Bonaventura, admittunt istud genus celebrandi, sed fatentur esse indubitatae sanctitatem, nec posse Ecclesiam falli; nec Pontifices asseruerunt probabilem oppositam sententiam, sed præceperunt, ne illa inureretur grauibus censuris. Nonnulla permittit Ecclesia, quæ non ex eo dicit probabilia. Consecratione in fermentato permittit Græcis, non verò


ceter probable Christum eiusmodi consecrasset. Fateor esse gradus in claritate, seu declaratione certitudinis. Denique satis confutatur Grauius ex certitudine huius Mysterij, quæ ex Institutione Festi Sixtus IV. supponit in Extratagante, *Græu nimis*, & ex ea facile potest, & solide probari: cum enim inibi condemnasset tanquam falsam, peruersam, & erroneam illam propositionem: *sententia pia est Hæretica*. Rationem immediatam tam seueræ censuræ reddidit; Quia celebratur in Ecclesia Romana Festum Conceptionis, vnde quidquid deducitur ex illa condemnatione inferitur etiam ex celebratione festi ab Ecclesia, quare cum ex condemnatione illa sequatur, falsitas assertionis affirmatiuæ, & certitudo negatiuæ, etiam ex Institutione Festi, sequitur ex hac etiam parte certam esse piam sententiam, & omnino refutatur euasio Grauius, qui censuit cum obiecto secundario festiuitatum, vt ipse loquitur posse compati falsitatem: ideo ausus est dicere ex Institutione Festi Conceptionis, non esse certam Conceptionem Immaculatam, quæ assertio penitus refellitur, ex argumentatione prædicta.

Nam de ipsa Conceptione Immaculata, quam idem Grauius constituit obiectum secundarium, est prædicta certitudo, & de eadè est ratio Sixti, & circa eam determinatio eiusdem, non contra eos, qui dixissent esse hæreticum dicere, personam Virginis sanctam, sed contra eos, qui dicebant esse hæresim Conceptionem Virginis affirmare immaculatam: & ex celebratione huius obiecti secundarij iuxta Grauium intulit Sixtus, prædictam propositionem esse erroneam, quin recurreret ad id, quod dicitur ab eodem Grauius; primarium obiectum de persona Virginis Sanctæ. Quod autem non instituisset Pontifex Festiuitatem de re non certa, præter quam quod se exposuisset periculo errandi, atque, vt ita dicam, introducendi non religiosum re ipsa cultum, sed potius superstitiosum quoad realitatem; (neque enim colere rem falsam potest esse à parte rei Religio) ea est magna causa, quod illud in quo posset fundari ratio condemnandi tanquam erroneam propositionem aliquam non deberet esse instabile, & incertum, sed fixum, & verum.

Cumque ratio condemnandi vocantes hæresim sententiam piam, sit institutus ab Ecclesia Romana cultus eius, quod per illam sententiam piam affirmatur, necesse est, vt ipsa sententia pia sit vera. Etenim, si errare in hoc posset Pontifex, nequaquam erroneum imo nec euidenter falsum esset illud, quod tanquam erroneum condemnauit Sixtus, cum autem hoc est verè erroneum, nequaquam errauit, nec potuit errare summus Pontifex in Institutione Festi, nec in veritate Mysterij celebrati, siue illud fingatur obiectum secundarium, siue dicatur primarium. Propositio condemnata à Sixto, hæc fuit: *Hæresis est dicere, Deiparam Conceptam sine peccato*. Cumque ex Institutione Festi certam reddatur hoc Mysterium; cum celebretur ab Ecclesia, propositioque prædicta illud dicat falsum, & hæreticum sequitur esse propterea falsam, & erroneam. Vnde causa cui sit erronea, est, quia certissimum est Mysterium.

Quod si adhuc aliquis dicat, Christi fideles adorare Hostiam post verba consecrationis, cum tamen potuerit non esse corpus Christi ob defectum intentionis in consecrante: Tum etiam eodem fideles inuitari nonnunquam ab Ecclesia ad

cultum reliquiarum, quas veras esse, pie tantum & probabiliter credimus; unde fieri potest ut falsa sint: Respondeo Ecclesiam inuitare ad cultum reliquiarum in genere, unde hæc propositio est certa de fide; *Sanctorum Reliquia veneratione digna sunt*; Præterea si Ecclesia definiat hanc esse veram reliquiam, etiam esset de fide, hanc esse veneratione dignam: quia tamen Ecclesia non definit; quod hæc sit vera reliquia, sed eam tantum proponit, ut probabiliter veram, vult illam probabilitatem sufficere, ad hoc ut cultum nostrum excitare possit, quia ad sancti honorem præsertim, ac formaliter, cultus ille tendit, atque spectat; hinc semper est verus cultus, quamuis falsam esse reliquiam contingat, nempe motiuum huius cultus est excellentia, & perfectio Sancti, quæ mouet nos, ob sui reuerentiam, ut iis etiam honorem deferamus, quæ cum ipso peculiarem connexionem habuerunt, hinc cultus reliquiarum respectiuus est. Ex his colligitur diuersam valde rationem esse in adoratione Hostiæ consecratæ, & in cultu Reliquiarum, ac in Celebratione Immaculatæ Conceptionis; Nam Ecclesia non dicit: adoranda omnino est hæc singularis Hostia, sed in genere omnis hostia consecrata adoranda est; nec dicit: ista reliquia singularis, & determinata, & in indiuiduo sunt sancta, sed generaliter docet venerandas esse sacras reliquias: de Conceptione autem Virginea loquitur indiuidualiter celebrans singularem Virginis Conceptionem, eamque celebrandam proponit, non per aliquam generalem institutionem festi, sed per indiuidualem celebritatem Conceptionis Virgineæ, cumque Ecclesia non celebret nisi res sanctas & Conceptio celebrata ab Ecclesia sit vna, & indiuidualis, nimirum, Concepto Matris Dei, quæ non potest esse alterius, sicut possunt reliquiae, hinc sequitur Conceptionem sanctam esse oportere, maxime cum loquamur de celebritate communi omnibus Christi fidelibus, non consuetudine usurpata in quibusdam locis, sed generaliter à summis Pontificibus indicta & à Concilio generali, nimirum Tridentino commendata, & renouata. Verum quidquid sit de hac ratiocinatione, argumentum nuper adductum est ex Constitutione, *Græue nimis*, ex certitudine Mysterij, quam supponit Pontifex, & ratione suæ constitutionis irrefragabile videtur, & conuincit omnino Grauinā.



CAPVT XXX.

*An Conceptio fetus Deiparæ
fuisse potuit obiectum sacrae
festiuitatis.*



IN calce huius tractationis oportebit rationem inuestigare, cur aliqui Patrum & Doctorum Conceptionem feminalem Virginis celebrari posse insinuarint, cum non videatur in ea sanctitas elucescere Ecclesiasticæ solemnitati necessaria, imò fuerit in ea peccati debitum, & quidem S. Anselmus serm. de Concept. ait: *Si non placet illius celebrare solem-*

nia Conceptionis carnalis Dominica Matris, placeat eis colere anima eius spirituales creationem, ac corporis, & anima copulationem. Vbi supponit Conceptionem seminū idoneū esse obiectum festiui cultus, imò apud aliquos celebrari. Bernardus quoque non impossibile iudicauit hanc celebritatem, imò censuit ab aliquibus celebrari, & submittere se iudicio sedis Apostolicæ. Nam in Epistola ad Canonicos Lugdunenses, postquam negauit sanctitatem in ea inueniri, tandem concludit: *Quæ dixi absque præiudicio sanè dicta sunt sanius sapientis, Romana præsertim Ecclesia, cuius auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt, vniuersa refero, ipsius si quid aliter sapio paratus iudicio emendare.* Idem iudicium fuit Petri Cellensis Abbatis, & postea Carnotensis Episcopi, lib. 6. epist. 23. Petrus Hurtado, in Vita Christi, disp. 89. subsect. 5. putat hanc sanctificationem, in prima Conceptione antiquos celebrasse Officio, & Missa; idque probat ex Doctoribus scholasticis, maxime Bonauent. in 3. dist. 3. quæst. 1. ad 4. his verbis: *Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animæ infusionem, non videtur vsquequaque securum, Conceptionis illius etiam solemnitatem celebrare.* Quod clarius dixit Maior in 3. dist. 3. quæst. 1. & Ioannes Baccho in 4. d. 2. q. 3. idem etiam colligitur ex S. Thoma, quæst. 27. artic. 2. ad 3.

Aliqui Patres inuenerunt sanctitatem in illa fetus conceptione, & idem festiuam, siue celebrabilem supposuerunt, qualis est S. Ioannes Damascenus, in orat. 1. de Natiuit. Virg. ubi propterea *beatos* vocat *Ioachim lumbos*. Et Fulbertus Carnotensis in serm. de Ortu Mariæ, ubi astitisse dixit diuinum Spiritum parentibus B. Virginis in eius precreatione.

Aliqua notabo, quæ huic dubio satisfaciunt. Primum est, eos Patres qui hoc censuerunt, ea ratione ductos fuisse, quia putarunt caruisse debito peccati originalis fetum virgineum. Tum etiam animam Virginis infusam fuisse simul cum gratia fetui, eo ipso die quo carnaliter concepta fuit. Idcirco moraliter censuerunt vnam conceptionem fetus, & infusionem animæ cum gratia, atque hoc modo digna erat solemnitate Ecclesiastica: alij putarunt sufficientem in se habuisse sanctitatem formationem fetus Mariani, nec proinde indignam festiuitate aliqua, & quidem Puente Hurtado, sectione 10. probat ex celebratione antiqua eius festi in Hispania, Gallia, Anglia, alijsque Prouincijs, Virginem caruisse debito peccati originalis: festum enim Conceptionis putat celebrari cœpisse, non de animatione Mariæ, sed de prima Conceptione mixtionis seminum: sanctitatem autem illam explicuit Ioannes Maior esse separationem à prophanis, & dedicationem rei in animis: cæteræ primæ conceptiones prophanæ sunt, quia erant obnoxia peccato originali prolis generandæ; at Maria sequestrata est ab ea prophanitate in ipsa Conceptione prima, quæ propterea fuit sancta: at hæc sequestratio à prophanis esse non potest, nisi Maria excepta fuisset à lege peccati, ergo illa Prouinciæ censuere Mariam exceptam à lege: quia si Mariæ esset lege cõclusa, ex vi generationis esset obnoxia originali peccato, hoc enim aut est ipsa lex, aut ex illa infertur necessario, & ea ratio Conceptionis, non esset separata à prophanis. Huius quoque sanctitatis meminit S. Thomas in 3. part. quæst. 27. artic. 2. cum dixit: *Quocumque modo ante ani-*

mationem B. Virgo sanctificata fuisse, nunquam incurrisset, maculam originalis culpa. Quod etiam Caietanus obseruat. Similiter S. Bonaventura in 3. dist. 3. 1. part. artic. 1. quaest. 1. negat de facto carnis sanctificationem, ait tamen eam potuisse purificari, scilicet ea sanctificatione, quae non est ex gratia habituali.

Bene ista quidem: de facto tamen iudico, non celebrasse antiquos Conceptionem, exclusa sanctificatione animae Virginis in primo suae creationis instanti, ut postea dicemus. Nunc autem mihi restant haec tria adstruenda. Vnum est, factum Virginis caruisse debito originariae culpa, quamuis ipsa Virgo olim comprehensa fuisse in pacto Adami. Alterum, Virginem animatam fuisse eodem, quo fuit concepta die. Tertium, aliquam sanctitatem fuisse in carne Virginis, etiam antequam animaretur.

S. I.

Eximitur actuali, & presenti debito peccati originalis sacratissima Virgo, licet in Adami pacto fuisse comprehensa.

Quoad primum attinet: ostendā modum, quo caro B. Virginis libera fuit debito peccati, etiam si comprehensa fuisse in pacto Adami. Quamuis enim eorum libens amplector sententiam, qui Deiparam excludunt à pacto Adami, semperque proinde caruisse debito peccati originalis: nolo modò hanc quaestionem tractare, sed tantummodò asserere factum virgineum nullum debitum praesens habuisse, quamuis ipsa Virgo in Adam peccauisset. Itaque licet debitum praeteritum habuisset, praesens, & actuale nunquam habuit, postquam semel extitit in rerum natura aliqua eius pars, nimirum caro adhuc antequam animaretur. Ita ut non habuerit debitum in se, sed in parentibus solum, siue in radice. Hoc est protoplastū meruisse ob inobedientiam suam, ut omnes eius posterii originale cōtraherent, peccatū & gloriosissimū est Virgini ex hac communi ignominia, & debito illius illicò ac fuit electa Mater Dei, exemptam ex priuilegio fuisse, & miro modo gauisam esse copiosissima redemptionis gratia, & primitias esse Redemptoris Filij eius. Quod enim potest ius, & indulgentia humana, cur negandum est diuinæ? Cum igitur in iure humano contracta ex pacto debita extingui, & remitti possit ante tempus solutionis; idem dicendum est de iure diuino: quare licet ex pacto Adami incurrisset Beata Virgo debitum? Habuit quidem debitum olim, non tamen habuit illud semper. Remissum quippe jam fuerat cum concepta fuit, ita ut eius caro illa caruerit, atque actu existens nullum habebat. Atque ut exempla proferam aliqua ex humano iure, dumtaxat ea memorabo debita remissa, quae ad seruitutem spectant; quae magis nostro instituto videntur appositae. Iustinianus Imperator in rescripto ad Iulianum, quod extat adhuc in lege *cum inter, de fideicommiss. libertat.* sic dixit: *Cum inter veteres dubitabatur si fideicommissariam libertatem possibile esset relinqui seruo, qui adhuc in ventre portaretur, & homo fieri speraretur: nos veteris iurgium decedentes, libertatis fauore censimus, & fideicommissariam, nec non directam libertatem suam firmiter habere, siue in masculo, siue in*

foemina, qui, quaeue adhuc in ventre vehitur, ut cum libertate Solem respiciat, & si eam mater sua adhuc in seruitute constans, eum, vel eam ediderit: si autem plures creati, vel creata sint, siue vnus fecit mentionem, siue pluraliter nuncupauit; nihilominus omnes ad libertatem à primis veniant cunabulis: cum in ambiguis sensibus melius sit (& maxime in libertate fauore eius) humaniorem amplecti sententiam. Dat. Kal. Octob. Lampridio, & Oreste VV. CC. Conss. 530. Ecce ex matre serua ingenuum nasci, remisso illi debito seruitutis in vtero, antequam nasceretur, imò antequam animaretur, & solum erat foetus, cum scilicet, ut lex ait, *homo fieri speraretur.* Iste nimirum in lumbis matris seruae debitum seruitutis habebat, remissum tamen illi fuit cum adhuc informis massa erat; ita ut sine illo, & foetus esset, & homo, & natus ingenuusque cum libertate primum Solem respexit. Cur Deus praestare idem nō potuisset cum Gentrice sua, cui licet contraxisset in Adamo debitum seruitutis peccati, remittere illud potuit antequam in rerum natura esset. Planè ita accidisse constat ex illis Domini verbis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Vbi per mulierem, quae caput diaboli erat contritura B. Virginem intelligunt, non solum nobiles Interpretes, sed etiam insignes Ecclesiae Patres, ut Cornelius, ad hunc locum, & Viegas in Apocalyp. cap. 12. comment. 31. adnotarunt. Ex quo non solum deducitur B. Virginem immunem fuisse à peccato originali, ut inferunt Suárez tom. 2. in 3. par. disp. 3. sect. 5. Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 9. quaest. 10. & alij communiter, sed etiam extinctum illi debitum, antequam carnaliter conciperetur: quoniam praefatis verbis innuitur, B. Virginem de diabolo perfectam victoriam reportaturam, ut verba praefereunt. Sanè si B. Virgo debitum peccati originalis contraxisset, aut saltem retinisset, ipsa serpentem perfectè non vicisset; siquidem diabolus post prolationem praedictorum verborum; adhuc effecisset, ut ipsa peccato esset obnoxia, & miseriae subiecta.

In multis quoque veteris Testamenti figuris, originalis Virginis puritas, simul cum libertate à dominio peccati declarata est, cum non solum habuisset Dominus rationem formae, sed etiam materiae in aedificandis Arca, & Tabernaculo, ut materia ex se esset selecta, & minime putrefactioni obnoxia, quae erat Sethim, de qua S. Hieronymus in cap. 41. Isaia, dixit: *Vnde omnia ligna Arca, & Tabernaculi facta sunt instrumenta, quae appellantur Sethim, quod lignum impuribile, & leuissimum omnium lignorum, tam in fortitudine, quam in nitore soliditatem superat, & pulchritudinem.* Quid pulchrius ad significandam puritatem carnis virgineae, etiam antequam forma rationalis animae decoraretur: quoniam non solum curauit Deus animam Virginis purissimam esse, sine Adami carie, & macula; sed etiam carnem sine eius debito, quod debitum etiam vocauit maculam S. Thomas, 3. p. quaest. 27. art. 2. in corp. Quia dicunt Doctores primam foetus Conceptionem esse à natura corrupta peccato: haec autem corruptio est vis seminis ab Adamo tradit & ordine naturali mixti cum foeminea materia ad foetum, cum extrinseca denominatione à prima Adami culpa, & lege de priuatione iustitiae, & peccato originali. Hanc rationem maculae Doctores inueniunt in illa prima Conceptione-

Genes. 3.

quam,

quam maculam feminis egregie Anselmus exponit, lib. de conceptu virginali, cap. 7.

Egregie quidem hoc declaratur in Canticis Canticorum, vbi dicitur: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te*. Nimirum, quia in omnibus Virginis partibus, corpore scilicet, & spiritu, pulchritudo omnimoda enituit. Vnde S. Ioannes Damasc. dixit orat. 2. de Natiuit. Virgin. *Tota, hoc est, & corpore, & spiritu pura ei apparuit, qui in ea domicilium habuit*. Ideo tota pulchra fuit, & macula in illa non fuit. Notantissime dicitur *In te*, quia licet in Adam peccauisset, & contraxisset debitum, in se tamen illud non habuit, cum antequam conciperetur illi fuerit extinctum. Quapropter Maria sanctissima tota fuit pulchra, & corpore, & anima, ita vt nec macula debiti, prout loquitur S. Thomas in illa fuerit.

Placet adhuc aliud producere exemplum, vbi palam ante Conceptionem eorum, quos debito seruitutis conditio amborum parentum seruilis addixerat, eo liberati sunt antequam essent ipsi. Constat hoc ex Vlpiano, lib. 12. ad Sabinum, extatque eius sententia in l. 1. §. 1. D. de suis, vbi dicitur: *Queri poterit, si ex ea, que in fideicommissa libertate moram passa est conceptus, & natus sit, an suus patri existat, & cum placeat, eum ingenuum nasci, vt est à Diuis Marco, & Fero, & Imperatore nostro Antonino Augusto rescriptum, cur non in totum pro manumissa hac habeatur, vt vxor ducta suum pariat, nec mirum sit ex serua ingenuum nasci, cum & ex captiua rescriptum sit ingenuum nasci. Quare ausim dicere, & si pater huius pueri, eiusdem sortis fuerit, cuius mater moram passa in libertate fideicommissa, ipseque moram passus est, suum eum patri nasci exemplo captiuorum parentum, cum quibus redijt. Ergo siue postea pater eius post moram manumittatur, recipiet eum in potestate, siue ante decesserit definiendum erit suum existere*. Hic etiam manente adhuc utroque parente seruo, nascitur proles ingenua, cui remissum fuit debitum seruitutis antequam conciperetur, imò, antequam sua Genitrix nuptias fecisset, vt claret ex illis verbis: *Vt vxor ducta suum pariat*.

Sed vt euidentius hoc constet, representabo humanum pactum, quod simile diuino videtur. Quidam Dynasta plurium seruorum Dominus, tradidit in matrimonium vnam ex ancillis, hac lege cum marito paciscens: si mihi hodie obediens fueris, omnes posteros tuos, qui ratione materiae seruitutis, mei serui sunt futuri, volo esse liberos, eximoque seruitutis debito; sin minus manebunt serui mei moluit parere ille, nec gratum quid domino præstitit. Iam hoc ipso omnem prolem, quam geniturus erat alioquin liberam, mansit seruituti obnoxia, scilicet cum eius debito. Si postea nihilominus pro mera liberalitate, & indulgentia dixisset Dominus, quamuis omnes tui filij futuri sunt serui mei, quia mihi inobediens extitisti: volo tamen vt septimum, quem genueris liber sit, eumque debito seruitutis absoluo, & in illo extinguo. Iste septimus filius habuit cum alijs fratribus commune debitum seruitutis ob conditionem matris, & inobedientiam patris: ipso nihilominus debito liber iam fuit antequam conciperetur, ingenuusque natus mansit. Cur non idem ius habeat Deus eximendi debito seruitutis matrem suam, licet in illud incurrisset ex pacto cum Adamo, qui Deo inobediens fuit. Verum ne solum vtamur Iurisperitorum dictis, sed

etiam Scholasticorum auctoritate Theologorum, id ipsum Ioannes Maior confirmat in 3. sentent. dist. 3. q. 1. vbi cum obieisset sibi: *Ergo Christus non redemit Matrem, sicut alios*. Ita respondet. *Cum præseruauit eam, eam honestius redemit, quam alios. Si haberem duas ancillas, & volo, quod filius vnus non nascatur seruus, libero eum melius, quam donando eum libertate post natiuitatem*. Vbi nostram sententiam insinuat, & firmat. Id ipsum iudicant alij scholastici antiqui. Similiter Ioannes Menesius in Apocalyp. rapt. 4. dixit: *Eo modo quo herus potest filium serua antequam nascatur, vel etiam concipiatur à seruitute liberare, & multo magis id potest Deus*.

Cæterum, non solum exemplis prophanis, sed sacris etiam ex Scriptura diuina elucidare possumus debitum prius contractum deleri posse ante tempus soluendæ rei debitæ, atque vt ad institutum propius accedamus, proponemus debita mortis corporalis, ob analogiam cum debito mortis spiritualis, Raab enim obnoxia gladio erat Israelitico, idem debitum mortis habens ac cæteri Iericultini, post iuramentum tamen exploratorum, & præconem Iosue de condonanda illi vita, debito illo iam caruit, & libera fuit imminentis mortis periculo, cum tempore occisionis adueniente, dirutis ciuitatis moribus, cæsi ad internecionem sunt, quotquot ciuitatem inhabitabant, præter domum Raab, quæ per signum funiculi coccinei immunis fuit Beatissimæ Virgini etiam debitum spiritualis mortis condonatum fuit antequam veniret tempus solutionis eius, hoc est, antequam animaretur, & hoc priuilegium habuit, quia electa fuit, vt hospitaretur Dei Filium, per cuius passionem, & sanguinem præliberata fuit nobilissimo Redemptionis genere. Gabaonita etiam debitum mortis habebant, sicut cæteri Chananæi, post iuramentum tamen Iosue illo cauerunt, perseveraruntque in populo Dei. Nam licet prius iuramentum Iosue inualidum esset, postea tamen cum fraude cognita primum nihilominus pactum ratum esse voluerunt Hebræi, vt licite poterant, exinceps liquet verè obligatos fuisse. Vnde: & postea, cum Saul hoc fœdus violasset, grauissimè id ultus est Deus, 2. Reg. 21. Eodem modo ijs, qui futuri erant generi Loth, indultum est debitum mortis commune cum cæteris Sodomitis, sed per eos stetit tanto priuilegio non fuisse functos. Quod si ex eo solum quod generi futuri erant Loth quoniam seruus Dei extitit, exempti fuerunt ij viri debito mortis. Quæto maiori gratiæ iure Maria sanctissima, quia futura erat Mater Dei à debito mortis spiritualis liberata fuerit: æstimo quidem exinde quod electa fuit in Dei Genitricem, simul cum decreto de non contrahendo peccato originali, indultum quoque illi fuisse debitum illius, ne in rerum natura cum illo vnquam extitisset, quod Deus mirabilibus modis potuit, & nouit ordinare, quod enim potest homo cum seruis suis, Deo negandum non est cum Matre sua.

Et quidem non est opus recurrere, sicut aliqui fecerunt ad qualitatem supernaturalem corpoream, qua decorus fœtus Virginis fuit, cum ex peculiari Deo ordinatione ad diuinam Maternitatem illum præparauisset, cum exclusione debiti peccati; etenim per condonationem debiti extrinsecam poterit id Deus præstitisse; nam secūdum multos Doctores sufficit hæc de potentia absoluta, etiam ad remissionem peccati actualis, quantum magis sufficiet ad extinctionem debiti.

1. Multæ præterea sunt rationes quæ hanc debiti carentiam omninò suadent. Prima est, quoniam id debitum, quod est obligatio debitoris, idem est ius creditoris: quapropter si Virgo sanctissima habuit peccati debitum, habuit quidem in illum ius ipsum, siue per peccatum diabolus; cumque iura peccati, seu diaboli sint iniuriæ, appetitissimè ipsa exemit Virginem, S. Cyprianus cum serm. de Natiuit. sic fatetur: *Non sustinebat iniuriæ, ut illud vas electionis, scilicet Virgo Maria communibus lassaretur iniurijs.*

2. Deinde ad honorem Dei spectat Matrem suam esse liberam, non solùm à culpa, sed ab affinitate culpæ; idcirco non solùm caruit actuali culpa, sed concupiscentijs, & fomite peccati: cum igitur his affinitatibus actualis peccati decuisset Virginem caruisse; cur non etiam affinitate peccati originalis carere oportebat, cuius affinitas est debitum ipsius peccati, imò deteriore conditione, nam ex parte nostra connexionem necessariam habet debitum peccati cū peccato originali, quæ non habent concupiscentiæ cū peccato actuali, at si hæc non decebât Dei Matrem, minus decebit illud. Tota igitur affinitas peccandi expediebat à Matre Dei auferri. Apertè propterea Germanus Patriarcha, in serm. de Fascijs, quem refert Surius in die 31. mensis Augusti, Beatissimam Virginem, *puritate omnibus antecellentem, nulli penitus culpa affinem*, appellat. Quapropter sanctissima Virgo caruit debito peccati, alioquin illa affinis, & obnoxia peccato fuisset.

3. Præterea, ea fuit puritas Virginis, ut nihil haberet circa peccatum, nisi potentiam peccandi; nam impotentia ad peccandum soli Deo cõpetit. Et sicut puritas Virginis fuit maxima, quæ post diuinam potest inueniri, quapropter dixit S. Anselmus lib. de Conceptione Virginis, cap. 18. *Decens erat ut ea puritate, qua maior sub Deo intelligi nequit, Virgo illa niteret.* Oportebat, ut quidquid connexum est cum peccato, præter meram, & puram potentiam ad illud, quæ excludi non potest à creatura rationali, ex propria natura, & essentia, Virgini negaretur: quapropter negandum est illi debitum peccati, quod est connexum, & propendens in peccatum. Alexander de Alès in commentar. in Apocal. cap. 8. tres puritates distinguit: vna est Christi, qui non potuit peccare cum Deus esset: altera Virginis, quæ potuit peccare, sed non voluit: altera Adami, qui potuit, & voluit peccare. Itaque puritatem Virginis in eo constituit, quod solùm potuisset peccare, & nihil amplius haberet circa peccatū. Idem dicendum est de potentia passiva Virginis ad peccatum originale, quod solùm potuerit illud habere, non autem quod deberet illud contrahere: nam in hoc iam additur aliquid, quod diminuit puritatem eius nec sua puritas fuisset maior, quæ sub Deo intelligi potest: nam excederetur ab Angelis, qui hoc debitum non habuerunt. Quod confirmatur tum ex Theodoro lib. 3. in Cant. prope finem: tum ex Liturgia S. Iacobi Apostoli, tum ex Germano Patriarcha in serm. de Fascijs, tum ex Hilario, & Anselmo, tum ex Epiphanio, serm. de Laudibus Mariæ, afferentibus Angelos, & Cherubim à B. Virgine in puritate longè superari: ergo B. Virgo non solùm ab originali culpa immunis fuit, sed etiam à debito peccati, ne superaretur ab Angelica puritate. Itaque sicut potentia actiua ad peccandum in Virgine fuit omnino solitaria absque concupiscentijs, & fomite, &

quocumque alio principio ad peccandum, sic etiam decebat ut potentia eius passiva ad culpam originalem contrahendam fuisset etiam solitaria, absque alio principio, & connexionem cum peccato, quale est debitum illius.

4. Ad hæc licet debitum peccati non habet deformatem peccati, nec dedecus reputetur, minor tamen decor videtur, aded ut Sanct. Thomas, ut supra notauimus, vocauit illud maculam peccati, quod si non maculam, alius vocauit nauum, qui ad minus non arguit omnimodam sub Deo puritatem, idcirco Iuo Episcopus Carnotensis, serm. de Natiuit. Domini, tradit in B. Virgine omnem nauum culpæ originalis, & actualis deletum fuisse, eius verba sunt: *Quomodo matrem carnis suæ sanctificauerit, deinceps audiamus, ut inde latetur Catholicis, immunus confundatur hæreticus: omnem quippe nauum, tam originalis, quam actualis culpa in ea deletur. Sicque carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit.*

5. Næ leuis momenti erit considerare ad dignitatem Genitricis Dei spectare dominatum peccati, & victoriam antiquæ serpentis: quapropter illam dedeceret subditam esse aliquo modo peccato, cuius debiti obligatio, subiectio quædam videtur: idcirco tale debitum ab illa omninò expellendum est. Merito itaque dixit Fulbertus Carnotensis, serm. 1. de Natiuitat. Virgin. *Hoc in primis astruere fas est, quod anima ipsius, & caro quam elegit, habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris, ab omni malitia, & immunditia purissima fuerunt affirmante Scriptura, quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

6. Addo dictis non solùm à Patribus commendari absolute puritatem omnimodam Virginis, sed singulatim descendunt ad commendandam puritatem suæ carnis, quam decuit aded puram esse, ut omninò fuerit vlla sine connexionem cum peccato: cū enim Christus Dominus ex Beatissima Virgine carnem ex eius carne acceperit, non animam ex anima, oportuit illam penitus puram esse, non minus quam anima, quare sicut anima Virginis actu existens non habuit nec peccatum, nec debitum peccati; nam in eodem instanti suæ creationis decore gratiæ fuit dotata. Sic etiam carnem eius debito etiam peccati carere decuit dum animæ creationem antecessit, cum enim per se, & inanimis non erat capax peccati formalis, esset tamen capax debiti, in hoc oportebat ostendi eximiam eius carnis puritatem, scilicet in illius adhuc carentia Richardus de Sancto Victore, relatus in Breuiario Romano, edito Lugduni anno 1544. cum priuilegio summi Pontificis, in Lect. 6. festi Conceptionis, ait: *Non decuit ut caro Maria, qualicumque foret obnoxia culpa.* Similiter B. Petrus Damianus dixit serm. de Assumpt. Virgin. *Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentia puritas in candorem lucis æterna conuersa est.* In his verbis satis apertè eximunt hi Doctores carnem Virginis à debito peccati, cum eam neget Richardus obnoxiam esse qualicumque culpæ. Et Petrus Damianus maculas Adami, quas dixit in plurali, quasi vna esset peccatum, alia debitum eius, prout loquitur S. Thomas. Miro etiam modo S. Gregorius Nyssenus in orat. in Nazalem Domini commendat carnem Virginis: *O beatum uicernum illum, qui bonitatis*

ratis præstantia ad se traxit animi bona, in reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus sancti præstantiam capit, hic autem caro fuit spiritus receptaculum. S. Dionysius Areopagita, c. 3. de diuin. nominib. cum meminisset de Iuo, & Hierothei, atque Apostolorum aduentu, ad videndum corpus Virginis, appellauit illud *θεοτοχον* & *ζωοφυλον* vt sanctus quoque Maximus, Dionysij Scholiastes notauit: tametsi vim horum verborum non explicauit. Nos verò, quia singulis verbis vtrumque interpretari non possumus, interpretemur pluribus, id est, *Corpus quod fuit Dei receptaculum, & dedit principium vitæ.* Quod vt paucioribus verbis contraham horum verborum interpretationem, significant *Dei capax, & principiatiuum vitæ.* Ergo sicut Virgo, quia peperit Deum, qui in ventre eius per vnionem hypostaticam vtriusque naturæ factus est homo, dicta est *θεοτόκος* sicut in Ephesina Synodo contra Nestorium, & Patres eius Paulus Samosatensem, Diosdorum, & Theodorum Mopsuestiæ sancitum est, sic eiusdem corpus *θεοτόχον* dicitur, quia Deum in vtero suo accepit, & in eo vsque ad partum portauit, iuxta prophetiam Esaia, cum ait: *Ecce Virgo in vtero accipiet, sine habebit, & pariet Filium, &c.* *ζωοφυλον* verò dicitur, id est, quod dedit principium vitæ; quia corpus Virginis dedit principium carni Christi, quæ facta est viuifica, & dedit vitam mundo. Quomodo ergo decebat, vt illud corpus Virginis postquam habuit animam, fuisset vnquam mortuum peccato, si dedit principium vitæ illius, qui cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos? Vt sicut Eua secundum nomen, quo eam vocauit Adam, fuit mater cunctorum viuentium, sic esset Virgo mater omnium verè viuentium, dum Mater est eius, qui est omnis vitæ author, & vita ipsa, ac supra vitam. Sicut ergo carnis virginæ postquam examinata fuit, tanta ratio est habita, vt nulla illam corruptela tangeret; sic etiam decebat rationem illius haberi, etiam antequam fuisset animata, cum futura esset Dei capax, & initiatiua vitæ, expediebat etiam, vt in se quoque haberet principium vitæ, excluso omni debito mortis. Hoc ipsum confirmabunt testimonia Patrum, quæ postea referemus de sanctitate carnis virginæ.

7. Ultra hæc: multi Patres exaggerant, & cum reduplicatione commendant felicitatem, quæ accidit Virgini ob puritatem, quæ Dei maternitatem decebat, eamque beatitudinem nunquam illi defuisse; at si carni eius minor puritas, aut felicitas ob debitum peccati contigisset, non adeo beata semper fuisset, scilicet quia in fœtu obnoxia extitisset culpæ, & eius caro non æquè in hoc felicitaretur ac anima. S. Athanasius in serm. de Deipara, inquit: *Dicimus eam iterum atque iterum, & semper, & vndeque Beatissimam.* Et in Liturgia S. Iacobi Apostoli hæc habentur: *Dignum est te verè Beatam dicamus, Deiparam semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam.* Quod si debitum originalis culpæ contraxisset, non vndeque Beatissima, nec semper diceretur bis Beata, vt S. Iacobus loquitur.

8. Deinde: Patres dicunt ex integro fuisse in Virgine iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam. S. Augustinus sic loquitur, tom. 10. serm. 11. in Natal. Domini: *Cum dixit Angelus, Ave, salutem illi cælestem exhibuit. Cum dixit, Gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ,*

& plenam benedictionis gratiam restitutam. Eodem modo loquitur S. Ildephonus, S. Fulgentius, & Paulinus Aquileiensis. Planè si B. Virgo peccati debitum habuisset, non gratia plena benedictionis, sed diminuta fuisset illi restituta. Tum etiam neque ex integro ira primæ sententiæ exclusa esset, cum pars illa virginis, ex qua assumpsit corpus humanum Filius Dei, maneret obnoxia culpæ, nondum obligatione remissa. Quare, vt verificetur ex integro fuisse iram exclusam, oportuit animam Virginis caruisse peccato originali, & etiam carnem eius debito ad contrahendum illud, vt totum quod fuit Mariæ, & in Maria purum, felix, & faustum esset, fuit autem non solum anima, sed etiam caro. Confirmat hoc S. Hieronymus, vt refertur in Breuiario Hispalensi, & alijs in festo Conceptionis, Lect. 1. secundæ diei: *Quidquid (ait) in Maria gestum est, totum puritas, totum gratia fuit.* Sicut etiam in Cantic. Canticor. prædicatur Beatissima Virgo *Tota pulchra*, nimirum corpore, & anima: hoc enim intelligitur potissimum de pulchritudine spiritali, hoc est, alicuius sanctificationis sine vlla macula, scilicet de puritate Virginis, quæ non solum in anima eius, sed in carne etiam enituit.

9. Præterea, aliqui Patres etiam excludunt à Virgine, non solum peccatum originale contractum, sed etiam legem communem naturæ, in quo modo loquendi explodunt etiam debitum peccati, quæ exclusio vt minimum debet habere locum à formatione fœtus. S. Anselmus, vt refertur in Officio Nogarolis approbato à Sixto IV. Lect. 1. Officij Conceptionis, ita loquitur: *Vas electionis S. Paulus, omnes homines in Adam peccasse fatetur: vera vtiq; sententia, & cui contradicere nefas est, sed cum eminentiam gratiæ Dei in te Maria Virgo, considero, sicut te non intra omnia, sed supra omnia, qua facta sunt, ineffabili modo contueor: ita te non lege naturæ aliorum, in tua Conceptione deuinctam esse opinor.*

10. Alij Patres, vt idem significant, non solum commendant Virginem indemnem à morfu serpentis, qui est peccatum originale, sed etiam intactam ab eius afflatu, qui est debitum peccati. Origenes homil. 1. de Deipara, qui etiam refertur in Breuiario Romano, edito Lugduni, & in Officio Nogaroli, ait: *Virginem, neque serpentis persuasione deceptam fuisse, neque eius venenosis afflatibus infectam.* Nam si debitum habuisset, serpentis afflatibus affecta esset. Consonat S. Damascenus, orat. 3. de Dormit. Virgin. parum à principio comparans Virginem cum Paradiso, ita scribit: *Ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit.* Et quidem si B. Virgo debitum originalis culpæ in sui fœtus formatione habuisset, ad illam serpens aliquem habuisset aditum.

11. Deinde: quia Virgini contigit maior approximatō ad summum bonum, quæ in puris creaturis potest inueniri, qualis est Maternitas Dei, decebat quoque, vt in illa etiam fuisset maximus recessus à malo, qui non fuisset in Virgine, si habuisset debitum peccati, quod tantum malum est. Aptè propterea Albertus Magnus, lib. de Laudib. Virgin. cap. 181. fol. 77. col. 1. dixit: *Virginitas prout in B. Virgine fuit recessus ab omni malo, Maternitas Dei fuit collatio omnis boni ergo omne eligendum, & omne appetendum intelligitur in hoc privilegio.*

Patres etiam, & Doctores, qui tribuunt fœtui virgineo antequam animaretur sanctitatem,

eo modo quo capax esse potest, consequenter affirmant caruisse Virginem debito peccati, nec enim sanctum dicerent factum, si sensissent obnoxium fuisse culpæ. Et quidem huius sanctitatis capax potuit esse caro inanimis, quæ excluderet hanc obligationem: hos Patres postea referemus simul cum notanda sententia sermonis Angelici, apud S. Brigittam, serm. 4. Lect. 1. & alia egregia B. Thomæ Villanouani, serm. 3. de Natiuit. Virg. Nec temerè puto dici maiorem fuisse sanctitatem carnis virginæ adhuc inanimis, quam sanctitas Tabernaculi Mosayci, & templi Salomonici, sed istud tanta sanctitas decebat, vt eius aditu prohiberetur qui mortuum aliquid tetigisset, donec mundaretur illa, quæ tanta æstimabatur pollutione: quia vmbra erat spiritualis mortis peccati, aut effectus illius, aut vtrumque: quid mirum si corpus Marianum à prima formatione ea decuisset sanctitas, vt ipso peccato, & verissimæ, solidissimæque morti spirituali, occludisset omnem aditum per carentiam debiti.

Possent hic aggerere varias rationes Authorem, qui omnino debitum negant in Virgine, eamque exclusam ab Adami pacto affirmant, quorum sententiam mente, & corde amplector: nam, & iudicium eam præfert, & affectus illam mihi commendat. Nec placet quod aliqui dixerunt, hanc quæstionem, & assertum esse nouum, cum illud inueniam apud plures sanctos Patres, & aliquos scholasticos antiquos suppositum, imò in terminis formalibus expressum, vt constat ex Petro Montio, vetusto Doctore, qui floruit circiter ducentos ante annos, in Libro 10. de vnius legis veritate, capite 63. ait: *Per specialem gratiam Adaria, de qua corpus Christi generatum est, nunquam fuit in potentiâ, seu habilitate propinquâ, nec quidem remotâ ad contrahendum aliquod debitum, seu carentiam gratiæ originalis.* His adiungenda sunt, quæ dicit capite 73. Multæ enim sunt viæ quibus hoc astruunt nobilissimi Theologi: Nuperrime promulgauit nouam Ambrosius de Pegnaloza in suis Vindiciis, vt in tempore intercedente à peccato Adami, vsque ad sententiam Dei, eximeretur Beatissima Virgo à pacto, & lege communi humani generis: cum censeat idem Author, si Adam pœnituisset ante sententiam diuinam, non fore excludendum ab statu illo primo. Verum expeditius posset dici post consensum internum Adami in peccatum, & ante absolutam comestionem externam pomi, Virginem fuisse à pacto seclusam per merita Christi post consensum prædestinati. Sed ad institutum nostrum satis sunt dicta.

§. II.

An Beatissima Virgo eodem die fuerit animata quo carnaliter concepta.

Quoad illud de infusa anima Virginis, & sanctificata simul cum sua creatione, eo ipso die suæ Conceptionis fœtalis, costare videtur ex Epistola S. Anselmi ad Episcopos Angliæ. Nam Pôtifex qui apparuit Hellsimo, & sua reuelatione hortatus est ad celebrandum festum Conceptionis octaua die Decembris. *Promitte inquit, mihi, & Deo, quod diem Conceptionis, & creationis Martyris Christi, solemniter celebrabis, & celebrabis.* Ioann. Euseb. Op. Parth.

dum predicabis. Dies autem creationis est ille in quo creatur anima rationalis; nam ceteræ formæ non creantur. Ergo octaua die Decembris creata est anima Beatissima Mariæ, & corpori infusa. *Promitte, inquit, quod diem Conceptionis, & creationis celebrabis.* Vbi vtrumque coniungitur: nec enim credendum impropria fuisse verba reuelationis, aut superflue additum nomen *Creationis*, nomini *Conceptionis*. Et cum inter fideles non constet, duo hæc diuersis diebus accidisse, imo nunquam ab illis mentio fiat de Conceptione, & animatione, tanquam de operibus in diuersis diebus in lucem editis, probabile profectò videtur, vtrumque eidem diei adscribere, si absque incommodo adscribi possit. Nullum autem inde incommodum video. Idipsum confirmatur ex S. Brigitta lib. 6. capite 55. vbi vocatur hora Conceptionis virginæ aurea hora, in eaque comprehendit non solum sanctificationem, quæ præseruauit animam Virginis à peccato originali, sed commixtionem seminum. Ideo ait Mater Dei, *Hora in qua ego concepta fui, bene potest vocari aurea hora, & pretiosa: quia alij coniuges conueniunt ex voluntate carnali, mei vero parentes contenerunt ex obedientia, & præcepto Dei.* Bene ergo aurea hora fuit *Conceptio mea: nam tunc incepit principium salutis omnium, & tenebra quasi festinabant in lucem. Deus namque singulare quoddam & à sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit in virga arida florescente.* Sed scito quod *Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, que cohiberet omnes inordinatos motus: sic placuit Deo, quod amici sui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.* His verbis satis apertè connectit vtramque conceptionem fœtus, & animationis, & de vtraque dicit auream horam fuisse, quasi eodem saltem die peractas. Deinde in lib. 1. capite 9. satis breue spatium videtur significari inter Conceptionem carnis Virginis & infusionem animæ. Sic enim narrat Beatissima Virgo suum conceptum, loquuta enim de S. Ioachimo, & Anna: *Ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nuntiantis conueniunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est. Facto autem corpore meo, Deus à diuinitate sua animam creatam immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est.* Accedit magtopere exaggeratum esse in reuelationibus eiusdem S. Brigittæ amorem Dei, erga materiam carnis virginæ, nam in serm. Angelico serm. 4. Lect. 1. dicitur, materiam illam statim, quando in Annæ utero concepta, & collecta fuit, de qua Maria formari debebat, ipse Deus plus diligebat, quam omnia humana corpora à viro, & muliere generata, & generanda per mundum vniuersum. Et in lib. 1. cap. 9. vbi loquitur Beatissima Virgo de Filio suo, ait: *Quam dulciter ipse dilexit corpus meum, & quam dulciter animam meam, quantum etiam honorauit nomen meum!* Huic amorem demonstrauit Deus in obitu sanctissimæ Virginis, accelerando reuisionem animæ ad ipsum corpus, nec mirum esset, si eundem amorem demonstrasset erga corpus Mariæ ante animationem accelerando animæ infusionem.

His videtur consonare Vvaldricus Vetus, & nobilis scholasticus, qui apud Cartus. in 3. disput. 3. quæst. 1. *Sustinetur*, inquit, *ab Ecclesia, quod aliqui celebrant Conceptionem B. Virginis, non referendo hoc ad conceptionem seminum, sed naturarum: quod fuit in anima infusione.* Tunc enim fuit B. Maria insignita gratia, cum qua est incompatible peccatū originale, sicut & quodcumque aliud mortale; ex quo sic quidam philosophantur: sed ante creationem animæ rationalis, non erat B. Maria capax gratiæ, sicut nec peccati: ergo tunc, id est, in octaua die Decembris creata fuit anima rationalis, & in sacrum eius corpus infusa. Id ipsum confirmant ex communi consensu fidelium omnium, qui celebrant Conceptionem: non enim celebratur aliud, quàm vera sanctitas, & vera immunitas à culpa: ergo eo ipso quòd ea celebretur octaua die Decembris, sentiunt Ecclesiam credere, ea die præditam fuisse Virginem hac sanctitate, & gratia excludente originalem sordem.

Supponit hoc ipsum multitudo, & magnitudo miraculorum, quæ admirantur Patres accidisse ante natam Virginem. S. Ioannes Damascenus, orat. 1. de Natiuit. Mariæ, paulò post initium enumerans singularia prodigia, quæ in exordio vitæ huius sanctissimæ Virginis acciderunt: *O*, inquit, *miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maxime admiranda: Siquidem par erat, vt ad Dei Incarnationem omni sermonis facultate superiorem, iter per miracula muniretur.* Fulbertus Carnotensi serm. 1. de Natiuit. Virginis: *Beata ergo Domini Mater, & perpetua Virgo Maria, priusquam nasceretur oraculis enuntiata est, & designata miraculis, nata verò progenie diuinitus ordinata, priuilegio virtutum insignis enituit.* Georgius Metropolitā homil. 2. de Concept. Virg. ait: *Qui per matris sue magnalia, nostram ad se humilitatem prouehit, qui per miracula eius prodigia, altiori supra spem, ratione, saluti humane prouidet.* Similiter S. Anselmus, serm. de Concept. ait *Illud conicio apud me Natiuitatem Maria magna quedam atque admiranda diuinorum signorum iudicia præcurrisse* Iacobus Monachus etiam orat. de Natiuit. Virgin. multa supponit in vtero S. Annæ miracula concurrisse. Nam si ad Mosayci Tabernaculi fabricam miracula præcesserunt, donata cælitus artium peritia iis, qui illas ignorabant: quid mirum ad Tabernaculum Dei Genitricis animatum, Templumque sanctissimum Trinitatis, iter per miracula præparatum sit. Quanta differentia sit inter Mariam, & Tabernaculum, insinuauit S. Damascenus, orat. 1. de Natiuit. dicens: *Cedat illud spiritus Tabernaculum, quod Moyses in deserto ex pretiosa, atque omnis generis materia construxit, atque etiam ante istud patris Abrahami Tabernaculum, viuo, & ratione prædito Dei Tabernaculo. Hoc enim non actionis duntaxat ac potentia diuinæ conceptaculū fuit, verum essentia ratione ipsiusmet persone Filij, ac Dei. Agnoscat Arca vndique auro cõtecta, & manifera illa vrna aurea, & candelabrum, & mēsa, ac denique vetera omnia, quam nihil habeant, quod cum hoc comparari possit. Etenim exemplares adumbrationes typo reuera ornata sunt.* Aptum, est testimoniū Andreæ Hierosolymitani, orat. 2. de Natiuit. (quam alij tribuunt S. Damasceno, sicut & Scotus noster sancto Germano) dum asserit Christum, idem præstitisse in Virgine Maria, ac Beseleeli, in formatione Tabernaculi, cum diuinitus infusa fuerunt artes, vt celerius illud perficeret miraculosusque, sic ille: *Benedicta tu in mulieri-*

bus, qua legali, atque umbratili figura emines, ex qua magnus ille Beseleel, Christus inquam Deus, ille gratia; Templum sibi nulla manuum opera condidit, animatum scilicet corpus suum, principali arte Spiritus sancti. Admiranda fabricatio corporis Domini cœpta, & præparata fuit admirabiliter à formatione Mariæ, cuius caro eadem cum carne Christi fuit atque in eâ Diuinus Beseleel admirandum opus auspiciatus est. Vnde appositè dixit Cardinalis Ioannes Vitalis in speculo morali titulo de Beata Virgine *De eius Natiuitate exponitur illud. Fecit Beseleel arcam de lignis Sethim &c. Exod. 36. Nota historiam Beseleel, interpretatur Misericordia Dei. Materia Arca fuit de lignis Sethim. Ligna Sethim sunt impuitribilia alba spina similia, incremabilia, lenia. Per hæc quatuor, designantur quatuor beneficia, qua Virgo habuit per gratiam sanctificationis contra quatuor vitia, ex peccato originali contracta.* Supponit mirabilia accidisse in formatione Virginis, scilicet in Natiuitate in vtero: nã in natiuitate ex vtero nihil est fabricatū, sed quod antea fuit factum prodiit in lucē. Magnū, & opportunum hoc miraculū fuisset, si eo ipso die formati foetus crearetur, etiã anima Deiparæ. Nam si Baptistæ ob dignitatem Præcursoris anticipata sunt gratia, & vltus rationis, dignitatē etiam diuinæ maternitatis mirabilior anticipatio decebat, scilicet infusæ, & sanctificatæ animæ primo die suæ Conceptionis carneæ, atque vt in alijs, aut similis, aut appropinquans est sanctissima Virgo Filio suo, sicut Christus eo ipso puncto sui conceptus fuit animatus, Virgo etiam licet non ipso puncto (nec per omnia illi æqualis est, qui conceptus est de Spiritu sãcto) at eo ipso die meritò animata dicitur, superatis in illa morosis naturæ terminis, per accelerationē gratiæ, cuius opus fuit conceptio Mariana. Idcirco dixit Damascenus: *Non esse ausam naturam anteuertere gratiã.* Et Photius, homil. de Natiuit. Virgin. dixit: *Cum diuina gratia opus doceam, quid gratiam cogis seruire natura, cuius illa semper dominari comparata est.* Et quidem non immerito post Ambrosium Catharinū part. 1. de Concept. ad Concilium Trid. hanc sententiam noster Granados satis fulcit, & tuetur tract. 1. disp. 3. sect. 1. §. 2. Bernardus Alderete in 3. part. disp. 29. sect. 15. num. 22. & 23. Ioannes Baptista Nouatus, tomo 1. de eminentiã Deiparæ cap. 3. quæst. 8. Iacobus Lobetius, in tom. 3. quæst. Euangelic. in festo Conceptionis, quæst. vnica. Et ante hos omnes Amedeus Lusitanus, Ordinis Minorum, libro edito Reuelationum, quarum vna habet horis pauculis exactis Virginem & perfectissimo corpore, & animã donatam. De quo videri potest Chron. Minorum lib. 6. c. 30. suspicor alium magis sibi notam reuelationem allegare Catharinum loco citato, vbi hanc sententiã amplectitur.

§ III.

An caro Virginis, antequam anima eius in-formaretur potuerit sancta esse.

Denique, licet caro Virginis sine anima non fuerit capax sanctitatis gratiæ habitualis, nihil ominis supponitur sãcta à nonnullis Patribus, & quidẽ eximie; eo tamen genere sanctitatis, cuius capaces sunt res inanimæ. Prius tamen quàm ad eorum authoritates accedamus, oportebit præmittere, vt præparemus viam ad eas, & alia, quæ dicturi sumus, testimonium S. Brigittæ in sermone Angelico,

Angelico, fer. 4. Lect. 1. Verè sine omni ambiguitate credendum est, quod materiam illam statim, quando in Anna utero concepta, & collecta fuit, de qua Maria formari debebat, ipse Deus plus diligebat, quam omnia humana corpora à viro, & muliere generata, & generanda per mundum vniuersum. Vnde venerabilis Anna verè nuncupari potest omnipotentis Dei gazophylacium, quia ipsius thesaurum super omnia sibi amabilem in suo utero recodebat. O quàm prope erat iugiter cor Dei huic thesauro! O quàm pie, & alacriter huic thesauro oculos sue maiestatis infixit, qui postmodum in Euangelio suo sic ait: Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum? Et ideo verè credibile est, Angelos ex hoc thesauro non modicum exultasse, quando Conditorem suum, quem plus se ipsis diligebat, ita illum thesaurum diligere cognoscebant. Quapropter benè esset conueniens, & dignum, quod dies illa ab omnibus in magna reuerentia haberetur, qua materia illa in Anna utero concepta, & collecta fuit, ex qua benedictum corpus Matris Dei formari debebat, quam ipse Deus, & omnes eius Angeli in tanta charitate peramabant.

Tantus Dei amor nequit non esse efficax, quod si efficax fuit praeinsignem effectum suae liberalitatis habuit materia illa, propter quam sic à Deo dilecta fuit. Considerandum quoque est in vltimis verbis satis indicari sufficiens esse obiectum venerationis in sua die conceptum foetum Marianum, quod sine aliquo sanctitatis genere non verificaretur. Appendere etiam libet sententiam sanctissimi Valètiæ Archiepiscopi. B. Thomæ Villanouani, serm. 3. de Natiuit. Virg. vbi ait: Decuit, & Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Vnde non solum quando puella, sed quando paruula sanctissima, & in utero sanctissima, & in Cœceptione sanctissima. Non enim decebat sanctuarium Dei, donum sapientie reliquiarium spiritus, urnam manna celestis aliquam in se labem habere, propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni fece, & labe, & anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. Postea subdit: Vnde caro eius sic imaginanda est, quasi esset argentea, vel vitrea, vel crystallina, siue carnis vitis, sed tota Angelica in carne. Quod optimè tangit de ea sponsus in Canticis, dicens: Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilaui te, currus Pharaonis, caro mortalis, in carne itaque mortali equitatu Angelico similis est in puritate.

Huic sancto Archiepiscopo præluxit alius Archiepiscopus, & sanctus quidem venerabilis vir Arnestus Pragensis, qui c. 136. dixit de sanctissima Deipara: Si de corporis puritate omnes alie aliquando fuerunt sibi ira sed candide facte sunt & Virgines consecratae per Baptismum, ipsa sola attulit corpus virginicum in hunc mundum. Idè per similitudinem vitri, Sanctitatem Puritatis Foetus Virginei etiam commendat; nam in libro de prærogatiuis Mariæ, c. 86. locutus de eius Conceptione ait: Habuit enim puritatem auri examinati quantum ad animum; puritatem vitri, quantum ad corpus. Vnde Apocalyps. 21. Ciuitas illa aurum mundum, simile vitro pellucido, quod sic explicat. Vitrum sicut Alchymista, fit ex cineribus quarundam plantarum, qui primo quidem clauellantur, dein ponuntur in igne forti, donec fundantur: sicque cinis ille transit in vitrum; recipit omnem tincturam, mollicat, mundificat, liquefacit ferrum, & omnia corpora. De vitro autem fit speculum. Planta verò ex quibus fit speculum, de quo loquimur, fuerunt Abraham, Isaac, & Ioann. Euseb. Op. Parth.

Jacob, & cateri Sancti Patres, qui in eius Genealogia numerantur. Qua quidem planta per mortem in cineres sunt redacta, scilicet postquam concepta Beata Virgo, quia clauellati sunt cineres isti, & massa paruula, dein superueniente igne forti Diuinitatis, in tantum sanctificata est massa illa, quod vitro merito comparatur. Fuit enim ita sanctificata, ut corpus, quod corrumpitur, non aggrauaret animam eius: quia nullam habuit pronitatem ad malum. Nec terrena inhabitatio deprimebat sensum eius, ut multa cogitaret, quia nullam habuit difficultatem ad bonum. Idem in capite sequenti ait, de Beatâ Virgine Hoc est enim illud nouum, quod creauit Deus super terram. Ierem. 31. non dicit quod nouum, quia si posset dici, non iam esset omnino nouum, & admirabile. Item ipsa dicitur simpliciter nouum, quia singulariter nimirum, vsque ad ipsius creationem. Nihil erat nouum sub sole. Eccles. 1. sed per istud nouum facta sunt omnia noua. Apocal. 21. Dixit, qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Hæc verba fidelissima sunt, & vera: quia cælum nouum, & terra noua id est nouam animam, & nouum corpus Virginis. Vbi notandum, quod nouitatem extendit vsque ad creationem; quia Sancta eius Conceptio fuit; & in eâ nouitate comprehendit corpus, dicens: Nouum corpus Virginis ob singularitatem puritatis eius, Nec tacenda sunt, quæ subdit eodem spectantia: Attende quàm noua, & quàm mirabilia sunt hæc opera Dei, quomodo ipse innotat signa, & immutat mirabilia. In principio quippè creauit Cælum & terram, Gen. 1. & disposuit, & ornauit & creauit in eâ hominem ad imaginem & similitudinem suam: & quia non erat bonum esse hominem solum, creauit ei ex ipso adiutorium simile sibi, Eccles. 17. hic enim omnino mutato ordine, creauit Deus nouum super terram, quia formauit hominem, id est Mariam, de limo terre, & spirauit in faciem suam spiraculum vite, & facta est Virgo in animam viuentem, viriliter agens, & mundi renouationem solertex procurans. Sed quia non erat bonum feminam esse solam: fecit ei Deus adiutorium simile sibi, factus quippe est & Deus suus in adiutorium spei sue, quæ utique erat de hominis redemptione, & mundi renouatione. Fit igitur noua Virgo, & nouus Homo, & omnis ornatus eorum.

Nunc venio ad Patres Antiquos: Sanctus Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ O præclaram, inquit Anne vuluam, in quâ tacitis incrementis ex ea auctus, atque formatus fuit foetus sanctissimus. Quid clariùs: ibidem quoque ait: O beatos Ioachim lumbos, ex quibus prorsus semè immaculatū fluxit. Hic etiam supponit sanctitatem seminalis foetus. Eodem sensu dixit: O præclaram Anne vuluam! Et iterum: O beatum ventrem! Et rursus: O filia Adami ac Dei Mater! Beati lumbi, & venter, ex quibus prodisti. Sanctus Proclus Constantinopolitanus foetum, ex quo genita fuit Virgo sanctissima, vocauit in orat. 6. lutum mundum, ex quo dixit formatam. Similiter Georgius Metropolitanus serm. 5. vocauit Deiparam signatum fontem, ex quo manant purissimi latices, ac orbem vniuersum irrigant, in quo turbidi luti, nullæ sunt deprehense reliquie. S. Epiphanius hæresi 70. ait: Reuera sanctum erat corpus Mariæ. Vbi loquitur non de sanctitate gratiæ habitualis, sed de sanctitate, quæ congruit corpori adhuc in sua formatione. Sanctus Athanasius homil. de Deipara. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ait: Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per di-

mini principatus ratione adsunt, ut omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominaretur: eo quod adimplerent Spiritus sancti abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora conceptus etiam habuisse confido: neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora illi esse donatum. Cum omnia tempora dicat, comprehenditur quoque tempus inanimis fœtus. Postea magis se explicuit Athanasius, attribuens dicta ad sanctificationem specialem corporis: Verum ita loquimur secundum orthodoxorum dogmatum rectitudinem, virtute, & Spiritu sancto esse impletam Virginem: tum, ut corpus eius sanctificaretur: tum, ut salutarem fœtum illa concipere posset. Similiter, & S. Augustinus in quæstionibus noui Testam. part. 2. q. 51. Superueniens igitur Spiritus sanctus in Virginem, sanctificauit eam opere suo, efficiens corpus sanctum ex ea, in qua virtus, qui dicitur Dei Filius nasceretur, cuius obumbratio ad Virginem, hoc est, ut de immensitate diuinitatis aliquid esset in utero Virginis, quantum posset capere natura humana. S. Basilius, homil. de humana Christi generatione, ait: In sanctitate caro conglutinata digna Vnigeniti diuinitati coniungi fuit. Quid illustrius? Sophronius Hierosolymitanus in epistola Synodica, sic de Filij Dei Incarnatione confitetur: Et in utero à viro intactum castitate virginitatis decoratum Maria sancta, & pura, & que Dei erant sapientis, & ab omni labe se cundum corpus, & animam, ac mentem libera ingressus, carnem assumit, qui erat sine carne.

Fulbertus Carnotensis, serm. in ortu Virginis, ait: Quanta putamus prouiso fuerit sanctorum Angelorum, circa tam Deo gratissimos parentes, ab initio sue procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab ista eximia Puella, quam sua obumbrare disponebat virtute? Insinuat hanc præsentiam Spiritus sancti erga Virginem esse ab initio suæ procreationis, nimirum à formatione fœtus, cumque sanctificare sit propria sancti Spiritus functio, illud præstitit per aliquem effectum sanctum, eo modo, cuius subiectum capax esset. Deinde, cum per negatiuam loquatur, oportet dicere, nec in fœtu virgineo abfuisse aliquem diuini Spiritus effectum sanctum. Consonat iis Ecclesia in illa oratione: Omnipotens sempiternus Deus, qui gloriose Virginis Matris Maria corpus, & animam, ut dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante preparasti, &c. Vbi Spiritus sanctus dicitur non solum præpassse animam Virginis, sed corpus, & preparatio hæc fuit ab initio formationis tanti Dei Tabernaculi, ut decebat dignitatem Matris Dei. Cum enim anima Virginis fuit preparata à sua creatione, sic, & corpus à formatione sua, id est, à conceptione fœtus. Idem Fulbertus se explicauit postea, cum dixit: Honoranda dies lætitiæ, in qua iuxta mundi qualitates, preparatur vas virginum diuinis charismatibus, ut margaritis ineffabiliter ornatum. Loquitur his verbis de die Conceptionis, in quo procreata fuit Virgo, idem paulo post addit: Nullum mentis, vel corporis domicilium, seu inibatatio inueniatur, que non tota conceperit in tam præclara procreatione. Charismata ad Spiritum sanctum referuntur, qui etiam extendit illa ad corpus Virginis, quatenus iis capax esset per alicuius sanctitatis effectum, ut postea declarabimus. Possent hic addi ij Patres, quos supra adduximus, qui purissimum Virginis corpus commendant.

Præterea, id ipsum confirmant Theologi Cæliberari, nam Ioannes Aragoniæ Rex, in illo suo vndecimo priuilegio pro Conceptione, quod à doctis Theologis scriptum est: Desuit, inquit, tam excellentissima Virgini in conceptu almfifici sui corporis aliquid gratia? Vbi almfificum corpus idem est quod sanctum, & sic dicitur in conceptu. Tum Iacobus de Valentia super Cantic, fol. 14. col. 3. disertè affirmat carnem B. Mariæ ante animationem fuisse mundatam, & in ventre Matris sanctificatam. Et Robertus Holcot in cap. 13. lib. Sap. Lect. 160. ait: animam infusam fuisse in corpus B. Mariæ purgatum, & emundatum ab omni qualitate inordinata, quam contraxerat ratione propagationis feminalis. Expresse Ioannes Maior in 3. dist. 3. q. 1. dixit: Sanctum valet sacrum incorruptum, ac religiosum, ut vasa Templi sancta dicebantur: erat inclinationis fomitis expers, & totum sanctum sanctissima anima susceptiuum, ratione sanctificati corporis diem Conceptionis per multos iam annos celebramus. Antea Ioannes Bachon dixerat in 4. sentent. dist. 2. quæst. 3. art. 5. Si caro aut sanguis alicuius sancti posita in aliquo vase, in aliam formam resouerentur, adhuc essent veneranda; quia cum animâ sunt resurrectura, secundum Doctores: igitur & partes primordiales, seu seminales Matris Christi, que speciali priuilegio erant ordinata ad unionem cum animâ eius sanctâ, & ad Filium Dei incarnandum, tanquam sancta reliquia sunt veneranda: Item quâ ratione ex lege statuta caro contrahit necessitatem culpæ, & detestationis, eadem ratione, & necessitatem ad gratiam, & venerationis. Nam leges proniores sunt ad benignitatem, quam ad seueritatem: ergo si gratia illa sit specialis forma, & perpetua, & omnimoda, ut est de gratia Matris Dei, erit specialiter ratio venerandi.

In eundem sensum explicuit olim Petrus Montius illud Dauidis: Sanctificauit Tabernaculum suum, cuius interpretationem nolo omittere, qui in lib. 1. de vniuersalis legis veritate cap. 73. sic ait: Vbi Dauid dicit fluminis impetus lætificauit ciuitatē Dei, videtur quod de Dominâ nostra loquatur, & ad hunc finem in officio & solemnibus, vel commemorationibus Beata Maria cantat Ecclesia: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, Sanctificauit Tabernaculum suam altissimus. Deus in medio eius non commouebitur. Adinuabit eam Deus manè diluculo. Et principio dixerat, quod cum velocitate eam lætificauerit, quam si prius labit fuisset: quamuis denuò adiuuaret, non velociter, nec tempestiue, sed nimirum serò extitisset. Et sanctificatio, quemadmodum ostendimus non vult inferre aliquid purgari, nisi bonis benedictionem dari: & quia Deus Matrem tempestiue adiuuit, & sanctificauit. Clarè constat, quod fuerit anteaquam in suis membris aliqua difficultas interuenire potuisset, eo quod Christi Tabernaculum erat priusquam rationalis anima in eam infunderetur. Postea addit, vltius in hoc psalmo procedendo inquit, Benedixit te Deus in æternū, quæ autoritas fortissima, atque clarissima fortassis super omnes in veteri lege positas de exemptione B. Mariæ, affirmat, quoniam æternum nullum habet prius, & posterius constat, nullatenus in æternum ingredi potest. Demina nostra est ab æterno benedicta, igitur nunquam maculata, quoniam id quod aliquando maculatum, minimè ab æterno benedictum: nam peccatum continere sic vel sic, maledictio est, & non potest ab æterno benedictū, & quâdoque maledictū. Clarissime postea in c. 7. ait. Fuit Sanctificatus embrio

Domina nostra ante infusionē animæ. Sed qui plenè & magis ex proposito hanc causam discutit est Ioannes Vitalis antiquus Doctor Parisiensis, qui floruit per annos 1390. ex quo multa afferre possemus. Id ipsum docuerunt alij antiqui scholastici. Sed & noster Granados eandem sententiam sequitur, multisque astruit rationibus 3. part. tract. 1. de Concept. disp. 3. sect. 2.

Illud mihi saltem commendat, & suadet hanc sanctitatem, quoniam multa inanimata, capacia fuerunt alicuius magnæ sanctitatis, licet non propriæ gratiæ habitualis. Satis ad institutum nostrum loquitur Ioannes Vitalis in Defensorio Beatæ Virginis lib. 3. quæst. 2. ubi interrogat: *utrum puritas carnis Beatæ Virginis Matris ante suam animari, decenter potuit sanctificari, & respondet affirmatiuè, dicens: Credo quod potuit, & sic fuit, quod pater: primo auctoritate Scripturæ, quia Moyses unxit, & sanctificauit Tabernaculum cum omnibus vasis suis, Altare, scilicet, & vasa eius. Si ergo ista, in quibus non erat vita, nec dispositio ad vitam, potuerunt decenter sanctificari, Mater Dei etiam in semine, vel in carne potuit decenter sanctificari. Item Deus benedixit diei septimo, & sanctificauit eum; sed ecce plusquam dies, & annos, hæc caro Virginea; ergo potuit decenter, ante animationem sanctificari.* Post pauca addit. *Non potest dici, quod caro ante animationem non erat sanctitatis capax, quia licet non fuit capax gratiæ vitalis, quoad imitationem vitalem, quæ pertinet ad spiritum, erat tamen capax quoad redundantiam, sicut in corporibus gloriosis, item quia tunc capax erat munditiæ stellarum. Item tunc erat capax sanctitatis altaris veteris Testamenti, non aliam sanctitatem nunc quero, scilicet, vitalem.*

Aptè notauit Ioannes Maior supra: *sanctitas multifariam accipitur, vno modo pro omni illo, quod à prophanis separatur, & cultui diuino mancipatur, siue fuerit animatum, siue inanimatum, ut Exod. 4. Accepto unktionis oleo, unges Tabernaculum cum vasis suis ut sanctificentur. Altare holocausti, & omnia vasa eius; Labrum cum base sua: omnia unktionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum.* Locus interior Tabernaculi Sancta sanctorum dicebatur, & tremendus habebatur sicut Thymiana, & unguentum sacerdotale dicebatur sanctissimum, Arca fœderis, & alia vasa sacra, sancta dicebantur. Sicut apud nos Chrisma, Aræ, Tempa, Lipsana sanctorum. Cum igitur hæc sancta sint, cur non etiam erit sancta caro illa, quæ etiam ante infusionem animæ, destinata erat à Deo, ad maternitatem diuinam, & habitationem eximiam sanctissimæ Trinitatis, cuius Templi primus lapis tunc iactus est, & Deus speciali suo concursu, & maxime mirabili, formauit corpus Mariæ, ad altissimos hos fines. Quod si benedictio humana sufficit ad sanctificanda supellectilia sacra, & consecranda Tempa, quis dubitare potest, quin multæ Dei benedictiones in carnem Deiparæ, etiam ante animationem, sufficerent ad sanctam illam faciendam? Aptè Fulbertus Carnotensis, orat. de ortu Virgin. sic dæmonem alloquitur, postquam multa dixisset de Conceptione Virginis: *Terreat te procul secunde Virginis de cælo collapsa benedictio.* Præclare quoque S. Augustinus, serm. 111. in Natal. Domini: *Cum dixit Angelus, Ave, salutem illi cælestem exhibuit: cum dixit, Gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Non esset hæc

Ioann. Euseb. Op. Parib.

benedictio plenè restituta, nisi contingeret carnem, sicut enim maledictionem Adæ potissimum incurrit caro, & per carnem anima: sic etiam, & benedictione restituta, ipsam quoque carnem oportebat frui. Accedit ad hæc, primum lapidem in fundamentis Templorum, præcipua benedictione donari apud homines. Sic etiam in Templo totius Trinitatis, primum eius fundamentum, quod fuit fœtus virgineus, oportebat benedici. Cum igitur dedicatio Templorum, obiectum sit Ecclesiastici cultus, annuaque solemnitate celebretur, non videtur negandum, dedicationem selectissimi Tabernaculi diuinarum Personarum, posse esse obiectum, & materiam festiuitatis sacræ. Olim propterea celeberrima erant Encenia, & nunc dedicatio Basilicæ Lateranensis. Apud Græcos festiuitas erat de Zona Virginis, quanto magis potuit esse festiua eius caro, & in ea caro Redemptori nostro dedicata. Translatio quoque corporum sanctorum, licet inanimata, celebris est, cur non & caro, iam a Deo mirabili prouidentia modo consecrata ad corpus suæ Matris, inde ab ipso quoque diuino Verbo corpus assumendum. In carne quippè Virginis caro Christi præparabatur, & argilla disponebatur, ex qua limum figulus sacrosanctum Christi corpus fabricaturus erat. Quapropter S. Ioannes Damascenus, orat. 3. de Natiuit. Virginis, ait: *Hoc est, quod hodierno die letis animis celebramus, nempe Virginis Natiuitas Festorum anteambulo, mysterij Christi præludium.* Oportebat enim prius Palatium parari, atque ita Regem adesse. Oportebat regionum incunabulorum fascias contexi, atque ita demum Regium infantem in lucem edi. Denique prius oportebat argillam misceri: ac tum sigillum præsto esse. Merito proinde vir diuinus Ioachim, & Anna ipsius uxor diuina prouidentia vocati, precationis fructum perceperunt, hanc inquam naturæ Reginam, ac nostræ massæ primitias.

Colligitur hæc sanctitas fœtus virginalis ex mirabili dispositione, & sanctitate parentum, ut illius essent causæ: quemadmodum enim respiciens ad sanctitatem Templi Salomonici Deus, noluit à Dauide ædificari, quia vir sanguinum erat, ob impuritatem, quæ in specie illa crudelitatis apparebat; crudelissimam enim visus est carnificinam fecisse in Rabba. Sic etiam ob sanctitatem, quæ decebat fœtum virginalè, absterfit suos parentes omni impuritate, ut sine vlla culpa, nec leui, & sine concupiscentia carnali illam præcrearent, præter communem cupidinis modum; quam puritatem multi Patres admirantur, & commendant. S. Ildephonus in serm. breui de Natiu. B. Mariæ, qui habetur tom. 8. Biblioth. Parisiens. *Maria, inquit, Virgo non sic est nata, sicut solent pueri, vel puella nasci, sed de Anna sterili, & patre iam senè exstrà consuetudinem mulierum, post refrigerentem calorem, & omnem amorem libidinis discessum, mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta est.* Fulbertus Carnotensis, serm. in ortu Virgin. ait: *In huius Conceptione necessaria, haud dubium est, quin utrumque parentem viuificus, & ardens Spiritus singulari munere replenerit.* Paulò post loquutus de S. Anna, cum in fœminis dicatur esse maior libido, singillatim dicit: *Verè beata, & omni veneratione habenda, & quodam privilegio sacro predicanda, Mater huius sancta, quæ omnium antecessit matres in concipiendo, & generando eam, quæ suam, & omnium generaret creatorem.*

Hanc puritatem omnino commendavit S. Damascenus, iam laudatus in orat. 1. de Natiuit. cum admiratur, & dicit: *Beatos Ioachim lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* S. Bonaventura in 3. dist. 3. artic. 1. 1. quest. 1. ad 4. ait: *Dicendum, quod totum illud est probabile, videlicet, quod Maria concepta fuerit ex sterili, & ex coitu coniugali, absque tamen culpa actuali.* Vnde S. Brigitta, lib. 6. lvarum reuelationum, c. 55. sic refert loquentem Deigenitricem Mariam, *Hora in qua ego concepta fui, bene potest vocari aurea hora, & pretiosa: quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes conueniunt ex obedientia, & precepto Dei.* Deuotissime etiam leguntur verba Matris Dei, quæ in eadem sancta Brigitta inueniuntur: *Filius meus prius me dilexit, quam ego eum, quia creator meus est. Ipse coniugium Patris mei, & Matris tantacastitate coniunxit, ut tunc non inueniretur castius coniugium, & nunquam conuenire vellent, nisi iuxta legem solum modo causa suscitandi prolem. Et cum sibi nuntiatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, unde salus mundi procederet, magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nuntiantis, conueniunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione: & sic ex semine eorum per diuinam charitatem, caro mea compaginata est.* Photius in homil. de Natiuit. Virgin. his consentaneè dixit: *Vbi cupiditatis ignis extinctus esset, tunc fecunditatis fax accensa est.* Quapropter merito dixit Fulbertus, serm. 1. de Natiuit. *Virgo Maria priusquam nascereur oraculis enuntiata est, & designata miraculis, nata verò progenie diuinitus ordinata.* Aptissime dixit: *Progenie diuinitus ordinata: cum eam non solum mirabiliter ordinasset Deus in fœtu ipso, sed in suis ipsis parentibus; tunc cum potissimum fit inordinatio appetitus, & concupiscentiæ, in qua magis conspicua est inordinatio protoplastorum, quæ peccatum induxit in reliquos posteros.* Luculenter puritatem parentum sanctissimæ Virginis Ecclesia Græca explicat in Menæis die 25. Iulij, ode 3. de obdormitione S. Annæ, hunc in modum: *Velut Sol quidam cum Luna coniunctus, incluyit Ioachim, cum Anna radium Virginis produxit, è quo deinde radio sese ipsius diuinitatis splendor diffudit.* Merito propterea notarunt aliqui Patres Ioachim significare idem, quod præparatio, & Annam idem, quod gratia; quia cum abundantia gratiæ præparati sunt, ad procreandam Matrem gratiæ, eximiaque sanctitate, & pudicitia dispositi, ut essent genitores purissimi purissimæ Matris Dei. Quapropter dixit S. Damascenus in eadem orat. 1. de Natiuit. *Vi Deo gratum erat, ac dignum ea, quæ à vobis orta est, vita vestre rationes instituitis. Caste etenim, ac sancte munere vestro functi virginitalis thesaurum produxistis.* Paulò post. *O castissimum, ratione præditarum turturum, par, Ioachim, & Anna. Vos ut natura legi consentaneum erat, pudicitia conseruata, ea qua naturam superant, diuinitus consecuti estis. Virginem enim Dei Matrem mundo peperistis. Vos pie, ac sancte in humana natura versati, Angelis superiorem, ac nunc Angelis dominantem Filiam in lucem extulistis.* S. Epiphanius de laudibus Mariæ: *Sancta Virgo, sancta, inquam, & sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim, & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum*

eiusmodi germinarunt sanctam Virginem Mariam Templum simul, & Matrem Dei. Ioachim porro Anna, & Maria hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit Templum Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim, & Anna gratiam acceperunt, ut accedentibus precibus talem fructum germinarent. Sanctam Virginem adepti, Ioachim siquidem præcabatur in monte, & Anna in horto suo. Anna verò grauida effecta cælum, & thronum cherubicum peperit. S. Germanus, homil. de Præsentat. Virgin. alloquens ipsam Virginem ait: *est enim reuera pater tuus beatus inter viros, & beata mater tua inter mulieres.* Iacobus Monachus homil. de Natiuit. Virg. sic commendat eius parentes: *Quam gloria excellentia excogitari queat, cuius illi prærogatiuam non sint consecuti! Quemadmodum enim nata puella, ut auctorem excipias, quod est supremum, recepit, ita hi quoque incomparabilem decoris præstantiam sortiti, parentes vniuersos superant.* Idem ait de S. Ioachim, & Anna: *Hi itaque ab excellenti virtute supra omnes creaturas conspicui constituuntur. Idcirco omni decursa via, ad summum perfectionis verticem occurrerunt, solique res plerisque à sæculo desideratas consequi meruerunt.* Egrege quoque de præparatione Dei, erga formationem suæ sanctissimæ Matris, & Virginis loquitur Franco Abbas Affliginensis, lib. de gratia, tom. 6. *In officina Spiritus sancti, industria summi Artificis tanta Virginis, tanteque prolis, futura Matris præparantur ornamenta. Quo studio, qua diligentia, quanta ambitione, quanto cultu, non est paupertatis mea eloqui, sed quibus decuit Matrem Christi, umbraculum Spiritus sancti, Reginam cæli, Reginarum Imperatricem adornari.* Georgius Metropolitana, orat. 1. in oraculum Conceptionis Dei-paræ, loquens de S. Ioachim, & Annæ *Cum hodie parentes steriles, fausta annuntiatione illam genituri promuntur, quæ bonorum facunda largitatis causa existit, vniuerso hominum generi diuinarum eiusmodi participationem occupato instrunt. Quam verò eorum gloriosa longe in æuum extenditur memoria! Quam eorum permanet inuolabile decus! Quam beata electio, ac merito beatificanda probanda eorum virtus, per quam accessit, ut eligerentur. Cum enim per eam vniuersos gentiles suos voluntatis magnificentia superarent, donorum quoque secundum electionem, ac Dei propositum amplitudine superarunt. Toti siquidem generi honore prælati sunt, quod auctorem rebus vniuersis honore prætulissent: potiores omnibus habiti sunt, quod sua ipsorum vita Domini charitatem petiorem habuissent. Præelecti fuerunt in sacramentorum ministros, quod vitam totam eius qui elegit, voluntates solas implere studuissent: aucti sunt gloria, quod suis ipsum operibus gloria affecissent. Magnifici gratiæ donis magnificati sunt, quod se iis suscipiendis congrue præparassent. Hac enim supra omnes priores in istos ampliori eos honore cumulauit: fecit hæc, ut iis frui mysteriis mererentur, quæ illi desiderassent: fecit, ut eorum, quæ Prophetarum oraculis promissa essent, multoque quæsita desiderio, primus eis euentus exhiberetur: per eam, contribulibus vniuersis prælati incomparabilem dignitatis excellentiam obtinuerunt. Cū enim regale genus impermixtum seruassent, idem ipsum regalis animi virtutibus sincerum, nihilque adulteratum custodierunt. Nihil ab excellenti dignitate ad seruilem voluptatum abiectionem sinistrum*

*se agi passi sunt; quin eius magnificentiam indimn-
tam seruantes, eius pariter congruo celebrari præ-
conio, vniuersique Reginam, vti pietatis, ac victo-
ria fructum parere meruerunt. In his verbis ante-
feruntur sanctitate Virginei parentes sanctissimis
Enoch, Abrahæ, Moyli, Eliæ, Hieremiæ, & vni-
uerso generi humano vsque ad illos. Satis sunt
hæc ex pluribus eorundem laudibus, quas postea
annectit. Leo quoque Imperator, homil. in SS.
Mariæ Natiuitatem, loquens de sanctitate paren-
tum Virginis, auream illam, & spiritualissimam
sententiam protulit: Sic enim tristia comparata
sunt, vt nedum Ioachim, ac Annam, iustosque si-
miles, ad diuinam propinquitatem adigant; verum-
etiam eos, qui reslire quarunt, vbi, & illos com-
prehenderent, Deo propitiis adducant, vt è contra
dulcia, ac diffundentia animum, nedum iam disti-
tos, sed & eos, qui propiores erant ab eodem lon-
gius abigunt.*

Demum Deiparæ genitores sanctissimi erant,
sicut diximus, vt vel hoc solo nomine productum
à se fœtum sanctum dici oporteat, cum supra
sanctitatem totius vitæ, per admirabilem sancti
Spiritus prouidentiam, sanctissimè illum proge-
nuere. Quemadmodum enim partes sanctorum
corporum, separatae ab illis, siue viuis, siue mor-
tuis, sanctæ habentur, & religiosè seruantur,
vt auriculæ sanctorum Iaponensium, sanguis de-
fluxus Baptiitæ, Ossicula martyrum: sic fœtus
ille Marianus, tanquam pars abscissa sanctissimo-
rum parentum, quorum animis informatus fue-
rat, & per operationem ex obedientia diuina,
quæ in eis fuit sanctissima, decisis, sanctus dici
deberet, nec minori veneratione dignus, & re-
ligione venerandus, quàm cadauera sancti Frig-
diani, Iulianæ, Martini, & aliorum, quorum
translatio festiua est in Ecclesia Romana, & in
suo Martyrologio consignata. Quantam addet re-
uerentiam, eam fuisse materiam dedicatam cor-
poribus Mariæ, & Christi Domini.

Effectus autem diuini Spiritus assistentis for-
mationi fœtus Mariani, in eo apparere censuit
noster Granados, supra laudatus, & aptè decla-
rari posse hanc puritatem B. Mariæ, ante infu-
sionem animæ rationalis. Quod iuxta S. Thomam,
in lib. de anima, dicant Philosophi, corpus hu-
manum prius habere animam plantæ, & faculta-
tes illi debitas, deinde animam sentientem, &
consequenter appetitum corporeum, similem illi
quem habent bruta: hoc autem ait Granados,
quod omnibus hominibus commune est, non
debet corpori Virginis denegari, licet pro
breuissimo spatio. Habuit ergo sentientem ap-
petitum prius quam caro informaretur anima
rationali, & cum appetitus iste post lapsum primi
parentis, inclinet in plura obiecta sensibilia, ra-
tioni contraria, nec habeat aliquid, quo rationi
omnino subiiciatur, rectè dici potest in corporibus
filiorum Adæ, etiam ante creationem animæ ra-
tionalis, esse prauam aliquam inclinationem, &
rebellionis principium atque impuritatis incen-
tium. Hoc autem non habuit caro B. Mariæ, quia
Deus efficaciter decreuerat non permittere, vt ap-
petitus illius præueniret rationem, vel illam vllò
modo ad malum incitaret. Vnde meritò dicitur,
semper caruisse fomite peccati, siue quia iste
fuerit extinctus in Virgine ab ipso conceptionis
exordio, siue quia vsque ad tempus Incarnationis
Filij Dei fuerit ligatus, & postea extinctus, vt
opinatur S. Thomas. Propter hanc igitur causam,

atque in hoc sensu dici potest, & debet caro Mariæ
omnino pura, etiam ante creationem animæ ra-
tionalis. Et ideò Sophronius Patriarcha, in Epi-
stola, quæ legitur in 6. Synod. act. 11. dixit:
*Mariam liberatam fuisse ab omni contagio, siue (vt
alij legunt) ab omni labe corporis.* Verum non est
opus adstringi huic Philosphiæ, satis est ad
institutum nostrum si diuinitus fuisset expiatus
fœtus virgineus ijs prauis qualitibus, quæ
adueniente anima appetitum inclinarent ad ma-
lum, & è contra ijs cumlaretur, quæ penitus
subferuient virtuti eximix. Hæc purificatio
fœtus virginei intenta à Deo, in decorem suæ
genitricis, excluso debito peccati, & non solum
ablatis qualitibus, quæ possent inclinare ad
malum, sed positiuè addens alias optimas quali-
tates, quæ iuuarent ad bonum, principiâque
virtuosissimæ indolis, simulque consecrata cum
benedictione suæ diuinitatis in eam carnem, quæ
futura esset simul cum anima, filia Dei Patris,
Mater Dei Filij, & sponsa Spiritus sancti, quod-
dam genus sanctitatis est, venerandum quidem,
& magnâ admiratione, ac reuerentiâ prosequen-
dum. Confirmatur hoc ex S. Bonauenturâ, qui in
3. dist. 3. 1. part. quæst. 1. ad 3. carnem ante anima-
tionem dixit *uitiosam*. Etenim contraria circa
idem subiectum versantur, quare cum caro, ante
animationem fuerit capax alicuius vitiositatis,
capax quoque erit alicuius sanctitatis, & purifi-
cationis: quam egregiè declarauit B. Thomas
Villanouanus sup.

Pulchre etiam hoc explicauit Iacobus de Va-
lencia, doctus ille Episcopus Christopolitanus;
locutus enim loco citato de sanctitate Fœtus Vir-
ginei, ait: *Non est necesse quod talis sanctificatio
fieret per gratiam gratificantem sed per quamdam
virtutem spiritus sancti purgantem vllum morbum
carnis, sicut oleum exorcizatur, & consecratur, &
sanctificatur in chrisma, nõ per gratiam gratifican-
tem; sed per virtutem spiritus sancti expellentem
omnem immunditiam & potestatem inimici ab illo
oleo, & ab aqua quando benedicitur. Et isto modo
reconciliantur Ecclesia polluta, & cœmeteria, quæ
sunt res inanimata, & etiam per quamdam sancti-
ficationem consecrantur Altaria, & Ecclesia, &
dedicantur ad diuinum cultum. Ita pariter illa Ca-
ro Virginis ante animationem potuit sanctificari,
& per talem sanctificationem dedicari ad receptio-
nem illius sacratissima Anima: quæ quidem Ani-
ma fuit creata, & sanctificata, & omni Gratia
ornata, & in illo corpore sanctificato infusa. Plura
videri possunt in Ioanne Vitali lib. 3. Defensorij
vbi late de hoc in cap. 2.*

Nec parum luculenter, & magis fusè Ambrosius
Catherinus Disputat. pro Concept. ad Concilium
Tridentinum part. 1. §. Nequis, dixit: in primâ
Conceptione dum dicitur sanctificata, præsuppo-
nitur fuisse B. Virgo. Quod autem non est, quo-
modò potest sanctificari? At in conceptu primo
nondum existerat, cum nondum esset anima in-
fusa. Sed ad hoc iam respondimus. Erat enim
iam in eo conceptu semine aliquo modo. Siqui-
dem quod est sic inchoatum, accipi solet perin-
de ac si esset. Talis est modus loquendi & fre-
quens, vt dicit B. Anselmus. Vnde quidam de ob-
scœna mollitæ dixit: Quod perdis, homo est. Et
B. Augustinus de iis qui concepti in vtero per-
duntur, ita scripsit. Aliquandò eo vsque peruenit
hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt
etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil va-
luerit,

Inerit, conceptos foetus intra viscera aliquo modo extinguat, aut fundat, volendo Prolem suam prius interire quam viuere. Prolem vocat que nondum erat nisi in semine. Secundum quod tollet scrupulum iniicere, est: quia nihil videtur esse capax sanctificationis, nisi anima hominis. Quomodo igitur poterat esse questio de primi conceptus sanctificatione antequam anima infunderetur, cum talis conceptus non esset vilo modo sanctificabilis? Respondeo, illud sanctum dici in scripturis, quod mundum est, e regione ad immundum. Et quemadmodum non vna est immunditiae species, sed pro varietate rerum naturae plures: ita non est vna species sanctificationis, sed multae, vt fert naturarum diuersitas. Ecce in lege prisca dicebantur animalium quaedam immunda, & ciborum similiter. Id vero quamobrem, cum essent opera naturae ac Dei, nisi quia Deus illa ad sacrificium, aut ad esum hominis non probabat? Neque enim illa immunditia erat naturalis: quoniam ipse porcus non ad alium vsum videtur esse naturae productus, quam ad esum hominis, vt aiunt Physici: & tamen inter immundas carnes computabatur. Ante diluuium etiam omnes carnes erant immundae ad esum, quia prohibita. Post diluuium & ante legem omnes erant mundificatae & sanctificatae per verbum Dei dicentis: Omnes pisces maris & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Per legem autem distinctio facta est, vt quidam cibi dicerentur mundi, quidam vero immundi, vt quicumque ex immundis ederent, immundi fierent. Per Christum autem legis sublata seruitute omnia munda facta sunt. Ita oportet in re proposita arbitrari, semen quidem viri ad generationem immundum esse, non quia sit in illo qualitas vlla morbida & immunda. Hoc enim existimare, teste B. (Anselmo, est nimis crassum) sed idcirco immundum, quia non eo modo quo Deus ordinauerat ab initio, deciditur, hoc est, cum statu & tranquillitate rationis. Quapropter conceptus inde propagatus immundus est non placitus coram Deo, tanquam non opus suum. Posset autem Deus oculum conuertere ad certum conceptum, & continuo si vellet eundem sanctificare: quia beneuola Dei erga illum voluntas sanctificatio esset. Posset & quod concipitur, manu Angelorum pertractari, atque ab aliqua sorde materiae purgari, non sorde peccati siue culpa, cuius caro non est capax: & ita sanctificari diceretur ea sanctificatione, cuius capax esset, quomodo sanctificantur cibi, & etiam res inanimatae. Ego vero non dubito Conceptum B. Virginis etsi ex viri semine venerit, & non de Spiritu Sancto, fuisse tamen a Deo vtroque modo sanctificatum, hoc est, respectum oculo diuinae gratiae, vt esset dignum ex quo Dei Mater generaretur. Credo inluper quam primum decisum est semen illud in vterum B. Annae, statim non defuisse Angelos Dei qui aliquid circa ipsam materiam cooperarentur, vt conceptus fieret mundissimus: sicut enim ad creationem primorum Adam & Euae rationabiliter creditur (quod & B. Thomas testatur) ministerio Angelorum preparatam aptatamque fuisse materiam, & eorum corpora fabricata quatenus Angelorum manus extendi potuit: ita me rationabiliter existimo credere de secundo Adam & de secunda Muliere, quae quodammodo in illo continetur spiritualiter: & ita sanctificatum fuisse conceptum illum vt congrue


anima omnibus donis cumulativissime ornata suo tempore posset infundi. Et fortassis vt quaedam reuelatio habet meo iudicio non contemnenda, valde accelerata fuit anima creatio atque infusio. Sed haec non sunt proponenda derisoribus: idcirco tanquam non dicta accipi ab his velim, qui nihil admittunt, quod in suis libris non legerint. Haecenus ille.

Accedit ad hoc sententia aliquorum, qui mirabiliores qualitates communibus, & inusitatas haecenus naturae humanae, imò & supernaturales, quamuis corporeas, tribuunt formandae in foetu suo Virgini. Altissima enim electio Mariae ad diuinam generationem exposcebat altissimis dispositionibus corpus eius praeparari, ex quo aeternum Verbum corpus assumere decreuerat, id prorsus supponens, ait S. Bernardinus Senensis, tom 1. ser c. 120. *Et quidem quod Deus generaret Deum, non requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conueniret, vt per viam naturae intellectus produceret Verbum, per omnia sibi aequale: imò impossibile est, quod non generaret Deum propter suam fecunditatem. Sed quod femina conciperet, & pareret Deum, fuit miraculum miraculorum: oportuit enim, vt sic dicam, feminam eleuari ad quandam qualitatem diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam aequalitatem creatura nunquam experta est.* S. Bonaventura, in 3. dist. 4. artic. 3. quaest. 1. postquam affirmasset cooperatam Virginem Spiritui sancto ad conceptionem sui Filij, ait: *Non enim fuit minor potentia in Virgine, quam in alia muliere, imò multo maior, quia naturalem, & supernaturalem potentiam habuit.* Et in artic. 4. q. 2. idem amplius declarat, dicens: *Et ideo Virgo Maria potentiam habuit supra naturam, & potentiam secundum naturam: & potentia supra naturam fuit ei in sanctificatione collata, & viraque erat in illa Conceptionis tempore in complemento suae operationis constituta.* Ecce quam aperte supernaturales qualitates, spectantes ad generationem, & per consequens ad corpus attribuuntur Virgini, eisdem confirmat Albertus Magnus in cap. 10. Lucae, explicans illud, *Beatus venter qui te portauit,* ait: *Beatitude ventris est in actu ventris perfectissimo.* Et addit: *vt nihil miseriae patiens, naturalem etiam fecunditatem transcendens, ex Deo accipiat fecunditatem, vt & florem vernantem habeat virginitalis, & fecunditati diuinae fecunditatem similem habeat in gaudio Matris.* Et in cap. 1. eiusdem Euangelistae, ait: *Sicut natura generantis, umbram suam reliquit in semine, qua partum, & conceptum formet humanum, sic semper mundata illa Patris virtus, umbram suam produxit in Virgine, qua conceptum, & partum formaret diuinum.* S. Ioannes Damascenus, lib. 3. de Fide orthodoxa, cap. 2. inquit: *Spiritus sanctus venit Virgini, purgans ipsam, & virtutem susceptiuam Verbi Dei tribuens ei, simul autem, & generatiam.* Similes qualitates excellentissimas, & super naturam attribuunt corpori virgineo alij Patres, sanctum per illas, aut sanctificatum insinuantes, vt fecerunt maximi Ecclesiae Doctores Athanasius, & Augustinus, supra laudati: de quo potest videri Syluester Sauedra, in sua Deipara. Cumque istae qualitates dotes corporis fuissent, non mirum, si ex quo ipsum corpus cepit esse, illis fuerit decoratum, atque in illis possedisset pignus diuinae complicitatis, acceptionis, & praeseruationis originalis culpa, & etiam condonationis eius debiti, vt propterea

conceptio fœtus virginiei dici posset sancta, & esse celebritatis Ecclesiasticæ materia. His suppositis vim suam amittit illa apud S. Bernardum argumentatio, epist. 74. *Cum hæc ita se habeant, quam iam erit festina ratio Conceptionis, quo pacto inquam, aut sanctus asseritur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est? Aut festus habebitur qui minime sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa videtur induci sanctitas.* Cum enim præstruxerimus exclusum à Maria non solum peccatum originale, sed extinctum etiam eius debitum in fœtu, additam præterea fœtui eximiam sanctitatem, rebus inanimatis congruam, & venerandam: nequaquam honorauere, sed detestati sunt peccatum, qui eius primam Conceptionem coluere. Porro nihil dixisse S. Bernardum contra festum Conceptionis celebratum ab Ecclesia Romana, ostendit collatio Fontanobliaudensis, inserta inter Concilia Gallicana, ubi doctissimus Cardinalis Peronius id discussit felicissimè aduersus Plesium Caluinistam.

Hæc animaduerti, vt possibilitatem eiusmodi festi explanarem, quod supponit sermo Angelicus apud S. Brigittam, ser. 4. Lect. 1. non quoniam de fœtu sola illa Conceptio fœtus fuerit celebrata in Ecclesia. Falluntur omninò, qui putarunt ante Sixtum IV. solam eam seminum Conceptionem in Ecclesiis cultam, cum iam ex S. Anselmo, S. Norberto, & Concilio Basiliensi, ac per consequens Auenionensi, etiam constet præseruationem Virginis, siue immaculatam Conceptionem eo ipso momento, quo creata fuit anima eius, cultam antiquitus: quippe S. Anselmus, in serm. de Conceptione clarissimè hortatur: *Colere animæ spiritualem creationem, ac corporis, & animæ copulationem. O quanta est dies illa, qua nostræ redemptionis anima digna creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori unitur!* Hoc testimonium satis erat, cum ex S. Anselmo increbuerit hæc festiuitas per Europam, eodem sensu admissa; quo S. Anselmus illam introduxit, in eoque perennauit vsque quo tempore Sixti IV. fuerit ab Ecclesia Romana accepta eodem ipso sensu; quamuis per Officium ordinatum à Sixto, magis declarata. Confirmat idem Officium S. Norberti, in quo àpertissimè exprimitur præseruatio Virginis, de quo superius egimus, testesque laudauimus. Similiter, & Concilium Basiliense eandem immaculatam in animatione Conceptionem dixit, *consonam cultui Ecclesiastico*, supponens eam fuisse obiectum cultus antiqui, & eius, quem ipsum Conciliū stabiliebat in suo decreto de celebranda Conceptione, confirmatum postea à Concilio Auenionensi; locupletius hoc demonstrauimus supra, neque opus est rursus immorari in ijs, quæ iam dicta sunt. Quod etiam confirmatur ex Officiis diuinis quæ in Breuariis Ecclesiarū ante Sixtum IV. ubi supra, maximè ex Anselmo afferuntur, quæ immaculatam animationem Virginis in festiuitate Conceptionis coli contestentur. Nunc quoad institutum attinet, concludo semper fuisse celebratam in Ecclesiis præseruationem Virginis à peccato originali, siue cum ipsa simul conceptione fœtus puri, & sancti, eo modo quo dixi, quæ moraliter putabatur vna cum animæ creatione, ob paruam distantiam, prout iam diximus, siue seorsim, & solam. Quod si ab aliquibus priuatim culta fuisset Conceptio fœtus, quod non repugnare iudicauit S. Ansel-

mus, cum sancta posset haberi, vt iam præstruximus, simul quoque, saltem virtualiter colebant animationem Virginis, siue peccato originali. Cum enim illam fœtus Conceptionem coluissent, quia sine debito peccati fuit, consequenter reuerbantur ipsam animationem Virginis immaculatam, & præseruatam, quod planè sequebatur ex carentia debiti. Hoc videtur declarasse Catharinus prima parte pro Concept. ad Concilium Tridentinum dicens. *Considera quam conuenienter Sacrosancta & veritatis Magistra Romana Ecclesia, & cetera totius orbis omnes Dei spiritu directæ, illum diem merito colant, quo primum Concepta fuit; quia præseruationis illius est festum, quæ præseruatio manifestata est in ipsa fœtus sanctificatione, ab initio sua Conceptionis. Tunc enim inchoata est sanctificatio in carne, vt tum demum in spiritu terminaretur, & tempore suo consummaretur.* Itaque siue celebraretur Conceptio prima sola, hoc est formatio fœtus, siue secunda sola, hoc est animatio, siue vtraque simul, quoad astruendam præseruationem Virginis, idem profus est, in eamque conspirant. Quoad id, quod de fœtu accidit, id assero, quod nuper diximus, nunquam exclusam fuisse ab hac celebritate præseruationem, animationem scilicet Virginis, absque peccato originali. Comprobatur idem ex Ioanne Maiore, in 3. dist. 3. q. 1. qui postquam confirmasset carentiam peccati originalis in Deipara, ex festo Conceptionis celebrato à S. Anselmo, à Concilio Basiliensi, & Sixto IV. à quibus agnouit celebrari copulationem animæ, & corporis Mariæ, simul cum gratia excludente peccatum, vt constat ex verbis S. Anselmi, & Concilij, supra allatis, & ex Officio Sixtiano, obiicit sibi: *Festum Conceptionis 6. Idus Decembris celebramus, qua tempestate anima virginea nondum creabatur. Masculus fœtus ante diem quadragesimum (vt Physici perhibent) non animatur; multo autem ferius foemineus fœtus animatur, sed corpus sanctitatis est incapax.* Cui obiectioni respondet. *Ratione sanctificati corporis diem Conceptionis per multos iam annos celebramus, nimirum ab Anselmo, eo scilicet die; non tamen excludit propterea celebrari simul animationem Virginis sanctam, quam paulò ante sic approbat, vt exinde suam comprobaret conclusionem.*



CAPVT XXXI.

Confirmantur dicta ex Bellarmino, cuius mens elucidatur circa obiectum festi Conceptionis.



X dictis fortasse poterunt enucleari, quæ ex Cardinali Bellarmino obiiciunt nobis sententiæ affirmatiuæ sectatores, & penè improperant ipsi asseclæ negatiuæ, quoniam tom. 2. lib. 3. de cultu sanctorum, cap. 16. dixerit, fundamentum præcipuum festi Conceptionis esse gaudium futuræ Matris Dei. Vt illustrem eius sensum, statuo prius in ea omnino esse sententia Cardinalem Bellarminum, vt Ecclesia celebret immaculatam Virginis Conceptionem

ptionem, quod egregiè demonstrat sæpè laudatus, & semper laudandus D. Antonius Calderon, lib. pro titulo Immaculatæ, cap. 5. §. 8. ex eo quod Bellarminus, lib. 4. de amissione gratiæ, cap. 15. proponit non deesse, *qui impudenter affirmant ab Ecclesia Romana defendi Conceptionem immaculatam Virginis Mariæ, tanquam articulum fidei.* Quod quidem inde probant hæretici, quia Ecclesia Romana agit festum de immaculata Conceptione. Promittit Cardinalis se tria ostensurum, quorum tertium est (hoc enim facit ad rem præsentem) sententiam de immaculata Conceptione esse *piam admodum, ac probabilem, atque adeo contraria sententia longè probabilior.* Et §. quod attinet ad tertium, id se probaturum pollicetur, *primum ex scripturis, deinde ex Patribus, tum ex consensu Ecclesiæ, postremo ex ratione.* Deueniensque ad tertium argumentum ex consensu Ecclesiæ, postquam multa ad eum ostendendum attendit, sic loquitur: *Adde ultimo, quod totus ferè orbis Christianus celebrat festum diem Conceptionis Virginis Mariæ, eamque Conceptionem immaculatam vocat.* Ecce ex festo Conceptionis probat Bellarminus, ipsam fuisse immaculatam; sentit ergò festum esse de immaculata, alioquin perperam ex festosumeret argumentum. Hinc etiam patet falso Egidium affirmasse Cardinalem, lib. 4. de amissione gratiæ, vbi defendit B. Virginem peccatum originale non contraxisse, nullum sumpsisse argumentum ex festo Conceptionis.

Præterea capite decimo septimo refellit Bellarminus mendacia, & calumnias Kemnitij, quas ille effutiebatur, *demonstraturus (inquit) quemadmodum sensim crescunt errores, & superstitiones, colendo videlicet Conceptionem immaculatam, quam falsam putabat hæreticus, atque adeo superstitiosum eius festum.* Enumerat Bellarminus huiusmodi calumnias, & ad quartam deueniens, ait: *Quarto dici potest, eo tempore (Petri Lombardi) natam esse opinionem de immaculata eiusdem Virginis Conceptione: & licet S. Thomas, & S. Bonaventura eidem opinioni resisterint, tamen in quibusdam locis institui coepisse festum Conceptionis.* Respondet Bellarminus hinc cerni insigne mendacium; nam tempore Bernardi, & Anselmi iam institutum erat festum. Quid si sensisset non esse de immaculata Conceptione, sed tantum in gratiarum actionem: quia concepta fuerit futura Mater Dei; id potius responderet Kemnitio, atque ea ratione faciliè elideret eius calumniam. Si enim festum non est de subiecto illius opinionis tam recenter natæ, & cui resistunt Thomas, & Bonaventura, perperam hæreticus ex ea nouitate, & resistentia dampnaret eius institutionem. Dum ergo Bellarminus nihil eiusmodi respondeat, sed tantum ad festi antiquitatem recurat, manifestum est eum agnoscere, & fateri festum esse de immaculata Conceptione, siquidem Kemnitio existimanti non contradicit, sed tantum calumniam nouitatis explodit.

Tum etiam lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. cum Bellarminus obieciisset sibi, quod apud nos etiam non est certum de fide, an B. Virgo sine peccato originali concepta fuerit, Ecclesia enim utramque opinionem permittit: ergo saltem dubium est, *an rectè hoc festum celebremus.* Respondet: *Dico primo in maiori parte Ecclesiæ piè credi B. Virginem sine peccato originali conceptam, inueniens videlicet hunc maioris partis Ecclesiæ sen-*

sum de immaculata Conceptione, fuisse sufficiens fundamentum ad institutionem festi, neque falso fundamento niti (vt obieciebat argumentum) festiuitatem, quæ persuasione maioris partis Ecclesiæ innitur. Huc etiam attinet, quod paulò post subiicit: quia maior pars Ecclesiæ piè credit immaculatam Conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc festum. His verbis non obscurè significat Bellarminus festum esse de immaculata Conceptione, non *de prima gratia Virgini collata abstrahendo à tempore.* Festum enim est de eo, quod *in maiori parte Ecclesiæ piè creditur.* Hoc autem est Conceptio sine peccato originali, non sola sanctificatio abstrahens à tempore, quam non tantum maior pars Ecclesiæ, sed vniuersa Ecclesia credit, neque pie dumtaxat (quæ vox liberum assensum significat) sed necessariò, sine facultate aliter sentiendi. Rursum ad instituendum festum de sanctificatione à tempore abstrahente, perperam Ecclesia occasionem sumpsisset ex pio sensu maioris partis, circa immaculatam Conceptionem, cum vera, & germana eiusmodi festi instituendi causa, & occasio esset totius Ecclesiæ de sanctificatione Virginis in vtero firma persuasio: agnoscit ergo Bellarminus festo ab Ecclesia instituto celebrari immaculatam ipsam Conceptionem sine peccato originali, quam maior pars Ecclesiæ piè credit.

Pergit deinde Cardinalis, & aliam solutionem reddit his verbis: *Dico secundo, fundamentum huius festi præcipuum non esse Conceptionem immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futura. Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit Matris Dei futura, singulare gaudium affert mundo eius memoria, tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis, præsertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.*

Quamuis in hac secunda responsione dixisset Bellarminus aliquid minus opportunum modo sententiæ negatiuæ assertoribus, nullum illis incommodum adduceret, quoniam non ex propria sententia, & maiori Ecclesiæ sensu id protulit, sed ex aliena sententia, eius scilicet partis, quæ inter Catholicos opinionem affirmatiuam sequitur, idque præstitit, vt abundantius responderet hæreticis, non solum eorum argumentum dissoluens secundum sententiam negatiuam, sed etiam secundum affirmatiuam. Quod non est nouum iis, maximè, qui cum hæreticis disputant, vt abundantius retundant argumenta aduersaria; sicut enim in disputationibus solent dari aliquæ propositiones, quibus non assentitur ipse qui dat, vt locupletius dissoluat syllogismos aduersariorum: sic Bellarminus dedit aliqua, quæ ipse non probauit, vt maiori satisfaceret copia. In prima responsione ex propria sententia, in secunda etiam ex aliena, quam modo dedit aduersariis, non tamen sibi probauit. Quare non erat allegandus in hac parte Bellarminus (nec in iis, quæ consequenter ad eam mox dicit) à fautoribus sententiæ affirmatiuæ.

Considerandum quoque est, id asseruisse Bellarminum ante decretum Gregorij XV. quod maximè, vt diximus, confirmauit obiectum festi Conceptionis ipsam immaculatam Conceptionem; scripsit etiam Bellarminus ante alterum decretum Pauli V. id ipsum confirmans, dum

prohibuit in concionibus opinionem affirmatiuam promulgari, ne dissonaret prædicatio Officio Ecclesiæ, cum hoc sit pro sententia negatiua, & illa fuisset pro opinione affirmatiua.

Tùm etiam obiter hæc dixit, non in peculiari speculatione de hac materia. Vnde minus eius authoritati debetur in hac parte. Et quidem si verus eius intellectus esset, quem aliqui retorquēt in affirmatiuam opinionem propendentem circa obiectum festi, non magna esset vnus Bellarmini authoritas, contra tot, ac tantos Ecclesiæ Doctores, vt sunt Augustinus, Ildephonsus, Bernardus, Thomas, Bonauentura, contra tot maximos Pontifices, vt sunt Sixtus IV. Iulius II. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & penè qui à quingentis annis præfuerunt Ecclesiæ Christi, qui nihil contra, & pluri in fauorem festiæ Conceptionis immaculatæ dixerunt. Tùm contra Concilia Tridentinum, Auenionense, & Basiliense, quod nunc in hac parte non est improbatum. Quinimo plures Theologi insurrexissent aduersus Bellarminum, vt cœpit in illum inuechi Ægidius Lusitanus, lib. 1. de Concept. quæst. 2. art. 3. §. 3. contra eundem tamen Ægidium pro Bellarmino dimicauit Ferdinandus Salazar, de Concept. c. 33. num. 36. & D. Antonius Calderon, ille ardentius, iste felicius, qui inter alia loquutus de Bellarmino ait lib. 3. de cultu sanctor. duas adhibere solutiones hæreticorum argumēto. Primam desumit ex sensu maioris partis Ecclesiæ de immaculata Conceptione, secundam ex gratiarum actione, & gaudio propter futuram Dei Matrem. Priorem solutionem proculdubio præfert secundæ, siquidem illam priori loco statuit, addidit tamen secundam per quandam permissionem, seu (si mauis) condescendentiam, & vt iuxta vtramque opinionem responderet hæreticis. Deinde in secunda solutione non negat absolute fundamentum festi esse immaculatam Conceptionem, sed *fundamentum præcipuum*. Itaque non omninò eam excludit à festi fundamento.

Ego verò minorem condescendentiam in præfatis Bellarmini verbis dignosco, quam huius materiæ comprehensionem, egregiumque sensum, tum immaculatæ Conceptionis, tum obiecti eius festi. In primis ait: *Fundamentum huius festi præcipuum non esse Conceptionem immaculatam*. Notandum est dixisse fundamentum, non obiectum, etenim fundamentum præcipuum, siue primum, illud debet esse, super quod fundatum est mysterium, & obiectum eius festi, hoc autem fundamentum in festo Conceptionis, non est ipsa Conceptio immaculata, vt communiter intelligitur de animatione Virginis, sine contractione peccati originalis, sed illud super quod tanta puritas innitur, quod est maternitas Dei: quoniam igitur sacratissima Virgo Mater Dei electa fuit, idcirco immaculatam habuit Conceptionem, non autem è contra; quia immaculata est Conceptio eius, fuit electa Mater Dei. Meritò igitur censuit Cardinalis, fundamentum præcipuum esse simpliciter *Conceptionem Matris Dei futura*: nam ex maternitate Dei sequitur immunitas, & excellentia immaculatæ Conceptionis. Postea addit, *Qualiscumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod Conceptio fuit Matris Dei, singulare gaudium assert mundò eius memoria: tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis*. Nouerat fuisse olim diuersas opiniones circa qualitatem

Conceptionis Virginis, quæ in Ecclesiis celebrabatur ante Sixtum IV. an celebraretur prima Conceptio, quæ est formatio fœtus, an secunda Conceptio, quæ est inspiratio animæ in carnem, quamuis enim antiquitus semper celebrata fuerit secunda conceptio, siue animatio sanctissimæ Virginis: aliqui nihilominus scholastici putarunt, vt iam diximus, celebrari primam Conceptionem fœtus. Hoc satis colligitur ex argumēto hæreticorum, cui respondet, nam illi allegabant S. Bernardum; qui sanctus iudicauit celebrari Conceptionem carnalem Virginis à Canonicis Lugdunensibus, quod patet ex tota epistola 74. non autem conceptionem animalem, scilicet animationem: tum etiam ex collatione, quam subnectit festi conceptionis Ioannis Baptistæ, quæ siue prima esset, siue secunda pares quoad celebrationem essent. Tandem, ex eo quod requirit saltem aliquo modo sanctam debere esse conceptionem alludens ad sanctitatem, cuius capax est conceptio fœtus, quoniam non potest esse sanctitas propria gratiæ habitualis sine anima. Itaque ad huiusmodi qualitatem conceptionis, & opiniones antiquorum, & S. Bernardi, hoc est, siue fœtalis, siue animalis, siue prima, siue secunda, respexit Bellarminus, cum dixit, *qualiscumque fuerit conceptio*; non autem dixit, *quomodocumque*, scilicet, aut in gratia, aut in peccato, quia non respexit ad qualitatem huiusmodi, quia si ad istam respexisset, non posset asserre æque singulare gaudium mûdo conceptio cum peccato, aut sine illo; magnum quippè in hoc discrimen intercederet. Deinde prudenter iudicauit gaudium præcipuum in hac festiuitate esse de Conceptione Matris Dei, non de Conceptione immaculata, neque enim tantum gaudium, & celebritas esset ex eo solum, quod Maria conciperetur sine peccato, nisi esset etiam Mater Dei: maternitas quippè diuina cumulat hoc gaudium multipliciter: tum quia in illa primum habuimus pignus redemptionis: tum quia ex hoc quod sit Conceptio Matris Dei, non solum fuit immaculata, sed sanctior, & locupletissima, imo superaffluenti gratia decorata: tum etiam, quia non solum fuit absque peccato, sed etiam sine debito eius: & dehinc quia ex hoc maxima Deo gloria refunditur, & honos accidit humanæ naturæ. Verum si sancta alia persona, quæ non foret Mater Dei conciperetur sine culpa, non tam festiua, & læta fuisset mundo; quare maius aliquid indicat Conceptio Matris Dei, quam Conceptio immaculata; nam illa includit quod ista habet, & superaddit maiora; vnde nihil derogauit huic festiuitati Bellarminus, imò neque negauit coli Conceptionem immaculatam, cum dixit maternitatem Dei esse fundamentum præcipuum huius festi. Itaque mens Bellarmini est, inniti hanc festiuitatem in Conceptione Matris Dei, cum sequentibus ad eam prærogatiuis eximæ puritatis. Verum quia hæc non declaratur expresse per solam maternitatem Dei, quamuis virtualiter in ea contentæ supponantur, locum dedit aliquibus diuersa sentientibus, vt hanc festiuitatem diuersimodè celebrarent. Vnde concludit Bellarminus: *Itaque hoc festum etiam celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam*.


Hi habent pro fundamento huius festi gaudium de Conceptione Matris Dei sanctissimæ futuræ: ij tamen qui tenent conceptam Virgini-

nem sine peccato originali, colunt ipsam Conceptionem sanctam Matris Dei in primo momento Conceptionis sanctificata; eo modo quo fuerit capax qualitas conceptionis: si fuit conceptio secunda per gratiam habitualementem, & exclusionem peccati originalis: si fuit conceptio prima per exclusionem debiti, eximiam puritatem fetus, & diuinam benedictionem. Fuisse autem Bellarmini mentem, Ecclesiam celebrare Conceptionem sanctam, constat ex fine responsionis eiusdem argumenti secundi, ubi loquutus de S. Bernardo, ab hæreticis allegato, ait: *Quod si ipse quæreret, unde habeamus Mariam ab ipsa Conceptione sanctificatam, saltem ad hoc ut esset Mater Dei designata, responderem, inde nos hoc didicisse, unde ipse dicit, B. Mariam ab ipsa Natiuitate sanctam fuisse. Afferit enim ibidem ex eo quod Ecclesia iam tunc celebrabat B. Virginis ortum, se nihil dubitare, quin ortus ille sanctus fuerit: & nos ergo ex eo quod Ecclesia celebrat festum Conceptionis, nihil ambigamus Conceptionem illam sanctam aliquo modo fuisse, ac saltem ratione officij, ad quod assumebatur.* Hæc satis declarant in obiecto festiue Conceptionis requisisse Bellarminum sanctitatem ipsius Conceptionis, proportionatam tamen qualitati Conceptionis, cuius in festiuitate ratio habetur, vt diximus, neque in Conceptione sumpta pro animatione denegasse eandem sanctitatem, quæ Natiuitati tribuitur, atque in Conceptione sumpta, pro formatione fetus concessisse, quantæ cuiusque genus sanctitatis in eo statu, adhuc inanimi decebat Matrem Dei. Itaque Bellarmini mens fuit, præcipuum fundamentum huius festi fuisse gaudium Conceptionis Matris Dei futuræ, de actione autem gratiarum nec verbum dixit: obiectum vero esse Conceptionem Dei genitricis cum sanctitate in eodem instanti accepta, pro modulo qualiscuiusque Conceptionis illa fuerit. Gaudium autem diuinæ maternitatis nullatenus censuit obiectum huius festiuitatis, quia gaudia nostra non colimus, sed mysteria, de quibus gaudemus, & quia gaudemus de his, instituta sunt illorum festa.

Illud hic obseruandum non immeritò attendisse Bellarminum ad duplicem modum Conceptionis, nam Ecclesiam nõ exclusisse primum à sua festiuitate, sed vtrumque coniunxisse in illa, fortasse securus in hoc Ioanem Maiorem in 3. dist. 3. q. 1. iudicauit eruditissimus Doctor cum in Officio Ecclesiastico dicatur esse Conceptionem ex semine Abrahamæ, & similia. Quamuis enim eadem verba extent in Officio Natiuitatis Virgineæ, potuit suspicari vestigium esse antiqui moris, tempore S. Ildephonsi, cum celebrabatur integra Natiuitas Virginis à prima natiuitate in vtero, vsque ad secundam ex vtero, prout iam declarauimus. Illud etiam notandum, si aliqua vsus est condescendens Bellarminus, fuit in eo, quod dixit in eadem secunda responsione de festo conceptionis Ioannis Baptistæ, quæ tamen vt diximus, nunquam fuit celebrata in Ecclesia Græca, sed sub nomine conceptionis, Apparitio Angeli ad Zachariam annuntiantis ortum Præcursoris: sed diserte quidem solum concessit doctissimus Cardinalis possibilitatem eius festi, vt autem de facto non coleretur, sed Conceptio Virginis. Idoneum discrimen dedit inter vtramque conceptionem Baptistæ, & B. Virginis, ob sanctitatem huius, ideo ait: *Quia maior pars Ecclesie pie credit*

immaculatam Conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc festum, quam occasionem non habuit ad instituendum festum de conceptione Ioannis Baptistæ. In his verbis confirmat Bellarminus, quod de S. Augustino, Ildephonso, Bernardo, & Bonauentura præstruximus Ecclesie vsus, & stylum non esse de facto celebrare aliquid, quod non sit sanctum.

Hæc Bellarmini mens, quæ ex controuersis eius colligi potest. Addam modò dilucidius aliunde testimonium, ex sententia eiusdem pro immaculata Conceptione in sacra Congregatione aliorum Illustrissimorum Cardinalium sanctæ Inquisitionis, coram Paulo V. Pontifice Maximo, recitata vltimo die Augusti, anni 1617. post quam Congregationem editum est Decretum eiusdem Congregationis, approbatum ab eodem Papa 12. Septembris eiusdem anni. Hæc sententia postea transmissa fuit ex Auctographo eiusdem Cardinalis ad Catholicum Regem nostrum Philippum Quartum, in qua cum veritatem sententiæ piæ astrueret, nunquam damnandam, ait: *Probatum, quia hoc esset dicere, quod Sedes Apostolica errauerit in approbando Officio Conceptionis, & tota Ecclesia errauerit in eo recipiendo, quod certè falsissimum, & erroneum est. Nec potest responderi, quod in Officio Conceptionis non approbatur conceptio corporalis immaculata, sed sanctificatio in vtero post animationem. Nam Sixtus IV. qui approbavit Officium, declarauit animum suum, tum in Extrauagante Græue nimis, quæ est in corpore iuris: tum in approbando Officio Leonardi de Nogarolis, in cuius Collecta dicitur: *Virginem per merita Christi prauisa, præseruatam ab omni macula. Præterea, in Responsorio nono dicitur sancta Conceptio: at non est conceptio nisi in illo primo instanti, in quo infusa est anima corpori, in quo cæpit esse in rerum natura persona integra Virginis, alioquin si accipiatur Conceptio pro sanctificatione post animationem, etiam Ieremias, & Ioannes Baptistæ dicentur concepti sine peccato originali. Denique communis sensus fidelium est, celebrari Conceptionem solius Virginis, quia ipsa sola verè concepta est sine peccato originali.* Postea obiciens adversariis, omnes Patres esse pro affirmatiua opinione, asserit, id esse impossibile propter institutum ab Ecclesia festum, dicens: *Ad hoc argumentum respondeo, non posse fieri, vt omnes sancti fuerint nobis contrarij: nam tunc nostra Ecclesia erraret, quæ est columna, & firmamentum veritatis, & contra quam porta inferi nunquam preualebunt, nec Pontifex errat, dum Ecclesiam docet, cum Christus pro illo orauerit, vt non deficiat fides eius.* Ibidem, vt sedetur controuersia de Conceptione, dum non definitur, consulit hoc medium: *Si fortè non placet nunc vlla formalis definitio, saltem deberet fieri præceptum omnibus Ecclesiis secularibus, ac regularibus, vt recitarent Officium de Conceptione, quo modo recitat Ecclesia. Sic enim sine definitione haberet intentum. Taceant igitur, qui in alium sensum ausi sunt diuertere Bellarminum.**



CAPVT XXXII.

De consensu Ecclesie Græcæ cum Latina.



Osignet hanc materiam appendicula quædam de consensu Ecclesie Græcæ, post Damascenum continuato, in celebranda omnimoda Virginis puritate absque originali labe: quoniam à tempore S. Anselmi, nullam illius Ecclesie insignem mentionem fecimus. Perstiterunt autem post Damascenum Græci Patres, imò, & Principes in colenda immaculata Virginis Conceptione; nam præter Basilium Macedonem, Leonem Sapientem, & Manuelem Comnenum, atque alios Græcorum Principes, eandem deuotionem prouexit S. Nicephorus Constantinopolitanus, Marcus Monachus, Euthymius, Zigabenus, Zacharias Chrysoptitanus, Psellus, Michael Glycas, Elias Cretenfis, Michael Syngellus, Ioannes Zonaras, Iacobus Monachus, Ioannes Geometra, Matthæus Cantacuzenus, Seuerus Alexandrinus, Calixtus Patriarcha, Macharius Philadelphiensis, Ioannes etiam Cantacuzenus, imò, & ipsi schismatici, ut Photius, & Philoteus Constantinopolitanus, quos plenius referimus in exceptionibus Concilij Tridentini. Cum enim nulla contradictio fuerit apud Græcos, nec controuersia de hoc mysterio, indubitatum semper apud illos, inconcusso progressu perennauit, nec opus erat maiori probatione.

Verùm vnde magis constabit hic cultus Conceptionis immaculatae, sunt Libri sacri, & Ritualia Græcorum, ubi passim Virginis omnimoda puritas commendatur, repetitur, & acclamatur, & quoniam ex Menæis Græcis plura premimus, tum in hoc opusculo, tum in tractatu de exceptionibus, placet ex Euchologio nonnulla producere. Præter ea egregia testimonia, quæ dedimus supra cap. 3. in Officio Aquæ benedictæ minoris, dicitur tono obliquo 2. *Quæ cunctorum opificem in utero concipisti Virgo immaculata*, hoc est secundum Græcum, *omnibus modis inculpata*; tuis precibus animas nostras salua. *Quæ per verbum super omne verbum, peperisti Verbum celebranda Deipara*. Cum igitur super omne Verbum celebranda sit Virgo, non est infra Verbum puritatis originalis. Quare celebranda profectò est de immunitate ab omni peccato: quam satis significat repetitio, quæ inibi fit elogiorum Παράχρυσος, hoc est, vnde quaque Purissima, & Παράγος, hoc est, vnde quaque Sancta. Deinde in orat. Sacerdotis dicitur: *Intercessionibus omnino illibata, super omnes benedicta Domine nostra Deipara, & semper Virginis Maria*. Illa exaggeratio, omnino illibata, siue omnibus modis immaculatissima, omnino excludit maculam originalem, appellatio etiam, *super benedicta*, iuxta Græcum, prohibet sub maledictione peccati originarij fuisse Virginem. Deinde in oratione natatorie Blachernarum, in Cryptoferratenfi Beslarionis Cardinalis Euchologio, cum allusione ad locum S. Pauli, de interpellatione Christi, quia impollutus, & immaculatus, segregatusque à peccatoribus, carens etiam originali culpa, sic oratur


Ioann. Euseb. Op. Parth.

Ita Domine ab immaculata Matre tua, cuius sanguinibus natus, nobiscum versatus es, & quam in refugium peccatoribus contulisti exoratus; manus quibus gestatus es reuerere. Humanissima Domina, pietatis fons, ad Filium tuum palmas tuas immaculatas extende, protectione tua nos circum valla. Supponit idoneam Aduocatam, etiam Virginem esse, quia immaculata, & impolluta, sine vllius peccati sorde etiam originalis. In Officio suscipientis monachatum, vocatur etiam Deipara, *super benedicta*. In Officio Angelici habitus, Ode 3. dicitur: *Eua maledictionem dissoluisisti, ô Pura, quæ peperisti benedictionem inconsumptam mando, velut è perenni fonte emittentem, Saluatorem nostrum, Mater virgo*. Hoc dictum propter puritatem originalem latis comprobant aliæ clausulæ: nam Ode 4. dicitur: *Benedicta tota pura Mater Dei*. Illud, *tota Pura*, valet ac si diceretur, *omnibus modis Pura*. Postea ad finem tono 4. appellatur *sola Pura*, & *illibata Virgo*, sola enim Deipara est in puritate originali. Plura ex eodem Officio afferre possemus.

In aliquibus locis adduntur nonnulla huic Officio post modulum, ut notauit Iacobus Goar, in quibus sunt hæc: *Lampas inextincta, iustitia throne, salutis porta, sanctissima Domina, te cuncti celebramus*. Non ergo extincta fuit in Virginis Conceptione lux gratiæ. Ibidem etiam vocatur Deipara Αλιόπρωτη, hoc est, *Protosancta*, ad contrapositionem Adami, qui dicitur Protoplastos; nam sicut ab illo fuit origo peccati originalis, sic à Maria fuit origo sanctitatis, nec eius originem decebat cum culpa fuisse. In Officio exequiarum dicitur: *Quæ sola pura, & illibata Virgo*. Deinde in Ode 3. *Non est præter te innocens quisquam, immaculata Dei genitrix*. Quid clarius quam dicere solam innocentem? Et Ode 4. *Vas illibatum, Templum intemeratum, Arcam sanctissimam, Virginem sanctitatis loculum, te pulchritudinem Iacob, Dominus elegit*. Ode 7. *Omni creatura superior facta es immaculata, concepto Deo, qui portas inferi contriuit, & eius veltes confregit: hinc te fideles celebramus, ô Pura, ut Dei genitricem*. Tunc facta es Virgo, cum concepta fuit: opportune propterea vocauit illam immaculatam, in Græco est, *omnino inculpata*. Quare sine culpa prima. In Officio funeris monastici dicitur: *Disuersorium Deo dignum extitisti sanctissima: Deum etenim concepisti, & Deum in duabus naturis, unaquæ hypostasi genuisti, nuptiarum expers. Roga illum Unigenitum, & Primogenitum te Virginem intemeratam etiam post partum custodientem*. Vbi vocatur in Græco, *vnde quaque sancta, & inculpata*. In Officio sacerdotalis funeris vocatur etiam *Panagia*, hoc est, omnibus modis sancta, etiam originaliter: quapropter ibidem dicitur, *sola pura, & illibata Virgo*. In Canone funereo pro mulieribus, etiam cognominatur, *super omnes sancta*. Ibidem dicitur: *Scriptis lex exarata arcam suam, ô veneranda celebrat; te verò Deiparam gratia verbum laudat, inde Christus incarnatus processit, quem super exaltamus in saculo*. Quod si Arca seruatura Tabulas legis, facta fuit purissima, etiam ex materia incorruptibili, & incapace putredinis, quâto magis caro Virginis longe fuit à putredine naturæ corruptæ. In Canone pro pueris vocatur etiã Virgo *Panagna*, & etiam *Panagios*, hoc est, omnibus modis pura, & super omnes sancta.

In Officio soluendæ excommunicationis, F vocatur

vocatur *super omnes immaculata*, & *sancta*. Eodem modo vocatur in ordine circa Agrum. Et in oratione in Stagnum, dicitur *superbenedicta*. Illud autem nomen iam supra perpendimus. Oratione in nauis compingenda appellatur *Panachrantos*, hoc est, omnimodò immaculatissima. In Officio in fornacem nuncupatur *super sancta*: sicut etiam in Officio pueri discolori, dicitur: *Super omnes benedicta*. In Officio pro infirmis similiter dicitur *superbenedicta*, & etiam *super sancta*. In Officio agentis animam, vocatur *omnino immaculata Agna*. In Officio sanctæ Pentecostes dicitur, *omnibus modis sancta, immaculata, & superbenedicta*. In Officio Processionum dicitur, *omnibus modis sancta Domina, omnibus modis laudanda, & benedicta*, quod iterum repetitur ibidem. In Canone supplicii dicitur, *omnino Pura*. In Canone terræmotus appellatur etiam *Panagios*. In Canone in sanctam Trinitatem appellatur *Panagna*, & etiam *Panamomos*, omnino Pura, & super omnes inculcata. In Officio quoque parui habitus vocatur, *Laudanda in omnibus*: ergo in Conceptione quoque. Ibidem etiam appellatur, *undequaque sancta, illibata, & super omnes benedicta*. In Canone supplicii contra bellum, dicitur etiam, *super omnes benedicta*. In Officio dedicationis Templi nuncupatur, *omnibus modis sancta, illibata super omnes benedicta*. In Officio communis supplicationis semel, & iterum nominatur, *super sancta*. In Officio supplicationis recentiori dicitur, *undequaque sancta, illibata, super omnes benedicta*. Et in Oratione cum vngitur infirmus Oleo sacro, exaggerantissimè appellatur *Virgo Panyperculo-gemena*, ita vt nihil amplius significari posset, quasi diceret, *super omnes eminentissimè benedicta*. In eleuatione Panis, dicitur sæpè *Panagia*. Ibidem sic commendatur Deipara: *In te letatur omnis creatura, o gratia plena, Angelorum cætus, & hominum genus, o sanctum Templum, & rationalis Paradise, Virginum decus, è qua Deus ante secula existens Deus noster incarnatus, puer factus est: tuum namque uterum sibi effecit thronum, ventremque tuum cælis capaciorem reddidit. In te letatur omnis creatura, gratia plena, gloria tibi. In Canone ad Deiparam vocatur Panagia, & Panachrantos, & etiam super omnes sancta. In Officio spiritualis fraternitatis, acclamatur: Omnino sancta, & immaculata Posses quidem addere plura, & plus hæc ipsa perpendere, verùm dicta fati sunt, & super omnia est commendatio puritatis Virgineæ totalis, & omnimodæ, quæ in Missis Græcorum sæpè iteratur, vbi deprecatur Sacerdos quater, aut quinquies, *intercessionibus sanctissima, intemerata, & super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara, & semper Virginis Maria*. Illud sanctissimæ tantundem est in Græco, ac omnibus modis sanctæ: quibus verbis iam notauimus egregiè commendari puritatem originalem. Similiter in Missa sancti Basilij, quæ non semper dicitur, sed in Dominicis Quadragesimæ (dempta Palmarum) in sancta, & magna feria quinta, in magno Sabato, in vigilia Christi Dei nostri Natiuitatis, & Epiphania, & in die festo S. Basilij imploratur diuina misericordia. *Præcipuè cum sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra, Deipara, & semper Virgine Maria.**



CAPVT XXXIII.

*Quantum obsequium fiat Virgini
in celebranda sua immaculata
Conceptionis festiuitate.*



Atis iam pro obiecto genuino festi immaculatae Conceptionis diximus, & contradiximus aliena opponentibus; nunc placet ostendere quam grata sit B. Virgini hæc festiuitas, ex iis, quæ Benedictus Gononus in suo Chronico ad annum 1292. retulit huiusmodi: *Villarij in Brabantia claruit tunc B. Petrus Conuersus Ordinis Cisterciensis, cui quodam tempore, tertia videlicet die post festum B. Nicolai, Regina cæli, Domina Angelorum, & Cisterciensis Ordinis Aduocatrix specialis, apparuit dicens: Hodie fili, est festum meum, vnde magis te præ cæteris diebus hodie landibus instare conuenit, amplioribus præconiis vacare, & sublimioribus meditationibus inuigilare. Cui respondens vir Dei, ait: O dulcis Domina, festum istud vsque nunc ignoravi, quod cum sciuerò, deuotus peragam, & quoad vixero, memoriter recolam. Requirente igitur eo à quodam Calendarium sciente, cuius illo die festum esset, respondit, quod esset festum Conceptionis B. Virginis Mariae. Quo audito singulis annis idem festum tota alacritate deuotionis celebrare studuit, in quo & Dominus ei visitatione spiritali inenarrabiles consolationes, & reuelationes ostendit. Vnde aliquo tempore Ecclesiam ingressus puri cordis deuotione facturus sicut consueuerat, in excessu mentis factus, spiritus eius rapitur, ductusque in presentia Iesu Christi, ac eius gloriose Matris sistitur. Quem Dominus reuerentiae, ac feruoris, & deuotionis, quam ad Matrem suam habuerat, admonens, vt debita ei fidelitate perseueraret hortatur; ipsamque perpetuo cultu honorari ab eo cupiens, se Matris honore delectari inseparabili vinculo demonstrauit. Siquidem ipse Dominus Iesus, vices Sacerdotis, & morem assumens, Matrem suam ipsi, vt moris est in facie Ecclesie sponsalia fieri, in perpetuum spiritalis coniugij fœdus desponsauit.*

Conceptionis suæ festum B. Virgo celebrari præcipit B. Petro Monacho.

Christus Matrem suam desponsauit spiritaliter B. Petro Monacho.

Placet addere testimonium Iacobi de Voragine Archiepiscopi Genuensis, de alio miraculo comprobante festiuitatem eiusdem immaculatae Conceptionis, etenim hic Author in historia Lombardica hæc habet: *Retulit anno Domini 1436. die Sabbathi 21. Aprilis, R. in Christo Pater Dominus Bernardus Episcopus Montis Albani, in Concilio Basiliensi, quando prius fuit facta allegatio publicè de materia immaculata Conceptionis, qualiter eo equitante super pontem fluuij, qui est super Ciuitatem Ebredunensem, & oppidum S. Crispini, ipse pons erat ruptus in medio, & à loco super flumen, vbi erat maius periculum habens vnum magnum foramen, & eo inaduertere equus, quem equitabat, transiens ex illa parte, vbi pons ruptus erat, posuit duos pedes anteriores super dictum foramen vacuum. Cumque rueret in præceps ad aquam, & iam caput equi esset quasi iam infra pontem, coccussus panore magno inuocauit Beatissimam Virginem Mariam in auxilium suum, vovens celebrare annuatim festum de sua Conceptione. Et nesciebat referre*

ferre qualiter exiit; sed statim absque laesione aliqua sui, & equi, vidit se positum in securo ab altera parte foraminis. Unde ex tunc maiori semper cum deuotione continuauit celebritatem dictæ solemnitate.

Celebrationem huius festi cum octaua apud Celestinos Monachos, agente id Nicolao Pratenfi eiusdem Ordinis, Ioannes Bonifacius in historia Virginali lib. 4. cap. 17. narrat Deiparæ placuisse, & miraculo ostensum fuisse. Cum enim Conceptionis feriæ in eo ordine vnico tantum die peragerentur, ipse instantia sua impetrauit, vt vniuersi Ordinis decreto ad octauum vsque diem producerentur. Quo impetrato, præ gaudio in hortum ingressus, rogam omnium, quas viderat in eo plantario pulcherrimam, ante Deiparæ imaginem, vultu ad venerationem composito, statuit, & hæc insuper verba protulit: *Mater, Mater, si tibi forte gratum, ac iucundum, placitumque fuit, quod Religiosorum nostrorum Conuentus me agente, constituit de feriis tue immaculate Conceptionis agitandis, flos hic, quem tibi rubicundum offero, vertente hoc anno, ipso recurrente die, viriditatem suam pulchritudinemque conseruet. Quod ita factum est, multis videntibus, & rose integritatem, formositatemque mirantibus. Qui hoc ipsum Antonio Solario Carpinate, Iuris virisque Consulto, cuius dictus Nicolaus aliquando Auditor fuerat, testes oculati narrauerunt, qui id retulit in librum suum de Veneratione, & inuocatione sanctorum, ex quo recitant Ioannes Bonifacius, & Spinellus, in tractat. de festis, ac Templis Deiparæ, num. 1.*

Sanctus Anselmus mirabilia promittit colentibus festum Conceptionis immaculatae, eaque in se expertus, sermone de Conceptione, ait: *Quisquis igitur Praesul, vel Abbas, aut Prelatus es, recole diligenter eius solemnitas, cunctis inbe eam coli, quia si eam toto corde amaueris, nunquam à gradu tuo depositus eris. In me metipso, probati quod aio. Laurentius Chrylogonus in speculo mundi Cælestis discursu 4. num. 29. ait: Quid referam fratrem Bernardinum à Cherio Laicum, qui cum miro erga Diuinam Virginem amore ac reuerentia esset affectus insignia eius in se benevolentia argumenta est expertus. Hic cum pestifera Lues in Genuenses An. 1586. horribiliter deseciret, totam noctem cum duobus aliis sociis in oratione, Diuinam misericordiam vt afflicte Reipublica propitiaretur implorando, consumpsit, tandem diuinitus reuelante Domino intellexit, Urbem illam à contagione liberandam, si Genuensis senatus publicè ad Immaculata Conceptionis B. Virginis Honorem supplicatione instituta, voto ab omnibus nuncupato, illius diei festum perenni cultu celebraret, quod cum serenissimo illius Reipublica Ducis reliquisque Senatoribus à fratre Bernardino, sociisque esset indicatum, illis Cælesti Consilio acquiescentibus, Urbs protinùs à tantà calamitate, ope Immaculate Virginis vindicata est.*


Memoranda item sunt, quæ referuntur in vitâ B. Oringæ Christianæ, quam scripsit Siluanus Razzi, atque eadem habet Cornelius Curtius in vita eiusdem cap. 3. eademque reposuit Ioannes Bolandus in suo Ianuario die decimo eiusdem mensis, & extant tom. 1. Verba autem Siluani hæc sunt, cap. 2. Quin, & mox in cælum rapta est, vbi Christum conspexit splendore suo immenso, supernæ illius ciuitatis immensa spatia collustrantem, præ cuius radiis corporei solis lux

omnis obscura quodam modo erat. Videbatur qui à vestimentis, ac throno Christi absistebat splendor, materiale nostrum Solem illuminare, non secus atque Sol ipse Lunæ lumen communicat suum. Ipsam quoque vidit gloriosam Virginem Deiparam in vno cum Filio throno confidere eodem conspicuam splendore, alba veste pretiosissima indutam. Hanc porro augustam Reginam Angeli, ac sancti omnes venerabantur, singulari gaudio exultantes. Tum turmatim à throno abscedere, cælestique illa regione peragrata, iterum ad eius se prosternere pedes, atque ab ea fauoris, ac benevolentia exhibitio testimonio, ac benedictione impertita reuerti, suauissimè interim psallentes, decentissimeque tripudiantes: atque id sæpius factitabant. Quæ dum fierent, prostrata ad Dei solium Oringa stupore plena, cum beatis illis cæli ciuibus Christum, ac Christi Matrem adorabat. Conpellat interim eam Christus, miraris Christiana honorem qui ab Angelis hodie Matri meæ gloriosæ exhibetur, & qua induta est, vestem: sed scito hodie agi in cælo celebritatem immaculatae Conceptionis eius, quæ me deinde concepit, ac peperit, verum Deum ac hominem, illibata semper virginitate. Vestimenti eius candor prærogatiua est singularis innocentia; sola enim Mater, & Virgo esse meruit: scito vero filia, vbi tempus tuæ resolutionis aduenerit, in hanc te quoque gloriam deportatum iri.

Ad se reuerfa Oringa, ad visionis huius testificationem tria in se admiranda raptus illius indicia remanisse animaduertit; corporis agilitatem, quæ aliquanto tempore tanta fuit, vt sæpius se se palpando, corpore sibi carere videretur, odorem quandam incredibilem raptus illius tempore ex arborum, florumque cælestium fragrantia naribus suis adspiratum, eximiam in auribus suauitarem, ab cælesti concentu, adeo vt nouem ipsos menses in eadem versari gloria, fruique cælesti harmonia instrumentorum, ac floribus videretur. Propter hanc visionem voluit Christiana Monasterio, quod deinde erexit; nomen esse Sanctæ Mariæ Nouellæ: statuitque, vt in eodem (salua sacrae Sedis Apostolicæ, summique Pontificis auctoritate, & reuerentia) quotannis sacrae Conceptionis solemnitas celebraretur. Hactenus ille.

Adiicere libet, quæ Syluester Saanedra vestig. 3. disput. 7. sect. 2. huiusmodi refert. Hic prætereundum non est illud, quod scribitur in Historiâ Lombardicâ, & refertur à Francisco de Torres, Franciscano, lib. 3. consolationis deuotorum Conceptionis, qui cap. 13. affirmat, cum aliis reuelationibus nostro Ordini factis, approbatam fuisse à Basiliensi Concilio, dum ad id haberet potestatem. Res ita se habuit. Consuetudo est Regalis Conuentus Barchinonensis nostri Ordinis (in cuius choro, sanctissimo Patri nostro Petro Nolafco Beata Virgo reuelauit suam Conceptionem fuisse purissimam) comedendi recentem panem singularis diebus, eumque in ipso Monasterio formatum. Adest Conceptionis Marianæ dies, exoritur inter fratres conuersos controuersia, & dissentitur, an illa dies ita festiuè esset celebranda, vt neque liceret panes præparare, sicut aliis diebus festiuis non erat licitum. Discutitur lis, & vincenti eorum proteruia quidem illam non esse festiuam clamabant, disponitur farina, miscentur sata, massa componitur, panes formantur, collocantur in tabulis, linteis coope-

riuntur, tempus expectatur, ut commodè in caminum coquendi mittantur. Adest commoda ad hunc finem occasio, & ut inferendi in caminum discooperiantur. O res mirabilis, & inaudita. Rubeus panis apparuit & non solum rubeus, sed etiam sanguineus interius, & exterius, ita ut nullius esset utilitatis, & ad vescendum neque suavis, neque aptus. Res publicatur, examinatur diligenter, an fuerit verè miraculosa, & tandem concluditur verum esse miraculum, Deum voluisse re extraordinarià, & quæ naturaliter non potuit accidere, solemnitate Conceptionis Immaculata, ita esse festiuam, & festiuè honorandam, ut omninò esset sanctificanda, neque in illa die opus exercendum vllum laboriosum, etiam necessarium valdè. Defertur res ad Magistratus, vulgaris fit in Principatu Cathalonix, notitia transit ad externos, tentant Patres Basilienfes diffinire Conceptionem purissimam esse veram de fide, rem, ut narrauimus, norunt, circumspectant, introspectant, examinant diligentia iudicis fidei deputati per sanctam synodum, & concludunt tandem verè fuisse miraculosam, & ad ostendendam puritatem Conceptionis aptissimam. Præterieram hæc, dum refero miracula, & reuelationes illa sectione 4. sed nunc refero, ut sciant omnes non solum Virginis Conceptionem esse sanctissimam, sed festum diem illius festiuè à cælo esse celebrandum, ut dies Natiuitatis, & Assumptionis illius. Hæc sunt Siluestri verba.



CAPVT XXXIV.


Utilitates huius Festi.

IX prisco sancti Dominici filio Religiosissimo quidem viro Ioanne Herolto placet adducere fructus, quos consequuntur qui deuotè celebrant hoc Conceptionis Festum; prius tamen afferam quid ipse sentiat de eadem Conceptione: nam in ferm. 5. de sanctis per circuitum, hæc habet: *Quod autem B. Virgo Maria in Conceptione præseruata est ab originali peccato, patet tripliciter: primò autoritate sacra scriptura. Vnde dicitur per Prophetam. Sanctificauit tabernaculum suum, altissimus. Item Psalm. 131. Parauit lucernam Christo meo. Vnde & B. Bernardus Doctor mellifluus. Procul dubio sancta fuit Virgo Maria antequam nata. Secundo probatur sic ratione: quia pretiosum thesaurum, scilicet suum unigenitum Filium Deus Pater in eius utero non posuisset, nisi munda, & præseruata ab omni labe fuisset. Tertio probatur exemplis. Nam si Ieremias Propheta in utero matris sue fuit sanctificatus, ut Christum annunciarer futurum, & nasciturum: multo magis & ipsa. Item Ioannes Baptista, ut Christum natum digito demonstraret, & baptizaret; multo fortius præseruari, & sanctificari debuit Beata Virgo Maria, ut esset digna ipsum Christum concipere, & ipsum de suis visceribus generare.*

Accedens autem ad utilitates celebrandæ Conceptionis, ait: Sciendum, quòd digni celebrantes hoc festum, quinque utilitates consequuntur. Prima utilitas est vera contritio omnium peccatorum, quòd designatur in ethymologià huius no-

minis Maria, quòd in linguâ latinâ dicitur mare amarum quòd designat contritionem. Ergo tu peccator (si cupis veram contritionem peccatorum per quam remissionem peccatorum consequeris) tunc deuotè celebrare debes hoc festum, tunc consequenter ipsa illo sacro tempore aduentus Christi remissionem omnium peccatorum tibi impetrabit, si habueris illa tria, scilicet, veram contritionem, propositum nunquam velle peccare, & ore confiteri, & de omnibus peccatis satisfacere, de quibus postea dicam. Secunda utilitas, qui illud festum deuotè celebrant à B. Virgine in omnibus necessitatibus eis subuenitur. Ergo tribulati, & oppressi tribulationibus debent hoc festum deuotè celebrare: & ipsa B. Virgo vult eis misericorditer subuenire. Tertia utilitas, quòd Prælati, qui istud festum deuotè celebrant ab honoribus, & gradibus suis, nunquam cum confusione deponentur. Ergo principaliter Prælati spirituales, & sæculares debent, hoc festum solemniter celebrare. Vnde Anselmus: quisquis Præful, aut Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter hanc festiuitatem & à cunctis iube eam coli, quòd si eam toto corde amaueris, nunquam de tuo gradu cum confusione deponeris. Quòd etiam ratione persuaderi potest, & hoc sic. Virgo gloriosa in ipsa Conceptione honorata est præ omnibus sanctis in utero sanctificatis, & in hac die primum honorem accepit à Deo: ergo congruum est, quòd qui hunc diem deuotè solemnizant, quòd in suo honore conseruentur. Quarta utilitas, quòd fetus, impragnatarum mulierum in utero custoditur. Et ergo mulieres prægnantes hanc festiuitatem præ cæteris festiuitatibus Mariæ, debent custodire, & Conceptionem Mariæ solemniter, & deuotè celebrare, & se cum verâ contritione, & confessione, ad percipiendum sacramentum Eucharistiæ præparare, & bonam confidentiam habere ad Beatam Virginem, quæ hodie concepta est, & sanctificata, & præseruata est in utero matris suæ, quòd ipsis impetrabit prosperitatem in partu prolis. Quòd patet ex hoc, quia Virgo in utero Matris suæ non solum in corpore illa custodita est, sed gratiâ Dei præ omnibus sanctis Dei repleta est. Quinta utilitas est, quòd talis in exitu animæ suæ à Beatâ Virgine nunquam deseretur, & idèò meritò omnes homines diuites, & pauperes, iuuenes, & senes, qui sciunt se morituros, debent hoc festum solemniter, & deuotè celebrare, ut ipsis B. Virgo Maria velit aditare in extremâ eorum necessitate. Quòd etiam sic persuaderi potest. Congrua est recompensatio, ut qui habet in reuerentiâ Beatam Virginem recolendo eius initium, quo incepit esse per coniunctionem corporis, & animæ, honoretur è conuerso ab eâ in exitu animæ suæ, scilicet, quando anima separanda est à corpore suo. Quia secundum Aristotelem, mors est separatio animæ à corpore. Ex his omnibus iam dictis patet, quòd quilibet Catholicus, qui illas quinque utilitates vult obtinere à Beatâ Virgine, solemniter festum ipsius Conceptionis debet celebrare. Et quicumque recusat hoc festum, quòd est initium Beatæ Mariæ Virginis, & exordium salutis nostræ, solemniter celebrare, talis non est verus amator Virginis Mariæ, vnde Anselmus: Non est verus amator Virginis gloriosæ, qui respuit colere diem Conceptionis eius deuotè.

Hactenus Discipulus ille nomine : sed reuera Magister solidæ pietatis.



CAPVT XXXV.

Oporteret cohiberi, qui minus sincerè de Immaculato huius Festiuitatis obiecto sentirent, & circa hoc ineluctabiliter promittere.



Atis est, si hoc capite representem, quæ dissertauit antiquissimus Doctor Ioannes Bachon. lib. 4. sentent. dist. 2. quæst. 4. vbi hunc titulum præfigit art. 3. *Ostendit debere Ecclesiam Romanam præcipere generaliter celebrationem Conceptionis Beatae Virginis Mariae.* Deinde doctrinam articuli prosequitur his verbis, interrogans.

An sequendo morem antiquum Ecclesia Romana hoc deberet statuere ?

Vbi dicitur, quod gratissimum esset Deo, & sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ laudabili consuetudini consonum, hoc festum generaliter statuere per totam Ecclesiam celebrandum.

Nam à multis annis disputatum est inter Theologos in Vniuersitatibus, Parisiensi, Oxoniensi, ac Cantabrigensi, & vbiquæ determinatur, quod sanctum est, Conceptionem Beatae Mariæ celebrare habito respectu ad eius sanctificationem, & in dictis Vniuersitatibus celebratur per statutum: sed modus Curia Romanæ est, quod Ecclesia ea, quæ in dubium, vel errorem versa sunt, & per Theologos exquisitè disputata fuerint, & determinata, eorum sententiam Decreto & statuto confirmet, vt patet de sum. Trinit. & Fid. cap. Damnamus: vbi post disputationem Magistri Petri Lombardi contra Abbatem Ioachim, super Vnitatem essentia Diuinæ cum Personis Diuinis, confirmavit Ecclesia sententiam Petri. Similiter post disputationem Theologorum de Processione Spiritus sancti à Patre, & Filio tanquàm ab vno principio, definiuit hoc sacrosancta sedes Apostolica in 6. eodem Titulo Capitulo Fidei.

Quinimò noua Iura multum seruant istum mo-

dum, vt patet in quæstionibus Domini Ioan. 22. & Domini Benedicti 12. Nam post determinationem Theologorum de Paupertate. Christi, & de visione animarum purgatarum definiuit Dominus Ioannes, quod Christus & Apostoli habuerunt aliquid in communi, vt patet in Constitutione: *Cum inter nonnullos, & Ad Conditorem Canonum, & Quoniam quorundam* Similiter post sententiam Theologorum definiuit Dominus Benedictus, quod animæ plenè purgatæ ante diem Iudicij clarè & intuitiue vident Diuinam Essentiam: vt patet in Constitutione. *Benedictus Deus* Ergo cum causa Beatae Virginis merito omnibus debeat præferri post Theologorum determinationem concordem, quod ratione sanctificationis est Eius Conceptio celebranda, hæc habitâ consideratione institui debet.


Item publicâ & diurnâ consuetudine celebratum est hoc Festum in Curia Romanâ, etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium cum solenni Missâ, & sermone singulis annis in Domo Fratrum Ordinis Beatae Mariæ de Carmelo: & hæc durauerunt tempore multorum Romanorum Pontificum vsque in præsens tempus. Et constat quod tanquàm diurnam, & notoriam solemnizationem ipsius in Curia præsentibus seruata bene notauerunt Domini nostri summi Pontifices, & sedes Apostolica, & per consequens hæc est sancta, & Catholica Religio, vt patet 24. quæst. 1. *In sede*, vbi sic dicit Eusebius Papa: *In sede Apostolicâ extra maculam semper est Catholica seruata Religio.* Sed sanctam Religionem in Curia Romanâ seruata, maxime quæ Matrem Dei concernit, decet Vicarium Dei in terris sanctâ sui Officij autoritate confirmare. Quinimò ad reuerentiam Domini summi Pontificis dicitur, quod non decet Officij sui Dignitatem super hæc Religione instituendâ tacere. Vnde & quæst. Officij, dicit Iulius Papa: *Officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit* Sed officio Domini nostri summi Pontificis specialiter incumbit zelus instituendi Venerationem, & Festa sanctorum. *De Reliquiis, & Veneratione sanctorum*, cap. 1. ergo hæc consideratione officij sui decet Dominum nostrum moueri ad instituendum iuxta seruata Religionem apud sedem Apostolicam Venerationem Conceptionis Matris Dei.

Hactenus Ioannes Bachon, qui hæc dixit plurimos ante Sixtum Quartum annos. Quid autem dicendum post institutum Conceptionis Festum ab eodem Sixto?



R. P. IOAN. EVSEBII
NIEREMBERGII
E SOCIET. IESV,

DE SANCTITATE INSTITUTI
*Festi certa, & necessaria ad cultum Ecclesiasticum, singillatim
in festo immaculatæ Conceptionis, præcepto à
summæ Pontificibus.*



PROOEMIUM.

QUAMVIS satis constet ex Ecclesie communi veneratione, & Apostolicis Literis, institutum esse in Ecclesia festum immaculatæ Conceptionis, in eoque coli ipsam intemeratam Deiparæ Conceptum in utero sanctæ Annæ; extra omne peccati contagium; quod satis opinor demonstratum in Opusculo nostro de obiecto festi Conceptionis, & in Epistolis secunda, & tertia dissertationum, ut magis adhuc elucescat hæc veritas, indubitata, irrefragabilisque persistat, constetque dilucidius certitudo mysterij celebrati, non paruum pretium operæ erit, occludere subterfugium alicui opinaturo, sufficere probabilitatem, non autem esse necessariam certitudinem obiecti festiuitatis institutæ in vniuersa Ecclesia. Licet enim hoc dictum ab omni pietatis studioso sit mox refellendum, ut quod euertat sanctorum Patrû persuasionem, repugnet summorum Pontificum doctrinæ, & ita eneruet authoritatem Romanæ Sedis, & potestatem Vicarij Christi, ut penè omnem suam, ad gubernandam Ecclesiam infallibilitatem infringat, expositumque obiiciat erroribus in suis decretis, & constitutis, pro vniuersali Ecclesie regimine; oportebit tamen speciatim hoc demonstrare. Quidquid enim de festorum institutione dicitur, idem dicendum est de decretis morum, de legibus contractuum, de canonizatione, & beatificatione Sanctorum, de institutione Religiosorum Ordinum: eadem enim est ratio, ut in his non possit errare summus Pontifex, ac est in approbatione, & institutione festorum; ita, ut si in prædictis non possit cadere error, nec etiam cadere queat in celebritatum præceptis, & etiam è contra, si ad institutionem festorum sufficeret probabilitas, sufficeret etiam ad cætera prædicta: quod est summum inconueniens, contrarium, &

iniuriosum veritati, & sanctitati Ecclesie, quæ est columna, & firmamentum veritatis.

Vnde constare iam potest, in quo se decipiet, quisquis fuerit imaginatus sufficere probabilitatem instituendis festis; necessariam tamen esse certitudinem ad alia, quæ notauimus, cum omnium similis inueniatur ratio: ipse tamen differentem habebit considerationem; nam festorum institutionem non respiciet, ut publicam approbationem Vicarij Christi in re, quæ spectat ad gubernationem vniuersalis Ecclesie, quæ falli non potest à Pontifice, nec Pontifex in hoc tam præcipuo suæ prouidentie, & gubernationis munere; sed considerabit solum priuatam deuotionem, quandoquidem consistere possit meritum pietatis cum prudenti probabilitate obiecti, siue cum obiecto cultus existimato. Verum, quod sufficit ad priuatam deuotionem aliquorum singularium, non est satis ad publicam promulgationem, & approbationem vniuersæ Ecclesie, proponendam alicuius rei, tanquam dignæ ob suam sanctitatem sacri cultus. Quapropter rationes, quæ afferri possunt pro sufficientia probabilis sanctitatis in obiecto sacri cultus, duntaxat habebunt vim, considerando deuotionem priuatam, non autem institutum publicum pro vniuersa Ecclesia, & ab ipso Pontifice approbatum, qui veritatis columna est. Quare non sunt ad rem prædictæ rationes: nam loquimur de institutione publica festorum, & eorum approbatione pro vniuersa Ecclesia. Merito propterea sanctus Bernardus hoc magnum agnouit discrimen inter priuatam deuotionem, & publicam celebrationem, quod illa potest, etiam errando, mereri, hanc autem nulla deceat erroris suspicio; ideo in epistola ad Lugdunenses ait: *Antè quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens deuotioni, que de simplici corde, & amore Virginis veniebat. Verùm apud sapientes, atque in famosa, nobilique Ecclesia, & cuius specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio, an sine graui offensa, etiam vestri omnium, dissimulare potuerim?*

Ad maiorem claritatem addo, similiter philosophan

sophandum esse circa reliqua notata: nam si considerentur decreta morum, leges contractuum, promulgatio sanctitatis, approbatio Religionum ordinata à Gubernatore, qui non habere infallibilitatem, nee assistentiam diuini Spiritus promissam Christi Vicario, ad regendum, & dirigendum Ecclesiam Dei, sufficeret ad illa probabilitas, sicut etiam sufficit ad priuatam obseruantiam alicuius particularis, imò ad gubernationem politicam duntaxat: verumtamen, quia considerantur, vt par est, ab infallibili Capite ordinata in bonum regimen Ecclesie Christiane, & domus Dei, excipiuntur ab omni errore. Quare eadem omnino ratio est institutionis festorum, & reliquarum ordinationum in vniuersam Ecclesiam, ab infallibili eius Capite: hoc satis efficax argumentum est aduersus illum, qui deuiaret, discernens instituta festa à reliquis ordinationibus predictis, quoad certitudinem, vel probabilitatem. In eadem consideratione, siue suppositione, idem prorsus dicendum est, nisi quòd festorum institutionem plus deceat certitudo, & exterminatio erroris, quam fortasse multa ex dictis: quia grauior materia est, & propria Religionis. Nec præstat, si quis dicat, duplicem esse modum decernendi secundum mentem Pontificum, vnus cum attentione ad probabilitatem rei decretæ, alijs cum consideratione certitudinis eius, atque ideò secundum disparem mentem posse statuere aliquid aut probabile, aut certum; sed quamuis ille modus potuisset esse in vsu alicui Pontifici, nemo fuit illo vsus, loquens è cathedra, imò nec potuit vt, decernens quod solùm probabile est, & falsitati obnoxium. Idemque dicendum est de omnibus predictis, ita, vt, si eo posset vt in institutione festorum vniuersali, posset etiam illo vt in doctrinâ morum, beatificatione seruorum Dei, & approbatione Religionum. Denique, tam perniciosus esset geminus hic decidendi modus, vt confundat (sicut dixi) Ecclesiasticam gubernationem, infallibilitatem Romanæ Sedis, axiomata sanctorum Patrum, principia Theologiæ antiquæ, & satisfactionem fidelium cordium; quod late probabimus infra in duobus paragraphis, qui omnino sunt videndi. Veniamus iam ad illius elucidationem.

§ I.

Ex summis Pontificibus probatur certa sanctitas ad cultum sacrum necessaria.

AUspicor probationem certæ sanctitatis in obiecto festiuo necessariæ, ex autoritate summorum Pontificum, & quidem sanctissimorum virorum. Planè sufficeret sanctus Cælestinus Papa I. qui id luculenter iis verbis supposuit epist. decretal. 1. *Legem credendi statuit lex supplicandi.* Ecce quomodo infert certò veritatem rerum credendarum ex religioso cultu. Cum igitur Ecclesia supplicauerit Deum publicis clamoribus, *Per immaculatam Virginis Conceptionem*, occlusit sanctus Cælestinus omnem dubitandi ianuam circa certam sanctitatem immaculatæ Conceptionis. Idem supposuit, iuxta doctissimos Doctores, præsertim Ioannem Bachonem in 4. dist. 2. quæst. 4. art. 3. sanctus Eusebius Papa in illis verbis, quæ citantur in decreto 24. quæst. 1. cap. *In sede*, vbi sic dicitur: *In Sede Apostolicâ, extra maculam semper est Catholica seruata Religio.* Quæ verba singillatim aptant religioni, siue

religiosæ institutioni festorum; sicut etiam quòd 24. quæst. 1. cap. *Officij*, dixit Iulius Papa I. *Officij nostri consideratione, non est Nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit.* Nec ineptè hoc intelligunt singillatim, aut præsertim de religione in festis institutis, cum ipsam Christianam Religionem, & Fidem præcipue in diuino cultu profiteamur, atque protestemur.

Magnus ille Pontifex sanctus Leo, ex institutione festorum infert veritates Catholicas, in epistola 1. decretali cap. 2. dixit: *Quia Spiritus sapientia, & intellectus, ita Apostolos, & totius Ecclesie erudiuit Magistros, vt in Christianâ obseruantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernenda sunt causa solemnitatum, & in omnibus institutis Patrum, Principumque nostrorum rationabilis seruanda distinctio: quia non aliter vnus gr. x. & vnus pastor sumus, nisi quemadmodum Apostolus docet. Idipsum dicamus omnes, simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Connexuit cum festorum obseruantia consensum Ecclesie, in veritatem mysteriorum celebratorum: tum etiam perpendendum est, quod dixerit sanctus Leo, eruditos à Spiritu sancto Ecclesie Magistros, vt in Christianâ festorum obseruantia nihil inordinatum esset, aut confusum, quanto magis, vt nihil falsum, imò vt nihil duntaxat probabile: quia hoc confunderet Fideles, vt quidam album, & quidam nigrum possent dicere; nec idem diceremus omnes, nec essemus in eodem sensu. Paschalis II. in canonizatione sancti Petri Anagnini, vt eius sanctitatem certam promulgaret, id fecit per institutionem eius festi, vt constat ex eius Bullâ, & postea clarius dicemus. Idem supposuit Leo X. coram quo cum ageretur de beatificatione, & canonizatione Philippi Benitij, concessit eius cultum per omnes Ecclesias sui Ordinis; & adnotat futurum id *absque superstitione, seu quasi idololatria notâ*, supponens eius sanctitatem veram ob institutum festum, non superstitionem, & falsitati obnoxiam.

Præclare quidem Sixtus IV. certitudinem sanctitatis in obiecto, ex institutione festi docuit, & supponit in Extrauagante *Graue nimis*, & ex ea facile potest, & satis solidè probari: cum enim inibi condemnasset tanquam falsam, peruersam, & erroneam illam propositionem, *Sententia pia est heretica*, rationem immediatam tam seueræ censuræ reddidit: quia celebratur in Ecclesiâ Romanâ festum Conceptionis. Vnde quidquid deducitur ex illâ condemnatione, infertur etiam ex celebratione festi ab Ecclesiâ: quare, cum ex condemnatione illâ sequatur, vt diximus in *Theoria*, falsitas assertionis affirmatiuæ, & certitudo negatiuæ, etiam ex institutione festi, sequitur ex hac etiam parte, certam esse piam sententiam. Et omnino refutatur euasio Grauiuæ, qui censuit cum obiecto secundario festiuitatum, vt ipse loquitur, posse compati falsitatem, de quo lauius in *Theoria* nostra, §. 4. Multa etiam expendi poterant ex Iulio II. in Bullâ *Ad statum*, sed ea remittimus ad dicta in §. 5. eiusdem *Theoria*. Illud tamen aduertere oportet, autoritatem Sixti IV. secutos fuisse multos summos Pontifices, qui eius Extrauagantes approbarunt: atque ideo pro hac sententiâ de certâ sanctitate obiecti festiuo, contestantur Alexander VI. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & Concilium Tridentinum.

Rectè iudicarunt Vicarij Christi, quòd sicut

Ecclesia non potest errare in sacris mysteriis agnoscendis, & tanquam eximiis Dei beneficiis publicandis; sic nec in eorum memoriis, & solennitatibus festiuis: nam vt sanctus Augustinus ait lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 4. *Beneficiorum Dei solennitatibus, festis, & diebus statutis dicamus sacram usque memoriae, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio: quare Ecclesia, quæ teste Apollolo, columna est, & firmamentum veritatis, in his per Dei omnipotentis gratiam, vt expressis verbis docent sanctus Lucius Papa I. epist. ad Episc. Gal. & Hispan. sanctus Felix Papa I. epist. 3. sanctus Marcus Papa I. epist. ad Athanas. à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succumbit; sed vt in exordio normam Fidei Christianæ præcipit ab Authoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata sine tenus manet, & per consequens in celebratione festorum errare non potest, sicut cum communi Catholicorum opinione docet Corduba lib. 1. quæstionum, quæst. 44. conclus. 6. rat. 2.*

§ II.

x Concilio Nicæno primo, & alijs Concilijs E stabilitur, erroris immune esse festum, in maxima Ecclesiæ parte celebratum.

A Diciam nunc magnam sanctorum Patrum, & Ecclesiasticorum Doctorum autoritatem pro exceptione erroris in festo per vniuersam Ecclesiam instituto, aut celebrato, nimirum maximam autoritatem Concilij Nicæni primi quod festiuitatem paschalem immunem ab errore iudicasset, ea ratione, quod per totam ferè Ecclesiam celebraretur, vt constat ex Nicephoro lib. 8. cap. 25. atque in Actis Pisanis Concilij Nicæni, quæ extant tom. 1. Conciliorum Venetæ editionis, lib. 4. Continetur etiam epistola Constantini Magni ad Ecclesiasticos, maximè Alexandrinos; in qua, cum Imperator ipse existeret Nicææ, & ad Patrum cœtum concurrisset, cum iisque confedisset, cum consensu eorundem, & sensu scripsit quod Concilium decreuit circa festiuitatem Paschæ, cuius verba, inter alia, hæc sunt: *Modus ille eximius, decorusque seruandus est, quem omnes Ecclesia totius orbis partes, vel versus Occidentem, vel versus Meridiem, vel versus Septentrionem incolentes seruant, ac nonnullæ etiam, quæ in locis ad Orientem spectantibus habitant. Idcirco omnes in presentia hoc rectè se habere arbitrati sunt, ipseque etiam in me recepi, vestram sapientiam facilè assensuram, vt quod in Vrbe Roma, in Italia, in tota Africa, in Aegypto, in Hispania, Gallia, & Britannia, in Libia, & in vniuersa Græcia: & Diocesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique, vna & consentiente sententia conseruatur, hoc à vobis quoque lubentibus animis approbaretur, illud sedulo reputantibus, non solum in locis, quos modò citauimus, maiorem Ecclesiarum numerum existere; sed etiam sanctissimum institutum esse, vt omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata, & recta ratio postulare videtur. Et inferius: Nec enim in re tam sancta, ac solenni, vlla dissensio debet existere, imò verò hanc sequi sententiam, cui nullus à Fide alienus error, nullum vitium admixtum sit, & multo maximam habeat commendationem. Hæc Constantinus, ex*

consensu Concilij, testis ocularis, & auricularis.

Alia translatio horum vltimorum verborum, aptior specie tenus videtur aptari festo Conceptionis, cum dicat huiusmodi: *Minimè namque decet, in re tam sancta aliquam extare dissensionem. Et pulchrius est eam sequi sententiam, in qua nulla sit alieni erroris, & peccati contagio. Quid clarius? Ex vniuersalitate festi Ecclesiastici collegerunt Patres Nicæni omnem carentiam erroris; hanc autem fuisse Patrum sententiam in eadem epistola ipse Constantinus contestatur, dicens: Communi omnium iudicio placuit. Titulus epistolæ hic est: Constantinus Augustus Ecclesiæ, & Episcopis, qui à sancto, & magno Concilio Nicæno absunt. Hoc idem decretum Nicænæ Synodi confirmauit statim sanctus Syluester in Concilio Romano tertio. Ad aptiorem festiue Conceptionis consonantiam, sciendum est, quomodo ante Concilium generale Nicænum festum Paschatis, & resurrectionis Dominicæ vniuersaliter celebrabatur in Ecclesia; diuersis tamen ritibus, non eodem modo, non eodem die: à quibusdam enim die Dominico, ab alijs festiue, his mæste, & luctuose eandem festiuitatem colentibus, quorum dissensionem in festo celebrando, ac discordiam in die obseruando, grauiter (vt æquum erat) ferens Constantinus Magnus, ad omnes Ecclesias literas misit, in quibus ad vniuersam cultum eiusdem festi eos persuasit. Ipsa eius verba, licet longiora, quia ad hanc nostræ festiuitatis dissonantiam optimè accommodari possunt, placuit distinctè referre. Cum ex florenti, & prospero (inquit) Republica statu; quanta sit diuina virtutis erga nos benignitas, compertum haberem, istud omnium maximè mihi propositum putauimus, vt in sanctissima Ecclesia multitudine vna Fides, sincera charitas, & conscientia erga Deum omnipotentem Religionis cultus seruarietur. Et paulò inferius: Quid præstabilius? quidue augustius esse poterit, quam vt hoc festum, per quod spem immortalitatis habemus, vno modo, & ratione apud omnes continenter obseruaretur? Porro illud etiam facile intelligi potest, maximum nefus esse, vt in tanto, & tam solenni religionis nostræ die regnet dissensio. Vnum enim libertatis nostræ diem sanctissima Passionis Saluator noster nobis tradidit, vnamque suam Ecclesiam Catholicam esse voluit, cuius quidem membra, tametsi in multa, & varia loca dispersa sint, tamen vno spiritu, hoc est, diuina voluntate, & nutu coalescunt. Quapropter illud rectius instituendum est, & ad vnam formam, & modum redigendum: hoc enim, sicut omnes satis animaduertere existimo, diuina prouidentia vult. Hæc Imperator cum Concilio, qui aded molestè ferebat, quod in modo celebrandi Paschatis vlla esset inter Ecclesias, aut Ecclesiasticos dissensio: quid facturum censemus, si in ipsa substantia eiusdem festi discrepant? Qui conformitatem in festi ritibus, & tempore exigebat, disparitatem in ipso solennitatis mysterio pateretur? Qui in eodem die, eodemque modo Pascha Resurrectionis voluit celebrari, nunquid dormitionem, aut itinerationem pro Resurrectione permetteret prædicari? Pro intemerata Conceptione Deiparæ Virginis immaculatæ à tot, tantisque Prouincijs in Catholicis, ac Christianis Ecclesijs recepta, imò in Romana instituta, & celebrata, nunquid Virginis fœdata, & maculatæ sanctificationem ab aliquibus, & paucis venerari ferendum, aut aliquant*

quantulum dissimulandum iudicaret.

Hinc etiam vrgetur magis certitudo sanctitatis festiue, & immunitas substantiæ eius ab omni errore: quoniam si iudicarunt Patres Nicæni, non posse accidisse errorem in circumstantiis festi paschalis, propter generalem eius celebrationem; quæto magis expers erroris substantia mysterij festiui, cui potius prouidere decet diuinum Spiritum, quàm caremoniis eius, cum in substantiâ maior error, maiusque periculum esset veritatis.

Tam imbuta fuit antiquitas in hac persuasione, quòd nequeat subesse error in celebratione festi per vniuersalem Ecclesiam introducti, considerandaque sunt quot, & quanta afferam suffragia plurium, & magnorum Sanctorum, & vt vno verbo dicam, plulquam trecentorum Episcoporum, comprehensa in hoc solum Concilio Nicæno primo, quod meritò primum dicitur, siue primarium, quoniam in eo de re omnium summa, legitimo, & ordinatissimo iudicio, auctoritate Pontificiâ indicto, presentia Legatorum Pontificiorum, Imperatoris, & Episcoporum ordinatè sedentium condecorato, disceptatum fuit. Ibi interuenerunt speciosissima Martyrum multitudo, & totius orbis lumina in vnum coacta. Siquidem (vt etiam Eusebius tradit, & ceteri omnes fide digni profitentur Authores) ex cunctis Ecclesiis, Europæ, Africæ, & Asiæ vocati sunt Episcopi, qui facile primas inter alios ferrent. Quapropter in testimonium asserti nostri, affero sanctum Alexandrum Patriarcham Alexandriæ, sanctum Eustachium, Patriarcham etiam Antiochenum, sanctum Macharium Patriarcham etiam Hierosolymorum, præclarissimos Fidei defensores. Tum etiam sanctum Patamonem Episcopum Heracleæ, sanctum Paphnutium Episcopum Thebydæ superioris, sanctum Iacobum Nisibum Mesopotamiæ Episcopum, miraculorum patratores insignem, ac mortuorum excitatorem, & inter scriptores Ecclesiasticos, illustrem sanctum Leontium Cæsareæ in Capadociâ Episcopum, sanctum Spiridionem Trinituntis, in Cypro, Episcopum, & magnum illum sanctum Nicolaum Myræ Episcopum. Tum etiam sanctum Syluestrum Papam, & sanctum Marcum, item Papam, qui prædictum Concilium confirmarunt: ille in Concilio Romano tertio, iste in epistolâ ad sanctum Athanasium, præter alios Episcopos ex diuersis orbis partibus concurrentes, quos laudat Baronius, multis rebus perillustres, inter quos Osius Cordubensis Episcopus, qui præfuit Concilio, & primus fuit Legatorum Pontificum, delegatus à Syluestro Pontifice in hoc Concilio Nicæno, sicut & sanctus Cyrillus à Cælestino Papâ in Concilio Ephesino. Tum etiam Aroftanes, successor Magni Gregorij Armenij, Paulus Dæocæsareæ Phrasiæ Episcopus, Cecilianus Carthaginensis, Nicasius Dimienensis in Galliâ, Theophylus Antistes Gotthorum; ne vel ex illo mundi angulo testis, & suffragium veritatis deficeret. Nec mirum, ex terræ finibus si aduocem testes, cum etiam possem aduocare eos, qui sub terrâ erant. Mirandum quippe Gregorius Presbyter. orat. de Patr. Nic. Concil. & Nicephorus lib. 8. cap. 23. narrant: cum duo ex Episcopis, qui decisionibus Synodi interfuerant, antequam subscriberent, vitâ sancti essent, reliquos Patres venisse ad locum, vbi sepulti erant, ac eos compellasse, vt si quæ decidissent, Deo grata essent, ipsi quoque suum chirographum apponerent: cum querelecto

apud sepulchrum volumine sigillis munito, ne qua fraus fieret, noctem insomnem peregissent in oratione, die sequenti, sigillis remanentibus integris, inuenisse Episcoporum defunctorum adiectas subscriptiones.

Supponit etiam hanc certitudinem festorum Ecclesiasticorum Concilium Mileuitanum, quod dicitur primum generale totius Africæ, cum edixit cap. 12. *Placuit etiam, & illud, vt preces, & orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, siue præfationes, siue commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec alia omnino dicantur in Ecclesiâ, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodis fuerint, ne fortè aliquid contra Fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.* In hoc Concilio continentur etiam plura suffragia sanctorum, & illustrium Ecclesiæ virorum, nimirum, sancti Innocentij Papæ, qui prædictum Concilium approbavit, & laudavit in peculiari epistola. Tum etiam magni Ecclesiæ Doctoris sancti Augustini, qui eidem Synodo interfuit. Item, sancti Alipij Tagastensis Episcopi, & Aurelij Carthaginensis Episcopi, omnium Primatis, & Sylyani Numidiæ etiam Primatis, constans quippe erat in Africa doctrina crebrò insinuata. S. Augustini de sanctitate rei ab Ecclesia celebratæ. Idem etiam probavit Concilium Tridentinum, dum in decreto de peccato originali innoauit constitutiones Sixti IV. secutum sententiam huius Pontificis, qui certitudinem sanctitatis in Virgineâ Conceptione, cuius celebritatem extulit, supposuit, & satis stabilivit in Extrauagantibus suis.

§. III.

Idem probatur ex Patribus, & sanctis Ecclesiæ Doctoribus, tum antiquis, tum posterioribus.

Veniamus ad Patres antiquos, & sanctos Ecclesiæ Doctores, qui in eadem persuasione constantes fuerunt, & quidem celebre est illud est sancto Augustino prouerbum: *Idè Ecclesia obitus, non natales Sanctorum celebrat, quia obitus sunt sancti, non natales.* Hanc sententiam repetit, aut supponit in suis Homiliis: nam in serm. 95. de diuersis, qui in Bibliothecâ Homiliarum numeratur, Homil. 11. in festo sancti Stephani, ex Homiliis sancti Augustini, dicit sanctissimus Doctor: *Martyres autem ad mala certamina nascendo venerunt, trahentes originale peccatum; moriendo autem ad bona certamina transferunt, finiunt omne peccatum.* Hanc rationem reddit, cur non celebrentur Martyrum natales, sed tantum obitus, & passiones, cum tamen non solum colatur Christi Passio, sed etiam eius dies natalis celebretur: vnde secundum Augustinum, peccatum originale, cum quo nati sunt Sancti, obstitit, quominus eorum natiuitas celebretur: atque idem ipsum obstaret, quominus Conceptio cum peccato originali celebraretur. Idem diuus Augustinus in serm. 113. qui est de sancto Cypriano, de eo inquit: *Quid est hoc, fratres? quando natus sit, ignoramus, & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus; sed illum non celebraremus, etiamsi nossemus: illo enim die traxit originale peccatum; isto autem die vicit omne peccatum.* Firmum igitur erat, & constans sancto Augustino, & Ecclesiæ illud axioma, quod tam antiquum est,

vt illud respexerit Origenes, cum ait lib. 3. in Iob: *Mortis diem celebramus, utpote omnium dolorum depositionem: diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur, propterea & memorias sanctorum facimus.*

Sanctus Andreas Cretenfis eadem mente coniunxit religionis cultum cum certitudine sanctitatis, in canone ecclesiastico de beata Virgine, in vtero sanctæ Annæ; vbi loquens in terminis de conceptione passiva Matris Dei, dixit: *Eius nos sanctam Conceptionem colamus.* Ex cultu tutam intulit sanctitatem. Sanctus Ildephonus lib. de parturit. Iocutus de natiuitate Virginis, siue in vtero, siue ex vtero, ait: *Si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiua celebraretur vbi que ab vniuersis: sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesie, quod nullis, quando nata est, subiucit delictis, nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.* Constat, inquit, ex auctoritate Ecclesie; Ecclesia ergo, quæ est columna veritatis, errare non potest, sequens auctoritatem, & nutum Pontificum in festorum celebratione. Sanctus Bernardus loquens de festiuitatibus, epist. ad Lugdunenses, dixit: *Ego quod ab Ecclesia accepi, securus, & certus teneo, & irado.* Et expressè de natiuitate Deiparæ ait: *Fuit proculdubio & Mater Domini ante sancta, quam nata. Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum natiuitatis eius diem & omni anno cum exultatione vniuersa terra, votiuâ celebritate suscipiens.* Eundem Bernardum omnino sequitur venerabilis Petrus, Abbas Cellensis, lib. 6. epist. 23. locutus de die festo Conceptionis nondum à Sede Apostolica approbato, respondensque obiicienti: *Non erat ab initio natiuitas Virginis in Ecclesia solemnitas; sed crescente Fidelium deuotione, addita est præclaris Ecclesie solemnitatibus. Quare igitur non similiter & diem Conceptionis obtineat sedulitas Christiana deuotionis?* Responsionem sic reddidit, expectans certitudinem mysterij ab approbatione Romanæ Cathedræ, dicens huiusmodi: *Vtinam salua veritatis auctoritate, lance communis Concilij, hæc Domina, & moderatrix totius Christianitatis Conceptionem Virginis librasset, & approbasset, & à mari usque ad mare hanc propagasset, Sole, id est, Apostolico, ac Luna, id est Curia Romana præeunte, tam securè, quam expeditè, in lumine vultus eorum gressus meos ponerem, & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & sequi solidum, & securum.* Denique nullus ex antiquis Patribus, & Sanctis diuersimodè opinatus fuit: omnes quidem Ecclesie cultum sanctum, & immaculatum venerati sunt, & omni alienum errore iudicauerunt.

Audiamus etiam duos Ecclesie Latine Doctores, qui ab ipsa Ecclesia additi sunt ad quatuor antiquos, sanctum Thomam, & sanctum Bonaventuram: quippe Angelicus Doctor 3. part. quæst. 27. idem tenet, viderique pronuntiat illud à se repetitum axioma: *Non celebratur festum nisi de aliquo sancto.* Idem confirmat 2. 2. quæst. 93. art. 2. ad 5. Similiter sanctus Bonaventura in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. sub dub. 3. ad 4. ait: *Statuta vniuersalis Ecclesie de sanctorum celebritatibus, omnia fundata sunt supra sanctitatem, vt nullo die pro aliquo solenniæret, in quo persona sancta non fuerit, cui honor ille deferretur.* Quorum Doctorum doctrinam secutus quidam venerabilis Pater apud Ludouicum Blofium, siue

ipse venerabilis Blofius, ait c. 5. de dictis Patrum: *Quod ad munditiam Conceptionis Virginis Matris Dei attinet, non est, quod dubites: licet plerique ex antiquioribus Patribus dubitasse videantur, cum nondum festum eiusdem Conceptionis in Ecclesia Romana celebraretur. Modò enim in orbe Christiano Catholici secuti ipsam Romanam Ecclesiam (qua omnium Ecclesiarum Caput, & Magistra est) festum illud iam olim receptum alacri, lætaque deuotione celebrant, recolentes exordium nostræ felicitatis, quando scilicet nobilissima anima Maria à Deo creata, & ipsius sanctissimo corpusculo, citra originalis culpe contagionem infusa fuit.* Mox addit: *Certè Romana, eademque Catholica Ecclesia, qua errare non potest, hoc ipso quod festum Conceptionis Deiparæ Virginis celebrandum assumpsit, satis astruit, atque affirmat, eandem Conceptionem fuisse omnis contagionis expertem, ac sanctam: profana siquidem festa non nouit Ecclesia. Precatur autem Deum in ipso incontaminata Conceptionis festo his verbis: Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum preparasti, præsta que sumus, vt sicut eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas.*

Idem fuit sensus antiquorum Scholasticorum, & Canonici peritorum Iuris. Planè Ioannes Bacho vetustus Theologus, & eximius Scholasticus, atque, vt inquit Trithemius, *Vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & tam in Iure Canonico, quam in Philosophia seculari egregiè doctus, in Gymnasio Parisiensi non minus conuersatione, quam scientia clarus effulsit, sub Clemente VI. in commentariis in 4. sentent. dist. 2. quæst. 4. art. 3. supponit tanquam indubitatum omnibus Scholasticis, ad determinationem huius mysterij, seu sanctitatis Conceptionis Virgineæ, sufficere præceptum generale Romanæ Sedis celebrandi Conceptionem Marianam; & ipse ex propria sententia iudicauit, etiam sine præcepto Pontificio, solum propter celebritatem eius, cum scientia, & præsentia Pontificum sufficere; vt sancta, & immaculata debeat haberi Conceptio Virgineæ; ideo ait: *Publica, & diuturna consuetudine celebratum est hoc festum in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione dominorum Cardinalium, cum solenni Missa, & sermone singulis annis, in domo Fratrum Ordinis Beate Mariae de Carmelo: & hæc durauerunt tempore multorum Pontificum Romanorum usque in præsens tempus. Et constat, quod tanquam diuturnam, & notoriam solemnizationem, ipsis in Curia presentibus, seruata bene notauerunt domini nostri summi Pontifices, & Sedes Apostolica, & per consequens hæc est sancta, & Catholica religio.**

Similiter supposuit Hugo, priscus Glossator decreti, fuisse omnium Canonistarum sensum, imò & Patrum, & Pontificum, festum celebratum in Ecclesia supponere sanctitatem rei celebratæ; sic Glossa in verbo *Natiuitas*, in c. 1. de cōsecr. dist. 3. dicebat: *De festo Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis Regionibus fit, & maxime in Anglia; & hæc est ratio quia in peccatis concepta fuit.* Hæc Glossa non est Ioannis Andreae, sed Hugonis, vt dixi, perantiqui sacrorum Canonum Doctoris, iuxta quos, & sanctos Patres, & Ecclesie morem censuit, nullo prætextu celebrandum esse de re non sancta, nec quæ inuoluit peccatum. Hæc attuli,

vt constet, quàm intimè infixum fuerit hoc axioma de certa sanctitate obiecti festiuitatis ecclesiasticae, vt ij ipsi qui negabant immaculatam Deiparae Conceptionem, illud minimè negabant: adeò, vt nec ipse Bandellus, qui Antesignanus fuit inter impugnatores immaculatæ Conceptionis, fuit ausus inficiari.

Denique, non solum omnes Doctores Scholastici antiqui, sed etiam vetustæ, & celeberrimæ Christiani orbis Vniuersitates eam persuasionem fixam habuerunt, & in eos, qui contradicebant, propè vt hæreticos acriter inuehebantur.

§ IV.

Argumentum generale ex satisfactione conuenienti Fidelibus, de infallibilitate sui Capitis: ex quo probatur certitudo mysterij festiui.

Accedentes ad argumenta, præponere placuit, quod generale est ad multas Pontificias functiones. Maximæ quippe considerationis est, quantum oporteat sint certi Fideles de infallibili autoritate sui Capitis in institutione festorum, declaratione sanctorum, promulgatione legum, & aliis similibus; quam certitudinem Fidelium multitudo, siue Ecclesia habere non potest, nisi diuina Fide reddatur certa, quod in præscribendis, & prouidendis rebus ad salutem necessariis, aut valde vtilibus errare non possit; alioqui semper esset dubia, & perplexa, an in rebus ad salutem spectantibus esset secura, sequendo regulam sui Capitis. Quamuis dicere posset: Etiam si erraret Caput præcipiendo, vel prohibendo quod non deberet, adhuc non errarent membra exequendo præcepta sui Capitis, quia tali casu Fideles excusarentur ab errore; quinimò obediendo suo Capiti, digni essent merito apud Deum, non minus quàm si vera præcepta exquerentur; facile respondemus, idem dici posse de rebus ad Fidem spectantibus; nam etiam si Pontifex proponeret Fide diuina credendum quod non esset verum, & à Deo reuelatum, adhuc non errarent, saltem præcticè, membra, credendo illud Fide diuina putata; cum tamen nullus Catholicus hoc admittat in rebus ad Fidem spectantibus: quoniam cum Pontifex sit à Christo in Ecclesia constitutus, vt in dirigendis hominibus ad salutem æternam, vices suas peragat, ad Christi prouidentiam pertinuit conferre Pontifici, vt suo Vicario, omnem potestatem, quæ necessaria esset ad tale munus obeundum. Cum igitur non solum sit necessaria infallibilis autoritas in diffiniendis rebus Fidei, sed etiam infallibilis potestas in ferendis legibus ad salutem necessariis, vtramque cum Pontificatu illi tradit. Dicere autem, quod posset Christus permittere, vt eius Vicarius erraret in præcipiendis rebus ad salutem necessariis, & nihilominus talem errorem non imputatum iri Fidelibus, qui bona fide suo Capiti obedirent, est, Christum tacitè arguere insufficientis prouidentia erga suam Ecclesiam, cum officium supremi Pastoris animarum iure suo postulet vtramque autoritatem. Sicut argueretur insufficientis prudentia Archiepiscopus, vel quiuis Ecclesiasticus aut sæcularis Princeps, qui necessariam potestatem ad officium obeundum suo Vicario non conferret.

Maximè autem hoc fiet perspicuum ex eo, quod Christi voluntas non est, vt homines salutem consequantur mediis iniquis, & falsis inculpabiliter putatis vt honestis, & veris; sed mediis natura sua honestis, & veris: igitur Christus re ipsa vtramque potestatem suo Vicario tradit, & vt sine errore definiat, & vt sine errore præcipiat, & prouideat. Nam in Christo voluntas dandi media commensurari debet voluntati dandi finem: at voluntas negandi potestatem ferendi leges, absque errore, in ordine ad salutem æternam, non commensuratur voluntati dandi finem, quæ est, vt homines ad salutem dirigantur mediis re ipsa honestis, & veris. Eam quidem voluntatem censendum est habere Christum de salute hominum, quam rectus ordo requirit, cum omnis voluntas Christi rectissima sit: rectus autem ordo requirit, vt non mediis putatiuè tantum, sed re ipsa veris, & honestis homines ad æternam salutem perueniant. At inquires: Interdum Deus, etiam per talia media, putatiuè tantum honesta, hominum salutem intendit. Huic obiectioni aptè, vt aliis, respondet perdoctus Franciscus Amicus, Deum illa intendere solum per accidens, & consequenter, posito tali inuincibili errore. Attamen ex se, & antecedenter Deus salutem hominum intendit mediis re ipsa veris, & honestis, cum opposita voluntas indigna sit Deo, qui antecedenter, & ex se omne fictum odit, vt contrarium infinitæ suæ veritati. Atque hanc assertionem non dubitat prædictus Author, esse de Fide certam, vt etiam affirmant Bannez, Suarez, & Valentia.

Ex dictis possumus argumentari: Si decuit veritatem, & sanctitatem Filij Dei, vt redemptos suos veris virtutum actibus, mediisque honestis, & veris, in suam promoueret gloriam, atque ad hoc infallibilitatem suæ Ecclesiæ Capiti prouideret, ne posset errare, cum diuinus cultus, qui in festiuitatibus exhibetur, excellentissimum sit æternæ salutis medium, & festorum celebratio eximie virtutis actus, nimirum religionis, quæ omnes morales superat virtutes, nequit in institutione festorum, per quam tales actus præcipiuntur, intercedere error: quia posset contingere, vt actus illi, qui specie tenus, religionis videbantur, fuissent in ipsa veritate superstitiosi, falsi, & mali. Cumque Christiana Religio, & Fides præcipuè exhibeatur in sacro cultu, præsertim in hoc debet consistere veritas, & sanctitudo earum rerum, aut mysteriorum, quæ coluntur. Atque cum Conceptio immaculatæ Virginis mysterium sit, quod non solum gloriam sanctissimæ Dei Matris, sed etiam ipsius Christi concernat, maximum debet habere locum inter obiecta cultus sacri; ac proinde non minus debet supponere, illam esse verè sanctam institutio sui cultus. Planè absurdissimum esset suspicari, Sixtum IV. in Extravagante, *Cum præexcessa*, errasse, cum ad gratias agendas Deo omnipotenti, & honorandam eius sanctissimam Matrem, elegit tanquàm vtilissimum medium, cultum suæ Conceptionis, & tam ardentem voluit in Ecclesia Romana extendi, vt indulgentiis concessis id sollicitaret. Nonne si falsa esset eius sanctitas, totam deciperet Ecclesiam in re tam graui? Hoc nequaquam decebat Vicarium Christi, neque ipsum Christum talem habere Vicarium, qui posset turpiter errare, & in errores inducere.

§. V.

Ex decretis morum probatur necessaria veritas sanctuatis in mysteriis festiuis.

PROCEDAMUS iam ad specialiora, siue singula, quibus attribuitur Pontificij erroris immunitas, vt probemus eam quoque obtinere festa instituta in vniuersali Ecclesia. Magnum ad hoc argumentum, in quo insistere placet, est Papam non posse errare in decretis morum: quod constat ex illa promissione facta Ecclesiae in personam Apostolorum, Ioan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nam quamuis hunc locum Augustinus, & Beda explicent de omni veritate à Spiritu sancto docenda in futura vita; tamen Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, apud Malddonadum in hunc locum, intelligunt de omni veritate necessaria ad salutem in hac vita. Docentur autem à Spiritu sancto Fideles omnem veritatem ad salutem necessariam in hac vita per Christi Vicarium, cui ex præcepto Dei tenentur in iis, quæ sunt ad salutem necessaria, obedire. Quod etiam definitur à Martino V. in Concilio generali Constantiensi, in Bulla, quæ incipit, *Inter cunctas*, post vltimam sessionem, vbi post damnatos errores Wicleffi, & Ioannis Huff, præcipit, omnes de hæresi suspectos interrogari, inter alios articulos: *Vtrum credant, quod illud, quod sacrum Concilium Constantiense vniuersam Ecclesiam representans, approbavit, & approbat in fauorem Fidei, & salutem animarum, quod hoc est ab vniuersis Christi Fidelibus approbandum, & tenendum: & quod condemnauit, & condemnat, esse Fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum.* Et infra: *Item, vtrum credant, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis, tantum ab Ecclesia vniuersali obseruata, & per sacrum Concilium Constantiense approbata, sit seruanda; sic, quod non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesie autoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum premissorum, tanquam hæretici, vel sapientes hæresim, sint arcendi, & puniendi.* Quæ consuetudo, vt patet, ad mores tantum spectat. Ratio autem huius decreti, & assertionis, quod in decretis morum nequeat esse error in Ecclesia, sic explicat quidam Doctor: quia si posset Pontifex in legibus ferendis de rebus ad salutem necessariis, errare, posset tota Ecclesia in negotio salutis errare: ergo nequit Pontifex in legibus ferendis de rebus ad salutem necessariis errare. Minor clara est, alioqui non verificaretur illa promissio Christi: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; nam siue errare posset falsitate doctrinæ, siue malitiæ, & iniquitate morum, verè contra eam præualere possent inferorum portæ. Sequela probatur: quia ex præcepto Christi tenetur tota Ecclesia obedire Pontifici præcipienti, vel prohibenti, ad salutem necessaria: igitur si posset Pontifex in huiusmodi præceptis errare, tota Ecclesia errare posset. Confirmatur amplius ex eo, quod si posset Pontifex in præcipiendis rebus ad salutem necessariis errare, posset etiam errare in rebus ad Fidem spectantibus: nam eadè Scriptura docet, vitia esse turpia, & vitanda; virtutes contra honestas, & amplectendas: si

autem Pontifex, aut vitium aliquod præciperet, aut virtutem damnaret, contra diuinam Scripturam doceret, vitium esse honestum & amplectendum, virtutem contra esse turpem, & vitandam, cum non possit vitium præcipere, nisi sub ratione boni, & honesti, nec virtutem prohibere, nisi sub ratione mali, & turpis.

Totum hoc potissimè probat, ad institutionem festorum non sufficere probabilitatem; nam posset contingere error in præcipiente Pontifice actum illum religionis rei non sanctæ, cum autem Pontifex nequeat errare in præceptis morum, seu legibus moralium virtutum; virtus autem religionis sit non solum virtus moralis, sed Regina inter morales virtutes, in ea non errare maximè spectat ad infallibilitatem Pontificis. Quis dicere audebit, Pium V. & Clementem VIII. potuisse errare, cum prudentissimè præceperunt toti Ecclesiae celebrare festum Conceptionis, in eiusque Officio appellare ipsam Conceptionem sanctam: cum hoc præceptum post diligentissimam circumspectionem fuerit impositum, post antiquissimam consuetudinem celebrandi hanc festiuitatem, à multis retrò sæculis, saltem à tempore sancti Sabbæ, post exactissima Concilij Basileensis examina, post disputationes, & collationes, sub Sixto IV. post decretum Concilij Tridentini, innouantes constitutiones Sixti? Planè incredibile, imò impossibile dici potest, errori fuisse expositum tale præceptum in materia morum, & religionis tam pia, & graui, & in vniuersam Ecclesiam latum. Neque enim solum errassent hi Pontifices, si deuiarent à veritate, in præcipiendo vnum actum morale fictum, malum, & superstitiosum ex se, sed in confirmanda diuturna consuetudine praua, cum per tot sæcula in Ecclesia extiterit consuetudo colendi Conceptionem Virgineam: quod minimè existimandum est. Dum dixi, præceptum esse Conceptionis festum, loquor quoad diuina Officia, & obligationem Sacerdotum, & aliorum Ecclesiasticorum, celebrandi Conceptionem, iuxta præcepta Pij V. & Clementis VIII. qui Breuiarium Romanum reformarunt, non de præcepto audiendi in die huius festi Sacrum, & non laborandi: quamuis huiusmodi etiam celebretur in Regnis Hispaniæ festiuitas Conceptionis, ex concessione Innocentij X. hoc velim, vt deinceps huiusmodi intelligatur, quotiescunque occurrat ille loquendi modus. Sufficit enim ad præsens institutum, & vim meæ argumentationis, præceptum illud erga Ecclesiasticos; quod si necesse fuerit aliud circa laicos de audienda Missa, & priuatione seruilium operum, iam viget in Hispaniis, vt dixi, ex assensu Pontificio: qui addit etiam auctoritatem huic festiuitati, quæ sub præcepto celebratur in amplissimis noui Orbis Regnis, & eximia Europæ parte.

§ IV.

Ex immunitate, atque exemptione Clericorum confirmatur, Conceptionem Virginis ab originali in sua Conceptione coli.

MIROR propter dicta, eos, qui affirmantes posse institui festum à summo Pontifice, cuius obiectum sit tantum probabile, asserunt nihilominus errare non posse in doctrina morum,

rum, præceptis generalibus pro totâ Ecclesiâ, & Sanctorum canonizatione: quæ omnia non exponuntur errori, nec continentur intra spheram solius probabilitatis; inter quos præsertim memorabo doctissimum P. Suarez, qui nihilominus, ex præcepto Ecclesiæ satis putat colligi, certam, & iustam esse immunitatem Ecclesiasticam, non autem solum probabilem; sic enim disserit lib. 4. de immunit. Ecclesiast. capite 3. *De Fide est, Ecclesiam non posse errare in præceptis morum, quæ vniuersali auctoritate Pontificum, aut Conciliorum generalium obseruari præcipiuntur: sed in Ecclesiâ per multas leges canonicas, & vniuersales approbatur hoc priuilegium exemptionis Clericorum, & obseruari præcipitur, & nouissimè innouantur, & confirmantur à Concilio Tridentino: ergo de Fide certum est, tam hoc Concilium, quàm superiora decreta in hoc puncto non errasse: ergo eodem modo est de Fide certum, & priuilegium hoc iustum, ac validum esse, & conuenienter institutum.* Igitur, si lex canonica, & præceptum vniuersale Pontificum sic approbavit priuilegium exemptionis Clericorum, iuxta P. Suarez, vt certum sit, neque in eo potuissent errare Pontifices, ita, vt non subsistat probabilitati duntaxat: cur etiam lex canonica celebrandi Conceptionem, & præceptum generale colendi illam per totam Ecclesiam, non sufficient, vt priuilegium exemptionis Virginis à peccato originali sit omnino certum, atque in eo errare non posset summus Pontifex transcendens probabilitatis terminos? Ex his aduerto: si decuit Sacerdotes immunes esse à iurisdictione Regis naturalis, etiam Christiani, cur non etiam summoperè decebat, Matrem Dei immunem esse à potestate diaboli, Principis tenebrarum, & apostatæ à Deo, atque tyranni filiorum Adæ.

§. VII.

Canonizatio Sanctorum probat certam sanctitatem immaculatæ Conceptionis.

Propterea conueniunt Doctores, Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum, quia, vt inquit P. Suarez de Fide, disp. 5. sect. 8. *hæc est pars quadam materia moralis, & valde necessaria, vt Ecclesia non erret in cultu, & adoratione religionis; aliàs contingere posset, vt coleret hominem damnatum, & ad illum preces funderet: quod est etiam contra puritatem, & sanctitatem Ecclesiæ.* Verùm hæc eadem ratio conuincit, non potuisse errare Pontificem in festorum institutione, quorum obiecta supra probabilitatem in statu certitudinis collocantur per præceptum vniuersale Pontificis: quia hæc etiam est pars quædam materiæ moralis, & valde necessaria, vt Ecclesia non erret in cultu, & adoratione religionis.

Eandem infallibilitatem in canonizatione Sanctorum comprobant viri doctissimi ab inconuenienti: quia si esset falsum iudicium Papæ in canonizandis Sanctis, defraudarentur ipsi canonizati à fructu suffragiorum, & sacrificiorum Ecclesiæ; nam, vt ait Augustinus de verbis Apostoli, & refertur cap. cum Martha, §. 3. *de celebrat. Missæ.* iniuriam facit Martyri, qui Ioann. Ensch. Op. Parth.

orat pro Martyre: quia eodem modo iniuriam facit Sancto canonizato, qui orat pro illo. Similiter iniuriam facit non sancto, & qui adhuc non est in cælo, orans illum, & non potius pro illo, & defraudarentur Fideles, qui inuocant Sanctos canonizatos; quod si animæ illorum essent in inferno, peterent maledictionem pro benedictione. Et tandem non licet dubitare, quod Sanctus canonizatus sit inuocandus, & honorandus à Fidelibus: ergo neque licet dubitare, quod eius anima sit beata. Consequentia patet: quia si publicè inuocatur, & honoratur Sanctus, eius anima beata est; neque enim animæ damnatorum honorantur.

Magnum etiam inconueniens sequeretur, si Conceptio celebrata fuisset falsa, & peccaminosa: defraudaretur enim Beatissima Virgo veris laudibus, & laudaretur falsis encomiis, quasi non haberet vera elogia. Deinde ipsi Fideles defraudarentur, aut frustrarentur in suis precibus, reputantes obligare Virginem per inuocationem suæ purissimæ Conceptionis, quasi in eâ plurimum complaceret, cum tamen falsum esset obiectum talis complacentiæ, & gaudij. Præterea per similem inuocationem quasi maledicerent sibi, dum dicerent illam Ecclesiæ orationem: *Præsta quesumus, vt sicut eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos, eius intercessione ad te peruenire concedas.* Denique non est dubitandum, post institutum festum, & præceptum, quod Conceptio Virginis sit honoranda, & per eam ipsa Mater Dei inuocanda, quod in suo Officio præstat ipsa Ecclesia: ergo neque dubitandum est, quod illa sit sancta; quia si publicè honoratur, & per eam inuocatur sanctissima Virgo, sancta debet esse, neque enim quod sanctum non est, aut peccatum est, honorari religiose potest.

Ad roborandum amplius dicta, potest obseruari, similia accidisse in institutione festiuæ Conceptionis, ac olim accidebant in canonizatione Sanctorum, per Ecclesiæ consensum, ante reseruatam Pontificibus Sanctorum canonizationem. Ad cuius maiorem intelligentiam memorabo quæ aduertit Granados de Fide, tract. 7. disp. 3. sect. 3. *Antequam hæc Apostolica Sedis prohibitio facta fuisset, & consequenter antequam canonizationis munus sibi soli reseruasset, in more positum erat, vt Martyres, quos vnus Episcopus venerabatur, alia Ciuitates, & Prouincia, eum imitantes, colere inciperent, sicque tandem omnes Prouincia, & vniuersalis Ecclesia, tanquam sanctum venerareiur: quod fieri non posset, nisi sciente, & tacitè saltem consentiente summo Pontifice. Atque hic canonizationis modus aptè dicitur ex consensu vniuersalis Ecclesiæ provenire, & in illum sine dubio conuenire definitio tradita in prima sectione. Est enim hæc etiam sententia, seu iudicium, quo decernebantur honores Martyribus, vt vorè sanctis. Nec minus propria, & vniuersalis canonizatio censi debet ea, qua non solum Martyribus propria est, sed ad Confessores, & Virgines extenditur, consistitque in eo, quod auctoritate Ecclesiæ vniuersalis, & summi Pontificis in diuinis officiis publicè ab omnibus Ecclesiis recensentur, aut aliter omnes Ecclesiæ, audiente, & tacente Papâ conspirent in approbandâ alicuius sanctitate, vt bene Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 6. quaest. 3.*

Ex his cum aliis infert Iacobus Granados: C Censeri

Censeri debere canonizatos ab vniuersali Ecclesia, & summo Pontifice, omnes illos, qui in Martyrologio Romano continentur: etenim de illis, tanquam de veris Sanctis fit mentio, & solennis memoria in vniuersali Ecclesia, in qua per annum singulis diebus recitatur qui tunc obierunt; & summus Pontifex id precipit fieri, vt patet ex Motu Gregorij XIII. qui prefixus est predicto Martyrologio: vbi etiam hortatur eos, qui priuatim recitant, vt eodem Martyrologio vtantur, & sine limitatione semel, & iterum appellat sanctos eos, qui in illo continentur, dicitque, eos in singulis diebus recenseri ad eorum laudem, ad fructum nostrum, ad Deique gloriam: non est ergo dubium, quin vniuersalis Ecclesia, & Caput illius, eos omnes tanquam sanctos veneretur, & colat, ac proinde eis deferri possent omnes honores, quos supra retulimus in prima sectione. Nec obstat dictis, quod Fortunatus Scachus sect. 11. cap. 4. de notis sanctitatis, velit extenuari auctoritatem Martyrologij Romani, quod dicat: *Etiam in Romano Martyrologio nonnullos haberi non canonizatos, sed tantum beatificatos, vt Romualdum, Norbertum, Brunonem, Ambrosium Sanseodonium, 20. Martij, Mariam Magdalenam de Patris, Carmelitanam, sub die 4. Septembris, Beatum Philippum Benitium, Florentinum, Ordinis sancte Mariae Seruorum, sub die 23. Augusti: imò & aliqui, qui nec beatificari existunt, in Romano Martyrologio conscripti sunt, vt Dei seruus Rochus, qui pro Beato ubique colitur.* Quoniam, his non obstantibus, sanctos vocauit illos Gregorius XIII. in sua Bulla; ipseque Dei seruus Rochus Beatus appellatur in lectione Martyrologij. Neque potest negari, auctoritatem aliquam, & non paruam, accresci in ratione sanctitatis his, qui in albo tot Sanctorum numerati sunt, & cultum eorumdem esse in Officiis Ecclesiasticis recitari iussu summi Pontificis, & vsu Ecclesie vniuersalis. Nec refert quidquam, quod seruus Dei Rochus non agnominetur Sanctus in Martyrologio Romano, sed duntaxat Beatus, quasi cum addito diminutive: nam aliis Martyrologiis Sanctus vocatur, vt constat ex Martyrologio Maurolici, vbi dicitur: *Agathopoli Gallie, qua nunc Mons Pessulanus, sancti Rochi Confessoris, &c.* Præterea, in ipso Martyrologio Romano promiscuus est vsus nominum Sancti, & Beati: atque ideo Beatos solet nominare ipsos Sanctos canonizatos, & qui sunt omni exceptione maiores. Sic 4. Nouembris dicitur: *In Pannonia apud Albam Regalem depositio Beati Emerici Confessoris, filij sancti Stephani Hungarorum Regis.* Verum, vt testatur Baronius in notis, sanctus Emericus canonizatus, & relatus est inter Sanctos, vnà cum sancto Stephano Rege, eius patre, à Benedicto Papà VIII. qui dictus est Bonus. Eodem etiam die sanctissimus Episcopus Amantius vocatur non Sanctus, sed solum Beatus. Quod plura est, 25. Agrilis dicitur: *Alexandria natalis Beati Marci Euangeliste.* Et primà die Martij: *Natalis Beatorum Apostolorum Philippi, & Iacobi,* cum sint per Christum canonizati. Sanctus etiam Aristarchus, discipulus sancti Pauli, licet sit ab ipsa Scriptura canonizatus, Beatus duntaxat appellatur, die 4. Augusti. Quis etiam post Apostolos celebriorem solennis sanctitatis famam obtinuit, quam sanctus Martinus Turonensis; de eo tamen vndecimà Nouembris dicitur: *Turonis in Gallia natalis Beati Martini.* Sic etiam Sancti

canonizari, vt Aquilas Alexandrinus, Hilarinus Nonachus, Sixtus Primus, & Sixtus Secundus, Quartus Martyr, Maurus Abbas, Isidorus Martyr, Saluus ite Martyr, Paulus primus Eremita, magnus ille Lucianus Presbyter, & Martyr, Theodorus Monachus, Daphrosa Martyr, Serapion Episcopus, Appollonius Senator, Cletus Papa, Anastasius item Papa, Beati duntaxat agnominantur. E contrario autem Beata Margarita vidua, in Piceno, apud Septempedanos, *Sancta* dicitur in Martyrologio Romano, quinta die Augusti; cum tamen duntaxat fuerit beatificata, vt adnotant Ferrarius in Sanctis Italiae, & Cantilenus in prenotationibus ad Sanctos canonizatos. Sic etiam Beati Martyres Bernardus, Petrus, Accursius, Adiuutus, & Otho, *Sancti* vocantur in eodem Martyrologio, quanuis beatificationis Bulla solummodo eos decorauerit. Quod autem dixit Fortunatus, tantum esse beatificatos Romualdum, Norbertum, & Brunonem, negat Castellinus, cum eos nominet in cathalogo Sanctorum canonizatorum. His suppositis, expendo sequentia.

Si isthæc satis erant antiquitas canonizationi ab errore immuni, conferatur, an similia quedam inueniantur in festo immaculate Conceptionis, quod in vnâ, vel alterâ Prouinciâ cepit, deinde in alias sparsum fuit, mox in Ecclesiam Romanam increbuit, vt testatur Concilium Basileense; & hoc per consensum populorum; deinde exhortatus est ad illud celebrandum Sixtus IV. protinus præceptum eius festum in Breuiario Romano, & Missali, atque in Martyrologio constitutum fuit à multis retrò annis, imò sæculis. Non dixi hæc, vt putem mysterium Conceptionis canonizatum: quippe desideratur adhuc eius definitio, & hæcenus Fideles præcepto Pontificio obligati non sunt sentire certitudinem suæ sanctitatis. Et quoniam canonizatio non dicitur proprie, & vsualiter de aliis rebus, nisi de personis; sed quia ad sentiendam illam solidissima sint fundamenta.

Nec desinam commemorare modum quendam canonizationis antiquæ, quâ in Sanctorum numero recensitus fuit sanctus Romualdus, prout testatur B. Petrus Damianus, cuius vitam egregiam conscripsit anno 15. post eius mortem, vbi in cap. 72: *Post quinquennium verò à sancti viri obitu, data Monachis ab Apostolica Sede licentia, vt supra venerabile corpus eius altare construerent.* Mox locutus de corpore sancti viri, incorrupto post quinquennium, ait: *Vas aptum ad mensurâ beati corporis preparant, & in eo sanctarum Reliquiarum patrocinia recedentes, de super altare sollemniter consecrant.* In libro quoque, qui inscribitur *Gratissimus*, citatus ab aliis sub nomine epistolæ, ait capite 29. *Nostre ætate, Beati viri, videlicet Romualdus Camerinus, Amicus Ramibonensis, Guido Pompeianus, Firmanus Firmensis, & quamplures alij sancta conversationis studio floruerunt. Super quorum videlicet veneranda cadauera, ex Sacerdotalis Concilij auctoritate, sacra altaria sunt erecta; vbi nimium diuina mysteria, miraculis exigentibus, offeruntur.* De qua canonizatione sancti Romualdi hæc narrat Baronius, & compilat Spondanus ad annum 1027. *Constat autem ex eodem Petro, ipsum Romualdum in Sanctorum numerum adscriptum esse, quinquennio post obitum, eo tantum antiquiori ritu, qui tunc etiam*

etiam frequentius erat in usu, nempe, ut petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus defuncti altare construere: sicut & idem Petrus in epistola ad Henricum, Archiepiscopum Ravennatem, refert de aliis Sanctis miraculis coruscantibus, qui hoc eodem tempore vixere, supra quorum corpora, ex Concilij autoritate, altaria sunt erecta atque desuper sacrosancta Christiani sacrificij mysteria celebrata. Itaque honor exhibitus per diuinum cultum ex cōcessione Romani Pontificis, aut consensu Ecclesię, siue eius cōsuetudine, sufficiens erat ad suadendam veram sanctitatem eius, cuius gratiā exhibebatur: Cūque immaculatę Conceptioni non desit sacer cultus, atque in eius honorem ordinauerit Sixtus IV. Officium, & Missam celebrari, non est cur ipsi negetur saltem certitudo suę sanctitatis.

Veruntamen, non solum consuetudinem, sed ipsas Apostolicas canonizationis Literas conferamus: Etenim Paschalis II. non aliter canonizauit S. Petrum Anagninum, anno 1110. quam eius celebritatem instituendo, ac propterea integram eius Bullam hic transcribam, ut qui voluerit, eam possit conferre cum Extrauagante, *Cum preexcelso*, in qua Sixtus IV. festiuam, & solennissimam fecit Deiparę Conceptionem.

Hęc est canonizatio S. Petri, Episcopi ciuitatis Anagninę, in Prouincia Campanię, eiusque ascriptio in numerum sanctorum Confessorum.

Huius Sancti festum agitur die tertia mensis Augusti.

PASCHALIS EPISCOPVS,
seruus seruorum Dei, venerabilibus
fratribus Episcopis Anagnino, & aliis
per Campaniam constitutis, salutem,
& Apostolicam benedictionem.

DOMINVM excelsum habentes præ oculis, qui in Sanctis suis laudatur, & benedicitur, & considerantes propterea strenue, probatęque vita merita, quibus vir sanctus Petrus, quoniam Anagninus Episcopus, de Regula Monachorum assumptus in pastoralis officio purę simpliciter, solerti vigilantia, & exęplo Deo deseruinit. Admirantes etiam miraculorum insignia, quibus Sanctum suum ante, & post obitum diuina gratia decorauit, prout per Brunonem, Signensem Episcopum fideliter adnotatur, & vsque ad nostra tempora decorare nõ desinit, autoritate presentium vobis licere volumus, & mandamus, quatenus tertio Nonas Augusti diem natalis eiusdem Confessoris, & Presulis, numerandi Sanctorum cathalogo, congruę celebrem recolatis, quatenus in presenti gratiam, & in futuro, optulante diuina clementia, piis eius intercessionibus mereamur gloriam sempiternam. Dat. Signia secundo Nonas Iunij, Pontificatus nostri anno.

Ecce totum Paschalis canonizantis Diploma, & solennitatem, siue cęremoniam canonizati sancti Petri Anagnini, per institutionem sui festi, & cultus: quod satis fuit ad certissimam eius sanctitatem habendam. Cūque similiter instituta sit solennitas, & festiuitas cultus Conceptionis Virgineę, & præterea conscripta sit eius celebritas in Martyrologio, numerataque in censu tot mysteriorum, & Sanctorum, quorum

Ioann. Euseb. Op. Parth.

festiuitas celebris est in Ecclesiã, aliasque circumstantias habeat magnę uenerationis, merito etiam certissima habenda est eius mysterij sanctitas. Accedit ad hæc, quod hæc canonizatio Paschalis II. accidit tempore sancti Bernardi, qui tunc adolecens erat, aliquot annos antequam scripsisset epistolam ad Lugdunenses: vnde cum in ea persuasione esset, ex celebratione festi posse Sanctum canonizari, accedente Pontificiã autoritate, refragatus est Canonicis Lugdunensibus, quod sine hac autoritate Apostolicã festum celebrassent Conceptionis; sentiebat enim, institutum à Romano Pontifice festum infallibilem sanctitatem supponere in eius obiecto, & perinde esse, quali canonizare; quod etiam iudicant Scholastici antiqui. Nec propterea esse canonizatam immaculatam Virginis Conceptionem volo asserere; sed tantum intendo stabilire, certam esse ex institutione sui festi: nam, ut opportunè nupè animaduerti, desunt illi aliqua, quę canonizationem comitantur; & quanuis Paschalis Pontifex in canonizatione prædicta solum expressit institutionem festi, suppositum nihilominus, aut subintellexit nonnulla alia. Annuunt Paschali II. alij summi Pontifices, qui in Diplomatum canonizationū inuunt canonizationem celebrasse per institutionem eius festi. Sic Innocentius III. in canonizatione sancti Homoboni hæc ait: *Ipsam Sanctorum cathalogo adscribendam, statuentes, ut in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuotè à vobis, & aliis Christi Fidelibus, annis singulis de cetero celebretur.* Notentur illa verba: *Sanctorum cathalogo adscribendam, statuentes, ut in die depositionis, &c.* nam indicat modum, seu celebritatem adscribendi fuisse, statuendo diem illius festiuum, ad minus insinuat comitari statutum festi certam sanctitatem obiecti, cū adscriptioni Sanctorum, quę certissima est, appendatur: vnde, siue à priori, siue à posteriori, ex festo certa inferitur sanctitas. Ideo Fortunatus Scachus de notis sanctitatis. sect. 10. cap. 2. notandam dixit hanc sententiam: *Sunt autem adeo conuicta, atque indiuisa hæc duo, cultus nimirum vniuersalis, & canonizatio, ut hoc ipso quod aliquis Dei seruus canonizatus fuerit, eo ipso seruatis seruandis cultus fuerit, eo ipso seruatis seruandis cultus ei debeatur in totã Ecclesiã, & è contrario, statim atque aliquem in totã Ecclesiã cultum anniuersarium habere constat, pro canonizato habeatur.* Atque ex hac canonizationis, & cultus publici connexionem, quidam Bernardus in Glossa ad caput, pronuntians, de consecrat. dist. 3. colligebat, quod capitulum illud Episcopis facultatem concedat indicendi aliquibus dies festos: licet falsò asserat, posse Episcopum canonizare aliquem Dei famulum in suã Diocesi; & facultatem, quam Capitulum Episcopis pro canonizatis tradebat, etiam de non canonizatis intellexit. Postea ait: *Tantum ex cultu, & ueneratione, qui præstat alicui defuncto, ex autoritate summi Pontificis, sanctitas alicuius Dei serui plenè, ac perfectè colligitur.* Cultus enim, qui præstat alicui defuncto sine facultate Ecclesię, non ad religionis virtutem, sed ad superstitionis errorè declinat. Concordat eidem Paschali, & Innocentio Clemens III. qui in commisione canonizationis publicandę sancti Ortogni, Pomeranorum Apostoli: sic ait: *Ipsam canonizatam autoritate fretam Apostolicam,*

solemniter, & publicè annuncietis, anniuersarium diem sui transitus facientes, & publicè annuntiantes ad honorem Dei, & ipsius beati viri memoriam solennem haberi. De quo videri potest Baronius ad annum 1189. sicut & de canonizatione sancti Canuti per Alexandrum III. ad annum 1164. quam refert ex Saxone Grammatico lib. 14. qui solennitatem eius ostendit per sacri cultus honorem, & concludit dicens: *Illius spiritum publica religio consecraret.* De hoc latè in *Mantissa.*

§ VIII.

Ex approbatione Religionum demonstratur eadem sanctitas festorum.

Idcirco etiam Ecclesia non potest errare in religiosorum institutorum approbatione: quoniam, ut Suarez dixit: *Hæc etiam est magna pars materia moralis; oportet enim ut Ecclesia habeat securitatem, & certitudinem, non tantum in præceptis, sed etiam in consiliis, & in via perfectionis.* Item, quia approbare Religionem est quasi canonizare tale institutum ut sanctum: ergo ad prouidentiam Spiritus sancti spectat, ut in hoc non permittat errare Ecclesiam, quam specialiter regit. Erraret autem Ecclesia, si Pontifex posset errare: ergo credendum non est id accidere posse. Idem docet tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 17. Vtrumque fundamentum huius eximij Doctoris æqualem vim habet pro institutione festiue Conceptionis: nam si Pontifex non potest errare in approbandis consiliis, & via perfectionis, quanto minus poterit errare, cum ipse Pontifex præbet, & suadet consilium, imò præcipit vniuersæ Ecclesiæ, prout accidit in celebratione Conceptionis, quam Sixtus IV. consuluit, & suavit, atque ad eius cultum prouocauit Fideles: atque deinde Pius V. & Clemens VIII. præceperunt. Itaque in hac festiuitate inuenitur & consilium approbatum à Romana Ecclesia, & præceptum impositum ab eadem: quod si in neutro potest errare Pontifex, nequaquam potuit errare in celebratione immaculatæ Conceptionis. Ex altera ratione Patris Suarez eadem veritas probatur: nam si Pontifex non potest errare in approbatione Religionum, quia est quædam quasi canonizatio sancti illius instituti; cum ipse P. Suarez dixerit in tom. 2. 3. part. sententiam immaculatæ Conceptionis esse quasi canonizatam, nimirum, per institutionem præsertim sui festi. Simili modo dici debet, errare non potuisse instituendo hoc festum; sed assignare illi obiectum certæ sanctitatis, sicut in approbatione Religionum, certum facit, institutum eius sanctum esse, non peccaminosum.

Accedit ad hæc, quod eadem omnino ratio, qua Pontifex non potest errare in approbatione Religionum, quia nequit errare in materia morali, & per consequens in approbandis consiliis, & via perfectionis, locum in terminis habet in hoc mysterio immaculatæ Conceptionis; cum consilium colendi eandem immaculatam Conceptionem, & viam perfectionis, consequendæ per eius reuerentiam, approbauerit Iulius II. in approbatione, imò institutione Monialium Conceptionis, de quo latè in *Theoria* egimus; quare eadem certitudo supponenda est ex institutione festi.

Ex dictis infert P. Franciscus Amicus, ad Fi-

dem pertinere quod Gregorius XIII. in Bulla, *Quanto fructuosius*, edita anno 1582. Kalendas Februarij, declarauit esse verè, & propriè Religiosos eos; qui in Societate I E S V admissi, biennio probationis peracto, tria vota simplicia emittunt, non minus quam si in professorum numerum adscripti essent. Quam doctrinam sequuntur doctissimi Theologi. Et ratio est: quoniam hoc spectat ad substantiam nostræ Religionis; spectat enim ad peculiarem quemdam gradum huius Ordinis, constantem ex Scholasticis approbatis, qui in nostra Religione substantialis est. Quare sicut non potuit Pontifex in reliquis gradibus eiusdem Religionis approbandis errare, ita neque in hoc, cum ex omnibus gradibus constet substantialis perfectio nostræ Religionis. Ita Amicus, quod etiam docuit P. Turrianus in 2. 2. Diui Thomæ, disput. 16. dub. 2.

Similiter Antoninus Diana, ex Religione Clericorum Regularium, tract. 11. de infallibilit. resol. 25. ait *Ex dictis sequitur, Pontificem non posse errare in approbando institutum nostræ Religionis Clericorum Regularium Theatinorum, viuendi absque redditibus, nec petendi directè, vel indirectè elemosynas? sed ex sponte oblatis viuere; & qui contrarium diceret, seuera censura dignus esset.*

Quod si singularis gradus, & particularis obseruantia in Religionibus excludunt ab earum approbatione Pontificum omnem errorem, quid dicendum est de excellentissima, & singulari obseruantia Religionis Christianæ, in instituto Virginæ Conceptionis festo, & præcepto per omnem tetrarum orbem?

§. IX.

Ex legibus à Pontifice particulari Prouincia impositis, colligitur præceptum generale celebrandi Conceptionem, certam eius sanctitatem facere.

AD exaggerandum dicta, ad memorare oportet quod Bannez 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6. conclus. 4. & plurimi alij Theologi affirmant, etiam esse de Fide, Pontificem non posse errare, quantumuis legem, & constitutionem ferat pro vna Prouincia, aut sola Diocesi, & ut inquit Diana tract. de infallibilit. decret. Ratio videtur manifesta, primò: quia Pontifex, quatenus supremus est Pastor, legem statuit obligantem aliquam Prouinciam; quia secundum hanc rationem, non solum regimen totius Ecclesiæ illi commissum est, sed etiam cuiuslibet Prouinciæ: si ergo respectu totius Ecclesiæ errare non potest, quia illius est suprema regula veritatis, cum etiam respectu cuiuslibet Prouinciæ sit eadem regula, efficitur sanè, errare nullo modo posse. Secundo: si admittas errare posse Pontificem in statutis specialibus, præcipiendo, inquam, obseruari ab aliqua Prouincia quæ contraria sunt legi diuinæ, seu naturali, videris admittere errare posse circa totam Ecclesiam: nam Ecclesia vniuersalis sufficiens habet fundamentum ad credendum sic ordinatum & præceptum bonum esse, & seruandum ab illa Prouincia; sed tale iudicium erroneum est: ergo cogitur ex errore speciali Pontificis Ecclesia vniuersalis errare, quod non est dicendum.

Quomodo

Quomodo igitur in alicuius mentem poterit venire, non modò legem, sed consuetudinem, quæ erat particularium Prouinciarum, factam iam per Vicarium Christi generalem in vniuerso orbe, & omnibus Ecclesiis, expositam fuisse errori, qualis est festiuitas Conceptionis, quæ antea celebrabatur in particularibus Ecclesiis, & Prouinciis deuotissimè, sine contradictione summorum Pontificum, imò cum consensu, saltem tacito, suæ præsentis, vt testatur Ioannes Bacho in 3. tentent. iam tamen præcepto generali Pontificum solennissima est. Præterea, si præceptum particularis regionis, dum in illo error incidere, posset errore cunctos contaminare Fideles, & particulare vnius Prouinciæ erratum communicari omnibus, quomodo in præcepto generali celebrandi Conceptionem, errorem includente, poterit abesse periculum, quin in vniuersam proferret Ecclesiam?

§. X

Idem adstruit beatificatio seruorum Dei.

Beatificatio Sanctorum potest aliud suggerere argumentum, quæ minus est canonizatione: nam quauis beatificatio non sit, prout de facto est in vsu, vt ait Arriaga, & idem affirmant Franciscus Amicus de Fide, disp. 7. sect. 4. Ioannes à sancto Thoma 2. 2. disp. 9. art. 2. Fortunatus Scachus de sign. sanct. ad canonizat. Emanuel Rodrig. tom. 3. Summæ, cap. 59. concl. 2. Granados tract. 7. de Fide, disput. 4. sect. 1. Castr. Palaustract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. Lucas Castellinus de certitud. glor. Sanct. cap. 2. punct. 1. Felix Contelor. de canonizat. cap. 2. Antonin. Diana tom. 11. tract. de infallibilit. decretor. Pontific. resol. 17. & alij Authores, qui Romæ scripserunt, nisi quædam licentia data per Bullam, à summo Pontifice, vt aliqua persona in aliqua determinatâ Prouinciâ, Episcopatu, aut Religione coli possit vt existens in cælo. Vnde Fortunat. Schaachus de not. sanctit. sect. 1. cap. 8. distinctè cap. 8. §. 1. dixit: *Nec aliquem turbet aliquorum sententia, existimantium, (sed falsò) beatificationem non distingui essentialiter à canonizatione, neque hanc ab illâ; sed tantum se habere adinuicem, vt duos actus solenniores, & minus solennes. Nam canonizatio essentialiter, & secundum propriam rationem inrensicam à beatificatione distinguitur. Nam in canonizatione Papa procedit vt Iudex vniuersalis Ecclesie, & per definitiuam sententiam alicui cultum deberi in Ecclesiâ Militanti decernit. Et tanti ponderis est iste canonizationis actus, vt qui cultum canonizato negaret, heresi suspectus haberetur. Quia summus Pontifex loquens de Cathedrâ, non potest errare. At verò in beatificatione, licet pie credendum sit, Papam non errare: id tamen non est certum de Fide. Quia in beatificatione Papa non procedit vt Iudex (strictè loquendo) neque definit; sed vt Princeps in Ecclesia priuilegium concedit huic, vel illi Ecclesie, vt absque incursum pœnarum latorum contra supersticiosos, & eos, qui absque licentia Sedis Apostolicæ alicui cultum præferant, liceat illis talem, vel talem virum, cultu Sanctorum venerari. Cumque iuxta sententiam Iurisperitorum, vnusquisque possit renuntiare priuilegio, poterunt absque incursum alienius pœnæ priuilegio beatificationis renuntiare.*

Ioann. Euleb. Op. Parth.

*non solum Ecclesia, cui illud priuilegium fuerit concessum, sed etiam persona priuata eiusdem Ecclesie, poterunt non vii eo priuilegio. Nihilominus certum omnino est, non posse Papam errare in beatificatione. Ita etiam communiter sentiunt Catholici, qui eo ipso quòd aliquis sit beatificatus, iam nullatenus de illius sanctitate dubitant. Tum, quia in eius declaratione licentiæ, post prudentissimam, & exactam inquisitionem, Pontifex implicite videtur declare, seu saltem supponere eum esse in cælo. Et quamuis illi diuinum Officium, Sacrumque non concedatur omnibus pro tali Beato; tamen omnibus iam in Ecclesiâ licet se illius precibus etiam publicè commendare, eumque Beatum vocare, & pro tali reputare: non est autem credibile Deum permissurum in re tam graui totam errare Ecclesiam: ergo omnino certum debet esse, Papam non posse in beatificatione errare; & verò id aded certum habetur, vt omnino temerarium, impium, & erroneum sit contrarium dicere: quia rationes illatæ sunt aded validæ, vt potius ostendere videantur id esse de Fide, vt aduertit Arriaga. Eadem pariter argumentatione planum fit, nec in festorum institutione posse errare Pontificem: nam festum Conceptionis post exactissima examina, non solum tempore Concilij Basileensis, sed tempore Sixti IV. præcedentibus acerrimis disputationibus, variis conferentiis librorum Patrum, & aliorum Doctorum inspectionibus, & collationibus, de licentiâ, & exhortatu summi Pontificis, & eximiâ probatione eius per totam Ecclesiam admissum fuit, atque inde confirmati fuerunt Catholici, communiter sentientes, qui eo ipso quòd festum Conceptionis fuisset approbatum à Sede Apostolicâ, iam de illius sanctitate non dubitant. Et præterea tali declaratione supposuit sanctam esse, imò induxit vniuersam Ecclesiam, vt immaculata Conceptio acclamaretur, vt factum fuit per Officium ab eodem Pontifice approbatum, & commendatum. Deinde per Pium V. & Clementem VII. non solum fuit permissum hoc festum, sed præceptum, ordinato Officio diuino, in quo appellaretur *Sancta Conceptio*: atque idcirco populus Christianus, dum orat, apprecatur, vt vota sua consequatur per immaculatam Conceptionem; & fuisset grauissimus error, si hanc persuasionem habuisset de re inani, aut falsa. Accedit ad dicta, quòd beatificationem, cum non sit lata lex vniuersæ Ecclesie; sed solum licentia alicui Prouinciæ, aut Ordini; nihilominus erroris expertem fatentur Doctores, & populus Christianus: verum ad celebrandam Conceptionem Virginis, non solum facultas particularis, sed præceptum vniuersale alienam facit errore. Obseruatione etiam dignum est, quòd non sit in vsu Pontificum, concedere indulgentias in honorem eorum, qui solum sunt beatificati; tamen plurimas indulgentias concessere in honorem immaculatæ Conceptionis.*

§. XI.

Grauias materia sanctitatem rei celebrata indubitanter asseuerat.

Hoc ipsum confirmatur ex communi Doctorum sensu, quod vbi oriretur perniciosus error Ecclesie vniuersalis, nequit summus Pontifex errare; quod sepe pius repetit Suarez tom. 3.

de Relig. lib. 2. cap. 17. Cùm igitur magnus error fuisset in Ecclesia, & perniciosus, si tot demonstrationes cultus fecisset pro mysterio falso, aut inani, non est credendum in eo potuisse errare: quoniam adeo est ista materia gravis, ut dicendum esset, quamuis in alicuius festi institutione posset errare Papa, in hoc propter grauitatem materiæ, & deformitatem erroris, non posse, cùm in hac materia inuoluantur altissima mysteria dignitatis Matris Dei, & necessitatis redemptionis Christi.

Præterea materia instituti festi Conceptionis non minùs directè gubernationem Ecclesiæ concernit, quàm aliæ multæ, quæ definitæ sunt, imò longè magis, ut pro ea possimus facere ideam argumentum, quod pro canonizatione Sanctorum fecit Arriaga his verbis: *Quod enim iustificatio, v. g. fiat per infusionem donorum, est veritas, ut sic dicam, purè speculatiua, ob quam nec melius, nec peius nos operabimur; & tamen habet Pontifex auctoritatem illam definiendi: at hæc veritas canonizationis summè ad mores, & gubernationem spirituales Ecclesiæ spectat: tum quia gloria illa Sanctis collata potest esse quoddam quasi impulsuum, ut homines bene afficiantur virtuti, & sanctitati: tum ut Deus in Sanctis laudetur: tum ut eius Sancti precibus nos commendemus: tum ut cum eum non amplius iam indigere nostris precibus sciamus, pro illo non oremus. Quæ omnia directissimè ad gubernationem Ecclesiæ spectant. Vnde, si Pontifex posset in hoc errare, grauius sanè damnum Ecclesiæ inferretur, quàm si errasset in definitione circa modum, quo iustificatio fit. Denique, si errare non potest Pontifex, mandando toti Ecclesiæ rem iniustam, ac si esset iusta: quia Ecclesiam induceret ad faciendum id, quod est malum, licèt tunc Fideles excusarentur per inuincibilem conscientiam; proculdubio nec poterit mandari toti Ecclesiæ, ut adoret Sanctum, si hic non est sanctus, sed damnatus. Nam etiam est malum adorare hominè damnatum ad inferos: & sicut hic esset ignorantia inuincibilis, ita & in illo priori mandato. Vides aequalem esse planè rationem de utroque, & fortè in canonizatione maiorem. Multa similia habet celebratio Marianæ Conceptionis, cuius veritas magnoperè spectat ad mores, & spirituales Ecclesiæ gubernationem; quia gloria sanctitatis, & puritatis, etiam in Conceptione sua Virgini collata, potest esse quoddam impulsuum, ut Fideles tenerius afficiantur erga B. Virginem, & intimius implorent illam, incitenturque ad amorem maioris puritatis, & castitatis: tum etiam ad maiores laudes Dei, & gratias agendas; quia in Matre sua, & eius sanctitate tam admirabilis fuit. Tum etiam, ut beatissima Virgo liberalius se habeat erga Fideles, propter tenerrimam hanc deuotionem. Item, ut magis, elucesceret extensio redemptionis Christi, & celsitudo diuinæ maternitatis, & alia salutaria animabus deuotis: quæ omnia ad spirituales, & deuotum regimen Ecclesiæ spectant. Vnde, si Pontifex posset in hoc errare, grauius damnum Ecclesiæ posset inferre, quàm si errasset in definiendo modo, quo fit iustificatio, aut aliud huiusmodi speculatiuum dogma.*

Exemplum huius habemus in Leone III. qui sanctum Suibertum de assensu pariter, & consensu suorum Cardinalium (ut refert Baronius ad annum 804.) cæterorumque Prælatorum coram adstantium, solenniter catholico sanctorum Con-

fessorum adscripsit, & canonizauit; quod è re Ecclesiæ, & ad piam eius, & deuotam gubernationem indicauit fieri, & nihilominus tantum mysterium, ac est processio Spiritus sancti etiam à Filio, noluit in Symbolo conscribi, & conciniquia non ita necessarium censuit ad gubernationem Romanæ Ecclesiæ, quamuis reuera sentiret esse de Fide. Totum hoc constat ex legatione missa à Concilio Aquilgranensi, & Carolo Magno ad ipsum Leonem III. petentibus, ut in Symbolo caneretur illa particula, *Filioque procedit*. Quid autem actum sit Romæ à Legatis à Synodo missis, vetera nos docent ecclesiastica monumenta, ex Zmaragdi ad Carolum epistola, in quâ ipsa Acta inseruntur, ubi inter alia Pontificis responsa, hæc excusatio legitur: *Sunt multa, è quibus istud unum est, sacra Fidei altiora mysteria, salubrioraque Sacramenta, ad quorum indagacionem perungere multi valent*. Et rursus: *Nunquid magis salutare est credere, periculosumve non credere, Spiritum sanctum à Filio, sicut à Patre procedere, quàm Filium Sapientiam Deum à Sapientia Deo, Veritatem Deum à Veritate Deo genitum esse; & tamen utrumque unam Sapientiam, unam Veritatem, essentialiter Deum esse: cū tamè constet id à sanctis Patribus eidem Symbolo inditum non esse*. Itaque, sicut Leo III. & alij Pontifices non subtiliora mysteria speculationi; sed utiliora deuotioni iudicant potius, & facilius proponenda ad spirituale regimen Fidelium: sic non minùs est necessaria immunitas erroris in his mysterijs, & infallibilitas in Pontifice ad eorum promulgationem. Cùmque festum Conceptionis maximè mouerit ad deuotionem populum Christianum, non minimè debet contineri in eius mysterio veritas. Proposuit postea Ecclesia illam particulam, *Filioque*, in Symbolo: quia ob accidentes circumstantias, & rationes nouas pro temporum qualitate, id iam expediuit, & necessarium fuit.

§. XII.

Ex pietate materia idem suaderur.

GRAUITATEM materiæ exaggerat pietas, de quâ consideranda quoque est doctrina Gregorij Valentini disp. 1. de Fide, q. 6. §. 41. *Quoniam Pastorem suum semper audire tenetur Ecclesia, & Ecclesiam diuina Scriptura absolute predicat, esse columnam, & Firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. ideoque nunquam errare tota potest, dubium esse non debet, quin in alijs quoque rebus omnibus asserendis, quæ ad pietatem spectent, & Ecclesiam totam concernant, infallibilis sit Pontificis auctoritas. Neque sanè arbitror, hoc absque errore negari posse. Ut enim alijs omnibus Ecclesiæ ministris, ita etiam in primis summo Ecclesiæ Pastori attributa est potestas, auctoritasque sui muneris ad ea, quæ pertinent ad Ecclesiæ adificationem. Talia autem cū sint quacunque spectant ad pietatem, dubitari non debet, quin in ijs constituendis Pontifex officio suo fungatur. Cūque in usu sui muneris ille, si quid pro Ecclesia vniuersa statuit, errare (ut antea probatum est) non possit, sit, ut in omnibus, quæ ad pietatem, religionemque spectent, sit infallibilis illius auctoritas, quemadmodum dixi. Hæc ille. Negari autem cū nequeat, ad pietatem, & religionem spectare institutionem festorum, cū maxima pietas, & virtus religionis sit cultus sacer, & festum Conceptionis in vniuersam Ecclesiam, à Pontificibus sit inductum, atque etiam præceptum,*

præceptum, si in illâ institutione posset errare Pontifex, tota etiam Ecclesia coleret aliquid peccaminosum, scilicet Conceptionem in peccato, aut saltem celebraret rem non sanctam, & indignam sacro cultu, ita, vt quod in existimatione Ecclesiæ fuisset religio, in veritate rei foret superstitio. Præterea, ex prædicto fundamento probat ille Doctissimus Author, Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum, nec in Religionum approbatione: cùmque eandem vim habeat prædicta ratiocinatio erga institutionem festorum; similiter dicendum est, nec in ea parte posse errare Pontificem, aut probabiliter solum procedere, non certò.

§. XIII.

Non solum ex pietate, & qualitate materia religiosa; sed ex eo quòd concernat res Fidei, idem stabilitur.

Expendendum quoque est, pondus huius materiæ immaculati Conceptus, non solum debere æstimari qualitate, sed etiam quantitate; cùm non solum continua quantitate, sed discretâ etiam maior sit: etenim gemina saltè ratio, seu titulus in eâ concurrunt, propter quam requirat infallibilitatem in institutione sui festi. Quæ duplex ratio non ita concurret in legibus moralibus, neque in declaratione contractuum, imò neque æquali modo in Religionum approbatione, & aliis, à quibus exterminant Theologi errorem in actibus Pontificiis circa illam. Etenim in Conceptione immaculatâ inuenitur materia morum, & doctrina pietatis: quæ sola ratio sufficit, vt in eâ cadere error Pontificum nequeat. Deinde, in eadem Conceptione occurrit alia ratio infallibilitatis circa institutum eius festum: videlicet quòd concernat res Fidei, & eius mysteria, quippe in eius materia inuoluitur natura peccati originalis, occasio Incarnationis, excellentia maternitatis diuinæ & necessitas redemptionis Filij Dei. Cùm igitur ex quolibet ex his titulis iudicent Theologi, in Pontificiis statutis non posse errorem interuenire, quid dicendum est ex utroque capite, & saltem duplici titulo concurrente in institutione celebrandi Conceptionem Virgineam: quare ex duplici hoc capite certa habenda est sanctitas vera tam festiui obiecti?

§. XIV.

Declaratio humani contractus confirmat certam sanctitatem rei celebratæ.

Portet etiam exemplo condendarum legum de contractibus humanis, idem stabilire, cùm in his nequeat etiam Pontifex errare, vt probat Molina tract. 2. de contractib. disp. 325. Bannez, Valentia, Suarez, Turrianus, Malderus, Amicus, Arriaga, Diana, & communiter Doctores. Ideo de facto Leo X. authenticè declarauit, contractum montis pietatis esse iustum, & licitum, eumque etiam à suis prædecessoribus Paulò II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. fuisse approbatum, vt constat ex eius Bulla, quæ fuit in publico Concilio Lateneranen-

si lecta, & approbata ab omnibus, præterquam ab Archiepiscopo Tranensi, qui solus illi contradixit, vt in eadem narratur in eodem Concilio, sess. 10. Cæterum, quæ in explicatione huius Bullæ à Caietano, & Soto afferuntur, impugnatione non egent. Similiter, plures sunt constitutiones, aut Bullæ de materia censuum. Prima est Martini V. pro Germaniâ, approbata à Calixto III. vt habetur Extrauag. 1. & 2. de empt. Secunda Bulla est Nicolai V. in ordine quarta, pro Regno Neapolitano, & Sicilia; eamque deinde approbavit pro Regno Sicilia; ultra Pharus, Gregorius XIII. Tertia Bulla est Pij V. in ordine octaua, & refertur à Nauarro in Manuali, cap. 17. num. 234. Hoc spectat ad auctoritatem Pontificis, qui cùm sit summus Pastor, habere debuit infallibilem potestatem salubriter pascendi oues Christi: valde autem diminuta foret eius potestas, si non se extenderet ad huiusmodi leges declarandas. Nec refert, quod earum declaratio proximè pendeat ex natura talium legum, & ex Philosophia morali, non ex Scriptura: nam eas Pontifex non definit, quia veritates Philosophiæ sunt, sed quatenus sunt præcepta morum ad salutem necessaria, ad quæ definienda habere debet infallibilem assistentiam Spiritus sancti, ne definiat, & declaret quod contrarium est salutis hominum.

Vnde Malderus in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 1. art. 10. disp. 6. proposit. 5. sic asserit: Non potest Pontifex errare, quando toti Ecclesiæ ex cathedra declarat, aliquem contractum esse licitum, aut illicitum, & vsurarium. Hoc enim sanctitas Ecclesiæ postulat, vt non profiteatur bonum malū aut, malū bonum: profiteretur autem, si Caputeius ita præscriberet. Denique, hic videtur sensus Ecclesiæ, quæ recipit has definitiones tanquam omnino certas, & indubitatæ veritatis. Et ratio huius doctrinæ esse debet, quia esset contra sanctitatem Ecclesiæ, si Pontifex posset iniustum natura sua contractum proponere vt rem iustam: quæ res, cùm ad mores pertineat, magni momenti est, neque esset à Christo sufficienter prouisum, si Ecclesiæ Caput hoc modo errare posset; quod non est vllò modo credendum: & certè cùm veritas istarum rerum valde sit necessaria, necessarium etiam fuit, vt in earum declaratione Pontifex errare non posset. Vide etiam Verricellum in quæst. moral. tom. 1. tract. 8. quæst. 24. num. 9. asserentem, quòd mons pietatis à Leone X. licitus declaratus, de Fide est, quòd sit iustus. Ita rectè Nauar. comment. de vsur. num. 59. Sotum, & Caietanum grauiter reprehendit immodestiæ, & irreuerentiæ erga Sedem Apostolicam, & Concilia generalia,

Quis ergo non dicet, & videt, non decere minus infallibilitatem ad institutionem festorum diuinorum mysteriorum, quàm ad declarationem humani contractus: in illa præcipit, & dicit Ecclesia, colenda est Conceptio Virginis; in hac, vtendum est contractu montis pietatis. Cur igitur in illius cultu potest cadere error, & non in istius vsu? Cur ad obiectum sacri cultus sufficit probabilitas sanctitatis; ad obiectum vsus, & contractus humani, erit necessaria certitudo honestatis? Multa alia hinc possent considerari pro certitudine immaculatæ Conceptionis.

§. XV.

Ex comparatione consuetudinis ecclesiasticae idem roboratur.

DEinde, si à priscis temporibus, quæ vicina essent viris Apostolicis, aut sequenti sæculo, vel quarto, constasset consuetudo Ecclesiæ vniuersalis in celebranda festiuitate immaculatæ Conceptionis, quis auderet dicere, errorem aliquem in hac consuetudine interuenire potuisse, aut inueniri in obiecto huius festiuitatis: cum autem non sit maior vis consuetudinis, quam declarationum Pontificum, qui hanc festiuitatem vniuersæ Ecclesiæ præceperunt, nullus sanè in eâ accidere potest error. Nam sicut sanctus Augustinus epist. 118. cap. 5. dixit: *De eo, quod vniuersa Ecclesia facit, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania esse:* ita nos dicimus de his, quæ Pontifex in aliqua institutione festi approbat faciendæ, dubitare, an honesta sint, insolentissimæ insaniæ esse. Nô est enim minor autoritas Pontificis approbantis, & decernentis, quam sit traditionis, seu consuetudinis vniuersæ Ecclesiæ. Et hanc partem maximè confirmant omnia superioribus adducta. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. ex consuetudine ecclesiastica confirmat necessitatem confessionis ad Eucharistiam, dicens: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque premissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Similiter etiam Bernardus epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, loquens de festiuitatibus Sanctorum ait: *Ego quod accepi ab Ecclesia, id teneo.* Si ergo Romanus Pontifex, Pastor vniuersalis Ecclesiæ, præciperet inuocare, & honorare Sanctum canonizatum, non est profectò dubitandum, quòd sit honorandus, & inuocandus. Simile de Conceptione oportet dicere, & eius institutione festi.

Ex his apparet duplex ratio, quæ veritatem sanctitatis in mysterio Conceptionis celebrato confirmat: vna, ex vi consuetudinis, cum à duodecimo, & fortassè amplius, sæculis celebrata sit, ut alibi probauimus: altera, ex præcepto Pontificum, celebrandi hoc festum.

Porro, vis consuetudinis Ecclesiæ tanta est, ut non modò consuetudinem positiuam, sed etiam priuatiuam tanti fecerit sanctus Thomas, ut 2. 2. quæstion. 10. articul. 12. & in 3. parte quæst. 68. articul. 10. ex eo quòd non esset in consuetudine Ecclesiæ, docet, non esse baptizandos paruulos infidelium contra voluntatem parentum. In eadem æstimatione habuit consuetudinem Ecclesiæ priuatiuam Leo Papa III. ut eam noluerit derogare, in comparatione promulgandi in populos verissimum Fidei dogma. Cum enim Legati Caroli Magni, & Concilij Aquisgranensis, viri profectò dignissimi, nimirum Bernarius Episcopus Vornatiensis, atque Iesse Episcopus, & Adelhardus Abbas monasterij Corbeiz, à Synodo ad Leonem Papam missi, ut concederet iis addere in Symbolo hanc particulam, *Filioque*, responsum Legatis dedit Papa, præter spem, nam negauit eam addere: quoniam in Ecclesia Romanâ contraria erat consuetudo, in quâ tunc temporis non erat addita illa particula, nec cantabatur in Ecclesiis. Post hæc autem idem Leo Papa,

custos antiquitatis, non solum verbis differendo, & præcipiendo, quid vellet fieri, patefecit; sed indelebile monumentum erigendum putauit, quo posteris innotesceret, in sacro Symbolo esse nihil addendum. Siquidem in Basilicâ sancti Petri (non autem Pauli, ut aliquis asseruit) duas tabulas argenteas ad confessionem eiusdem sancti Petri, affigendas curauit, in quarum alterâ Symbolum Latine scriptum legeretur; in alterâ verò Græcè exaratum, absque aliquo quatuor illarum syllabarum additamento, *Filioque*: sed illud in suo pristino candore voluit integrum permanere. Et est mentio harum Tabularum apud Anastasium, in ipso Leone. De quo videri potest Sarouolscius in Leone III. & Baronius ad annum 809.

Ex hac obseruantia consuetudinis priuatiuæ elici potest argumentum ad venerationem consuetudinis positiuæ, ut intelligatur, in re tam venerandâ; & sacrâ, qualis est consuetudo Ecclesiæ, non posse interuenire errorem, maximè cum illi accesserit expressa voluntas, & præceptum Pontificum. Sed nescio quo iure, cum totam suam vim seruet consuetudo cum Sanctis particularibus, non tueatur illam in causa sanctissimæ Mariæ, Sanctæ Sanctorum. Etenim sanctus Rochus, cum non sit canonizatus solenni canonizatione, ut suis temporibus fiebat, & nunc fit, ob solam consuetudinem sanctus habetur, & in Martyrologio scriptus est; nam eius virtutes, inquit Baronius in notis ad Martyrologium: *Anno 1414. innotuisse Patribus Concilij Constantiensis, quorû decreto ad propulsandam ingruentem luem eidem honores Sanctis debiti, sunt impensi: nam & solenni pompa eius Imaginem, omni comitante populo, per urbem detulerunt; quo factò, illa pestis mox enauit. Inde verò exemplum sumptum est, ut vbique locorum eius venerandæ Imagines, Altaria, Sacella, ac denique Tempa erecta fuerint. Translatum eius corpus Venetias, ferunt anno Domini 1485. atque hodie penè vbique terrarum, singulis annis annuâ festiuitate, Missa celebratur die illo. Notandumque est cœpisse consuetudinem colendi sanctum Rochum ab anno 1414. tunc scilicet, cum iam consuetudo colendi immaculatam Conceptionem, antiqua erat in Ecclesia Romana, prout testantur Patres Concilij Basileensis, quod paulò post fuit congregatum, nimirum anno 1439. Qui Patres in ratione historiz omnino sunt credendi; nam in decreto suo dicunt instituire celebrationem de sancta Virginis Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias, sexto Idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur. Cur igitur tam antiqua, & laudabilis consuetudo circa sanctitatem immaculatæ Conceptionis, vim maiorem habeat, quam recens consuetudo circa sanctitatem priuati hominis?*

Sanctus Conradus etiam sine canonizatione solenni, ob consuetudinem appellatur sanctus ab Vibano VIII. in Indulto pro ordine Capucinorum; cum tamen sanctus Conradus recentior fuerit Sancto Rocho viginti quatuor annis. His similes sunt aliæ consuetudines suam vim retinentes paucioribus annis quam consuetudo celebrandi Conceptionem, cum antiquissima fuerit; nec ob vetustatem derogandum erat gloriæ sanctissimæ Matris Dei.

§ XVI.

Ex censuris propositionum vere, & adæquate assignandis, comprobatur vera sanctitas festiui mysterij.

Conueniunt etiam Theologi, Pontificem non posse errare in propositionum censuris consignandis: nam certum est, in definiendis Fidei veritatibus non posse errare; assignare verò has censuras, pertinet ad veritates Fidei: ergo nullo modo admittendum est posse errare. Et explicatur: quia cum declarat, aliquam propositionem esse erroneam, planè definitio pertinet proximè ad Fidei veritates; quoniam propositio erronea est contraria conclusioni deductæ euidenter ex principiis Fidei: ergo non posset Pontifex errare in hac censura, nisi errans aliquo modo circa Fidei veritates. Et idem iudicium est, si delectaret aliquam propositionem esse proximam errori, vel sapientem hæresim. Deinde, in aliis censuris propositionum, quæ non ita proximè videntur pertinere ad doctrinam Fidei, vt cum dicitur aliqua propositio temeraria, etiã dicunt, errare non posse Pontificem, quia pertinet ad doctrinam, & veritatem rerum Religionis Christianæ; quòd si in hoc posset errare, non esset omnino certa definitio circa veritatem Fidei, quippe posset contingere, vt dannaret aliquam propositionem velut temerariam, quæ esset magis consentanea principiis Fidei, quàm contraria, quod nullo modo est admittendum, & ita existimant esse errorem, asserere in his censuris posse Pontificem errare. Ita Turrianus. Et quidem Coninch de actib. supernat. disp. 8. dub. 3. n. 135. docet, eum, qui negat prædictas censuras, asserere aliquid, ex quo per euidentem consequentiam deducitur hæresis, Cardinalis Lugo de Fide, disp. 10. num. 109. asserit, tale assertum fore erroneum, & errori proximum: quod antea dixerat Bannez in 2. 2. D. Thomæ, quæst. 10. art. 2. quauis Malderus, & Ouiedus distinctiùs loquantur.

Ex his etiam argumentari possumus, ad excludendum possibilem errorem in festiua Conceptione, cum maioris momenti sit veritas huius mysterij, quod Fidei mysteria concernit, quàm quòd sit temeraria, vel non, propositio aliqua, quæ ad Fidem non attingat. Præterea, cum Sixtus IV. in Extrauagante, *Graue nimis*, assignauerit censuram erroris (quod fecit propter institutum Conceptionis festum) illi propositioni, quæ asseruisset, hæreticum esse, dici, conceptam Virginem sine labe originali: atque hinc sequatur perspicua probatio Conceptionis immaculata, vt supra insinuauimus, & in *Theoria* nostra probauimus; hoc ipso quòd in assignandis censuris nequeat cadere error Pontificius, neque in institutione festi Conceptionis locum potuit habere.

§ XVII.

Ex censura probabilioris propositionis idem confirmatur.

Quærent etiam Theologi, quid dicendum de aliquâ censura, quâ Pontifex iudicat aliquam propositionem esse probabilem, vt olim definiuit Clemens Pontifex Quintus, *Clementin. unic. de summa Trinit.* in quâ approbat vt proba-

biliorum, opinionem asserentium, in Baptismo: infudi paruulis habitus virtutum Theologicarum de quo legi potest P. Vazquez 1. 2. disp. 86. Difficultas autem est, an possit Pontifex in hoc errare? Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 55. dub. 5. cui communis in hoc applaudit sententia, existimat Pontificem in hac censura assignanda non posse errare; posset enim hoc vergere in detrimentum Fidei: quia opinionem, quam Pontifex approbat vt probabilem, vel probabiliorum, tota Ecclesia debet vt talè amplecti, & ex illa ad alia discurrere, vnde posset contingere circa res Fidei grauis error. Inde etiam explicatur, an possit Pontifex opinionem falsam approbare vt probabiliorum. Quæstionis causa est: quia absolute loquendo, non repugnat aliquam opinionem esse probabiliorum, & re ipsa esse falsam: ergo poterit Pontifex verissime decernere aliquam opinionem esse probabiliorum, & non errare, etiam si alias opinio illa sit falsa. Nihilominus dicunt, non posse Pontificem errare circa veritatem propositionis, quam declarat esse probabiliorum: loquimur enim semper in materia, quæ possit ad mores, vel Fidem pertinere, licet res non sit de Fide; nam si in hoc posset Pontifex errare, magnum detrimentum posset sequi in Ecclesia: omnes enim amplecterentur, & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & eius probabilitas indies cresceret, ac proinde tota Ecclesia falleretur, quod nulla ratione admittendum est. Hæc Turrianus, quem plurimi sequuntur, & videri potest Ferdinandus Salazar de *Concept. cap. 43. §. 1. & 4.*

Sed Cardinalis Lugo, quauis mitiùs sentiat, ita ratiocinatur: Licet circa hoc nulla extet diuina promissio, Deus tamen non permittet ab Ecclesia doctrinam aliquam circa huiusmodi materiam, Fidelibus omnibus vt probabiliorum proponi, quæ re ipsa falsa sit. Ratio autem ad hoc ita pie existimandum, non est quòd ex illa declaratione iam Fidelium sensus communis in eam opinionem propenderet, qui communis sensus haberi non potest circa opinionem falsam; sed ratio esse potest: quia Deus dedit summum Pontificem Præceptorem, & Magistrum communem, quem omnes Fideles audire debent, & eius doctrinam amplecti, atque adeò promissit etiam ita ei assistere, vt iis, quæ circa pietatem, religionem, & mores omnibus Fidelibus proponit, errare non possit. Et quauis tota hæc promissio, & assistentia Dei integra esse posset, etiam si doctrinam aliquam probabiliorum esse doceat, quæ falsa sit; si tamè reuera sit probabilior, vt dictum est: nec enim tunc falsum doceret, cum non dicat doctrinam esse veram; adhuc tamen ad diuinam prouidentiam videtur aliquo modo spectare, & pie credi potest, Deum semper prouidere, ne opinionem falsam vt probabiliorum Ecclesiam proponat: quia licet nec tunc Ecclesiam deciperet, ex superabundanti tamen Dei erga Ecclesiam prouidentia, pie credi potest, quod id etiam impediatur, ne Fidelibus detur occasio, etiam indirectè, ex Pontificis doctrina, adhærendi tenacius opinioni falsæ. Negari enim non potest, quòd posita illa declaratione de maiori probabilitate sententiæ falsæ, reuerentia, & affectus, quem Fideles erga Pontificem, & præceptorem suum habent, efficeret, vt maiori propensione deinceps erga opinionem illam ferrentur, & difficiliùs multò ab ea possent remoueri. Quare, etsi declaratio Pontificis non contineret falsum, daret tamen occasionem magnam Fidelibus

bus adhærendi magis, & magis doctrinæ falsæ; & hoc; propter reuerentiam erga communem Præceptorem ab ipso Deo Fidelibus propositum, quæ redderet difficiliorem inuenta falsitatem, si quæ in ea opinione esset: nam declaratio illa Pontificia tantum pondus opinioni illi addidisset, vt paucissimi deinceps inuenirentur, qui contrariis rationibus aures præberent, imò omnes incumberent ad eas dissoluendas. Possumus ergo piè existimare, non permitturum Deum, quòd opinio vnquam falsa, vt probabilior Fidelibus omnibus à summo Pontifice proponatur; quamuis de hoc nulla speculis promissio Christi Domini nobis, vt dixi, falsa sit. Hæc ille. Quibus satis supponit quàm certa habenda sit sanctitas Conceptionis propter institutum festum. Et multò magis idem supponunt Authores superioris sententiæ, cum non minoris æstimanda sit institutio festi, quàm declaratio maioris probabilitatis: quæ declarata à Pontifice, supponit veritatem in se physicam, iuxta ferè omnes, aut plerosque Doctores, ad minus saltem moralem, secundum aliquem.

Verùm non erit paruum operæpretium audire quæ Ferdinandus de Salazar cap. 43. de Conceptione, §. 4. philosophatur pro immaculata Conceptione, dicens: Probabili consecratione deducere fas est, dictam sententiam hodie ad eum certitudinis gradum adductam fuisse, vt non tantum moraliter, sed etiam physicè, & à parte rei non possit esse falsa. Quia ex dictis liquidò constat, Pontifices summos per institutionem festi, approbationem Officij, & alia, quæ in puræ Conceptionis fauorem hæctenus gesserunt, omnino declarasse, ac definiisse piam sententiam esse probabiliorē, atque tutiorē; sed Pontifex declarans opinionem aliquam esse magis probabilem, circa veritatem illius errare nequit, nec fieri potest, vt quod ipse probabilius esse decreuit, falsum sit à parte rei: ergo per dictam declarationem maioris probabilitatis consequenter effectum est, vt pia sententia ita vera sit hodie, vt illi falsitas subesse nello modo possit, quamuis ad Fidem non pertineat, & alioqui Ecclesia eos, qui oppositum sentiunt, hæctenus sustineat. Ad confirmationem autem huius doctrinæ accedit, quia specialis illa ratio, quæ inductus est noster Turrianus vt seriò affirmaret, Pontificem in eâ definitione aberrare non posse, in hac doctrina præcipuè locum habet; vtpote quæ ex illis est, quæ partim ad mores pertinent, partim Fidem concernunt: nam quatenus ex ea fit, vt tota Ecclesia Conceptionem Virginis tanquam sanctam, & ab omni labe permundam colat, & veneretur, ad mores spectat: quatenus verò in causa est, vt Theologi ad eam definiendam de originalis peccati transfusione, de occasione Incarnationis Christi, & de aliis grauiissimis dogmatibus aliter, atque aliter sentiant, ad Fidem vtique pertinet. Quapropter, si Pontifex declarans, & decernens eam esse magis probabilem, errare potuisset, & possibili ad effectum perducto, re ipsa, & de facto aberrasset, maximam certè tam in moribus, quam etiam in his, quæ ad Fidem attinent, doctrinis, errandi occasionem, & ansam omnibus Fidelibus obtulisset: qui eam doctrinam, quam ipse magis probabilem esse declarauit, ne à Capite suo disseniant oppositæ præferentes in veneratione rei non sanctæ, atque in sensu tam huius dogmatis, quàm aliorum, quæ ab ipso pendent, & cum ipso coherent, errores plurimos hæc-

nus ebibissent: indèque fieret id (quod nunquam non vitari, & declinari debet) non solum maiorem, sed etiam longè maximam Ecclesiæ partem in assensu plurium dogmatum delusam, & deceptam fuisse.

§. XVIII.

Ocluduntur subterfugia sentientibus contra certam sanctitatem, ex festo immaculata Conceptionis.

EX dictis facilè intercludetur quisquis imaginatus fuerit, sufficere probabilitatem ad institutum festum, quominus certa commendetur sanctitas immaculata Conceptionis, ita, vt per suam ipsam excogitationem, vt effugiat hanc certitudinem, in illam incurrat: nam licet demus institutum festum sub probabilitate duntaxat obiecti, cum nemo queat negare, Ecclesiam per multiplices actus declarasse, probabiliorē opinionem esse, quæ immaculatam Conceptionem affirmat, si hoc ipso quòd probabilior sit per Pontifices, sequitur, vt diximus, quod nequeat esse falsa, inane apparet subterfugium eiuſmodi opinantium.

Porro, sententiam negantium esse satis declaratam in Ecclesia à Pontificibus, probabiliorē supponunt. aut defendunt Bellarminus, Valentia, Suarez, Vasquez, Egidius, Salazar, & innumeri. Sed demus, edixisse duntaxat Pontifices, vtramque opinionem esse probabilem; nihilominus ex eo solum quod sub consideratione huius probabilitatis instituerint festum Conceptionis, sequitur probabiliorē iam fecisse, cum eam sententiam fuerit summus Pontifex secutus, & eius honorem in actu virtutis religionis constituisset. Quare iam non solum probabilior habenda erat; sed ex consequenti iuxta dicta, reuera certa. Et quidem ingenuè Ferdinandus Salazar cap. 43. de Conceptione, cum assentiat posse Pontificem, instituire festum cum consideratione duntaxat probabilitatis; nihilominus tamen ex eo quod probabilior sit sententia negatiua, per gesta circa illam summorum Pontificum, firmiter tenet, & defendit eam esse certam, non solum moraliter, sed physicè: alij autem Authores concedunt, saltem certitudinem moralem, non obstante probabilitate attentà in institutione suæ celebritatis.

§. XIX.

Pluribus rationibus euincitur, non esse sustinendam probabilitatem solum, ad vniuersalem festorum institutionem.

Nihilominus mihi nequaquam est sustinendus talis dicendi modus eorum, qui argumenta, quæ immaculato Deiparæ Conceptui passiuo maiorem certitudinem spondere videbantur, scilicet festi obseruatio, indulgentiarum concessio, Officij approbatio, & alia id genus, ita temperant, vt solam eam, quam dixi, maiorem probabilitatē piæ opinionis euincant, asserentes hæc ab Ecclesiâ, non quidem eâ intentione ac mente præstitâ, aut demandatâ: quia Con-

ceptionis

ceptionis sanctitatem tanquam certam, & indubitam à Fidelibus obseruari velit; sed tanquam magis piam, & probabilitatem, verique similitudinem maiorem habentem. Inde autem colligit quidam disparem valde rationem, quam vult inter festum Natiuitatis, & festum Conceptionis intercedere, cum ad probandam Virginis sanctitatem assumuntur: quia festum Natiuitatis eo animo Ecclesia agere cœpit, vt Virginem cum sanctitate natam, tanquam certum dogma profiteretur, Conceptionem autem non ita; sed velut magis probabile, & magis pium, vt dictum est. Denique obseruat alius, summum Pontificem in exhibitione religiosi cultus; nimirum cum aliquid populo Christiano religiosè colendum proponit, nullo modo aberrare posse. Quod quidem ita intelligit, vt eum gradum certitudinis res habeant, sub quo Pontifex summus illas colendas populo offert: si enim rei alicuius tanquam indubitæ, ac certæ venerationem demandat, ex ipso illam certam omnino, & indubitam esse determinat; si autem eidem tanquam magis probabili, piæ, ac tutæ cultum religiosum decernit, eo ipso magis probabilem, tutamque esse definit, ac statuit: nam ipsa exhibitio cultus à Sede Apostolica proficiscens, tacita quædam definitio est.

Hunc dicendi modum, licet verosimilis appareat, & de foris speciosus, falsissimum iudico, & intrinsecus cariosum, & nisi fallor, iniuriosum summis Pontificibus, noxium Fidelibus, & contra voluntatem Christi, atque in festiue Conceptionis institutione, seu approbatione penitus explodendum, tanquam contrarium Pontificum menti. Contra eum imprimis est, quia excusari nequit magna confusio, & perturbatio Fidelium, an hoc, vel illo modo fuerit statutum à Pontifice tale festum: vnde, pro diuerso intelligendi modo, oriretur, si non schisma, saltem diuersæ factiones in Ecclesiâ. Et quidem ex eo quod modò experimur, ex diuersitate opinandi, scilicet ex solo hoc modo existimato, sine declaratione Pontificis sufficiens argumentum est, ob præsentem varietatē sentiendi, & quasi confusionem, vt intelligamus, quantò maior confusio esset, si constaret Fidelibus diuersis illis modis posse institui festum.

Præterea, maior confusio oriretur, cum idem dici, aut existimari posset de aliis dogmatibus, & veritatibus, quæ spectant ad Fidem, an eas declarauerit Pontifex vt probabiles solum, aut probabiliore, an vt determinatè veras. Magnum profectò inde chaos fidelem populum occuparet; idèque dici posset de quibuscumque aliis rebus, circa quas assignant Theologi infallibilitatem, & excludunt circa eas errorem in Pontifice: vnde tota satisfactio populi Christiani, in obediendo suo Capiti infallibili nutaret, & Ecclesia Dei parum distaret, aut nihil à particulari aliquâ Republicâ, ac propterea tota domus Dei gubernatio euertetur, nihilque fixum, & stabile esset, nec iam fundata esset supra petram fixam, sed puluerem mobilem. Tum etiam quotquot rationes afferunt Doctores pro infallibilitate Papæ, militant etiam contra disparem illum modum hæcenus non excogitatum: nam si taliter posset Pontifex aliquid decernere, omnia illa argumenta profus eneruantur. Quod autem Pontifices non fuerint vsi varietate intentionum in statuendis rebus huiusmodi, satis colligitur ex Clementina vnicâ de summa Trinitate, in quâ cū Pontifex noluit statuere

de Fide, virtutum habitus infundi pueris in Baptismo, expressissimè declarauit eam duntaxat probabiliorem; sine hac autem declaratione expressa statuere aliquid ex prædictis sentiendum, aut faciendum Fidelibus, cum intentione solum probabilitatis, non expressa, magna confusio esset, & contra regimen Ecclesiæ, iuxta voluntatem Christi, qui voluit suas oues solido veritatis gramine pasci, nec dubiis, nec falsis reuera mediis ad gaudium suæ gloriæ promouere.

Cæterum, circa institutionem festorum non inuenitur simile quid à Pontificibus ordinatum; sub varietate intentionum, aut ex prætextu probabilitatis, & multò minùs in festo immaculatæ Conceptionis: quod Sixtus IV. absolutè promulgauit in Extrauagante, *Cum præexcelsa*, & non aliter, quàm alias festiuitates, nisi fortasse solenniùs, & ardentiori deuotione indultis Indulgentiis, & ordinato Officio, in quo toties cum magna firmitate acclamatur Conceptio immaculata, & per eam obsecrare voluit tantâ securitate, vt oratio Officij sic dicat: *Vt sicut eam* (scilicet Deiparam) *ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas*. Velle hoc dicere Pontificem cum sola probabilitate, videtur temerarium cogitare, & imprudens valde fecisse: quare nequaquam sub probabilitate hoc festum instituit Sixtus, alioqui exponeret Fideles periculo, vt in illa oratione sibi potius maledicerent.

Accedit, quod Sixtus IV. approbauit festum Conceptionis, quod in multis Europæ Prouinciis instaurauit sanctus Anselmus, & Patres Concilij Basileensis iudicarunt in tota Ecclesia celebrandum: Anselmus autem id non ex probabilitate solum, verùm certitudine mysterij introduxit tanquam reuelatum è cælo, & miraculis confirmatum. Patres quoque Concilij Basileensis cum certitudine etiam pronuntiarunt, quidquid pro immaculata Conceptione publicum fieri voluerit, vt satis patet ex eorum decreto: multis enim visum fuit, in illo eam definisse. Præterea, Fideles ipsi, dum celebrabant Conceptionem, eam non iudicabant solum probabilem, sed certissimam, vt ex variis historiis constat. Cùm igitur hanc eandem festiuitatem, & non aliam promouerit Sixtus IV. in suis Extrauagantibus, nequaquam attendit in illius approbatione aliud, quàm tunc consuetudo Ecclesiarum attenderet in eo cultu, scilicet, non solum probabilitatem, sed veritatem, vt par erat. Tum etiam nullibi inuenimus declarasse Sixtum IV. nec dixisse opinionem affirmatiuam esse probabilem, solum propter vitanda scandala, & pacis bonum, prohibuit ne diceretur hæresis; sed magnum interuallum est ab interdictione tam rigidæ censuræ ad commendationem probabilitatis: nam quanuis hæresis non esset aliqua propositio, potuisset esse improbabilis, aut scandalosa, vel temeraria. Vnde in Extrauagante, *Græue nimis*, nequaquam attendit Sixtus IV. ad probabilitatem opinionum, nec in eadem probabilitate adæquauit vtramque, sed potius omnino supposuerit sententiam negatiuam esse certissimam: quoniam definiuit, non modò falsam, sed erroneam esse illam propositionem, in qua hæresis affirmaretur, dicere, Beatam Virginem sine peccato esse conceptam. Cuius rationem reddit, quod sancta Romana Ecclesia instituerit festum Conceptionis: ex hac autem illatione sequitur necessariò, opinionem negatiuam esse, & existimasse Sixtum

Sixtum verissimam; affirmatiuam verò per consequens censuisse esse falsam: nam cum inibi condemnasset tanquam falsam, peruersam, & erroneam illam propositionem, *Sententia pia est heretica*, rationem immediatam tam seueræ censuræ reddidit: quia celebratur in Ecclesia Romana festum Conceptionis. Vnde, quidquid deducitur ex illa condemnatione, infertur etiam ex celebratione festi ab Ecclesia: quare, cum ex condemnatione illa sequatur, vt diximus, falsitas assertionis affirmatiuæ, & certitudo negatiuæ; etiam ex institutione festi sequitur, ex hac quoque parte certam esse piam sententiam, nimirum, certò sanctum eius festi obiectum. Vnde miror, tam inadæquatum, imò iniquum affingi potuisse testimonium Sixto IV. vt sub probabilitate duntaxat exaltaret festum Conceptionis: nam si hoc præstitisset, nequaquam potuisset deducere prædictam illationem, & condemnationem erroris, vt in *Theoria* latius monstrauimus, & supra attigimus. Quapropter Sixtus IV. non aliter censuit institutum festum Conceptionis, ac festum Natiuitatis; neque si festum Natiuitatis approbasset, non aliter potuisset id facere, quàm fecit in Extrauagante, *Cum præexcelsa*, vbi approbavit festum Conceptionis absolute, & summis laudibus: quòd si semel fuit approbatum, siue institutum, acceptumque in vniuersa Ecclesia hoc Conceptionis festum, quanuis postea alij summi Pontifices, imò ipse Sixtus illud tollerent, aut alterarent, sufficiens erat, vt certam sanctitatem Conceptionis omnes haberent, de quo latius in opusculo de *obiecto festi*. Sic etiam non solum certum, sed clarum est, ab Ecclesia coli sanctam, & immaculatam Virginis Conceptionem, siue eiusdem præseruationem, quod in Officio eiusdem ita recitatur. Et planè in omnibus festiuitatibus ecclesiasticis nulla est, quæ euentius, & sapius explicet suum obiectum, quàm Officiũ Sixti IV. ad festũ Conceptionis, vbi multis modis ostenditur celebrari immaculata Conceptio Deiparæ, & præseruatio eius, idque clarissimis, & perspicuis verbis: quod Officiũ tota Ecclesia recitauit, & nunc etiam recitat nobilissima, & numerosissima pars eius, qualis est Franciscana Familia; sed & in Officio Pij V. tam clarè dicitur celebrari *sancta Conceptio*, vt non posset dici, clarius esse celebrari ab Ecclesia sanctam Virginis Natiuitatem, quàm sanctam Conceptionem, cum iisdem omnino verbis recitetur in vtriusque Officio. Quòd si hic summus Pontifex Sixtus in institutione festiue Conceptionis non attendit probabilitatem, sed eadem vi illam propagauit, an instituta sunt alia festa, planè nullus alius Pontifex attendit in celebratione huius festi probabilitatem solum, cum ceteri Pontifices confirmarunt quidquid Sixtus præstitit in suis Extrauagantibus; singillatim, & expressè Alexander III. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & Concilium Tridentinum cum Pio IV. à quo confirmatum est, & absolutum. Quod ipsum satis confirmat clausula illa Sixti IV. in Extrauagante, *Cum præexcelsa*, vbi hæc dixit: *Hac in perpetuum valitur à constitutione statuimus, &c.* pronuntians, & prænuntians, eius constitutionem in perpetuum valituram, quam proinde tot summi Pontifices confirmarunt, & nullus dixit probabilem esse opinionem affirmatiuam, solum permiserunt eam, tolerantés modò intrinsicum duntaxat sensum eius, prohibentes tamen externam significationem, vt nequeat affirmari exterius.

Addo tamen, quòd Pius V. & Clemens VIII. cum imposuerint præceptum celebrandi Conceptionem, abrogauissent institutionem huius festi, sub probabilitate duntaxat, & eius obiectum transtulissent ad certitudinem, nec aliter potuisse fecisse, vt æstimo, ex hoc ipso quòd habuerint intentionem præcipiendi vniuersæ Ecclesiæ in re pertinenti ad doctrinam morum, & concernentem mysteria Fidei: nam ipsi non potuerunt renuntiare infallibilitati concessæ à Christo Ecclesiæ Capiti, ita vt quanuis ipsi voluerint disponere res, & intentionem diuersimodè ac deberent, præcipientes, vt Vicarij Christi non potuerint exponi se errori in materia tam graui, imò, etiam si voluerint errare: quoniam id non permetteret Christus in effectum deduci. Deinde, præceptum horum Pontificum circa celebrandam Conceptionem, fuit commune cum alijs festiuitatibus Breuiarij Romani, quas nemo dicet præceptas sub probabilitate duntaxat, alioqui possent esse falsa eorum obiecta; sed cum certitudine, atque cum hac mente reformati Breuiarij Romani, festa cum præcepto promulgarunt Pontifices, in quo includitur solennitas Conceptionis, & per consequens cum eodem præcipiendi modo.

Quemadmodum enim, si quis in contractu aliquo absolute, & verè iuraret, parum referret, quòd non habuisset intentionem se obligandi, dum haberet illam verè iurandi: effectus enim eius iuramenti sequerentur naturam illius, non intentionem aliam præposteram. Sic etiam cum præceptis morum, & statutis Pontificiis circa res Fidei, annexa sit infallibilitas, ordinata à Christo in bonum suæ Ecclesiæ, parum intererit non habere intentionem Pontificem infallibiliter procedendi, sed duntaxat probabiliter: nam si semel verè præcipit, & statuit vt Caput Ecclesiæ, non dependet à voluntate eius infallibilitas, vel fallibilitas, sed eius præceptum, velit, nolit, infallibilitas sequetur à Christo promissa, neque errare poterit, licet velit.

Præterea, inutilis est illa discretio, & dispar ratio instituendorum festorum, vel cum probabilitate, vel certitudine: nam si præceperit Pontifex festiuitatem ab vniuersali Ecclesiâ celebrandam, licet solum id præstitisset cum consideratione probabilis obiecti; attamen post semel latam illam festi generalem legem, certum erit eius obiectum, nec Fideles habebunt occasionem dubitandi de falso cultu.

Deinde, incommodum videtur, quòd Pontifices talem voluntatem habuerint probabiliter solum præcipiendi, aut statuendi similia pro vniuersa Ecclesia: facerent enim contra voluntatem Christi, & honorem Ecclesiæ, quæ est firmamentum veritatis, si nolint veris, & certis medijs regere Ecclesiam. Quænam, rogo prudentia esset, si Ecclesiæ regimen per vera media, non falsa, nec dubia, statutum sit, & obseruatum ab institutione Christi, si aliquis Pontifex illud voluisset immutare cum perturbatione totius Ecclesiæ, eam gubernans per incerta media, & contra Christi ordinationem; præterquam quòd satis esset absonum, velle id præstare, exponendo se periculis errandi, cum possit tutò prouidere: & hoc totum propter inutilem illam rationem disparis modi decernendi, cum attentione ad probabilitatem, aut certitudinem, cum quomodolibet decernat, post decretum semel statutum, certa statuisset, præcepisset, & decreuisset necesse est?

Itaque, non solum imprudenter, sed inutiliter statuisset aliquis Pontifex contra Christi dispositionem, & Fidelium conscientiarum securam quietem.

Iuxta dicta sequitur aliud non leue incommo- dam, nimirum idem dici posse de consuetudinibus Ecclesie, quasdam sub probabilitate, quasdam sub certitudine introductas. Cumque nescirit populus Christianus, quo fuerit modo vnaqueque stabilita in Ecclesia, non poterit firmum assensum tradere certitudini earum, quod est contra S. Augustinum, & alios Patres, qui tantum tribuunt consuetudini Ecclesie, ut eam comparent sacrae Scripturae. Quod si hic geminus modus in consuetudinibus Ecclesie non est concedendus, quoniam perniciosissimus esset, & contra Patres; sic etiam nec admittendus est in decretis Pontificis, quae non sunt minoris authoritatis, & infallibilitatis: festum autem Conceptionis non solum praecipuum fuit sub Clemente VIII, sed consuetum celebrari a multis saeculis, atque in Romanam Ecclesiam, non modo a tempore Sixti IV. sed antea. Vnde, si ratione consuetudinis Ecclesiasticae certum oportet haberi eius obiectum, cur accedente postea institutione praecipua, defraudabitur sua veritate, & ad probabilitatem duntaxat poterit reduci? Commentitius propterea est, & superfluus dispar ille, & geminus decretorum Pontificiorum modus.

Hinc est, quod nec in praeiis Patribus, & historiis ecclesiasticis inuenimus disparem illam rationem decernendi in Pontificibus; sed solam illam, quae certam veritatem respicit: sic Patres, qui locuti fuerunt de institutis festis, ex his solum collegerunt sanctitatem obiecti celebrati. Similiter, sanctissimi Pontifices, quorum aliqua testimonia superius retulimus, sine distinctione, ex institutione festorum securam habuerunt veritatem, & sanctitatem mysteriorum: id ipsum ratum, & firmum Doctoribus antiquis, tum sacrae Theologiae peritis, tum Pontificij Iuris, quorum ratiocinationes, & sanctorum Patrum rationes frustrarentur, ut nihil probarent, si admitteretur haec ambiguitas decernendi, & admissio probabilitatis.

§. X X.

Eadem materia roboratur, & illustratur.

Licet adhuc inculcare aliqua, quae noua, aut repetita consideratione erit operae pretium expendere, ut multiplicatis tormentis, discretio illa institutorum festorum penitus expugnetur: & quidem maximam vim videtur mihi habere ratiocinatio illa Antonij Cordubae lib. 1. quaest. 44. quia omnes Sancti, atque Doctores hoc docent, quod scilicet in Fide, & moribus, & cultu Sanctorum tenemur sequi doctrinam, & ritum sanctae Romanae Ecclesiae, & sacrae Sedis Apostolicae, quia est Caput, atque Magistra omnium aliarum Ecclesiarum, atque Fidelium, ut habetur *distinct. 21. cap. quamuis, & de consecrat. dist. 3. cap. nosse*: & sancta Sedes Apostolica nullis vquam temerariis nouitatibus succubuit, ut ipse etiam Caietanus in suo quodlib. tract. 2. de primatu Eccles. Rom. latius agit, maxime, quia in *Ioann. Enseb. Op. Parth.*

iis, quae pertinent ad cultum diuinum, vbi Fidei nostra professio, siue protestatio versatur secundum Thomam in 9. quodlibet. art. 16. Ecclesia Romana errare non potest, quippe diuinam regitur prouidentiam speciali: ex quo Spiritus sancti assistentia illi Sedi Apostolicae, quoad rem Fidei, singulariter a Christo promissa est, Lucae 22. *Ego pro te orami, Petre, ut non deficiat fides tua.* Vnde, credendum est, quod Spiritus sanctus non diu permetteret in cultu diuino mendacium celebrari, sed id opportunè Ecclesiae suae reuelaret. Ideo idem Thomas 3. part. Sum. quaest. 68. & 22. q. 10. art. 21. agens, vtrum paruuli infidelium essent baptizandi, parentibus inuitis, ait: *Dicendum est, quod maximam habet auctoritatem Ecclesia consuetudo, quae in omnibus imitanda est, quia & ipsa Doctorum Catholicorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet. Vnde, magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam Augustini, vel Hieronymi, vel alterius cuiuscunque Doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus numquam habuit, quod filij Iudeorum, parentibus inuitis, baptizarentur.* Haec ille. Vbi nota, quod non solum quae Ecclesia mandat, atque determinat, dicit esse tenenda; sed ea, quae absque determinatione recipit in usum, imò & ea, quae non recipit, cauenda sunt.

Ex hac doctrina primum expendo, quod si docent Sancti, teneri Fideles sequi Ecclesiam, non distinguunt inter sequelam eius cum infallibilitate, vel cum probabilitate; sed absolute loquuntur. Quare videtur utrolibet modo teneri sequi illam; sed in hoc casu sequeretur inconueniens, quod secuti iudicium Ecclesiae possent errare: nam sequentes illam, cum sub probabilitate praecipit aliquid, possint incidere in errorem, cum probabilitas non excludat penitus falsitatem. Praeterea, cum Fideles sequentes Ecclesiam in aliquare, non intelligant eam solum probabilitatem habere; sed quia certam putant, illam sequuntur. Vnde sequitur, quod possit existere grex Christi in aliquo errore, reputans rem certam, & esse veram sine formidine. Quod si dicas, non inferri, secuturos Fideles illud tanquam certum, sed probabile: contra est; quia quantum non sequatur necessariò, ut reputent omnes esse rem certam; potest tamen accidere, ut ita existiment; quod est maximum inconueniens, quamuis aliqui secus putarent, dum maior pars Ecclesiae foret in illa persuasionem falsa, tametsi probabilis. Quod si rursus instes, posse etiam contingere, maiorem Ecclesiae partem esse in persuasionem illam, solum tanquam probabilis, parua refert: quia etsi in hoc euentu non esset magnum inconueniens, at in contraria contingentia omnino foret maximum, & hoc sufficit.

Accedit ad haec, quod in illo casu, cum omnes Fideles putarent esse rem solum probabilem, si de facto fuisset falsa, etiam foret hoc magnum inconueniens, quod omnis Ecclesia esset in persuasionem alicuius rei falsae, & possessionem alicuius erroris, quantumuis iudicaretur esse rem probabilem, & in omnium opinione talis haberetur, nihilominus tamen essent in persuasionem illius. Si adhuc velit aliquis effugere hoc inconueniens alia via, scilicet, quoniam quidquid sentit Ecclesia omnis, etiam sub assensu duntaxat probabilis, necesse est, ut sit res certa: nam magna dissonantia etiam est, quod posset dici, totam Ecclesiam esse deceptam, licet probabiliter; H interrogo,

in terrogo, cur iam erit opus discretione illa probabilitatis, vel certitudinis, si id quod tenet omnis Ecclesia, solum sub probabilitatis, necesse sit, ut certum absolutè sit, & in se verum.

Plane libens amplector hoc placitum, & in honorem immaculatæ Conceptionis contorqueo: quia si verum est id, quod tanquam verum affirmat, continere infallibilem veritatem, etiam si assensus Ecclesiæ sit tantum probabilis; sed huic nostræ sententiæ piæ adhæret pars longè maior Ecclesiæ: ergo continet certâ, & infallibilem veritatem. Maior propositio defenditur à Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 1. part. 7. §. 45. Cano lib. 7. de locis, Vualdeni lib. 2. doctrinalis Fidei, cap. 22. & 23. Salazar cit. §. 4. quia Ecclesiæ falli non potest; sed si longè maior Ecclesiæ pars affirmaret aliquid tanquam magis probabile, quod re ipsa fallum esse posset, diceretur falli: ergo, &c. Addit Valentia §. 17. Si quando de re aliqua in materia religionis controuersa constaret, concordem Fidelium omnium, & vniuersim assensum esse (solet autem id constare, vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo, & offensione communi, quæ ex oppositâ doctrinâ oriri solet) iure quidem posse, ac debere Pontificem illo communi sensu inniti, utpote sententiâ Ecclesiæ infallibili (particulam autem, *omnes*, supponunt Doctores, non esse capiendam mathematicè, sed de multò maiore parte) atqui constat concors Fidelium sensus de immunitate magnæ Matris à culpa originali, tum ex praxi cultus, ac celebratione ipsius, & ex scandalo, & offensione orta ex oppositâ sententiâ: ergo hæc sententiâ est infallibilis, ac proinde nequit esse falsa.

Si hoc sequitur ex sensu Fidelium concorde, cur frustra summi Pontifices degenerarent ab antiquâ solitudine tuendi immaculatum cultum, & religionem, quam protestamur in ipso cultu, si contenti essent ad religiosum cultum instituendum probabilitate duntaxat, cum antiqui Pontifices omnem certitudinem requirerent, maximamque erga hoc curam adhibuerint? Vnde, Iulius Papa epist. 1. ad Episcopos Orientales, sic inquit: *Officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit.* Cur Alexander III. reseruauit soli Sedi Apostolicæ canonizationem Sanctorum, & abstulit Episcopis, nisi ut longius esset cultus ecclesiasticus à probabilitate, & contingentiâ, & niteretur certitudine: alioqui, si sufficeret probabilitas, non esset inconueniens, pristinum morem, aut priuilegia libera relinquere. Et aduertendum est etiam, cum certitudine miraculorum, noluit ab Episcopis Sanctos adhuc probabiliter enuntiari; ideo in cap. *Audiuimus, de Reliq. & venerat. Sanctor.* ait: *Etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absque authoritate Romane Ecclesiæ venerari.* Cur etiam Pontifices moderni indices magis arduam constituant ipsam canonizationem, nisi ut indubitata cultus ecclesiastici certitudo clarius elucescat; Quomodo ex alia parte possent non attendere certitudinem in tanti mysterij cultu, ac est immaculata Conceptio? Nullus Pontificum rigidiores leges tulit circa exhibendum sacrum cultum, beatificationem, & canonizationem Sanctorum, ut eas difficilli-

mas reddiderit, quam Urbanus VIII. propter atisfactionem maximam certitudinis, quam in his requirebat; nihilominus tamen liberalissimus fuit erga cultum immaculatæ Conceptionis, pro vt ostendit, præcipiens post Pium V. & Clementem VIII. eam celebrari. Tum etiam in dedicatione Templi Capucinatorum Romani, & in confirmatione sacræ, & religiosæ immaculatæ Conceptionis Militiæ. Pius etiam V. cum suspicaretur, non ita certam, & authenticam esse Præsentationem B. Virginis, quod non excluderet probabilitatem duntaxat, neque omne errandi, siue falsitatis periculum, decreuit à Calendario Romano abradi; quia non censuit quidquam dubij dissimulare sibi in hac parte, nec probabilia solum celebranda in Ecclesiâ, donec authenticis testimoniis, magno labore, & infinita eruditione sua P. Franciscus Turrianus demonstrauit, celebre eius, & antiquum festum fuisse in Ecclesia, & indubitatum eius certitudinem, ac propterea in Calendario conseruata, & in Ecclesia festiua est. Veruntamen hic ipse Pontifex, qui illum scrupulum probabilitatis habuit in festo Præsentationis, maximus promotor fuit festi Conceptionis, cum eam primus præcepit in vniuersa Ecclesia coli, designato Officio, in quo pleno ore vocaretur *sancta Conceptio*. Nec si solum fuisset sufficiens probabilitas ad cultum sacrum, tam anxius fuisset Gregorius XIII. circa abolendum ex Calendario Felicem II. cum pro vtraque parte essent probabiles sententiæ circa eius martyrium: de quo videri poterit retractatio Baronij, & Spondanus ad annum 357. & absque dubio remouendus erat ille de Breuiario, vel absque martyrij titulo relinquendus nisi magnâ Dei prouidentia eo ipso tempore manifestaretur eius sepulchrum, cum hoc titulo: *Corpus sancti Felicis Papa, & martyris, qui damnauit Constantium*. Nihilominus hic Pontifex tam scrupulosus, & diligens circa sacrum cultum, & Sanctorum festa, maximè fauit cultui immaculatæ Conceptionis, concedens Breuiaria particularia pro Conceptionis festo, & plura alia in eius fauorem, de quo Marracius in Pontificibus Marianis, cap. 89.

Si dicas, diuersam esse rationem cultus in celebrando Sancto, quam aliâ re, & actione, quæ non potest esse condemnata, in quo non esset tantum inconueniens cultus, ac esset in venerando illum, qui esset in inferno: respondeo, dissonantiam colendi quod non est, aut quod falsum est, in vtroque enentu esse. Deinde, eundem scrupulum habuisse Pium V. in terminis propriis festiuitatum Virginis & celebratione eius actionum, & mysteriorum, ut vidimus in festo Præsentationis. Tandem non videtur valde dissimile absurdum inuocare illum, qui est peccator, & inimicus Dei, putatus licet Sanctus, ac inuocare Deiparam per suam Conceptionem, si esset peccaminosa, licet putetur mysterium sanctum: quoniam hoc esset honorare peccatum, iuxta sanctum Bernardum. Ad maiorem huius claritatem, sciendum est, duplex esse genus falsi cultus, & idololatriæ: vnum, quando adoratur quod non est Deus, imò nec persona rationalis; sed fictum quid, ut cum Ethnici colebant fortunam, & occasionem, quæ non sunt substantiæ existentes, nec personæ veræ, sed concursus rerum ex diuina dispositione. Aliud genus est, quando adoratur non solû quod falsum est; sed omnino est Deo vero contrarium,

vt quando adoratur dæmon à Magis, & maleficis, & olim à Romanis, & Græcis, sub nomine Plutonis, seu Appollinis, & hoc absurdus est genus adorationis. Cùm igitur cultus Conceptionis, si esset in peccato, similis foret huic peiori adorationi: nam in illa honoraretur peccatum, cum maiore certitudinis attentione deberent in illo admittendo procedere summi Pontifices, quàm in cultu Præsentationis, quæ si falsa esset non esset tam detestabilis cultus, quàm cùm peccatum cole-retur aut res cum peccato deturpata.

§ XXI.

Iterum de eodem argumento varia con firmationes considerantur.

Maxima etiam consideratione digna est doctrina certissima sancti Thomæ quod lib. 9. art. 16. quàm repetunt Catharinus, Corduba, & alij Theologi, quod cultus sacer sit quædam protestatio Fidei, & professio Religionis; imò in ipso cultu sacro maximè protestamur, quòd ipsis etiam Ethnicis certum fuit, atque in sacra Scriptura per genuflexionem ante Baal, significatur diuersitas religionis falsæ à vera. Cùm ergo Pontifices maximam curam debeant habere circa puritatem Fidei, & Religionis Christianæ, ne vllatenus contaminetur aliqua falsitate, aut errore, eandem curam oportet habere circa puritatem, & veritatem cultus sacri, vt in eo procul à periculo falsi sint; cuius etiam ratione dixit S. Eusebius Pontifex epist. 3. ad Episcopos Thuscæ: *In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio. Quod non ita dici potuisset, si solum sufficeret attendere in festis probabilitatem. Sanctus etiam Marcus Papa, in epistola ad sanctum Athanasium, quæ habetur in actis Concilij Nicæni, & in decreto 24. quæst. 1. c. 14. exhibetur, dixit: Nos, & vos, illosque absque vlla in posterum titubatione vnum sentire optaremus, & sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & B. Petro Apostolo opem ferente, & in futuro manebit, &c.* Planè quamuis in alijs rebus liceret decerni aliquid à Pontificibus sub probabilitate, non decebat hoc fieri in materia cultus sacri, ob rationem dictam, quòd sit protestatio, & professio Fidei, & Religionis: protestatio autem plus supponit, quàm probabilitatem, nec rectè nisi de certis fit, quare longè debet esse sola probabilitas à cultu immaculatæ Conceptionis. Tùm etiam summo opere commendant Pontifices vnum sapere, vnum sentire omnes in Religione; vt nuper vidimus ex sancto Marco, & commendat sanctus Leo, epist. 1. at si probabilitate vterentur Pontifices in cultu sacro, diuident Ecclesiam, cùm probabiliū non sit vnus sensus, sed pro vtraque parte diuiditur: nec ex approbatione pontificia, cùm esset solū probabiliū, sequeretur satisfactio fidelium. Nec verè dicere semper, & intrepidè potuisset sanctus Hieronymus in epistola ad Damasum, & habetur Canone 24. quæst. 1. cap. 24. *Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpæ voluerit, se imperium, vel malenolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Nam si approbatio illa Sedis Romanæ fuisset solū tanquam de

Ioann. Ensch. Op. Parib.

re probabili, non erat tam securus Hieronymus, ne successu tēporis inueniretur hæreticus, cum multa fuerint probabilia, quæ successu temporis detecta sunt hæretica, quod postea inculcabitur.

Quomodo igitur, tam asseueranter profiterentur Pontifices immaculatam esse religionem Romanæ Ecclesiæ, si per probabilitatem cultus, fas esset exponi maculæ erroris, seu falsitatis, & sic conuenire cum hæreticis: nam vbi falsum admittitur, potest etiam hæreticū aliquid accidere, quod in Romana Sede, & Religione procul arcent summi Pontifices. Vnde, idem sanctus Marcus Papa, in eadem epistola ad Athanasium, ait: *Hæc Apostolorum vna traditio. Hæc est vera charitas, quæ prædicanda est, & præcipue diligenda, ac fouenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprananda succubuit.* Tanti ponderis fuit hæc sententia Apostolicæ Sedi, vt eam inueniamter repetitam in Pontificiis Decretalibus, & demum in decreto iuris canonici affixa fuit 24. quæst. 1. c. 9. eam primus dixit sanctus Lucius Papa, deinde sanctus Felix, & postea sanctus Marcus, quæ sane pro immaculata Conceptione meritò expendi debet. Etenim cum Pontifices dicant Romanam Ecclesiam nunquam succubuisse hæreticis nouitatibus: rogo, an immaculatam esse Virginis Conceptionem nouitas fuerit in Ecclesia, vel non? Si nouum non fuit in Ecclesia, ergo à tempore Apostolorum; ergo vera. Si noua autem est in Ecclesia, & nihilominus eius cultum approbat, fauet; & commendat, iam iuccumbit illi, aut annuit, quod parum distat, ergo nequaquam est falsa, nec potest esse hæretica: nam non conueneret, nec commendaret illam Ecclesia. Dico succumbere illi, aut annuere: quia est cōcessus illi cultus, & in cultu protestamur Fidem, & Religionem. Non igitur hæreticam illam iudicauit Sixtus IV. nec Alexander VI. eo ipso tempore, cū illam proclamabant hæreticam aduersarij. Quæ prudentia esset, quæ sollicitudo conseruandi immaculatam religionem, si adhereret Ecclesia ei parti, quæ à multis viris doctis tanquam certissima hæresis personabat, & id præstitissent Pontifices solum consilij probabilitate, non autem certitudine:

Accedit ad hæc, quòd præceptum, vel determinatio aliqua per probabilitatem, poterit ex natura sua variari, & consuetudine antiquari, cum probabilitas non sit res fixa, sicut certitudo, seu veritas: nam quod probabile est in hoc tempore, in sequenti posset amittere suam probabilitatem, & transire in improbabile, imò, & hæreticum manifestari. Quomodo ergo Pontifex sic succumberet, siue annueret opinioni probabili in ea opportunitate, cum scilicet controuertebatur an esset hæretica, institueretque perpetuum illius festum, cum ob solam probabilitatem exposita esset mutationi tantæ, vt posset hæretica tandem inueniri: quare iste modus decernendi res tam graues sub probabilitate, indignus est Romana Sede, & temporarius ex se, cum Decreta Apostolicæ Cathedræ in perpetuum valitura proferantur, tanquam nixa veritate. Etenim quæ certa sunt, inhærent saxo fixa, quæ probabilia, arenæ adherent mobilia: Ecclesia

autem Christi super petram fundata est, non super arenam.

Perpendi etiam potest quomodo argumentatur sanctus Thomas in quodlibet. 11. quæst. 7. artic. 16. *Diuus Augustinus dicit in epistola ad Hieronymum, quod si in scriptura canonica aliquod mendacium admittatur, nutabit fides nostra, quæ ex scriptura canonica dependet: sed sicut tenemur credere illud, quod est in sacra Scriptura: ita illud, quod est communiter per Ecclesiam determinatum; unde hereticus iudicatur, qui sentit contra determinationem Conciliorum: ergo iudicium Ecclesie erroneum esse non potest.* Ex iis verbis, variis potest cõsiderationibus certitudo stabiliri præcepti à Pontifice festi per totam Ecclesiam, quod nequaquam debeat decerni sub probabilitate duntaxat. Imprimis, quia sicut dicitur, quod nutaret Fides si in Scriptura diceretur aliquid falsum; sic etiam non confisteret, si illa diceret aliquid duntaxat probabile, ac proinde nihil in Scriptura asseritur probabile. Vnde si tenemur obedire Pontifici, sicut Scripturæ, nihil debet Pontifex determinare, statuere, aut instituere pro vniuersa Ecclesia sub probabilitate duntaxat; quia nihil tale dicit, aut ordinat Scriptura. Deinde si in Scriptura diceretur aliquid probabiliter duntaxat, ita ut non esset necesse tanquam certum credere, nutaret quoque Fides nostra, sicut dixit sanctus Augustinus de mendacio: nam sicut mendacium est contra veritatem, sic probabilitas excludit certitudinem, quamuis non veritatem, verumtamen quoad firmamentum Fidei iniuriosum vtrumque esset, siue mendacium diceretur, siue non certum, quamuis esset probabile, nam vtroulibet modo maneret incertum. Simili etiam modo philosophari potest circa statuta summi Pontificis, quæ sicut debent esse contraria mendacio, & falsitati; sic oportet non inmiti probabilitati, quæ potest cum falsitate conuenire, nec securam fulcit veritatem. Vnde ex eo solum quod Pontifex posset proponere credendum, quod solum est probabile, nutaret firmamentum, & quassaretur columna veritatis, cum alia posset eiusmodi decernere: vnde Fides, & Religio Christiana minus firmum stabilimentum haberet. Sicut autem hæc in decretis definitiuis euerteret infallibilitatẽ veritatis, sic in dispositiuis immunitatem ab errore profligaret.

Neque obstat si aliquis dicat, illud esse discrimen inter Scripturam Spiritus sancti, & ordinationem Pontificis, quod Spiritus sanctus cum sit Deus, qui scit omnia, nequit probabiliter loqui; at Pontifex cum sit homo, qui non omnia cognoscit, potest probabiliter aliquid decernere, sicut Gubernator humanus, cum non vult definire de Fide, quia tunc supplet Spiritus sanctus humanam infirmitatem, assistens illi ne erret. Hæc euasio inconsiderata est, quoniam in determinationibus rerum sacrarum, quæ spectant ad vniuersalem Ecclesiam, semper se debet habere Pontifex, vt Vicarius Christi, certa, & non probabilia solum attendens, & aliter faciens, sibi, & Christo, & Ecclesie faciet iniuriam; & quidem in institutione, & approbatione huius festi Conceptionis, huiusmodi se debuit habere, & quidem realiter se habuit, vt ipsemet Sixtus IV. manifestum id fecit: quandoquidem in Extrauagante *Cum præexcelsa*, in qua istud festum promouit, clarissime dixit: *Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitu-*

tione statuimus. Hic modus loquendi designat manifestè, non vt politicum Gubernatorem id fecisse, sed vt Vicarium Christi. Magnaque illa confidentia auctoritatis Dei omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli, non respiciebat humanæ solum politiæ prudentiam, sed maiore certitudinem Apostolicæ Sedis diuinitus directæ per singularem Spiritus sancti protectionem.

Quo supposito, perinde consideranda est institutio festi Conceptionis, ac si in sacra Scriptura fuisset expressa, cum tanta sit auctoritas Ecclesie, vt par sit, & in aliquibus se habeant tanquam excedens, & excessum, de quo videri potest Serarius Prolegom. c. 7. vt dixerit sanctus Augustinus: *Euangelio nõ crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret auctoritas.* Et S. Gregor. lib. 1. epist. 24. *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia venerari me, ac suscipere fateor.* Vnum istorum Conciliorum erat Nicænum primum, in quo festiuitas Paschalis statuta fuit, & est confirmata à sancto Syluestro, ac perinde obseruata in Ecclesia, ac si in sacra Scriptura statuta inueniretur.

Simili acceptione veneranda festiuitas Conceptionis à Sixto IV. statuta, & à Concilio Tridentino innouata. Si autem inueniretur in Euangelio instituta, quis auderet dicere solum sub probabilitate mysterij sancti institutam? Nec modo etiam dici debet, probabiliter solum celebrari ab Ecclesia, quæ festiuitatem hanc dicit in Bullis Pontificum, in Breuiariis, in Martyrologiis, in Calendario, in Missalibus, & ipsum mysterium sanctum toto ore acclamat in Officio suo iubet non aliud prædicari publicè, nec dici priuatim.

§. XXII.

Alia circa idem ratiocinatio proponitur

Placet adhuc producere, quæ aduersus eundem modum opinandi circa sufficientiam probabilitatis Ægidius Lusitanus opponit lib. 3. de Præseruat. quæst. 6. artic. 10. vbi sic theologizat Ex eo quod Pius V. liberam cuique tribuit facultatem opinandi vnam, vel alteram huius controuersiæ partem, non benè inferitur, Ecclesiam Romanam celebrando festum Conceptionis, solum approbasse illius immunitatem, vt probabilem, non verò vt infallibiliter certam. Quod ex eo facile ostendi potest: quoniam negari non potest, Ecclesiam Romanam Conceptionis festum instituisse, & illius solennem celebrationem præcepisse, gratia diuini cultus, vt scilicet hæc piâ celebratione coleretur Deus, & laudaretur B. Virgo; id enim expresse significant verba Sixti IV. in Extrauag. 1. de reliq. & venerat. sanctor. inter communes, vbi ait: *Dignum, quin potius debitum reputamus, vt omnes Christi fideles omnipotenti Deo de ipsius immaculate Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant: & institutas propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina Officia dicant, & vt illis intersint, indulgentiis, & peccatorum remissionibus inuitare, vt exinde fiant Virginis meritis, & intercessione gratiæ aptiores.* Quæ verba expresse significant, institutum esse hoc Conceptionis festum, vt fideles de mira B. Virginis Conceptione gratias, & laudes Deo offerant. Porrò, si tale festum institutum est in diuinum cultum, quomodo potest non esse creatum, sed incertum B. Virginis conceptionem fuisse

fuisse immaculatam; Etenim Ecclesia instinctu Spiritus sancti ducta, nihil potest facere, aut fallum, aut incertum: etenim veritas Fidei consona ita certitudinem includit, ut omnino excludat falsitatem, & subinde probabilitatem, ut ex dictis iam patet.

Fallum est igitur aduersariorum fundamentum, dum asserunt, satis esse opinionem immunitatis Virginis esse piam, & probabilem, ut Conceptio illius possit ab Ecclesia publice celebrari: nam si Ecclesia Romana sanctitatem Conceptionis celebrat (ut verè celebrat) necessariò fatendum est, illius sanctitatem esse piam, non quacumque pietate, sed pietate ad Fidem pertinente, ortà ex auctoritate Ecclesiæ, quæ ex instinctu Spiritus sancti talem celebrationem ad cultum diuinum instituit: hæc autem ex se ita includit certitudinem, ut omninò excludat falsitatem, & subinde veritatem solum probabilem. Aduersarij verò ita decepti sunt, quia duplicem pietatem non distinguunt: vnam solum probabilem, alteram omnino certam, & infallibilem. Pietas prioris generis eius est naturæ, ut à se falsitatem non excludat: qualis est illa, quâ grauissimi Auctores putant, B. Virginem in via diuinam Essentiam vidisse, nunquam habuisse fomitem peccati, alia huius generis priuilegia, quæ Virgini fuisse concessa, piè creditur; pietate tamen, quæ solum includit probabilitatem, non verò certitudinem: ob quam rationem pietas illa non pertinet ad Fidem, quia non desumitur ex aliquo principio infallibili. Secus dicendum est in pietate generis posterioris, qualis est, quæ ex aliquo principio infallibili, ad Fidem aliquo modo pertinente, desumitur; sicut est auctoritas Ecclesiæ in illis, quæ ad cultum diuinum spectant. Cum enim Fidei sit maximè consonum, Ecclesiam in his errare non posse, utique talis pietas aliquo modo pertinet ad Fidem: huius generis est pietas, quâ credimus Beatâ Virginem sine originali peccato fuisse natam, & sanctificatam in utero, præsentatam in Templo; denique in corpore, & animâ in cælo fuisse assumptam. Hæc enim priuilegia, illi fuisse concessa, piè credimus, pietate ad fidem pertinente, ex eo præcisè, quia ab Ecclesiâ solenniter coluntur, & ductu Spiritus sancti celebrantur ad gratias, & laudes Deo reddendas. Dicimus igitur, dari quidem pietatè, quæ in se ipsâ est probabilis, cui falsitas non repugnat, negamus tamen ex celebratione alicuius festiuitatis solum inferri pietatem probabilem: nam pietas ex solenni festiuitate deducta, cum sit pietas pertinens ad diuinum cultum, est pietas deducta ex instinctu Spiritus sancti, Ecclesiam dirigentis ad talem cultum. Cum verò sit pietas ex principio veritatis infallibili desumpta, ex se est pietas aliquomodo pertinens ad Fidem, cuius nulla veritas est solum probabilis; sed omnis certa, & infallibilis. Implicat igitur, veritatem Conceptionis, sumptam ex celebritate, auctoritate Romanæ Ecclesiæ, instituta in Dei cultum, esse veritatem piam, pietate solum probabili; cum ex dictis constet, eam esse veritatem piam, pietate ad Fidem pertinente, cui repugnat, quòd sit solum probabilis.

§ XXIII.

Sola probabilitas, si sufficeret ad festiuitates, euerteret infallibilem gubernationem Ecclesiæ.

PLacet adhuc insistere in demonstrandis incommodis, quæ sequuntur ex opinione eorum, qui disparem rationem decernendi sub probabilitate, vel certitudine imaginati fuerunt, ita, ut attendenda sit in statutis Romanæ Sedis mens Pontificis statuentis, quæ arcana est, & tacita, nec palam nota fidelibus: vnde, cum magnâ confusione eam deberent diuinare, quod tantum damnum Ecclesiasticæ inferret gubernationi, ut tota subuerteretur, nihilquè stabile in columna, nihil firmum in firmamento veritatis consisteret: ipsa enim veritas Romanæ Sedis nutaret, quod per capita ostendam, præmittens, quod dicit sanctus Antoninus 3. part. tit. 12. c. 8. §. 2. *Quadam sunt, quæ faciunt Papa, pertinentia ad statum vniuersalem totius Ecclesiæ, vel quantum ad Fidem, ut sunt determinationes, & declarationes, quæ spectant ad Fidem, & articulos, & Ecclesiæ Sacramenta, & omnia alia, contenta in sacra Scriptura, siue quantum ad bonos mores, ut sunt statuta, Decreta, & Decretales; & in talibus dicendum est, quòd licet absolute pensatis solis personis Papa, & Cardinalium, Papa cum ipsis possit errare; supposita tamen diuina prouidentia, & Spiritus sancti assistentia, loqui per Ecclesiam, credendum est, Papam non posse errare, quia Christus orauit pro Ecclesia, Luca 22. Ego pro te orauit, ut non deficiat fides tua; & dicere, quòd in huiusmodi Papa erraret, esset hereticum.* Venio ad rem.

In primis corrui ex prædicta disparti decernendi ratione, satisfactio necessaria fidelibus, de veracitate Ecclesiæ Christi, de quo iam diximus; sed nihilominus non pudet, nec piget inculcare, cum occasio id exigat: nam si dependerent à Pontificis intentione veritates morum, leges, & doctrina eorum, non solum dubitarent plures de iis, in quo sensu prolatae fuerint; sed etiam de veritatibus fidei. Quamuis enim circa res morum aliquis dicere posset etiam erraret caput præcipiendo, vel prohibendo, quod non deberet, adhuc non errarent membra exequendo præcepta sui Capitis; quia in tali casu fideles excusarentur ab errore, quinimo obediendo suo Capiti, digni essent merito apud Deum, non minus quam si vera præcepta exequerentur. Non tamen tollitur inconueniens procedendi via falsa, vel erroneo tramite, per quem deducitur grex Christi à suo Pastore, præterquam quod inde sequatur posse idem dici de rebus ad Fidem spectantibus: nam etiam si Pontifex proponeret fide diuina credendum, quod non esset verum, & à Deo reuelatum, adhuc non errarent, saltem præcisè membra, credendo illud Fide diuina putata: cum tamen nullus Catholicus hoc admittat in rebus ad Fidem spectantibus. Quoniã cum Pontifex sit à Christo in Ecclesia constitutus; ut in dirigendis hominibus ad salutem æternam, vices suas peragat, ad Christi prouidentiam pertinet, cõferre Pontifici, ut suo Vicario, omnem potestatem quæ necessaria esset ad tale munus obeundum. Sed nõ solum necessaria est infallibilis auctoritas in definiendis rebus Fidei; sed etiam infallibilis potestas in ferendis legibus ad salutem necessariis,

atque vt dixi, vtramque illi tradit : videri possunt, quæ his supra addidimus.

Aduertendum quoque maximè, quòd si solum attendatur ad putatiuas virtutes eius, qui in conscientia sua apprehendit, aut iudicat rectè procedere, eandem fore rationem venerando Conceptionem Virginis vt sanctam, quamuis fallum esset, ac credendo vt de Fide Spiritum sanctum non procedere à Filio; quod falsissimum est : quare, idem apparet dicendum, quòd existimationem de peruersione fidei in rebus speculatiuis, ac de doctrinâ morum in practicis. Vtrobiquè error non nocet priuato homini, sana conscientia se gerenti, & vtrouique dedecet publicum Ecclesiæ Caput illum proponere, imò posse proponere, & exponere gregem Christi periculo errandi, siue credendo, siue operando : quare, si consequenter fiat ratiocinatio vtrouique, aut probabilitas in decernendo malè admittenda est, aut vtrouique rectè explodenda; longè enim veracitas Christiana debet esse ab errore. Ideò dixit quidam : *Mauult penitus non coli Deus, qui summa est veritas, quam mendacibus coli cultibus, aut incertis.* Maximum alioqui inconueniens sequeretur, cum ex dispare modo decernendi ardor fidei in martyribus tepesceret, dubitantibus an probabilia fuerint solum, non penitus certa ea, pro quibus mortem subibant : maximè ij, qui non pro articulis Symboli; sed pro aliis veritatibus, extra illos, passuri erant, vt sanctus Thomas Cantuariensis, qui pro immunitate Ecclesiastica obiit.

§. XXIV.

De eodem argumento, & qualiter, quod priuatim potest adorari, non est propter à publicè præcipiendum, & quomodo adoratione sit vtendum.

Quòd autem eadem excusatio fidelium, in colenda Conceptione immaculatâ, quantumuis error esset, sed à Pontifice probabiliter instituta eius festiuitas, posset inueniri in canonizatione sanctorum, & fidei declarationibus, licet Pontifex in his errasset, satis comprobatur ex eo, quod dicit Glossa in cap. 1. de reliquijs, & veneratione sanctorum in sexto, verbo *Sedis Apostolicæ*; nam quod dicit de canonizatione, posset etiam dici de aliis sacris Pontificum functionibus, & declarationibus; verba glossæ sunt : *Et si Ecclesia in canonizatione sanctorum errasset, nihilominus preces in honorem talis acceptæ, & gratae sunt : per fidem enim Christi omnia purgantur, cap. vestra, de cohabitatione Clericorum, & mulierum. Et est quòd veritas canonizationis deficiat nõ deficit fides, in cap. debitum, de Baptismo, & cap. 2. & 3. de Presbytero non baptizato.* Sic ibi. Quemadmodum etiam, cum quis adorat bona fide hostiam, quæ consecrata non est, nequaquam amittit meritum, quamuis error ibidem sit. Verum animaduertendum est, non posse hinc philosophari, quòd possit etiam Papa præcipere colere Conceptionem, etsi error in illâ esset : nam aliud est priuata deuotio hominis particularis, qui falli potest; aliud est publica institutio, & præceptum vniuersalis Ecclesiæ Patris, & Vicarij Christi, qui falli nequit ex prouidentia ipsius Christi, & assistentia Spiritus sancti in rebus, quæ proponit toti Ecclesiæ, spectantibus ad eius optimum regimen.

Quòd si dicat aliquis : sicut est præceptum adorandi hostiam consecratam, licet in eâ adoratione possit subesse error; cur non etiam poterit esse præceptum celebrandi immaculatam Conceptionem, quamuis in eius cultu possit inesse error? Ad hoc respondeo : Quòd idem argumentum potest fieri de canonizatione sanctorum, & tamen non id patiuntur Doctores, qui omnem exterminant errorem Pontificis in sanctis canonizandis. Deinde respondetur : aliud esse præceptum rei specificæ, non autem in indiuiduo determinatæ; aliud præceptum rei determinatæ circa particulare iudicium : Ecclesia autem non præcipit singularem aliquam, & determinatam in indiuiduo adorare hostiam, quia hæc particularis sit consecrata; sed generaliter : quia plures sunt, quæ possunt consecrari sub generali ratione iubet adorare generaliter hostiâ consecratâ, quippe hostia, si est consecrata, infallibiliter est digna adoratione. Verum cum præcipit colere Cõceptionem Matris Dei personalem, quæ vnica est, & indiuidualiter determinata, præcipit quidem in particulari rem determinatam, singularem, & indiuiduam.

Neque enim sût plures Cõceptiones Matris Dei, sicut sunt plures hostiæ consecratæ; velut etiam non sunt plures Caroli Borromæi canonizati. Vnde consideratio illa hostiæ consecratæ adorandæ, & præceptæ eius adorationis generaliter, non potest habere locum nec in canonizatione alicuius sancti, nec in institutione festi Conceptionis : cum respiciant non speciem in communi; sed determinatum indiuiduum, ac proinde in cultu horum non potest esse error, etiam ex accidenti, cum indiuidualiter cultum eorum præcipit, qui est infallibile Ecclesiæ Caput. Vnde nec ex parte præcipientis potest esse in cultu Conceptionis error, neque ex parte obedientis, cum vterque respiciat idem ipsum indiuiduum. Itaque, ratio canonizationis alicuius sancti, & institutio festi Conceptionis, eadem omnino est; sed diuersa valde in vtraque ab adoratione hostiæ consecratæ : quoniam Ecclesia in specie loquitur, dum iubet illam adorari, nullam autem designat in particulari consecratam esse. Veruntamen, si assignaret determinatè, & indiuidualiter hanc esse consecratam, & iuberet adorari, certissimò id habendum esset, nullusquè timendus in hoc Pontificis error. Quod explicatur hoc exemplo : De Fide est : *Omnis qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*, nihilominus potest esse error in hoc vel illo religioso viro, qui propter eximias virtutes, quas in vitâ exercuit vsque ad mortem, reputetur saluum fuisse, ita, vt de singulis, qui hoc modo moriuntur, non possit infallibiliter asseri saluum esse, quantumuis pietas Christiana, priuata, & secreta deuotione poterit se illi commendare, vt sancto ciui cœlestis patriæ. At verò cum Ecclesia in canonizatione, hunc particularem esse saluum, & sanctum, iam est infallibiliter hoc credendum. Similiter de Fide est, quod qui susceperit Baptismum, pertineat ad gregem Christi; verum de nemine potest dici, suscepisse verum Baptismum infallibiliter : quia nescimus, si aliquis in illo suscipiendo, acciderit essentialis defectus, qualis est intentio in baptizante, vel in baptizato. Veruntamen, si aliquem hominem creatum summum Pontificem, ostenderet Deus verè esse sancti Petri successorè, & legitimum Papam, siue per diuturnam, pacificam, & acceptam possessionem sui Pontificatus, vel aliter reuelaret, statim credendum erat infallibiliter

libiliter esse verè beptizatum; alioqui non esset vere Pontifex. Quòd si hic talis agnoscens se esse de Fide verū Pontificem, conscius suæ rectæ intentionis consecraret hostiam, & illam in individuo iuberet adorari, nullus in hac iussione posset interuenire error; tenerenturque fideles eam adorare, vel indiuidualiter consecratam, & sanctā: sic etiam quia Pontifex iussit colere determinatam Conceptionem Deiparæ, debet coli, & haberi certò sanctam. De hostia verò consecrata cur adoretur absolutè, non obstante formidine, quæ esse potest de eius consecratione valida, ratio esse potest: quia nemo sine sufficienti fundamento priuandus est cultu sibi debito: id enim in maius ipsius detrimentum cederet, si nunquam aliquis honorandus esset, nisi ab iis, qui nec formidare possunt, an honor debeat. Hinc etenim fieret, vt non nisi rarissimè honorarentur, atque adeò maiore ex parte honore sibi debito fraudarentur: sufficit ergo ad debitum colendi Christum in Eucharistia, iudicium illud prudens excludens omnem prudentem dubitationem, licet non omnem formidinem, si enim id non sufficeret, numquam Christus in Eucharistia coleretur. Sicut ergo pater tenetur prouidere suis filijs, eosque diligit, & bonum illis procurat, licet prudenter formidare possit, ne fortè sint sui, sed alieni, quod frequentius contingit, quam deceptio in consecratione hostiæ: & idem est in alijs præceptis. Sic est obligatio Christum in Eucharistia colendi, nec regulariter est necesse apponere explicitam conditionem considerationis in tali adoratione, vt docet nos Ecclesiæ vsus, in qua Sacerdos absolutè loquitur cum Christo ibi presente; non enim dicit: *Domine, si tu es, libera me*; sed absolutè dicit: *Domine, libera me per hoc sacrosanctum corpus, & sanguinem tuum*. Et rursus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi*. Ratio autem est, quia hic, & nunc non est probabile, hanc hostiam non esse ritè consecratam, & per consequens non timeo probabiliter periculum idololatriæ: ergo non est, cur prouideam apponendo conditionem contra tale periculum. Aliud enim est, probabile esse, quòd sit possibile ibi non esse Christum; aliud probabile esse, quòd de facto non sit. Fateor, possibile esse, quòd hic non sit Christus, & quòd in genere loquendo, aliqua hostia non sit consecrata; quòd tamen de facto hæc non sit consecrata, non est probabile, cum ad hoc in particulari nullum sit probabile fundamentum. Sicut licet in genere loquendo, probabile, & fortè certum sit, aliquem in Baptismo non habere intentionem; non tamen est probabile, me baptizatum sine intentione, alioquin possem, & deberem iterum baptizari sub conditione, si non essem moraliter certus de valore mei Baptismi, ad quem nullam habeo rationem probabilem dubitandi, non enim arguitur probabiliter à sola possibilitate rei ad eius existentiam.

§. XXV.

Ostenditur per capita confusio sequendo duplicem illum decernendi modum.

Speciatim nunc dicamus de confusione, quæ accidisset in materia morum: nam cum exco-gitata fuerit dispar illa ratio decernendi in Pontificibus, ob apparentes aliquas difficultates non-

nullis, qui existimarunt, quòd non posset consistere institutio festi Conceptionis alijs festiuitatibus communis, & simul libertas opinandi. Ideò introduxerunt modum illum probabilitatis instatendis festis. Ex quo sequitur, quòd in alijs statutis Pontificum, circa doctrinam morum, & præcepta Pontificia idem dici posset, vbicumque aliqua dubitatio, aut difficultas appareret, ac proindè potuisse Pontificem errare in his, & solum probabiliter processisse. Ex quo etiam sequitur maximum inconueniens, quòd dici posset Pontifices errasse in præcepto communionis sub vna specie, & cœlibatus Clericorum, & immunitatis Ecclesiasticæ, & consecrationis in azymis apud Latinos, & fermentato apud Græcos. Et in alijs huiusmodi, in quibus occurrerunt aliqua dubia, & magnæ quandoquè difficultates, vt omittam hæreticorum obiectiones.

Venio ad canonizationem sanctorum. Sicut enim, iuxta prædictam opinionem, potest Pontifex præcipere cultum alicuius mysterij, sub probabilitate dumtaxat, poterit etiam præcipere cultum alicuius hominis sancti sub eadem probabilitate, & huiusmodi canonizare. Quot inde sequerentur inconuenientia, vt aliqui putarent eos, in quorū vitis aliqua ardua apparent, aut minore approbatione fuerunt accepti vt sancti, probabiliter tantum eos proposuisse tales summum Pontificem. Quid possent dicere de sanctitate sancti Pauli primi Eremitæ, qui ignotus orbi, sanctus colitur ob testimonium vnicum solius sancti Antonij Abbatis, qui sicut homo, potuisset falli, quauis propter suam sanctitatem non falleret: quinimò de ipsa sancti Antonij sanctitate possent dubitare, an sub probabilitate tantum adscriptus fuerit in catalogo sanctorum? Quid possent etiam dicere de sancta Pelagia virgine, quæ se vltro in profundum flumen dedit præcipitem, vt periculum euaderet suæ pudicitie. Et de sancta Apollonia, quæ vltro se in ignem iniecit comburendam: cum de similibus actionibus controuersum sit, nec nisi diuini spiritus instinctu excusari possunt? Hic autem nobis notus non est, atque idcirco probabiliter, non certò inter sanctos dicere possent numerari. Presbyteri etiam Alexandrini in controuersiam venirent, num quia solum peste defuncti, probabiliter tantum haberentur sancti. Idem asserere quiuissent de alijs sanctis, quos Sixtus V. Gregorius XIII. & alij Pontifices iusserunt in Martyrologio Romano censeri.

Multò maior confusio esset circa beatificatos: nam cum beatificatio, iuxta Auctores supra citatos, non sit aliud, quam licentia, vel concessio colendi aliquem hominem pium, & seruum Dei in particulari aliqua Prouincia, aut Ordine. Approbatio autem festi Conceptionis à Sixto IV. fuerit concessio colendi hoc mysterium in vniuersa Ecclesia; deinde à posterioribus Pontificibus additum sit præceptum, in quo habet aliquid peculiare, quo carent beatificationes. Cum igitur in celebratione festi Conceptionis dicunt prædicti Auctores, solum probabiliter processisse Pontificem, ac proindè non esset sine periculo errandi: non est cur non possint etiam dicere, beatos pronuntiatos probabiliter solum esse in cœlo, & non sine periculo erroris esse eorum cultum, quia poterunt damnati esse qui putantur beati.

Multi pariter allucinarètur circa religiosas Familias, hæsitassentque, an modus viuendi aliquarum

fuerit solum probabiliter approbatus; re autem vera non esset securus, hoc est, securæ, & veræ virtutis, & via perfectionis legitima, abstinereque à Religionum ingressu, possentque dicere, probabiliter dumtaxat fuisse approbatam Religionem Dominicanam, & Franciscanam, contra quarum institutum, mendicitatem, & paupertatem aliqui olim scripsere, & in religiosam defensionem insurrexere sanctus Thomas, & sanctus Bonaventura. Affirmare quoque possent, probabilem dumtaxat esse Religionem Clericorum Regularium, propter paupertatem, cum obligatione non petendi. Item, statum scholarium, & laicorum Societatis Iesu, eorumque vota simplicia non facere illos Religiosos, nisi sub probabilitate. Similiter, probabiliter solum confirmasse Cælestinum V. Ordinem Fratrum, & Honorium II. Ordinem Templariorum, & Innocentium III. Ordinem Humiliatorum.

Eadem instabilitas, & confusio facilius caderet in contractibus, eorumque legibus à Sede Apostolica approbatis, cum iustitia, cuius materia sunt contractus, minor sit virtus, quam religio, cuius materia est celebritas festorum. Quapropter, dici etiam posset, probabiliter dumtaxat, à Pontificibus approbatum fuisse Montem Pietatis. Tum etiam matrimonium, probabiliter tantum fecisse irritum, quando deficiunt Parochus, & testes: ex qua probabilitate sequerentur maxima inconuenientia. Idem etiam dici posset de impedimentis irritantibus, & prohibitione contrahendi hæreticum cum Catholica, & aliis multis dispositionibus Pontificiis circa contractus.

§. XXVI.

Licet non foret certa tenenda sanctitas Conceptionis ob institutum festum, non esset de illa dubitandum ex aliis capitibus, in quibus Pontifex nequit errare.

NE verò quidquam maneat intentatum, licet ex institutione festi probabiliter præcepta, non sequeretur Conceptionem Virginis esse sanctam, atque ab Adamicâ labe purissimam; sequeretur tamen eius sanctitatis certitudo ex aliis capitibus, in quibus Theologi affirmant, Pontificem errare non posse, nimirum, in doctrina morum, cuius ratione præcisâ ab institutione festi, habebit securitatem erroris: nam à Sixto IV. constituta est veneratio Conceptionis, in virtute gratitudinis erga Deum, & à Iulio II. in virtute etiam obseruantia, & ab omnibus Pontificibus in materia virtutis religionis. Vnde, ius habet immaculata Virginis Conceptio, vt certa habeatur, extraque errorem æstimetur; ob istud caput doctrinæ moralis, quamuis aliundè ex celebritate non obtineret.

Præterea, eandem certitudinem haberet, ratione canonizationis sanctorum: nam si in hac Pontifex nequit errare, cum miraculum Conceptionis contineatur in Bulla sancti Didaci Confessoris, & fuerit, Sixto V. magnum motuum, vt per illud canonizaret eundem sanctum Didacum; sequitur etiam ad veritatem canonizationis pertinere, veramque dicendam esse Conceptionem quia verè canonizatus fuit sanctus Didacus. De hoc miraculo magnam rationem habuerunt viri doctissimi, placetque referre, quod agens de mi-

raculis Conceptionis D. Antoninus Calderon, designatus Archiepiscopus Granatenfis, cap. 5. suæ apologiæ, §. 30. ait: *Vnum præ aliis eligimus, de cuius veritate, nisi impiè, non dubitabis; fuit enim vnum è fundamentis, quibus mota est Sedes Apostolica, ad canonizationem sancti Didaci de Alcalà, vt asserit doctissimus Franciscus Penna, sacra Rota Auditor, & eiusdem canonizationis Aduocatus, lib. 2. de vita sancti Didaci, cap. 73. Cum enim nobis femina Complutensis, horribili, & deformi paralyfi laboraret, ad corpus sancti & coram Imagine immaculate Conceptionis precatâ, integram sanitatem obtinuit. Vide quod agas, si hoc miraculum ritè, & legitime comprobatur, & inter motiua canonizationis recensitum, somnium appelles, propè enim erit, vt ipsam etiam canonizationem somniam dicas.* Hæc ille.

Præterea, sanctus Thomas rationem affert, quare Pontifex non erret in canonizationibus, quodlib. 9. quæst. 7. artic. 16. vbi ait: *Quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quadam professio Fidei est, quâ sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.* Eadem ratio præualet in cultu immaculatae Conceptionis, qui etiam est quædam professio Fidei, qua maternitatis diuinæ sanctitatem, & excellentiam credimus, & in cultu honorem illi exhibemus: qui honor, iuxta sanctum Thomam, quædam est professio Fidei. Omitto ex testimoniis, & factis multorum Sanctorum, qui canonizati sunt, firmari eandem veritatem: exempla enim Sanctorum, doctrina fidelium est. Constat autem, sanctum Ignatium de Loyola, sanctum Franciscum Xauerium, votum præstitisse tuendi Conceptum Deiparæ sanctum, & immaculatum in Vniuersitate Parisiensi; in quâ sacrae Theologiæ gradibus decorati fuerunt: quod confirmat quinta Lectio Officij sancti Ignatij in Breuiario Romano. Sanctus Carolus Borromæus significauit suam deuotionem erga immaculatam Conceptionem, in eius diplomate, quod pro eadem Conceptione promulgauit.

Similiter, ex approbatione Religionum, in quarum obseruantia, regulis, & consiliis approbandis nequit errare Pontifex, eadem non dubitanda veritas Virgineæ Conceptionis comprobatur, quamuis ex instituto festo, solum probabilitatem haberet: etenim in approbatione Religionis Monialium Conceptionis, inter alia approbatur consilium, & obseruantia colendi immaculatam Conceptionem, adeo, vt in ipsa professione Monialium exprimitur. Et constat ex Bulla Iulij II. igitur in eius cultu error esse non potest, & per consequens nec in ipsa.

Ratione etiam contractuum, approbatorum à summo Pontifice, poterit etiam quisquam confirmare certam sanctitatem in Conceptione Virginea, cum nulla Religiosa Famalia sit circa quam, in aliquibus contractibus, non dispoferit aliquid Pontifex: nam præter illum contractum tacitum, qui potest considerari inter Religiosos, & Religionem, quatenus vtrinque intercedit aliqua obligatio, qua Prælati religioso tenentur prospicere, & prouidere in multis, & ipse Religiosus in multis etiam obstringitur Religioni, & eius Prælati. Sunt aliæ dispositiones Pontificiæ, circa donationes, venditiones, promissiones, & matrimonium, quod irritum faciunt, aut ratum per ingressum Religionis dissolutum. Cum igitur hæc præstiterit Pontifex in Religione Monialium

lium Conceptionis, idque præstiterit in honorem eiusdem Conceptionis, sicut non potuit errare in iustitia legum, versantium circa hos contractus: sic etiam dicendum videtur, neque errare in honore, & veritate immaculatæ Conceptionis.

Ex infallibilitate etiam Pontificum, in ferendis centuriis propositionum, colligitur pariter certissima sanctitas immaculatæ Conceptionis: quippe Sixtus IV. in Extrauagante *Graue nimis*, pronuntiavit erroneam propositionem, quæ diceret hæresim sententiam negatiuam; unde sic argumentari posset aliquis: de Fide est, ex definitione Sixti, erroneam esse propositionem asserentem, opinionem piam esse hæreticam; ergo certum est, secundum Fidem, post Sixti definitionem, contradictoriam talis propositionis, conclusionem esse Theologicam, euidenter deductam ex aliqua propositione, in se immediatè reuelata, siue de Fide: cum idem sit apud omnes Theologos, esse propositionem erroneam, & esse conclusionem Theologicam, modo dicto, contradictoriam eius: unde, rursus inferitur: ergo post Sixti definitionem, certum; secundum Fidem est, hanc esse conclusionem Theologicam, *opinio pia non est hæretica*, illatam scilicet ex aliqua propositione de Fide euidenter, sed nulla est propositio eam inferens euidenter, quæ non faueat certitudini sententiæ piæ: certa ergo illa erit. Quod satis declaratur ex eo, quod Sixtus rationem condemnandi propositionem illam, erroneam reddidisset: quia celebrat Ecclesia festum eiusdem Conceptionis; quoniam peruersus quidem error est, dicere hæreticam id ipsum quod Ecclesia colit, & constituit obiectum festiuitatis à se instituta: at si aliud obiectum esset huius festi, & non immaculata Conceptio, nihil ad rem attineret; nec posset Pontifex, ex celebratione festi, inferre illam consequentiam, vt condemnaret errorem prædictum assertum, quo affirmatur hæresis dici, sine peccato fuisse Cōceptionem Virgineam. De quo etiam videri potest nostra *Theoria*, §. 4. & cap. 7. exceptionum Concilij, & epist. 3. dissertationum.

Ex beatificatione, pariter seruorum Dei potest colligi non dubitanda sanctitas Marianæ Conceptionis, non tantum à comparatione, & à similitudine, de quo alibi; sed etiam in quasi coadunatione fundamenti, & collatione Pontificalium dispositionum: quamuis enim Cōceptio nequeat dici, nec sit, beatificata saltem, quia hic modus loquendi refertur ad personas, quæ dicuntur Beatæ, & tales habentur propter indultum aliquem cultum, omiſſa tamen nominis ratione, ex certâ sanctitate eorum, qui beatificantur à summis Pontificibus, luculenter etiam enitet sanctum certò esse Conceptum Virginis passuum, cum in ordine ad ipsum, siue ad ipsius cultum, id sit à Sede Romana præstitum, quod in beatificatione seruorum Dei potuisset exterminare errorem: quare, in beatificatione si non accidit error, non est dicendum accidere posse in cultu immaculatæ Conceptionis; de quolibet iam egimus, nunc haud graue diuersimodè rememorare, & alterata considerare optice; beatificatio enim, vt diximus, est solum licentia, & indultum Pontificis, non iudicium, & sententia eius. Vnde Vrbanus VIII. in Bulla canonizationis sancti Ignatii Patris nostri, alludens ad beatificationem eius à Paulo V. ait: *Idem Paulus prædecessor ex sententia eorundem Cardinalium, quod dictus Ignatius beatus nuncupari, & de eo Missa, & Of-*

ficium de communi Confessoris, non Pontificis celebrari posset, benignè concessit, & indulſit. In quibus verbis ex parte Pontificis solum denotat indultum, licentiam, & concessionem, minimè autem sententiam, quam solum refert ad Cardinales. Deinde, loquens de canonizatione eiusdem factâ à Gregorio XV. supponit iudicium, sententiam, & definitionem huius Pontificis, dicens: *Post implo- ratam Spiritus sancti gratiam, ad honorem sanctissima, & indiuiduæ Trinitatis, & Fidei Catholica exaltationem, & Christiane Religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris & Filij, & Spiritus sancti, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum decreuit, & definiuit, dictum Ignatium Loyolam, prædictæ Societatis Fundatorem, sanctum, & sanctorum catalogo adscribendum, & aggregandum esse, prout adscripsit, & aggregauit.* Notanda sunt illa verba, *decreuit, definiuit*: Quam definitionem statim confirmauit, & innouauit ipse Vrbanus VIII. inquit: *Apostolica auctoritate decernimus, quod decretum definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impeditio, aliaque præmissa à dicta die quarta Idus Martij, suum debitum sortiatur effectum, ac se super illis ipsius Gregorij prædecessoris literæ, sub datum eiusdem diei confecta fuissent, prout superius enarratur: quodque præsentis nostræ literæ ad probandum plenè decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, impeditio, & alia præmissa ubique sufficiant: nec ad id approbationis alterius adminiculum requiratur.* Cum igitur tantum sit discrimen inter canonizationem, & beatificationem, vt illa sit sententia definitiua summi Pontificis, siue definitio Sedis Apostolicæ, hæc autem sit solum licentia ex consilio Cardinalium, & tamen satis sit, vt in eâ error Pontificus nequeat inueniri; cur idem poterit negare cultui immaculatæ Conceptionis, quam similiter coli permittit, & consulit, imò & vindicat ex proprio Motu Sixtus IV.

Vt autem hæc magis inclarescant, conferam verba, quibus vtuntur Pontifices in beatificationum Bullis, cum verbis Bullæ Sixti IV. in Extrauagante *Cum præexcelsa*, in quâ cultum, & festum Conceptionis statuit in Bulla beatificationis serui Dei beati Francisci Borgia, sic loquitur Vrbanus VIII. *De eorundem Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, vt idem Dei seruus Franciscus Borgia beatus nuncupari, deque eo ab omnibus dictæ Societatis Iesu Religiosis, ubique existentibus, necnon in ditionibus Familie illorum de Borgia, ab omnibus Sacerdotibus, tam secularibus, quam regularibus Kalendis Octobris; ipso nempe die sui obitus, Missa celebrari, ac Officium de communi Confessorum, non Pontificum recitari, iuxta rubricas Missalis, & Breuiarij Romani respectiue, liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.* Simili modo loquitur in Bullis Beatificationis seruorum Dei Andreæ Auellini, Caietani Thianei, Felicis de Câtalicio, Iacobi de Marchia, Paschalis Bailon, Ioânis de Deo; atque in aliquibus expressum est nomen *licentia*. Sic in Bulla beati Felicis de Cantalicio, dicitur: *Licentiâ, & facultatè concedimus, & impartimur.* Atque in indulto Officij de sancto Conrado, similiter dicitur: *Tenore præsentium licentiam, & facultatem perpetuo concedimus, & indulgemus.* Et quod plus fortasse videtur in extensione indulti recitandi Officium, & Missam celebrandi de Beata Margarita de Corto-

na, Monialium Tertij Ordinis sancti Francisci, pro omnibus tã viris, quã mulieribus dicti Ordinis, vbiq̃ue existentibus, nullis aliis verbis vtitur, quã *liberè, & licitè possint, & valeant*: quantumuis eadem beata Margarita fuerit olim beatificata à Leone X. ex præclaris attestationibus à piæ memoriæ Bonifacio VIII. & Eugenio IV. Romanis Pontificibus, de eadẽ beata Margarita. Eodẽ modo loquitur Paulus V. in beatificatione sancti Frãcisçi Xauerij, & beati Thomæ à Villanoua. Et Gregorius XV. in extensione, atque in indulto Officij, & Missæ de beato Aloyfio Gonçaga Societatis Iesu: & in beatificatione beati Petri de Alcantara. Similiter loquitur Clemens VIII. in beatificatione Ioannis de Sanctofecundo.

Videamus nunc quomodò loquitur Sixtus IV. de festiua Virginis Conceptione, in Extrauagante *Cum præexcelsa*, verba eius hæc sunt: *Dignum, quin potius debitum reputamus, vniuersos Christi fideles, vt omnipotenti Deo, &c. de immaculata Virginis mirã Cõceptione gratias, & laudes referat & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina Officia dicant, & illis intersint, indulgentiis, & peccatorum remissionibus inuitare, vt exindẽ fiant eiusdẽ Virginis meritis, & intercessione diuina gratia aptiores. Hac igitur consideratione indukti, eiusdem omnipotentis Dei, ab beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica hæc in perpetuum valiturã constitutione, statuimus, & ordinamus quòd omnes, & singuli Christi fideles, vtriusque sexus, qui Missam, & Officiũ Conceptionis eiusdem Virginis gloriosa, iuxta, piã, deuotã, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magistri Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronensis, Notarij Nostri, & que desuper à nobis emanauit, Missa, & Officij huiusmodi institutionem, in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuotè celebrauerint, & dixerint, aut illis Horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem exindẽ consequantur, quam iuxta felicis recordationis Vrbanus IV. in Concilio Viennensi approbatas, & Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, & Officiũ, & Horas canonicas in festo Corporis Christi, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi à primis Vesperis, & per illius octauas iuxta Romanæ Ecclesiæ institutionem celebrant, aut dicunt, aut Missæ, Officio, & Horis huiusmodi intersunt. Conferamus hæc verba cum indultis beatificationis: quippe in his solum exprimitur licentia, facultas, & concessio, absque alia exhortatione, aut commendatione Pontificis. In Bulla autem Sixti, non solum est licentia, quæ potius supponitur; sed dicitur dignum, quæ potius debitum colere Conceptionem Virgineam, vbi insinuat quoddam quasi obligationis genus. Præterea dicitur, *statuimus, & ordinamus*. Deindẽ, coæquauit gratiis, & indulgentiis hanc festiuitatem cum maximã solennitate Corporis Christi. Ipseque Sixtus IV. solum concessit Conceptioni tot quot plures Pontifices, nimirum, Vrbanus IV. Martinus V. & alij concesserunt celebritati Corporis Christi: itaque, non solum facultatem concessit Sixtus; sed ardentissime exhortatus est, & sollicitauit cultum Marianæ Conceptionis, vt similior videatur eius Bulla canonizationi sanctorum, quàm beatificationi. Quod etiam confirmatur ex eo, quòd vsus fuerit iis ver-*

bis: *Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica, hæc in perpetuum valiturã constitutione, statuimus & ordinamus*. Illa enim verba: *Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi*, non extant in Bullis beatificationis, sed solum in Bullis canonizationis, & ipsissimis quidem vsus est idem Sixtus IV. in canonizatione sancti Bonauenturæ.

Multa alia hic considerari possent; sed sufficiant dicta, vt intelligamus, quòd si sola Pontificis concessio in re tã graui, qualis est cultus sacer, qui in beatificationibus permittitur, sufficit, vt iudicent Theologi, non posse cadere errorem in hac permissione, & licentia: cur non simile dici posset de cultu Conceptionis, in quo inclusa est licentia, & concessio Pontificia, & præterea exhortatio, & prouocatio ad colendum illam tanquam debitum? Itaque iam extat Pontificis iudicium aliquod, & non solum licentia: & illud iudicium proprium aded, vt nec dixerit sicut in beatificationibus, *ex consilio Cardinalium*; imò, non solum iudicium, sed voluntas positiua; iudicium est de eo, quòd dignum, quin potius debitum sit, laudabile, & pium colere Conceptionem Virgineam, Voluntas autem apparet in eo, quòd fecerit ordinare Officiũ, & Missam, quibus Conceptio Virginis celebraretur, & simul quòd prouocauerit fideles ad eius cultum, pluribus indultis, gratiis adæquantibus solennitati Corporis Christi. In quo etiam apparet, assimilari hanc Sixti Bullam canonizationi, quam fecit Leo III. de quo canonizante sanctum Suuibertum, sic loquitur in Epistola sua sanctus Ludgerus: *Statuit insuper sanctissimus Papa Leo illum diem canonizationis, & exaltationis sancti Suuiberti, Egregij Episcopi, perpetuis temporibus per totum oppidum, à cunctis incolis vnerda celebrandum, ob honorem sancti Suuiberti, Apostolici Episcopi. Obtulit autem idẽ sanctus Papa eidẽ Ecclesiæ speciales indulgentias cunctis fidelibus celebrantibus festũ sancti Suuiberti Episcopi, & ad diuina cõsuetibus*. Vbi autem magis similis videbitur Bulla Sixti IV. de institutione festi Conceptionis, canonizationi est, si conferatur cum literis Paschalis II. in canonizatione sancti Petri Anagnini Episcopi, in quã nihil amplius videtur contineri, quam comprehendit Sixtus IV. in sua Extrauagante, in qua laudat Virginem, & institutionem suæ festiue Conceptionis, & cultus ordinat, & commendat. Similiter Ioannes Pontifex in canonizando hoc sancto Petro nihil aliud agit, quàm laudare illum, & institutionem sui festi, & cultus stabilire.

Habet etiam pro se cultus immaculata Conceptionis aliquas, siue eas vocemus excellentias, siue prærogatiuas, quibus caret beatificatio; nam præter id, quòd dixi, indulgentias non concedi pro Beatis, multas tamen concessas pro cultu Conceptionis in Martyrologio conscripta est eius solennitas, & in Breuiario Romano, ex quo insuper additum est præceptum illam celebrandi, atque in ipso Officio vocat illam Ecclesiã sanctam Conceptionem; beatificatus autem non appellatur sanctus ex licentiã Pontificis declarata, quantum minus ex præcepto, nec in Martyrologio communiter scribitur, nec in Breuiario recitatur. Cùm igitur Conceptio Virginea celebranda, habeat simile fundamentum re ipsa, non loquor de nomine, quòd habet beatificatio, vt sine errore sit,

& insuper habeat tot additamenta magnæ exaltationis, iniuria videtur ipsi fieri, si certitudo suæ sanctitatis possit periclitari.

Post hæc omni animaduersione est dignum, vim huius constitutionis, *Cum præexcelsa*, circa celebrationem festi Conceptionis, & ordinationem specialis, & proprii Officij rursus confirmasse, & luculenter demonstrasse ipsum Sixtum in Extrauagante, *Græue nimis*, sequente, quam edidit ex proprio Motu, & certa scientia: nam cum aliqui tam longè abessent ab intelligendo certam esse sanctitatem Conceptionis, vt dicerent esse hæresim, & peccatū mortale eius festum celebrare, & Officium recitare, quia putabant falsam esse sanctitatem Conceptionis, hoc est, reuerà nullam, & potius peccaminosam, Pontifex ex contrario eos condemnauit, propositionemque illam pronuntiauit erroneam: quoniam iudicauit certam, & talem habendam esse sanctitatem Conceptionis ex instituto festo, & ordinato Officio, iuxta Extrauagantem *Cum præexcelsa*, cuius vim Motu proprio confirmat, & ex certa scientia, aded, vt similiter tenenda sit Extrauagans, *Cum præexcelsa*, velut Motus proprius Sixti IV. in quo etiam aduerto, valdè fauorabile esse opinioni negatiuæ, quod Pontifex Motu proprio illi prouiderit, cum sit magnæ prerogatiuæ Motuum priorum; de quibus videri potest Barbosa tract. de *clausul. vsufrequent. clausul. 79.* nam hæc verba, *ex Motu proprio*, hanc habent vim, *vt reddant dispositionem fauorabilem*; itaque, quæcumque dixit Sixtus pro immaculata Conceptione, fauorabiliter intelligenda sunt. Deindè, *stante hæc clausula videntur probata ea omnia, quæ Princeps asserit in suis literis.* Cumquæ Sixtus IV. vocauerit immaculatam Conceptionem non videtur litigandum de hoc. Præterea, *causa presumitur in Principe, rescribente Motu proprio.* Ided, causa Pontificum videtur hæc causa immaculatæ Conceptionis. Similiter effectus horum verborum est, *vt amplient gratiam circa expressa.* Vndè, non est minuenda gloria immaculatæ Conceptionis; sed potius amplianda ex his, quæ dixit Sixtus IV. Relinquo alios effectus Motus proprii, considerandos aliis. Beatificatio autem valdè abest, vt sit Motus proprius, cum ipse Pontifex dicat, operari ex consilio alieno, & ad instantiam petentium. In beatificatione enim beati Petri de Alcantara, sic loquitur Gregorius XV. *Nos supplicationibus huiusmodi inclinati, de eorundem Cardinalium consilio, vt idem Dei seruus Petrus de Alcantara in posterum Beatus nuncupari, &c.*

Minoris momenti est; sed non contemnendæ rememorationis, multos sanctos beatificatos exaltasse magnoperè immaculatam Virginis Conceptionem, sicut beatus Ludouicus Beltramus, & beatus Thomas de Villanoua, exprimam solùm beatum Ludouicum Alemandum, qui Antesignanus fuit in Concilio Basiliensi, è plurimis Christianis partibus congregato, dum anno Domini 1439. pro purissima Deiparæ Virginis Conceptione, & ab originalis peccati maculâ præseruatione editum fuit decretum. De quo videri potest Marracius in *Purpurâ Marianâ.*

Hæc satis fortasse sufficient, & poterunt quidem sufficere, vt exterminatus maneat ille nouus modus cogitandi, quod in Ecclesia vniuersali celebretur institutum festum, cuius obiectum probabilis tantum sanctitatis sit, & non certæ: quem modum vndiquè conati sumus impu-

gnare, & vndequaque opprimere.

§. XXVII.

Occurritur quibusdam obiectionibus.

Reliquum est vt occurramus magno, prout aliqui putant, obstaculo, sed facile propulsabile video, & propulsatum inuenio, scilicet, si institutum Conceptionis festum, certam faceret sanctitatem sui obiecti, sequeretur indè, quod opinio affirmatiua suam probabilitatem amitteret: miror tamen eos, qui hæc dicunt, cur velint, aut audeant æquiparare incolumitatem auctoritatis Pontificiæ, & axiomatis inconcussi sanctorum Patrum, cum conseruatione probabilitatis cuiusdam opinionis, quæ à maiore parte Ecclesiæ, imò ferè ab Ecclesia tota, exceptis paucis, destituta, imò & multis scandalo est. Videant igitur illi, quid fundamentis tam solidis, quæ astruunt certitudinē sanctitatis obiecti festiui respondeant. Videant quomodò tueantur infallibilitatem Pontificiam in gubernatione Ecclesiæ. Videant quomodò securam reddant satisfactionem fidelium de veracitate sui Capitis. Videant quomodò communem Patrum sensum, & doctrinam venerari oporteat. Hæc quidem omnia pluris facienda sunt, quam probabilitas vnius opinionis. Quare, videant ipsi quid dicant, & respondeant, & ne obijciant nobis, nec requirant responsum, vt securam probabilitatē opinionis affirmatiuæ statuamus. Præterea, hoc obstaculum non est nouum, nec tantum, vt non contempserint illud grauissimi Theologi, qui post Sixtum IV. florere. Gabriel Biel in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. Ioann. Maior in 3. dist. 3. quæst. 1. Petr. Montius lib. 1. de vnius legis veritate, cap. 58. Ludouic. Blof. de dictis Patrum, cap. 25. Arnald. Albertin. de agnoscendis assertis Catholicis, quæst. 17. & 18. Ioann. Zekius, Franciscus Titelman. Robertus Gaguius, Almainus, & alij; & quod plurius est, Vniuersitas Parisiensis, & Colonienfis, post Sixtum IV. imò post Pium V. & Paulum V. multi alij; quorum Pontificum Bullis conantur aduersarij suæ opinionis probabilitatem ratam haberi. Vnus ex his Theologis modernis, doctissimus planè Theologus Ioannes Baptist. Lezan. in apologet. pro immaculata Conceptione, cap. 24. postquam probasset veritatem conceptæ sine labe Virginis, ex certitudine instituti festi, ait: *Aduerti debet, nulla securitate conscientia; sed cum magno periculo censura, aut Ecclesia offensionis affirmari posse Ecclesiam in festorum celebratione aberrare. Cum autem non errare Ecclesiam in illorum festiuitate, dependeat ex eo, quod tale festum sanctum, dignumque veneratione reputatur, nullo pacto pronuntiaripotest, festum illud ab Ecclesia celebratum, sanctum non esse.* Ferè huiusmodi loquuntur recentiores doctissimi, qui non obstante periculo illius probabilitatis, stant pro auctoritate Ecclesiæ, & certitudinem tuentur festiue Conceptionis, omnium tamen diligentissimus, latè, & eruditè hoc disputauit Ægidius Lusitanus, lib. 3. de præseruat. Virginis, quæst. 6. artic. 1. §. 10. qui videri potest. Nuper etiam in Theologia Mariana, palæstr. 3. certamin. 9. satis quassatur probabilitas opinionis affirmatiuæ, & in illam vsque ad exterminium inuehitur. Petrus Hurtado expresse dixit, neutram opinionem esse probabilem: quia affirmatiua careat probabilitate; negatiua autem habeat

habeat certitudinem, transferitque à conditione opinionis, in statum sententiæ certæ. Nihilominus, quia ad argumentum nostrum videtur attingere, hanc partem etiam explanabo, iuxta duas Theologorum doctrinas; quarum vna tuetur certitudinem festi, quamuis opinio affirmatiua iacturam suæ probabilitatis sit passa; altera, quæ defendit eandem certitudinem obiecti festiui, simul cum probabilitate affirmantis sententiæ: quæ dno componunt, vt diuersa ingenia electionem habeant, & vtrilibet possint conuiescere, pateatque magnum illud obstaculum variis amoueri posse modis, nec tam firmum esse, vt nequeat gemino concuti lapsu.

Igitur probabilitatem opinionis affirmatiuæ curant canonicam facere aduersarij ex Extrauagante *Graue nimis*, Sixti IV. quæ extat in iure, in qua vtramque opinionem dicunt adæquare in æquali prohibitione censuræ, cauens ne alterutra vocetur hæretica. Verùm iugulantur ex hac ipsa Extrauagante, si expendamus ex simili causa vtriusque sententiæ, quàm dissimili fundamento nitatur Pontifex. Prohibet in Extrauagante *Graue nimis*, ne quis audeat siue affirmatiuam, siue negatiuam sententiam hæresis nota inurere, & tamen vtriusque diuersam rationem reddit. Nam cum de negatiua loquitur, allegat festum Conceptionis, quod Ecclesia Romana celebrat; cum verò de affirmatiua, nondum esse à Sede Apostolica damnatam; verba sunt: *Cum sancta Romana Ecclesia de intemerata, semperque Virginis Maria Conceptione, publice festum sollemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc Officium ordinauerit, nonnulli, &c. Affirmare hætenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eandem gloriosam, & immaculatam Dei genitricem, absque originali peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, &c.* Ecce ex festi institutione censuram hæresis propellit à negatiua sententia; cum verò ab eadem liberat affirmatiuam, damnans eos, *qui ausi fuerunt asserere contrariam opinionem, tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale;* aliam longè causam reddit, nempe: *Cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.* Itaque ratio, cur non debet hæreseos notari sententia, asserens Virginem sine macula Conceptam, est, quia Ecclesia Romana hanc Conceptionem colit; ratio verò cur non est iudicanda hæretica sententia, defendens Conceptionem in peccato factam, est, quia id nondum est ab Ecclesia Romana decisum.

Non otiose Pontifex eiusdem prohibitionis diuersas causas reddit, cum posset eandem. Sanè, si ad seruandam vtriusque sententiæ probabilitatem, decreta sua direxisset, opportunum erat, cum prohibet, vtramque dici hæreticam, rationem reddere, *quia vtraque est probabilis*, optimamque prohibitionis causam assignasset. At ab ea abstinuit, nempe quia eo favore non est dignatus affirmatiuam, & ampliori voluit negatiuam honorare, Rursum, posset etiam prohibere, ne quis aliquam ex his sententiis dicat hæreticam, *quia neutra est ab Ecclesia damnata;* & hæc etiam ratione, vno verbo conuenientem reddidisset prohibitionis causam. Cur ergo ad diuersas recurrit? Nempe, vt intelligamus, quantum post institutionem festi excellat sententia negans affir-

mantem. Hæc enim tantum non est dicenda hæretica, quia id Ecclesia non declarauit: illa verò non propterea duntaxat; sed maxime, quia licet eam Ecclesia non definiuerit; approbat tamen, & commendat, dum de Conceptione immaculata (quam ipsa defendit) festum celebrat. Hoc honore (quo caret opposita) adeò euectæ est, vt qui eam damnauerit, damnare videatur Ecclesiam Romanam, siquidem reprehendit quod ipsa colit. At, qui damnat affirmatiuam, non propterea Ecclesiam ipsam reprehendit. Itaque ille iniuriam irrogat Ecclesiæ, hic opinioni. Certe, quamuis vterque in Ecclesiæ iura peccet; diuerso tamen crimine: ille enim, qui negatiuam damnat, eadem nota iudicium, & mentem Ecclesiæ quodammodo aspergit, quasi colat rem cultu indignam; qui verò affirmatiuam, reus duntaxat est vsurpati iudicij, & auctoritatis, & violati præcepti, prohibentis censuram, ante Ecclesiæ declarationem.

Præterea, si quid fauet Sixtus sententiæ affirmatiuæ, prohibens eius censuram, fauor est (vt ita dixerim) negatiuus; quia fundamentum est negatio decisionis, aut non decisio. Neque tam fauor est, quàm iniuriæ propulsatio. Habet enim ea sententia ius, ne à priuato quopiam damnetur, dum ab Ecclesia non damnatur, at sententiæ neganti fauet Pontifex (vt more scholastico loquamur) *positiue*. Quia prohibitionis causa non est negatiuum aliquid, id est, *rem nondum esse ab Ecclesia decisam*, sed positium quid, id est, *Ecclesiam celebrare festum Conceptionis*. Sixtus ergo, vt tam ampla vtriusque sententiæ discrimina innuat; cum in eorum audaciam excandescit, qui negantem sententiam damnabant, iustæ animaduersionis causam ob oculos ponens, sic orditur: *Cum sancta Romana Ecclesia de Conceptione festum celebrat, &c.* Cum autem prohibet, ne affirmatiua hæresis nota inuratur, inquit: *Cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.*

Atque in hac verborum differentia, quibus vtitur Pontifex, nescio, quid latet læti auspicij pro negante sententia; nescio quid tristis ominis contra affirmantem, si res ad decisionem veniant. Diuersæ enim causæ, quas reddit Pontifex, non obscure innuunt, quamuis ambæ sententiæ æquales sint, quod attinet ad actuale damnationem, quia videlicet neutra est ab Ecclesia damnata; tamen toto cœlo distare, si damnabilitas (vt ita dicamus) spectetur. Ratio enim cur Pontifex prohibet, ne à quoquam dicatur hæretica sententia affirmans, solum vim habet respectu priuati cuiusquam, nõ verò respectu Ecclesiæ. Nam quod Ecclesia adhuc aliquid non damnauerit, rectè quidem probat non esse à priuatis damnandum; non vero non posse deinceps ab Ecclesia damnari. At ratio, cur Pontifex prohibet sententiam negatiuam hæreseos labe notari, & in priuatis, & in ipsa Ecclesia vim suam exercet, nempe, celebratio festi de immaculata Conceptione. Nam si à quoquam non debet sententia negans affici censura hæresis, quia Ecclesia celebrat festum Conceptionis; propter eandem rationem non debet ab ipsa Ecclesia. Sicut enim priuatus censura sua non solum opinionem; sed Ecclesiam ipsam laderet, notans eius iudicium, & mentem, quasi erret celebrans subiectum opinionis hæreticæ, ita imò, & multò magis, Ecclesia se ipsam notaret, si hæreticum declararet, quod ipsa sollemniter coluit.

coluit. In hoc ergo euentu magis læderetur auctoritas Ecclesiæ, quam ex censure priuatorum, & tamen hæc meritò prohibetur à Sixto, non alia de causa nisi quia *Romana Ecclesia de Conceptione publicè festum, & solenniter celebrat*. Magnum ergo pignus nobis dedit Pontifex his verbis, ut speremus, si causa decidatur, pro negatiua sententia discernendum, neque contrarium timeamus. Propterea multi sunt, qui asserant affirmatiuam sententiam, non esse definibilem de Fide, de quo alibi. Nos illud non dubitamus nostram proximiorum esse definitioni. Itaque pia sententia, quamuis adhuc terram, id est, firmitatem Fidei non attingit; tamen in portu nauigat: altera in alto iactatur, fluctibus obnoxia. Sed de his satis, solum enim in presenti nostra interest, ostendisse ex decreto Pontificio, minimè concludi probabilitatem affirmatiuæ sententiæ.

Hactenus benè hæc considerauit doctissimus ille vir Antonius Calderonus, benemeritus de causa Immaculatæ Conceptionis, ex quibus constat, tam longè abesse Sixtum IV. ut probabilem statuerit opinionem affirmatiuam, ut non occluserit ianuam ad criminandum illam improbabilitatis, cum talem censuram non prohibuerit, sed dumtaxat qualificationem hæreseos. Præterea, is ipse in eadem Extrauagante supponit certam omninò sanctitatem obiecti festiui, & ex eâ argumentatur, & damnat ut erroneam quorundam propositionem, de quo iam diximus.

Allegant a tuerfarij secundo loco, pro securitate probabilitatis opinionis affirmatiuæ, Pium V. in Bulla, *Super Speculum*, quam postea confirmauit Paulus V. ubi liberam relinquit facultatem utramuis partem tenendi, quam dicunt minimè concessuram, nisi sentiret utramque partem esse probabilem, quod videtur ipse Pius V. satis expressisse, ita enim inquit: *Liberam cuique facultatem relinquentes opinandi huius controuersie quamlibet partem, prout, vel magis pium, vel magis probabile esse iudicauerit*. Ecce, utriusque partis probabilitatem videtur agnoscere. Sed hæc etiam nullius momenti sunt: quod enim facultatem faciant quilibet sentiendi, solum probat neutram sententiam damnari, atque ad eò permitti, & tolerari, dum aliud, Sedes Apostolica non decernit, ut sæpè iidem Pontifices monent. Non autem probat utramque, aut earum aliquam positiuè approbari, aut in sua probabilitate confirmari. Iam verò quod ad Pium V. attinet, ridiculum est, eum in illis verbis approbasse utriusque partis probabilitatem, dum mihi per eum licet iudicare meam sententiam magis piam, & magis probabilem, quam tuam, & tibi vicissim eodem modo tuam meæ præferre. Nam si quæ nobis permittit sentire, eadem sentit; ergo sentit meam sententiam esse probabiliorem tuâ, & tuam vicissim probabiliorem mea. Hæc autem pugnantia sunt: sicut ergo ex illis verbis, non licet colligere Pontificem approbare, aut sentire maiorem probabilitatem huius, aut alterius partis, ita neque probabilitatem. Cuius ratio in promptu est, quia ibi non loquitur de sensu, & iudicio Sedis Apostolicæ; sed de priuatorum iudiciis, ut ex eius verbis liquet.

Hoc etiam confirmat quod Pius V. præter criminationem hæreseos, solum prohibuerit censuram erroris: quare non prohibuit improbabilitatis qualificationem, cum possit propositiones esse im-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

probabiles licet non sint erroneæ.

Tertiò adducunt Paulum V. in decreto sanctæ Inquisitionis Romanæ; quod etiam confirmauit Gregorius XV. qui in suo decreto declarauit, relinquere opinionem affirmatiuam in suo statu: *Sed ipsa*; ante Pontificum decreta, erat in statu probabilitatis: ergo in eo eam relinquunt; ergo eius probabilitatem decretis suis non minuunt, sed potius seruant, & confirmant.

Huius argumenti solutio non aliudè melius, quam explorum Pontificum verbis sumenda est. Igitur in decreto sanctæ Romanæ Inquisitionis adstante, & approbante Paulo V. postquam iubetur, ne quis audeat publicè, affirmatiuam sententiam tueri; ita de ea subditur: *Per huiusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus de presenti reperitur, præterquam quoad supra dicta*. Eadem ferè repetit Decretum Gregorij XV. post extensam ad priuata etiam colloquia, & scripta prohibitionem: *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in suprascripto felicis recordationis Pauli V. & hoc suo Decreto disposita*. Quo sensu hi duo Pontifices non inferant præiudicium sententiæ affirmatiuæ, forsitan ab aliis latè explicabitur. Nunc, quod ad rem præsentem attinet, duo maximè animaduertenda sunt. Primum est, nullum ex Pontificibus, qui Paulum, & Gregorium prædecesserunt, hæc clausula vsum, aut declarasse se per sua decreta (quamuis sententiæ negatiuæ fauentia) nullum præiudicium inferre affirmatiuæ, aut eam in suo statu relinquere: ut constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. & si quæ sunt aliæ. Secundum est, Paulum, & Gregorium non relinquere sententiam affirmatiuam in antiquo statu, sed *in eodem statu, & terminis, in quibus de presenti reperitur*. Et adhuc cum limitatione, *præterquam quoad suprascripta*.

Hinc liquidò inferitur, si quòd fortè præiudicium illatum est sententiæ affirmatiuæ aliorum Pontificum decretis, id non tolli à Paulo, & Gregorio, qui tantum affirmant, se non inferre præiudicium (nempe nouum) non verò loquuntur de illato ab aliis; imò vero illud conseruant, dum testantur, se opinionem relinquere in statu, in quo eam inueniunt. Quare, si tunc præiudicata erat, præiudicatam reliquerunt. Unde, etiam fit, non satis esse, quod hi Pontifices dicant, se eam relinquere in statu presenti, ad ostendendum eam esse probabilem, aut ab eis relinqui in statu probabilitatis, quem olim habuit: nam si decreto alicuius prædecessoris sublata est, aut imminuta hæc probabilitas, eam non restitunt Paulus, & Gregorius; sed potius imminutionem confirmant. Non solum, quia opinionem in statu presenti relinquunt; sed quia expressè volunt, ut prædecessorum constitutiones, *in reliquis omnibus, ubi suis decretis non aduersantur, firmas, & illibatas remaneant*. Decernunt autem ipsi publicam, & priuatam sententiæ affirmatiuæ silentiū, cui non aduersatur quoduis aliud præiudicium, ab aliis illatum.

Nisi ergo probent aduersarij, nullum ex prædecessoribus Pauli, & Gregorij, deiecessisse suam sententiam à suo statu, non probant, eos reliquisse illum in gradu probabilitatis, quia in statu præ-

sententia reliquerunt: Quantum autem extulerunt Sixtus IV. Iulius II. & Alexander VI. opinionem negatiuam, deprefferuntque affirmatiuam, eius probabilitatem extenuantes, satis ab alijs demonstratum est.

Tandem, ne putent aduersarij extraordinarium aliquod priuilegium his concessum per predictam clausulam, placet admemorare, quae de iis verbis, *sine prauidicio*, adnotant periti iuris Pontificij, neque enim sunt extraordinaria verba, sed quae etiam si taceantur, solent supponi expressa. Nam subintelligitur haec clausula in omnibus concessionibus, quando potest stare cum principali dispositione. Seraphin. *decis. 398. num. 18.* Menoch. *consil. 1033. nu. 21.* & sic in qualibet gratia Papae, Sarnens. *in regul. de iur. quaesit non tollend. quaest. 1. in princip.* & fuit dictum in *Pampilonens. sepultura 10. Nouembris 1608. coram Gregorio XV. inter eius decisiones impressas, decis. 383. num. 2.* quae etiam reperitur impressa per Farinac. *decis. 226. num. 1. part. 2. recent.* Principis enim gratia semper intelligitur sine alterius iniuria, l. 2. §. *si quis a Principe*, ff. *ne quid in loco publico. cap. super eo, de offic. delegat. Dec. consil. 15. nu. 4.* & in quolibet rescripto, prout signanter in clausula, *sine prauidicio iuris alieni*, agentes concludunt. Rot. *decis. 21. num. 5. de Prebend. & in Burgen de Arroyo, vlt. Ianuarij 1594. coram Lita.* Semper tamen intelligi debet de alio prauidicio quam expresso, vt per Oldrad. *consil. 330. in fin. Paris. consil. 70. num. 12. lib. 1.* Gabr. *consil. 151. num. 29. & seq. lib. 1.* Theodol. de Rub. *d. claus. 754. num. 9.* Verall. *decis. 7. in fin. de iur. patron. & alij plures*, quos congerit Barbof. *tractat. de clausul. vsu freq. claus. 157.*

Commemoranda etiam est animaduersione Ioannis Merinerij: *tract. de Conceptione, rat. 1. numer. 50. & 51.* quod aliud sit damnum, aliud prauidicium, vnde ait: *Prauidicare enim idem valet, ac ante tempus iudicare, seu ante sententiam inferre illud damnum, quod non potest nisi per sententiam inferri, vnde prauidicium proprie dictum importat lesionem iuris alieni, neque quocumque damno prauidicimus alicui, sed illo dumtaxat, quod contra ius eius inferimus; nam si merito, aut iure inferitur, incommodum quidem, seu damnum erit. non prauidicium, nisi laxiori, & impropria significatione.*

Quarto loco obiiciunt, quod Pontifices vtramque sententiam appellant *opinionem*; affirmatiuam quidem Sixtus IV. in Extrauagante, *Graue nimis*, Alexand. VI. in Bulla, *Illius qui se*, Paulus V. in ea, quae incipit, *Regis pacifici*, idem Paulus, & Gregorius XV. in decretis sanctae Romanae Inquisitionis; negatiuam vero Paulus ipse in praedicto decreto: opinionis autem nomine non appellatur, nisi quod probabile est. Cum ergo Pontifices vtramque sententiam *opinionem* appellent, probabilem censent, & declarant. Sed haec nihil concludunt. Non enim Pontifices *opinionem probabilem* dicunt; sed dumtaxat *opinionem*. Solet autem haec vox iis sententiae iis tribui, quae tamen probabiles non putantur: nihil enim frequentius apud Scholasticos, quam vt cum de aliqua sententia, quae ipsis non placet, loquuntur, dicant, *haec opinio non est probabilis*. Deinde, satis est sen-

tentiam aliquam non esse haeticam, aut erroneam, aut centuram aliquam Theologica dignam, vt opinio appelletur, quamuis forte probabilis non censetur. Imò vero aliquando, quod erroneum est, opinionis vocabulo donatur. Ecce (vt alia omitamus) in hac ipsa re, de qua agimus, habemus, exemplum; nam ipse Sixtus IV. in priore Extrauagante, *Graue nimis*, propositiones, quas vt erroneas damnat, appellat *opiniones*. *Huiusmodi (inquit) per nos sic reprobatae, & damnatae assertiones, & opiniones.* Quare, ex hoc praecite, quod Pontifices vtramque sententiam opinionem appellant, non recte sequitur earum probabilitatem declarasse, aut approbasse. Hoc etiam nuper confirmavit Innocentius X. in constitutione aduersus quinque propositiones Ianfenij, vbi alia eiusdem placita vocauit *opiniones*, quae non solum improbabiles erant, sed damnabiles.

Itaque, nullus Pontificum circa qualitatem vtriusque sententiae aliquid pronuntiauit, nisi quod neutra vocaretur haetica, aut erronea. An vero vtraque vel earum aliqua probabilis sit, an certa, aut dubia; de hoc ne verbum quidem, vt eorum decreta legenti, patebit. Cum ergo nihil de probabilitate pronuntiauit, gratis fingitur, earum probabilitate adaequasse. Ego vero dumtaxat exopto differentiam vtriusque ostendere, quomodo assertio negatiua sit vera, & affirmatiua falsa. Cuius nequaquam satagam, an sit improbabilis, vel potius probabilis: non enim sollicitus sum, nisi ad suum certitudinis gradum extollere sententiam meam sine improprio alterius, memor sancti Michaelis, qui ardentissime exoptans extollere magnitudinem Dei, & vnicam eius patriae adorationem tueri; nihilominus sanctus Iudas Apostolus de illo ait: *Cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiam.* Nec propterea, quod retulerim aliquorum Doctorum improbationes affirmatiuae partis, mihi est necessitas, aut animus illam reprobare; sed solum negatiuam comprobare certam. Sequar etiam in hoc Ecclesiam, quae haecenus iudicauit, non inferre iudicium haereseos, vel erroris parti affirmatiuae, sed extollere certitudinem Immaculatae Conceptionis. Idem, cum in Bullis Pontificiis de non prauidicando opinioni affirmanti: quoniam in celebratione festi voluit exaltare negatiuam, etiam si deinde sequeretur decrementum contrariae. Vnde Sixtus IV. in tribus Extrauagantibus, in quibus egit de festo Conceptionis, nullatenus meminit clausulae, *sine prauidicio*. Nec Alexander VI. in suo diplomate, in quo dannaui varias interpretationes, contra festum Conceptionis, statutum à Sixto. Neque Gregorius XV. in secundo praeccepto, quod attinebat ad festum Conceptionis, nihil cauit de prauidicio: quod aduertenter factum est, cum in priori mandato de silentio opinionis affirmatiuae, eam clausulam apposuerit, quoniam non spectabat ad festum, eandemque apposuit Paulus V. in suo decreto propter eandem rationem.

Quod si adhuc dicat aliquis, quamuis Ecclesia Romana expresse non declarauerit esse probabilem sententiam affirmatiuam; satis tamen

id significasse, dum liberam cuique facultatem fecit opinandi, quam voluerit partem: etenim si celebrando immunitatem B. Virginis, eam non ut probabilem; sed ut certam, & nullo modo falsam iudicasset, nullo modo liberum cuique reliquisset, ut quam vellet partem eligeret. Hoc argumentum pluribus videtur adedè efficax, ut insolubile videatur; verè tamen nec olim insolubile visum est, nec modò videtur, si sermo sit de probabilitate, cui falsitas non repugnet: hanc enim solam negamus stare posse cum celebritate Conceptionis ab Ecclesia Romana instituta: nam si sermo sit de probabilitate Fidei consona, cum illa omninò excludat posse esse falsam, eam admittimus, & dicimus illam satis esse, ut festum Conceptionis, auctoritate Romanæ Ecclesiæ celebrari possit; priorem autem non esse satis, ut in sequentibus apparebit.

§ XXVIII.

Quo pacto certa sanctitas Conceptionis festiva componatur cum libertate opinandi, & sentiendi utramlibet partem.

Dicamus iam, quomodo certitudo sanctitatis in Conceptione B. Virginis, eiusdem festi institutione componi queat cum libertate opinandi in hac materia; & quidem benignitas Matris Ecclesiæ id prudenter passa est, sicut alioqui non solùm tolerauit ad tempus aliquas opiniones improbabiles; sed damnabiles iustis ex causis, quæ illam tolerantiam exigebant, aut honestabant. Vnde Ambrosius Catharinus, lib. 2. pro Immaculata Conceptione, in hac materia sic loquitur: *Sed aiunt quidam: non sumus heretici, si non sequimur in hoc sensum Ecclesia: tantum est enim, ne quis nos heresis nomine damnet, si aliter sapiamus, quam illa receperit. Non nego, sed illa, ut pia, & suauissima Mater, non consuevit repente vinculis preceptorum filios astringere, ne forte ad contumaciam, & rebellionem pronocaret. Sic enim (ut Augustinus eleganter dixit) multitudinibus per schismata, & hereses pereuntibus, plerumque subuenire solet: piorum autem filiorum non est in omnibus expectare preceptum, & interim eius indulgentia, & benignitate abuti, idque ad elationis suæ malum conuertere, quod ipsa tolerat propter pacis bonum.* Hæc ille, & alia, summa eruditione, & iudicio. Plura alia ex eodem Catharino considerari possent, ex disputatione pro Immaculata Conceptione ad Concilium Tridentinum, part. 1. col. 102.

Quæ autem tolerauit Ecclesia extra, imò contra mentem suam, & sensum communem, non sunt pauca, satis est memorare, tolerasse aliquandiu dubitanter de Assumptione Virginea, etiam post celebratum eius festum, atque eandem tolerantiam aliqui extenderunt ad festum Natiuitatis. Præterea multos annos tolerauit negantes processionem Spiritus sancti etiam ex Filio. Tum etiam errorem Masiliensium, vsque ad Concilium Araucanicum: antea enim etiam sanctus Augustinus communicauit cum illis, & fratres appellauit. Multiquè viri cum opinione sanctitatis, in eà existimatione hæserunt; inter quos sanctus Hila-

Ioann. Ensch. Op. Parth.

rius Arelatenfis. Græcos quoque in suo fermentato tolerauit. Vnde quidam Doctor affirmans opinionem piam, & feliciorum statum adeptam esse illa, quæ docet, Christum in azymo consecrassè: quæ ita vera est, ait ille, ut a parte rei nullo modo sit falsa, & probat: quia Ecclesia Romana ipsa praxi, quam habet celebrandi in azymo, luculenter ostendit esse certum, in eogenero panis consecrassè Christum Dominum. Tamen, quia Græci aliter opinantur, noluerit suum sententiam e Cathedra definire. Similiter ergo Ecclesia ipsa praxi celebrationis Immaculati Conceptus Virginei, & aliis manifestis signis affatim ostendit, opinionem piam ita veram esse, ac certam, ut nullo modo a parte rei possit falsitati subesse, licet vsque modò se abtineat ab omnimoda definitione, propter paucos Catholicos oppositum opinantes. Recentior ergo ille, & plures hoc sæculo asserunt, ex eo feliciorum statum adeptam fuisse opinionem piam à Gregorio precipue XV. quam quæ affirmat, Christum in azymo celebrassè, & maiori cura exploratam à fidelibus opinionem de fermento originariæ culpæ in Deipara Virgine, quam quæ docet Christum in fermentato celebrassè: hanc enim quoad actus externos, & publicos nunquam Pontifex aliquis prohibuit, imò permittit Ecclesia Græcos Sacerdotes in fermentato consecrare; at sententiam de fermento culpæ originariæ in Virgine Maria, quoad ritum publicum Ecclesia non suffert, siquidem præcipit omnibus Sacerdotibus, ne utantur in Officio Ecclesiastico, voce *sanctificationis*, quæ videbatur inuere, Virginem Mariam fuisse fermentatam labe peccati originalis; imò prohibuit etiam, ne aliquis in priuatis colloquiis affirmaret illud fermentum, seu maculam Deiparæ, cum tamen Græci, etiam inter Latinos degenes, non prohibentur asserere Christum in fermentato consecrassè.

Placet igitur adicere, ut hac materia amplius explanetur, speculationem Ægidij Luitani, qui huiusmodi philosophatur, & plane theologizat, aduertens expressis Philosophiæ principis, distinguendum esse inter id, quod in se est certum, & id, quod solùm est probabile: nam id, quod a parte rei ex se est verum, & certum, ita certum est, ut falsum esse nequeat; cuius oppositum reperitur in veritate probabili. Hæc enim, licet possit esse magis, vel minus probabilis, quandiu tamen intra terminos probabilitatis continetur, ita indifferens est ad verum, & falsum, ut falsitas illi non repugnet. Quare, quæ ex se, suæque natura sunt vera, ex sua natura non possunt esse probabilia: & inde est, ut quæ per veram scientiam demonstrantur, probabilia nunquam dici possint. Aduertendum secundò, hoc interessè inter vera, quæ naturaliter sunt vera, & ea, quorum veritas est supra naturam; quòd priora possint naturali lumine à nobis intelligi, cuius oppositum reperitur in illis, quæ vera sunt posteriori modo: hæc enim à nobis intelligi non possunt, nisi lumine aliquo supernaturali, quod aliquo modo ad Fidem pertineat, & reducat. Iam verò lumen, quod aliquo modo ad Fidem pertinet, eius est naturæ, ut non possit illuminare, nisi quæ in se ipsis sunt vera, & certa: nam cum tale lumen à solo Deo datum sit, & nitatur diuina auctoritate, & reuelatione

latione, nullo modo potest illuminare tanquam verum, quod in se est falsum; quia Deus non potest esse auctor alicuius falsitatis, aut mendacij. Inde fit, ut ea, quæ sunt supernaturalia, nullo modo possint nobis immediate reuelari tanquam probabilia; sed necessariò reuelari debent vt certa, & vera. Hæc enim est excellentia luminis supernaturalis, & diuini, vt nihil, nisi sub ratione veri, reuelet. Possumus nos ex iis, quæ à Deo sunt reuelata, aliqua probabiliter inferre, quia sub illis reuelatis possumus sumere aliqua principia solum probabilia: attamen non possumus sub lumine supernaturali cognoscere id, quod ex reuelatis solum probabiliter infertur. Aduertendum tertio, quòd sicut in naturali veritate dantur diuersi, quoad nos, gradus, ita, vt vna naturalis veritas sit alia euidentior, & certior; quia vnus lumen est euidentius alio (vnde veritas metaphysica maiorem habet certitudinem, quam physica; & veritas mathematica quam physica, aut metaphysica, vt ex Philosophia suppono) ita etiam in veritate supernaturali, quoad nos, dantur gradus, ita vt vna sit certior alia. Quod non solum verum est in veritatibus supernaturalibus diuersi generis, qualis est veritas visionis beatæ, & veritas Fidei (quarum prima certior est, quam secunda) sed etiam in veritatibus eiusdem generis, quales sunt, quæ aliquo modo ad Fidem pertinent: in his enim dari plures gradus, ita se habentes, vt vnus sit altioris certitudinis quam alter; euidenter patet ex diuersis gradibus veritatis, quos Theologi distinguunt in propositionibus ad Fidem pertinentibus: in his enim, quædam est veritas Fidei, ab Ecclesia definita, quæ ita est certa, vt opposita sit falsitas hæretica. Alia est veritas proxima Fidei, quæ ita est certa, vt oppositum, licet formaliter non sit hæreticum, sit tamen hæresi proximum. Alia veritas dicitur, veritas consentanea Fidei, & in se pia, cuius oppositum in se est temerarium, periculosum, & non latis pium in Fide.

Inter hos gradus supernaturalis veritatis hoc interest, quòd veritas primi generis traditur ab Ecclesia, tanquam prima regula, in materia Fidei; vnde est veritas ad salutem necessaria; quia omnes fideles tenentur explicitè, vel implicitè illam credere: & ideò oppositum non solum simpliciter damnatur vt hæreticum; sed etiam puniatur excommunicatione, & aliis pænis. Et ob hanc rationem aliæ supernaturales veritates ab hac, tanquam à prima regula, regulantur; ita vt quò magis ad eam accedunt, eò magis sint à fidelibus credendæ. Veritas autem secundæ speciei, cum proximè ad primam regulam accedat, ita certa est, vt oppositum simpliciter sit error in Fide, & hæresi proximum; & quamuis ab Ecclesia excommunicatione non puniatur, non permittitur tamen ab aliquo affirmari. Veritas porrò tertiæ speciei (sub qua plures continentur) habet quidem certitudinem, cum sit Fidei consona, non tamen ita euidenter, vt oppositum simpliciter non toleretur, vt satis significat Cordubens. lib. 1. quest. 17. pag. 150. col. 2. §. mihi verò. Et inde est, vt assertio opposita, quamuis censeatur falsa, ob aliquas tamen iustas circumstantias simpliciter non prohibeatur, sed seruatis quibusdam conditionibus permittatur. Hoc autem non satis est, vt talis veritas intrà terminos probabilitatis in-

cludatur, & sit eius naturæ, vt falsitas illi non repugnet: nam cum aliquo modo ad Fidem pertineat, nec cognosci valeat lumine naturali, talis veritas ita est certa, vt falsa esse non possit.

Ex quo iam patet, vt vult, & infert idem Ægidius, quamuis non erat opus hæc adici, non solum esse infallibiliter vera, quæ ab Ecclesia definiuntur de Fide, & vt simpliciter credenda fidelibus proponuntur; sed etiam ea, quæ absque Fidei definitione ab Ecclesia iudicantur aut Fidei proxima, aut illi maximè consona: nam hæc est Fidei excellentia, vt non solum nihil falsi possit definire tanquam de Fide, sed nec possit alicui falso adherere, sub ratione Fidei, & sub ordine ad illam: quoniam ad hæc omnia habet Spiritus sancti assententiam, maximè ad ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, virtutemque Religionis. Ex quo infertur, omnem propositionem censuram, in materia Fidei, supponere veritatem in propositione, quam vel vt de Fide, vel vt ad Fidem aliquo modo pertinentem admittit; falsitatem autem in omni propositione, quam iudicat aliquo modo à Fide dissonare: quomodo enim falsum erit, quod Fidei consonat? Aut quomodo erit verum, quod iudicatur dissonare à Fide? Ob quod fundamentum, nullam propositionem probabilem posse à aliquo modo pertinere ad Fidem, continerique sub aliquo gradu veritatis Fidei, & hoc esse de Fide. Non negamus dari inter Theologos opiniones probabiles, an aliqua propositio sit definita de Fide, nec ne; Hæc enim controuersia datur in dubio, an Papa possit errare in rebus Fidei? & in pluribus aliis: negamus tamen propositionem aliquam in se probabilem, & indifferentem ad verum, & falsum, posse pertinere ad Fidem, aut contineri sub aliquo gradu veritatis Fidei.

Vnde iam liquet solutio difficultatis sumptæ ex eo, quòd Pius V. liberam fecit facultatem opinandi oppositum, quoniam non proinde infertur, Ecclesiam veritatem Conceptionis non colere tanquam certissimam, certitudine ad Fidem pertinente, sed solum vt absolutè piam, & ita probabilem, vt falsitas illi non repugnet; etenim cum certitudine ad Fidem pertinente, ortâ ex celebratione huius Conceptionis, benè constat, quòd sanctitatem huius Conceptionis ita supponat, vt oppositum asseri, sublato scandalo absolutè non prohibeat, sed toleret, & permittat. Et hæc est facilis huius difficultatis explicatio, non aliena à doctrina, quæ inter veritates ad Fidem pertinentes, varios gradus euidentioris, vel minus euidentis certitudinis distinguit. Inter quos vltimus est ille, qui auctoritate Ecclesiæ, à Spiritu sancto gubernatæ, ita decernitur, vt quandiu maiori lumine non illustratur; oppositum non prohibeat; sed permittendo toleret. Etenim ex doctrina diui Gregorij, communiter recepta, Homil. 16. in Ezechielem, fol. 83. col. 3. lit. H. habemus: *Per incrementa temporum crescere scientiam spiritualium Patrum, & post longam huius doctrinæ confirmationem ita concludit. Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur.* Accedat etiam eiusdem doctrina, Homil. 15. in eundem Ezechielem, fol. 80. col. 3. lit. H. vbi ita scribit: *Sine enim in cognitione mediatoris Dei,*

Vid. Ægid.
9. 2. art. 1.
num. 14.

Vide eundem
Ægid. concl.
2. num. 12.

& hominum Iesu Christi, seu in scientia diuini al-
loquij, seu in ipsa Fide, quam de ipso accepimus,
quibusdam gradibus ad altiora incrementa perue-
nimus. Quem gradualementum in his, quæ ad
Fidem pertinent, Ecclesia quotidie experitur:
etenim plura, quæ olim Patribus fuerunt dubia,
nunc iam sunt certa: plura, quæ inter Docto-
res erant controuersa, & incerta, modò sunt de
Fide. Quod in vno tempore solum erat probabili-
tate cuiusdam decentis pietatis, nunc iam sunt
certa certitudine pietatis, quæ ad Fidem spectat,
ita vt oppositum iam sit improbable. Denique,
quod Ecclesia olim proponebat vt certum, ita vt
oppositum toleraret, modò crescente illuminatio-
ne Ecclesiæ, & fidelium deuotione, ab eadem
Ecclesia iam proponitur in eodem gradu certitu-
dinis Fidei, vt oppositum prohibeat, sicut de
festo Natiuitatis B. Virginis, & de eius Assump-
tione dixerunt aliqui.

§. XXIX.

*Alia sententia proponitur de certitudine fe-
stiu obiecti, non repugnante probabili-
tati alicui partis affirmantis*

TAndem, oportebit producere aliorum placi-
tum, qui diuersa semita componunt certam
sanctitatem Conceptionis festiuæ, cum non im-
probabilitate opinionis affirmatiuæ, quorum Do-
ctorum sensum explicauit Ambrosius Peñalosa
disp. 11. suarum Vindiciarum, cap. 3. §. 5. post-
quam argumentum cōtrarium huiusmodi propo-
suisset. Instant aduersarij, etiam post decreta edi-
ta à Pontificibus, circa institutionem Festi Con-
ceptionis, tam celebratæ ab vniuersali Ecclesia,
quam à particularibus communitatibus, manet
opinio minus pia probabilis, cum Pontifices id
asserant, & in suis decretis, & similibus conces-
sionibus, se per familia decreta, nolle ei præiu-
diciam asserre, superaddant. Vnde non obsta-
te prædicto festo Conceptionis, nostrum placi-
tum intra spheram manet opinionis, siquidem
eius contradictorium, opinio probabilis perseue-
rat; sed de ratione opinionis est, vt ei fallum su-
besse possit, vt constat: ergo opinio pia, etiam
post cultum exhibitum ab Ecclesia immaculatæ
Conceptioni, potest esse falsa. Respondeo, licet
de ratione opinionis sit, quòd metaphysicè lo-
quendo, falsa esse possit, attamen moraliter lo-
quendo, aliquando opinioni manenti intra lati-
tudinem opinionis, falsitas inesse nequit, nem-
pè, quando fundamenta sunt ita solida, vt illam
veram; non tamen certam, aut euidentem con-
uincunt; qualia sunt illa, quibus piam opinionem
inniti videmus, vt bene Salazar de *Conceptio-
ne*, cap. 43. Granados, de *Incarnat. controu.* 2.
tract. 1. *disp.* 3. *sect.* 30. *num.* 343. Quod appo-
sitissimo exemplo declaratur: olim fuit contro-
uersia in scholis diu agitata, an paruulis in Bap-
tismo gratia sanctificationis infunderetur, &
Pontifex in cap. maiores, de Baptismo, licet par-
tem negantem probabilem reliquerit, partem
affirmatiuam probabiliorem declarauit, quam
postea Theologi propugnarunt: in quo casu, quam-
uis opinio declarata ab Ecclesia, vt verior man-
ferit intra spheram opinionis, nihilominus illa de-
claratio Ecclesiæ efficit, vt Theologi meritò iu-
dicarent, eam moraliter falsam non esse potuisse,
vt bene Salazar adnotauit, & ideò tandem Triden-

Ioann. Enseb. Op. Parth.

tinum eam definiuit. Idem dicit de illa contro-
uersia celebri inter Ecclesiam Latinam, & Gra-
cam, an Christus consecrauerit in pane azymo, vel
fermentato, vbi opinio Latina de consecratione
in azymo, licet maneat opinio, ea falsa moraliter
esse nequit. Equidem, quod efficit declaratio Ec-
clesiæ circa maiorem probabilitatem præfatae opi-
nionis, efficit circa opinionem piam cultus pu-
blici, exhibiti ab Ecclesia Conceptioni immacu-
latæ. Vnde sicut illa, etiam manens opinio, mora-
liter loquendo, falsa esse nequiuit: ita opinio
piæ, perseueranti opinioni, cum multis veris do-
ctis, falsitatem moraliter inesse posse nega-
mus.

Neque obstat: Pontifices expresse asseruisse, se
nolle præiudiciam vllam asserre opinioni minus
piæ; nam clarè loquuntur de præiudicio externo,
tollente statum illius, seu reddente illam impro-
babilem; non verò de præiudicio intrinseco, quod
formaliter, vel virtualiter, secum importat præ-
dicta priuilegia; vt expresse testatur Gregorius
XV. in decreto, edito feria 3. die 2. mensis Maij
anni 1622. vbi postquam prohibuit, ne publicè,
aut secretè opinio minus pia traderetur, subiunxit:
*Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reproba-
re hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudi-
cium inferre, eam relinquens in eodem statu, ac
terminis, in quibus reperitur (attendas, quæso, ex-
ceptionem) præterquam quòd in supradicto decreto
felicitis recordationis Pauli Quinti, & hoc suo de-
creto disposita.* Cum autem priuilegium cultus pu-
blici, approbati ab Ecclesia, præsupponat suum
obiectum verum; idcirco eo ipso, quòd Pontifi-
ces festum Conceptionis immaculatæ institue-
runt, & ei cultum publicum exhibuerunt, aliquod
præiudiciam opinioni minus piæ attulerunt; siqui-
dem fundamentum firmum iecerunt, ex quo
opinionem piam esse veram, efficaciter conclu-
ditur. Ex quo solum sequitur, opinionem minus
piam esse falsam non verò pronuntiauit impro-
babilem. Ideò præfatum Thomistarum placitum,
opinio probabilis perseuerat, quamuis ipsi Ponti-
fices per exhibitionem cultus B. Virginis Concep-
tioni vt immaculatæ, & per concessionem ali-
quorum priuilegiorum opinioni piæ, opinionem
minus piam falsam esse insinuarint; siquidem Ca-
tholicis illi assentiendi libertatem reliquerunt.
Hanc expositionem Peñalosa, nec condemno,
nec commendo in omnibus; sed propono exami-
nandam, & expono approbandam.

Alià posset explicari probabilitas affirmatiuæ
partis, supponendo doctrinam sancti Thomæ, ex
quodlibet. 9. artic. vlt. vbi ait: *Aliquid potest
iudicari possibile, secundum se consideratum, quòd
relatum ad aliquid extrinsecum impossibile inueni-
tur. Dico ergo quòd iudicium eorum, qui præsunt
Ecclesiæ, potest errare in quibuslibet, si persone
eorum tantum respiciantur, si verò consideretur di-
uina providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu san-
cto dirigit, vt non erret, sicut ipse promissit, Ioann.
14. quòd Spiritus adueniens doceret omnem verita-
tem, de necessariis, scilicet ad salutem, certum
est, quòd iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare in
his, quæ ad Fidem pertinent, impossibile est.* Sæpè
etiam accidit, vt opiniones aliquæ, secundum se
consideratæ, & principia intrinseca, sunt impos-
sibiles, relatæ verò ad auctoritatem extrinsecam,
habentur, & sunt probabiles, & cōtrà. Sicut enim
iudicium Pastorum Ecclesiæ est solum probabile, &
prudens, secundum se consideratū; relatū tamen ad

assistentiam Spiritus sancti, & veritatem Ecclesiasticæ gubernationis, superat probabilitatem, & transit ad alium gradum certitudinis, & exceptionis ab erroribus: sic etiam secundum se considerata opinio affirmatiua, probabilis haberi posset; relata tamen ad prouidentiam Spiritus Sancti, circa veracitatem Romanæ Cathedræ, & gubernationis Ecclesiæ, quæ per constitutiones Pontificias commendat immaculatam Virginis Conceptionem, celebrata eiusdem festiuitate, & alia, quæ per ius posituum acciderunt, non habet iam eundem colorem, & gradum, cuius per similia fecit iacturam. Quapropter licet radicaliter, & illatiuè dicatur probabilis, relatiuè tamen ad institutionem festi, & alias præminentias festiue Conceptionis, detrimentum suæ probabilitatis patitur, quod non passa videbitur, quando solum in se considerabatur in radice sui fundamenti, quæ est pactum Adami violatum, & transfusio peccati originalis in posteros; vnde inferbatur, peccatum originale etiam in Virgine fuisse. Tandem dici posset, habere quandam ho-

norariam probabilitatem, quatenus vetitum est, criminari illam hæreseos, aut erroris: quo priuilegio carent aliæ opiniones, quæ satis probabiles habentur.

Quod, si adhuc nulla commoda via appareret, quæ effugeretur prædicta difficultas, non erat cedendum, nec recedendum à propositâ defendendâ auctoritate Ecclesiæ gubernandæ, sine periculo erroris, & procul à regimine solum cum probabilitate, nec frangendum per hanc partem; sed per debiliorem, cum plures sint rationes, plus ponderis, plures Auctores, plures Pontifices, quàm aduersarij etiam minus verè, & solidè allegare possent pro se, quibus incumberebat suam assertionem tueri, non nobis satisfacere illis. Firmiter enim adhærendum est promouendæ auctoritati Apostolicæ, & tuendæ immaculatæ obseruantie sacri cultus, quamuis circa aliam partem submitenda essent nostra iudicia in obsequium, & obedientiam Sedis Romanæ, nostræquæ ratiocinationis speculationem, discursum, & assensum suspendere, donec aliud decernatur à Christi Vicario.





R. P. IOAN. EVSEBII

NIEREMBERGII

E SOCIETATE IESV,

EXCEPTIONES

CONCILII TRIDENTINI

PRO OMNIMODA DEIPARÆ PURITATE;

quibus non solum eius Actualis Sanctitas, verum & Iustitia Originalis confirmatur.


Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 23.



I quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut contrà, posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de Beatâ VIRGINE MARIA tenet Ecclesia; anathema sit.

Idem Concilium Sess. 5. Decret. de peccato Originali.

DECLARAT tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse sue intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam & Immaculatam VIRGINEM MARIAM DEI GENITRICEM, sed observandas esse constitutiones felicitis recordationis Xysti Papæ IV. sub pœnis in eius constitutionibus contentis, quas innouat.



CAPVT I.

Quamuis puritas VIRGINIS ab omni peccato actuali immunis definita non sit in aliquo Concilio directè; infallibilis tamen ab Ecclesia Catholica, propter traditionem Patrum, firmiter tenetur.




TS I Ecclesia Catholica pro indubitato tucatur, B. VIRGINEM tanta dotari puritate, vt nullius peccati actualis labe sit contaminata; huiusmodi tamen eius ab omni peccato actuali immunitas in nullo Conci-

lio, Decretali, aut Bulla Summi Pontificis est directè definita: & licet graues Theologi cum Patre Suarez Tom. 3. in 3. part. disput. 4. sect. 4. & Patre Vasquez item Tom. 2. in 3. part. disput. 120. cap. 1. num. 3. sentiant definitum fuisse in Concilio Claramontano, B. Virginem in nullum incidisse peccatū actuale, super hanc, quam supponunt definitionem, argumentorum, ac discursuum, quos efformant, adificantes molem, citantes loca sacre Paginae, quibus Concilium in illorum opinione, ad edendam hanc muniebatur definitionem; ac demique pro eiusdem Concilij definitionis testimonio allegantes Vegam in Concil. Trident. lib. 14. cap. 18. est tamen manifesta deceptio, quam præcaueri multum refert. Vega etenim longè abest à prædicti Concilij definitionis testificatione; nam ingenuè falsus

est, se nusquam vidisse illud Concilium; ac oppugnans Caluinum, eius retulit verba, in quibus hic Hæretiarca allegat Concilium Claramontanum, Catholicis intultans. Vnde constat, totum testimonium definitionis Concilij Claramontani attribuendam esse huic mendaci Hæretiarchæ; quod proinde nec flocci volantis pendendum, nec sanè auribus dignum, vt eo quidquam suadeatur. Porro quia quidam sinistrè intellexerunt quædam verba Vegæ (quæ ad nostrum conducunt institutum) non fuisse ab eo asserta iuxta mentem propriam; sed tantum relata, placuit ea hic ad apicem ac fideliter transcribere, vt veritas manifestè constet. Ac Primò ordiar à verbis Caluini, contra quem suum direxit discursum, quæ sunt hæc: *Ecclesiam ais quid appellant, nisi Concilium Claramontanum?* Ad quæ Vega, sentiens definitionem Concilij non fuisse necessariam ad concludendum quod assumpsit, his verbis respondit: *At ego vt ingenuè fatear me nescire quod nescio, ne in Concilio Claramontano statutum esse scio Virginem caruisse peccato veniali: nam Concilium hoc numquam legi, nec in libro Conciliorum habetur; tantumque memini in Basileensi Concilio definitum legisse, caruisse illam omni peccato, etiam Originali; neque opus sanè est, hoc olim scriptis definisse Ecclesiam, vt verè dixerit nostra Synodus, Ecclesiam tenere hoc Virginis privilegium.* Ex quibus verbis clarissimè liquet Vegam, & non Caluinum, attestatum fuisse, se non vidisse Concilium Claramontanum, in quo hallucinatus est quidam Theologus, alioqui doctissimus. Animaduertendum quippe, in tempore Vegæ, Patris Suarez, ac Vasquez, Concilium Claramontanum inter tomos Conciliorum non extitisse, & fortassè nondum typis excusum; postea tamen temporis decursu à Binio in sua compilatione Conciliorum reliquis est aggestum, in alia quoque Conciliorum compilatione ex 38. tomis coagmentatà inseritur, quæ nouissimè in Galliâ prælo mandabatur; in quo tamen nullum, quod prædictam sapiat definitionem, verbum inueniri potest. Totum hoc confirmatur auctoritate Canisij, auctoris versatissimi in legendis Conciliis & Patribus, etiam illorum manuscriptis, Hæreticorum doctrinæ, ac argumentorum Anatomici peritissimi, qui de hoc puncto lib. 1. de B. Virgine, cap. 10. subtiliter & exactè more suo tractans, nullam facit mentionem de Concilio Claramontano; quia illud non inuenit, nec Caluino fidem adhibuit, qui prædictam Concilij definitionem somniauit: sed neque Cardinalis Bellarminus Concilium citauit, qui hoc idem punctum discussit Tom. 4. lib. 1. cap. 6. & si fuisset in prædicto Concilio definitum, Doctor tantà eruditione confertus, ac eximius Conciliorum explorator, hoc non præteriret silentio, imò tantæ auctoritatis patrocinio proculdubio muniretur. Itaque totum, quod de immunitate Virginis ab omni peccato actuali Concilium Tridentinum expressit per illa verba, *Ecclesia tenet*, ad Patrum traditionem, auctore Vegæ, reduci debet. Hac etiam Traditione innituntur argumenta Canisij in fauorem Virginis; ipsam etiam allegat Pater Suarez; similiter eâ vitur Pater Vasquez capitulo citato, vbi dicit: *B. Virginem nullum peccatum actionis commississe, constans est Ecclesie traditio, & sententia celebrata in Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 23. vbi damnantur, qui dixerint, posse vllum instum in totà vitâ, omnia etiam venialia vitare; & subdit, nisi ex speciali*

Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia: quibus verbis manifestè declararunt Patres, hanc Ecclesia constantem firmamque traditionem & sententiam esse. Et sic credidisse Apostolos affirmat Cardinalis Lugo de Fide, disput. 3. sect. 2. num. 6. idem confirmant Liturgiæ sancti Marci, & Ægyptiorum Liturgiæ; in quibus propterea *Virgo Immaculata* nuncupatur. Quòd autem aliqui Neoterici dicunt Concilium dixisse solum *Ecclesia tenet*, non autem *Ecclesia semper tenet*; hisque verbis significari aptè Traditionem, non illis parum momenti est; nam Ecclesia tenet puritatem Virginis actualem, quia semper tenuit, nec in hoc aliqua immutatio & nouitas accidit, propter quam debuit notari discrimen inter verbum *tenet* de præsentis, & *tenuit* præterito; vbi autem minor constantia aut aliqualis nouitas intercessisset, tunc illud discrimen potest esse consideratione dignum. Præterea, ille scrupulus, aut differentiæ ratio in hac parte, est contra tot grauissimos Theologos, qui protestantur esse de Fide diuinâ puritatem actualem Virginis propter Traditionem eius, quod verissimum est; licet aliqui nulli bi sit in Decretis Pontificiis & Conciliis directè definitum: nam in Concilio Claramontano nec verbum de illa est. Concilium autem Tridentinum, vt ait Suarez, non definiuit illam directè; eam tamen supponit. Quare omnino recurrendum est ad Traditionem. Deinde tam indubitata est hæc traditio Patrum, tam constans, tam numerosa, tam nota, vt nequirent Patres Concilij Tridentini non maximam rationem illius habere. Vnus ex Scholasticis Gregorius Ariminensis in 2. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. ausus est dicere, Virginem interdum venialiter peccasse, ne illam fateretur fuisse à peccato Originali immunem; quia, iuxta Augustini regulam, nullus est in peccato Originali conceptus, qui non interdum venialiter peccauerit. Nihilominus, quod coactus hac ratione, siue suppositione falsâ opinatus est Gregorius, agrè tenuit; & trepidus propter multitudinem Patrum diuersimodè sentientium, vix suæ opinioni hæsit, sicut notarunt aliqui docti.



CAPVT II.

Eadem Traditio, quâ adstruitur Virginis ab omni peccato actuali immunitas, extenditur ad eius puritatem Originalem.



X his inferitur, idem dicendum de Virginis puritate Originali; nam si consideretur hæc Patrum traditio, tam penes verba quibus vtuntur, quam penes rationes, quas ad roborandam suam sententiam circa Virginis puritatem adducunt, non solum illius actualem puritatem, verum etiam Originalem planè adstruere videbuntur: hæc etenim traditio tantæ Patrum multitudinis non limitatur ad peccatum actuale, tam mortale quam veniale, sed extenditur ad peccatum

peccatum in communi, omne genus culpæ ac maculæ intra suum ambitum comprehendens, vt satis patet ex elogiis, quibus B. Virginem extollunt: quidam enim illam nuncupant. *Virginem Impollutam*, alij *Purissimam*, alij *Inmaculatam*, alij *Intemeratam*, alij *Illibatam*, alij *Inculpatisimam*, alij *Sine labe*, *Sine culpa*, alij *Puriorem Seraphim*, alij. *Cuius Sanctitas & Puritas post Diuinam est maior*. Alij quoque prædictis æquivalenti elogiorum præconio illam magnificant. Solum video Rupertum, & Richardum Victorinum specificantes peccatum veniale & mortale, qui nec sancti sunt, nec adeò antiqui: etenim ante eos priora vndecim sæcula Ecclesiæ effluxerunt, quibus reliqui omnes modo dicto, & sine limitatione, de B. Virginis puritate loquuntur, qui ad fundandam inexpugnabilem Traditionem sufficiunt. Nec ipsi Rupertus & Richardus expresserunt peccatum actuale, sibi persuadentes Traditionem de ipso solùm esse, non etiam de Originali; sed ob aliam peculiarem, qua ad exprimendum illud ducebantur, rationem, vt postea patebit, quæ sanè ad Traditionem generalem de peccato sumpto in totâ suâ latitudine confirmandam conducit. Dato etiam casu, quòd aliquot ex Antiquioribus hanc Virginis puritatem per peccati actualis expressionem coarctarent; reliqua tamen Patrum multitudo, quæ Traditionem facit, cum prædicta generalitate comprehendente exclusionem vniuersi peccati generis loquitur. Præterea hi ipsi qui exprimunt peccatum actuale, non proinde censendi sunt excludere peccatum Originale; quemadmodum nec excludere iudicantur immunitatem Virginis à peccato actuali, qui solùm directè & expressè de eius Originali puritate loquuntur. Quapropter non solùm hæc puritas æquâ lance consistit; verùm aliquid amplius accedere, videri posset alicui, puritatis Originalis prærogatiuæ, cum maximè nullus ex sanctis Patribus, vt postea clarebit, Virginem contraxisse peccatum Originale, expressè asseruit, & non defuerit qui illi peccatum actuale patientius appinxerit.

Itaque licet Concilium Tridentinum, ex innumerorum traditione Patrum, qui Virginis omnimodam ac adæquatam puritatem commendarunt, sensum communem Ecclesiæ esse censuit, illam nullius peccati actualis dedecori fuisse obnoxiam; non proinde negauit Ecclesiæ sentire, illam nullius peccati Originalis nexu fuisse implicatam: dicta etenim Patrum ad omne genus peccati se extendunt; imò hoc videntur liquidò declarasse, cum Virginem omnes cætus Angelicos sanctitatis vbertate ac puritatis prærogatiua excessisse proclamauerint; quod verificari nullatenus posset contracto peccato Originali; ex hac enim parte Angeli essent B. Virgine puriores; quandoquidem peccati Originalis contagionem non agnouerunt.

Ad vberiore huius rei intelligentiam animaduertendum est, hanc Traditionem esse ex præcipuis quæ extant; & fortassè nulla maiori omnium, ac magis vnanimi Patrum consensui magis consentanea; tum ob numerosam Antiquiorum multitudinem, quorum auctoritate ac patrocínio eius certitudo plausibilior efficitur; tum ob efficaciam, ac rationum momenta, quibus eius veritas suadibilior redditur; ac denique ob frequentem eius repetitionem à Patribus, quæ puritatis Virgineæ singularitas omnium morta-

lium animis indigitatur. Ex quo sine dubio videtur colligi, hanc Traditionem non solùm ab ipsis Apostolis; verùm ab aliquâ illorum resolutione, vel definitione traductam ac roboratam fuisse, vt quidam affirmant Auctores. Non est mihi mens impræsentiarum Traditionem tam claram probare; nam illam tamquam valdè certam suppono: solùm enim contendo, illam ad puritatem actualem non esse restringendam; sed etiam ad Originalem extendi debere. Notandum insuper, Patres non tam terminis positiuis, qui latitudinis gradualis intensiois aut extensiois sunt capaces, vfos fuisse, quàm negatiuis, qui indiuisibiliter totum comprehendunt. Præterea; Patres nulli Sancto speciosos titulos Immaculati aut Impolluti, quibus Virginem exornant, absolute, ac sine addito diminuenente attribuunt, nisi tantùm Christo, cuius eodem verborum stylo ac harmoniâ, quibus in Virginem exuberant encomium, prosequuntur. Sanctus Paulus illum appellauit *Inmaculatum*, & *Impollutum*; Ecclesia *Hostiam immaculatam*. Vnde dixit Odo Cameraensis in Expositione Canonis, distinct. 3. *Ab Immaculatâ ergo sumpta est hæc Hostia; idè & ipsa immaculata*. S. Leo Epist. 38. similiter dixit *Inmaculatum Agnum*. Sanctus Eustachius Antiochenus Sermone in illud, *Dominus creauit me*, vocauit Corpus Christi, *Inmaculatum Verbi tabernaculum*. Ita vt soli Virgini ac Christo hæc concedant elogia absolute ac iteratò, seu cum repetitione. Sic eorum verborum tenore ac consonantiâ Origenes locutus est de Christo, de B. Virgine, Homil. 1. de Diuersis in Matth. *Huius Vngenti Dei dicitur hæc Mater VIRGO MARIA, Digna Digni, Immaculata Sancti & Immaculati, Vna Vnus*: prout multi iuxta Græcum legunt, Sanctus Bernardus, Serm. 13. de Cœnâ Domini, Virginem nuncupauit *Marem Immaculati*. Similiter Fulbertus Carnotensis, Serm. de Ortu Virginis, dixit *Inmaculatus Dominus*. S. Ioannes Chrysostomus ad Hebr. 9. *Hostiam immaculatam, mundam à peccatis*. Sanctus Proclus Constantinopolitanus, Orat. 4. *Agnum immaculatum*. Arnobius in Psalmum 10. *Inmaculatus Dominus est*. Leontius Episcopus Cyronapoleos, Oratione in Simeone: *Purus ille, ac immaculatus vna cum immaculatâ, ac inuuptâ Virgine, ac Matre, lege perscriptam obeat purificationem*. Hugo Victorinus de Verbo Incarn. collat. 3. *Virgo electa est, vt de mundâ immaculatus nasceretur*. Ioannes Zonaras in Canone de B. Virgine, eodem modo vocat illam *Inmaculatam*, sicut & eius Filium *Inmaculatum* dicit. Accedit, quòd Ecclesia Græca tribuit Deiparæ eadem epitheta, quæ ad munditiam spectant, ac eius Filio: idè in Menæis, die 20. Martij, in Vesperis de Sanctis Martyribus in Monasterio sancti Sabbæ occisis, exclamat: *O innocentis Agni Genitrix Agna, qui ad peccata totius mundi proprio sanguine persananda peruenit!* Itaque iuxta Græcos, sicut Christus est Agnus Immaculatus, ita & Beatissima Virgo Agna Immaculata habetur. Eâdem causâ, sicut vocauit Christum Vnicum, ita & Mariam dixit Vnicam. Sic enim habet die 7. Februarij Ode 4. de S. Lucâ Monacho in clausulâ: *Vnicus ille formosus, cum Te Vnicam quoque inter omnes mulieres formosam reperisset, ô Venerabilis VIRGO, tuum mox verum incolere cæpit*. Hæc denotant DEIPARAM Vnicam Iustitiæ Originalis, nullâ vniquam labe corruptæ,

Granadus,
Oueda,
Biuar,
Miranda, &
olim Luit-
prand. in
Chronic. &
S. Marci
Maximus
in Hymn.

corruptæ, pulchritudine præditam: est enim compositio vnicui formosi cum vnicâ inter omnes formosâ, quæ planè euanesceret, si hæc illi non subesset epitalis. Itaque, quod intendunt Sancti, tantâ terminorum generalitate sine limitatione, tantâ inter CHRISTVM & VIRGINEM laudum consonantiâ, tam speciosâ denique elogiorum serie, quibus ad eius dignitatem applaudendam vtuntur, est in ea admirari, exprimere, & quasi elatebrare singularem ac rarissimam eius puritatem, cuius similis in nullo alio reperiatur Sanctorum; nam aliâ Traditio foret satis vana, nec ex vi illius Concilium Tridentinum indubitanter colligeret Virgineæ puritatis singularitatem.

Quocirca Patres non tantum admirantur ac laudant sanctitatem, quâ Virgo tempore sui transitus ex hoc mundo abundauit, aut quam aliquo alio instanti, aut determinata parte temporis obtinuit; sed quam totius vitæ decursu, ac omni sui esse duratione possedit: alioqui non esset singularis: nam quidam alij Sancti aliquo tempore suæ vitæ peruenerunt ad puritatem actualem angelicâ æqualem, vel fortè eâ superiorem, vt S. Ioannes Baptista, & S. Iosephus suæ mortis tempore; imò etiam Baptista satis copiosam ac vberem sanctitatem in vtero suæ matris recepit. Itaque singularitas priuilegij ac sanctitatis, quam Patres in B. Virgine applaudunt ac magnificant, in totius suæ vitæ & existentie puritate consistit, quæ totam suæ vitæ durationem, ac omnia eius instantia, tam primum quam vltimum inclusiuè complectitur. Quapropter necesse est, quòd elogia. *Impolluta, Immaculata, Sine labe, Sine culpa,* &c. etiam Originale peccatum excludant. Ratio est; quia si Beatissima Virgo in vltimo instanti suæ vitæ vnum commisisset peccatum veniale, non diceretur *Immaculata*; nec Concilium illam à communi reliquorum sorte ac conditione eximeret. Idem etiam proculdubiò esset dicendum, si in primo suæ Conceptionis ac esse instanti aliquod peccatum veniale committeret. Ex quo euidenter sequitur, illam non posse vocari, *Immaculatam* aut *Impollutam*, si peccati Originalis feceretur turpitudine. Patet; nam si exigua peccati venialis macula impedimento foret in primo Conceptionis instanti, quominus *Immaculata* nuncuparentur; quantò magis spurcicia peccati Originalis denominationem *Immaculata* prohiberet. Porro peccatum veniale tam exiguæ maculæ delineamentis animam afficit, vt gratiæ pulchritudinem non expellat: at enormis peccati Originalis sorditas illam prorsus excludit. Rursus, peccatum veniale animæ interitum non molitur; Originale vero omnem vitæ spiritualis spiritum extinguit: per peccatum veniale non perditur ius ad gloriam; per Originale sanè ab eo longè remoueretur: per peccatum veniale amicitia Dei non dissoluitur; per peccatum autem Originale inimicitia lethalis contrahitur. Igitur si labe modica, ac nauulus peccati venialis adeo est incompatibilis cum omnimoda Virginitatis puritate, in primo instanti suæ Conceptionis, multo minus illam admitteret turbida Originalis colluuius: & consequenter Patres, qui tanto laudum præconio extremam ac specialem Virginitatis extollunt puritatem, ab ea etiam peccatum Originale profigant.

In prædictorum confirmationem hæc potest fingi suppositio: Si Beatissima Virgo in medio

suæ vitæ instanti peccatum Originale contraxisset, semper existens in gratia ab instanti suæ Conceptionis inclusiuè, vique ad illud instans, ac post per totum vitæ curriculum, nullo peccato actuâli interim commisso, non vocaretur *Immaculata*, propter illam peccati Originalis maculam intermediam, quâ in hoc euentu inficeretur: at eodem modo discurrendum est de peccato contracto in primo Conceptionis instanti. Vel ergo illud non admisit, vel titulum *Immaculata* non meretur; quod Patrum traditioni planè aduertatur. Ad vim argumenti nihil refert, an casus hic sit possibilis, aut impossibilis, ad suppositum enim, ac nostrum institutum, nullius est vigoris. Animaduerto tamen possibilem esse iuxta opinionem quorundam, qui sequuntur in hac re Patrem Vasquez: Deus namque fauore aliquo speciali, vel potentiâ, saltem absolutâ, peccatum Originale in instanti conceptionis gratiæ infusione præuenire posset, Virginitatemque ab illius calamitate, per sex menses mediâte sequentes, aut annos præseruare; tuncque per sui concursus specialis suspensionem, gratiæ scilicet abstractionem, eiusdem Originalis maculæ resultantiam permittere. Denique abstersâ peccati immunditia, ac penitus deleta, Virginitatem ad pristinum gratiæ nitorem restituere, in quo eam vsque ad vesperam, ac vltimum vitæ instans inamissibiliter conseruet. In hoc casu peccatum, in medio tempore contractum, *Immaculata* elogio Virginitatem, etiam nullo actuâli commisso, lætari non pateretur. Itaque quod totalis, vt sic dixerim, Virginitatis nullatenus coherere possit cum tantâ maculâ, quocumque instanti vel tempore sit contracta; idcirco obnixè ac necessariò tenendum, Deiparam, iuxta mentem antiquorum Patrum, nullius peccati sordem, etiam in primo instanti, fuisse deturpatam.


Denique sequeretur, admissio Virginitatis peccato Originali, plures ex posteris Adæ, quantum ad peccati carentiam attinet, munditiâ ac puritate illi esse æquales; quod manifestè Patribus Ecclesiæ opponitur, qui Matri Dei attribuerunt, tanquam priuilegium singularissimum, ac prærogatiuam, quâ præcellit omnes per generationem naturalem ab Adamo descendentes, esse *Immaculatam*, ac *ab omni labe immunem*. Consequentia est manifesta; nam omnes infantes innocentes, qui post Baptismum moriuntur, antequam ad vsum rationis peruenerint, quotquot etiam adulti perfecti iudicij, ac rationis expertes totum suæ vitæ stadium percurrunt, modò à peccato Originali lauacro regenerationis mudentur, essent æquè immaculati ac impolluti, ac Beatissima VIRGO: sunt etenim pares quoad peccati actualis carentiam, nec Beatissima VIRGO ab ipsis in immunitate à labe Originali dissideret. Vnde deducitur nullum superesse speciale priuilegium, aut titulum Matri Dei, quo reliquis ab Adamo descendentibus præstaret: quo nihil absurdius.

Confirmatur; nam quando S. Paulus Christum vocauit *Impollutum*, & alij Patres *Immaculatum*, vt Origenes, S. Bernardus, S. Leo, S. Ioannes Chryostomus, Arnobius, Odo, Proclus, Fulbertus Carnotensis, Leontius & alij; non solum à Christo peccatum omne actuâle excludunt, verum etiam & Originale; quod euidenter S. Pauli sequentia verba declarant: *Impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior celis factus*: quòd nullam habeat necessitatem orandi pro propriis delictis.

Vasquez
Tom. 1. in
3 part. disp.
116 cap. 5.
Toties de
penit.
disp. 12.
dub. 4.

Hebr. 7.
Serm. in
Ortu Virg.

delictis. Quibus verbis innuit, vel potius expressè suadere videtur, Christum etiam à peccato Originali esse remotam: nam qui quocumque vitaretur peccato proprio, etiam Originali, necessitatem haberet, vt Deus eum à peccati vinculis liberare dignetur, vel mediante actu contritionis, vel Sacramento Baptismi, vt nunc vsitatius: ita quòd per verba *Impolluti & Immaculati* remouetur à Christo vniuersum genus tam actualis quàm Originalis. Et quidem nuncupationem *Immaculati* in Christo, negare etiam peccatum Originale, expressè docuit Odo Cameracensis in *Can. distinct. 3.* dicens: *Hostiam immaculatam, id est, sine omni macula culpa, vitose concepta, & nata sine peccato.* Eodem prorsus modo de Virgine censendum: nam quemadmodum Christus non diceretur reuerà *Impollutus* absolute & simpliciter, si aliquod admisisset peccatum actuale aut Originale; aequè minus Virgo *Impolluta* nuncuparetur, si aliquod agnouisset. Præterea ratio quæ vsus est sanctus Paulus, ad supremam Christi extollendam puritatem, concinnè Beatissimæ Virgini accommodari potest, ac quadrat: nam cum sit constituta Aduocatrix hominum vniuersalis apud Deum, ac pro abolendis peccatorum delictis ad summum Iudicem indefinenter intercedat; oportuit eam fuisse omnimodà puritatem præditam, ac à peccatoribus omninò segregatam. Deinde cum sit excellior cælis (sicut illi meritò concessum est) ac etiam omnibus spiritibus cælestibus; eam congruit semper & vndeque fuisse *Impollutam*. His rationibus vsus est S. Paulus, loquens de Christo. Hoc confirmat B. Bonauentura in *3. distinct. 3. part. art. 1. quest. 1.* vbi sic ait: *Congruebat Aduocata generis humani, vt nullum haberet peccatum: congruebat vi Virgo ita vinceret diabolum, vt nec ei succumberet ad modicum: congruum etiam fuit, vt sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Beatus Thomas Villanouanus, *Serm. 3. de Natiuit. Virginis* ait: *Filius ostendit Patri latus & vulnera; & Mater ostendit Filio pectus & ubera. Vnde facta est idonea aduocata; idonea, quia Purissima.* Quæ dixit propter immunitatem à peccato Originali, quam in eodem Sermonem palàm est protestatus. Meritò igitur Odo Cameracensis, iam laudatus, eodem copulauit sensu Christum & Matrem eius in elogio nominis *Immaculati*, dum dixit, Ab immaculata Matre sumptam Hostiam esse immaculatam.



CAPVT III.

Idem aliis confirmatur argumentis.



ROBORATUR hoc argumento satis efficaci: Agnomina ac elogia *Impollute, Immaculate, Incontaminata, Illibata, Sine culpa, Absque labe*, &c. excludunt à MARIA omne genus culpæ, vel non: si primum, habetur intentum; si secundum, vana est traditio Patrum Ecclesiæ & Sanctorum, quæ Concilium Tridentinum ad extollendam Virginis immunitatem ab omni peccato actuali nitebatur. Si etenim hæc

epitheta non sunt ex parte termini negati adæquate negatiua, nec aded cuiuscumque generis peccati exclusiua, quin alicui culpæ ac maculæ patentem aditum relinquunt; inconsequenter Concilium Tridentinum ex illis inferret, Beatissimam Virginem omni caruisse peccato actuali; cuius ratio est manifesta: nam hi termini *Immaculata Impolluta*, &c. absolute, simpliciter ac sine limitatione sumpti, ad cuiuslibet maculæ carentiam significandam sunt ex se idonei, nec minus excludunt actualem quàm Originalem; quemadmodum conceptus nominis *animalis*, vel ipsius *macula*, non minus determinat vnum ex suis inferioribus; quàm aliud. Imò responderi posset Concilio, si aliquam culpam minus negarit, eam esse venialem: tum Virginem, quamuis Originali caruisset, habuisse tamen posse venialem, tamquam multò leuiorem maculam in comparatione Originalis. Quod hoc exemplo declaratur; Vt verificetur quòd purpura regia sit nitida, ac omnino prorsus sorde vacans, requiritur quòd nullo sit aspersa puluere, aut olei sit conspurcata labe, nec in aliqua etiam parte sui; verumtamen si quid cum eius nitore aut munditiâ consistere posset, maximè modicus puluis, qui facillimè excutitur; non verò fæda proserpentis olei macula, ac in vicinas partes se insinuantis, vt totum contactu suo deturpet. Eodem modo dictio *Immaculata* nullius peccati aut maculæ consortium admittit; & si cum aliquo coherere pateretur, maximè cum puluere, ac modico peccatorum venialium næuulo; non verò cum peccati Originalis grauitate, quod turpius omni labefactat oleo. Hoc argumentum est efficacissimum, eo maximè, quòd nulla alia Patrum extet traditio, quæ à tenore ac modo loquendi prædicto declinare videatur: nulla enim datur Sanctorum antiquorum specialis aut expressa traditio de carentia ac exclusionem peccati actualis, siue venialis determinatè; (vt iam animaduersum est, ac ipsi termini negatiui ac illimitati, quibus vsi sunt Patres, apertè indicant) sed peccati generaliter ac communissimè sumpti, omne genus peccati comprehendentis. Vnde absurdum esset dicere, nullam existuisse Traditionem, quæ Beatissima Virgo cum certitudine à peccato veniali liberetur: itaque necesse est hæc admittere Traditionem, ac consequenter sub eâ comprehendendi etiam peccati Originalis exclusionem; alioqui enim eneruaretur, vt dixi, fundamentum, quo Concilium Tridentinum statuit Virginis immunitatem ab omni peccato actuali; quod absit. Aliam quæstionem, quæ agitari solet, nimirum, An minus Christum dedecet nasci ex Matre, quæ peccati Originalis contagio nequaquam polluta, peccatum admittat veniale; quàm econtra ex Matre, quæ illud non aufugiat; commissio tamen peccato veniali, postea examinabimus, ac decidemus.

Præterea quidam Sancti in hac re se declararunt expressè, dicentes Beatissimam Virginem fuisse omnibus modis inculpabilem; nimirum Originaliter & actualiter; qui sunt modi, quibus persona humana culpabilis vel inculpabilis dici solet. Sic S. Iacobus, postquam iam Virginem vocauerat *Immaculatam*, ait: *Dignum est, vt Te verè Beatam dicamus, DEIPARAM semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam.* Quibus verbis bis indicat peccati Originalis exclusionem. Primò, appellando Virginem semper Beatam, vel quod eodem recidit, felicem; quod minimè dici



dici posset, si in principio sui esse, quod claudit vox *semper*, peccati Originalis infortunio fuisset obnoxia. Quippe S. Apostolus, ad tollendam omnem ambiguitatis occasionem, aduertenter, ac nimis caute repetit verbum *Beatam*, ac ei adiecit particulam *semper*, vt constat ex phrasi *Beatam DEIPARAM, semper Beatam*: semel etenim fuit Beata, quod peccati actualis non patiebatur ærumnam; bis Beata, ac semper, quod in peccati Originalis numquam incidit seruitutem. Quapropter Beatissima Virgo semper fuit Beata à principio sui esse inclusiuè per peccati Originalis carentiam. Secundò per illa verba, *Omnibus modis irreprehensam*: quæ manifestè & ex æquo remouent à Beatissimâ Virgine omnem modum reprehensibilitatis inducendæ vel per peccatum actuale, vel etiam per Originale; quod sanè suo modo, in quantum, est reprehensibile: est enim voluntarium in nostro primo parente, ac macula tam enormis, vt ex se sit dignum opprobrio. Sic in Republicâ Politicâ humanâ perpetua ignominia nota impingitur, ac ceterorum omnium subiicitur contumeliis, cuius natiuitas est infamis ac illegitima: itaque in carentiâ Originalis & actualis peccati consistunt omnes modi, quibus Virgo irreprehensibilis acclamatur. Huc concinunt verba S. Athanasij, sic loquentis: *Dicimus eam iterum atque iterum, & semper & vndeque Beatissimam*. Primâ vice illam dixit Beatam, propter carentiam peccati actualis; secundâ verò ob eius immunitatem à peccato Originali: quapropter ex omni parte, & semper fuit felicissima, vno ac altero modo à peccati calamitate immunis. Hoc idem significauit Timotheus Hierosolymitanus, quando vocauit Virginem *Omnibus modis Sanctam*.

Deinde S. Augustinus, l.b. de Naturâ & Gratia, cap. 36. inquit: Quod quoties sermo fit de Peccato, de Beatissimâ Virgine intelligi nõ debet, rationem reddens, quod abundantem habuerit gratiam, *ad vincendum omni ex parte peccatum*: quod planè idem est, ac quod supra dixit sanctus Iacobus, *Omnibus modis*. Sic namque ab omni peccato, tam actuali quàm Originali, victoriam reportauit. Sanctus Iosephus Confessor, vetustissimus ex Græcis Pater, in Menæis die 8. Ianuarij, Ode 3. similiter ait: *Omni ex parte intemerata Domina, imbecillitatem meam corroborata*. Item S. Stephanus Sibaita 1. Ianuarij, Strophâ 1. dixit *Ab omnibus maculis mundam Deiparam*. Tum etiam in Menæis Græcis, die 4. Ianuarij, Ode 3. de S. Theoctisto, dicitur: *Navis omnibus libera Virgo*. Porro si aliquis fortè huius rei euidentem declarationem, atque omnino distinctam in prioribus Ecclesiæ sæculis, curiosius explorare desiderauerit, expressissimam inuenire poterit, quamquam ad intentum minimè necessariam. Nam, sicut iam præmonui, Patres Ecclesiæ, in prioribus vndecim sæculis, Virginis innocentiam aut puritatem non declararunt expressis verbis ac specificis, remouendo ab eâ nominatim peccatum veniale; sed tantùm generalibus, & ex se aptis ad omne genus peccati excludendum ex quo ego fundamentum ac efficaciam meæ assertionis desumpsi; quo confidentiùs probare contendendo, Patres locutionibus adeò communibus etiam peccati Originalis exclusionem intendisse; & certè eos hanc supposuisse, euidentis indicium est, quod nihil amplius expresserint, nec ad exclusionem huius aut illius peccati determi-

natè sumpti, aut in particulari descenderint.


Aliud nunc addo argumentum satis efficax. Nemo què viderim ex Patribus, qui vndecim primis sæculis Ecclesiæ vixerunt, distinctè ac sub terminis propriis specificarunt exclusionem peccati venialis aut mortalis, vno aut altero Patre excepto, quod sciam, Sancto scilicet viro Idiota, atque Iuone Carnotensi. Sed hi iidem terminis æquè expressis, ac eodem in loco, etiam peccati Originalis exclusionem directissimè determinarunt, vt ex eorùm verbis patebit, ex quo sufficienter iudicari potest mens ac sensus reliquorum omnium in Traditione tam celebri. Igitur tenendum est, eos intendisse expulsionem etiam peccati Originalis, ac ad illud explodendum fuisse etiam si quidquam in particulari de exclusionem peccati pronuntiarent. Sanctus Idiota in contemplatione de Virginis perfectione, in hæc verba cap. 3. exclamauit, de quibus nuperrimè mentionem feci: *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue Originalis non est in te, nec vquam fuit, nec erit*. Et idem Idiota dixit: *O Prebenedicta, Combenedicta, & Postbenedicta Virgo MARIA*. Iuonis autem verba eodem modo loquentis de peccato Originali, atque veniali, dabimus infra Capite nono.

In confirmationem superiorum hæc alia ratio efformari potest: si tanta Patrum multitudo toties, & cum tantâ repetitione dixisset, Conceptionem fuisse Immaculatam, quoties repetiit, ac prædicauit *Dominam Immaculatam, Virginem Impollutam, Matrem Intemeratam*, &c. pro indubitato haberetur puritas Conceptionis; sed per has voces *MARIA Immaculata*, idem ipsum dicitur, imo & simul multo amplius; quare non habebit æqualem certitudinem puritas Conceptionis? Etenim Sancti, dicendo *MARIAM Immaculatam*, consequenter asserunt omnia quæ spectant ad illam, sine maculâ fuisse, passionibus eius mirâ tranquillitate morum sedatissimas, actiones omni instructas rectitudine, totius vitæ decursum in modestiæ ac virtutis orbitâ continuo fluentem; alia quoque accidentia, & omnes suæ vitæ gressus, ac denique quodcūque in eâ existit, nullâ admisisse labè. At primus gressus in stadio Beatissimæ Virginis vitæ fuit Conceptio: ergo hanc oportuit prius ab Originali sorde liberari; aliàs enim soli substantiæ, siue personæ Beatissimæ Virginis, ad tempus determinatæ esset attribuenda puritas, & non omnibus quæ eam concernant; quod Patrum menti aduersatur. Præterea, qui diceret, *Conceptio Immaculata*, titulum coarctaret ad primum instans, nullam insinuando aut reddendo rationem suæ assertionis. Verùm qui diceret, *MARIA Immaculata*, non solum puritatem Virginis, quàm verba formaliter exprimere videntur, adstrueret; sed etiam maximum præstaret patrociniū Conceptionis puritati, desumptum quidem à reliquæ vitæ candore; nam quemadmodum iuxta regulam Augustini, nemo conceptus in peccato Originali, vixit sine peccato actuali; sic è contrario carentia peccati actualis erit maximum indicium ac argumentum maculæ Originalis exclusiuium.

Hoc ipsum ponderemus ab opposito, ac nomine positiuo *macula* argumentando: Si Virginis Cōceptio verè maculata diceretur, ipsa etiâ maculata nuncuparetur in propriâ personâ: nam macula parti inexistens, in totum saltem quoad denomi-

nationem valet redundare. Si sola aliqua sacrorum corporalium extremitas atramento aut aliqua alia forde aspersa esset, ipsa corporalia dicerentur immunda, ac planè indigna ac indecentia, ut in eis Corpus Christi collocetur, ob vel vnus partis maculam aut nigrorem. Pari igitur ratione, etiam persona Virginis maculata diceretur ob maculam, qua eius Conceptio de formaretur; ac consequenter minimè idonea, ut in eius visceribus Filius DEI viuui incarnaretur. Eandem etiam proportionem retinet ad suas partes totum successuum, quale est vita, comparata ad omnes successus ac gressus sui stadij; quam totum permanens ad suas habet partes. Porro si nomen posituum ac limitatum semel parti applicatum se porrigit ad denominandum totum, quanto magis nomen negatiuum *Immaculata*, vniuersalius, ac quasi nescium coarctari, vni toti attributum, ad denominandam partem se diffundit. Igitur ratio *Immaculata*, quæ tribuitur Virgini, & totius suæ vitæ decursui, poterit denominare Conceptionem *Immaculatam*, utpote partem principalem istiusmodi totius successui inchoatiam.

His adiicitur, quod pleræque formæ ac denominationes consistunt in indiuisibili, quæ semel amissæ reparari non possunt, ex quibus est virginitas corporalis, quæ semel deperdita, refarci non potest, siue adhibito proprio consensu fuerit violata, siue violenter oppressa: pari etiã ratione puritas, ac virginalis candor spiritualis castimonie semel amissus, recuperari non valet ultra. Sed hæc puritas aut virginitas spiritualis consistit in carentiã peccati, potissimum mortalis; quod secundum Scripturam sacram est animæ spiritualis fornicatio. Et Chrysostomus *anima de-uirginationem* appellat. Igitur anima semel per peccatum, quo separatur à Deo, corrupta, siue illud à propria voluntate descendat, siue ex vi generationis communis, ac descensus ab Adamo animæ impressum; (nam quomodo id contingat nihil refert, ut paulò antè notauimus de virginitate corporali) deinceps *Illibata* titulo aut flore latari nequibit: itaque si B. Virgo in instanti suæ Conceptionis fuit violata spiritualiter. &, ut sic dicam, deflorata per peccatum Originale, nullo iure sibi vindicabit titulum *Intemerata*, *Impolluta*, aut *Immaculata*. Hanc ponderationem, quia in fauorem Virginis acerrimè pugnat, in subsequenti oportuniùs, ac sede accommodatori iterum tractabimus, eamque Patrum auctoritate muniemus.



CAPVT VI.

Argumentum à quibusdam Patribus desumptum, qui magis propenderunt in puritatem Originalem.



D superiora aliud argumentum magni ponderis accedit, quo satis roboratur quod asserimus. Plerique Patres Virginem nuncupantes, *Immaculatam*, conformiter ad communem ceterorum sententiam, ab ea

Ioann. Euseb. Op. Parib.

peccati Originalis labem excluderunt; imò etiam clarioribus verbis, licet ei attribuerint peccatum veniale. Vnde sequitur per illud epitheton magis ab illis excludi peccatum Originale quam veniale, ex vi ac significatione epitheti *Immaculata*: quippe iudicarunt maculam venialis non esse adeò notoriam, ut animæ spirituales pulchritudinem demoliri contendat: adeoque nec tantam repugnantiam habeat cum veritate elogij *Immaculata*. Ceterum, peccatum Originale ac actuale morale, cum penitus omnem gratiã oratum explodant, cum decore *Immaculata* minimè possunt consistere. Igitur constat, iuxta mentem horum Patrum, magis verificari significationem horum verborum, *Immaculata*, *Intemerata*, *Incontaminata*, &c. per expulsionem peccati Originalis, & cuiuscunque peccati mortalis, quam per expulsionem venialis. Hi Patres videntur se conformare sententiæ illi satis notandæ Angelici Doctoris, in 1. 2. q. 89. artic. 1. in corpore dicentis: *Proprie loquendo, peccatum veniale non causat maculam in anima*. Et similiter Expositioni Abbatis Wolueronis in Cant. 4. sic de anima sancta loquentis: *Tota ergo pulchra es amica mea, & macula non est in te: macula, inquam, non est in te, hoc est nullam habet essentiam: quia, & si aliqua parumper, & humana fragilitas accesserit, cito cordis compunctione, & humili confessione, atque quotidiana confessione, repellitur*. Sed licet hæc Expositio non quadret, nec eximio Deiparæ nitore sit digna, remouet tamen ab ea peccatum Originale; hoc etenim cum gratiæ formositate cohabitare non potest. Vnus ex dictis Patribus est S. Ioannes Chrysostomus, qui non quomodocumque, sed in suã Missã ac Liturgiã appellat Virginem *Immaculatam*, *semper Beatissimam*, & *penitus incontaminatam*. Eò quod peccati Originalis magis propria sint contaminatio ac contagium: & in Homil. de Annuntiatione, in quã vsus est quadam oratione Gregorij Thaumaturgi quam ibidem amplificauit; sæpius vocat Virginem *Intemeratam* aut *Immaculatam*: quippe sermonem habuit de illa sententiã: *Missus incorporeus seruus ad Virginem intemeratam: missus est immunis à peccato ad contagionis expertem*. Hæc vltima dictio in originali Græco idiomate sic inuenitur, *ἀνεπίδεκτος*, quod Latine *incapacem* significat, aut *impossibilitatem*. In hac enim contrapositione Angeli & B. Virginis, innuit ipsam adeo remotam fuisse à peccato Originali, ut Spiritum angelicum longã puritatis ac perfectionis diametro excesserit; huic attribuendo immunitatem à peccato, illi incapacitatem, ut peccato inficiatur. Deinde annectit hæc verba: *Aue gratia plena, Dominus tecum: non item diabolus contra te; nam ubi prius hostis vulnus inflixit, sibi Medicus salutis emplastrum posuit*. Quod verò dicatur diabolum non fuisse contra Virginem, intelligendum est, quod aduersus eam nunquam præualuerit; quod non foret verum, si aliquando peccato Originali notaretur; sic enim subiiceretur iugo ac dominio diaboli. Mox dicit, opponens M A R I A M Eux: *Aue gratia plena, quæ in utero matris mortem demersisti*. Hic locus dignus videtur ut attentè expendatur, suppositis antecedentibus: nam si Virgo non fuisset immunis à peccato Originali, non verificaretur illam demersisse mortem, cum prius ipsa in primo instanti peccati diluuiò absorpta, acerbissimam subiret; æquè minùs damnum aduersus eam non præualuisse cum verita-

In Cant. 4. cap. 4.

1. Homil. 24. in Epist. ad Ephel.

te diceretur. Hoc non obstante, ab omni maculâ veniali Virginem non liberavit, quod Auctores fateri coguntur; nec excusationis patrocinio ei subuenire possunt, cum eum excessisse fateantur cum sancto Thomâ. Et si eius sententiæ rigorem ac dissonantiam emollire ac attemperare conantur; nullam tamen inde satisfactionem eliciunt; eò maxime, quò in pluribus suæ doctrinæ locis se expresserit, ut in Homil. 4. in Matth. & in Psalm. 63. Homil. 26. in Ioann. 45. & 46. in Matth.

Eodem modo Origenes non solum in loco supra citato; verum etiam in Homil. 3. in 2. Matth. Virginem vocat *Immaculatam*; similiter in prima de Diuersis (& eius verba commendantur in Officio approbato per Sixtum IV. Pontificem, ac etiam inueniuntur in Breuiario Romano antiquo, potissimum in Breuiario Cardinalis Quinones) pro propugnanda Conceptionis puritate, dixit. *Virginem neque serpentis persuasione deceptam fuisse, neque eius venenosissimis afflatibus infectam.* Nihilominus Homil. in Genes. 1. & 17. in Luc. aliquam culpam venialem illi adscripsit.

Sanctus Athanasius in Oratione de Occursu Domini, Virginem *Intactissimam* ac *Impollutissimam* appellat, verbis quidem Græcis *παύλατος* & *πανάκατος* cum omni exaggeratione suadentibus cuiuscumque peccati exclusionem, quæ aliter aut commodius Latinè explicari nequeunt, quàm dicendo, *Omni ex parte immaculata, & penitus impolluta.* Idem Athanasius postquam de Virgine in fauorem suæ Conceptionis sententiam iam relatam protulerit, hanc sequentem in Sermone de Sanctissima Deiparâ, similiter edidit: *Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, ut in omnibus grata esset, atque idcirco gratia plena cognominata est; eò quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret.* Hæc verba citantur ac expenduntur à quibusdam pro immunitate Virginis à peccato Originali, ac meritò quidem; nam sub collectione omnis gratiæ comprehenditur gratia Originalis; nec hac deficiente, quæ est potissima, omnibus gratiis abundaret. Hoc non obstante, eundem Athanasium allegant in Serm. 4. contra Arianos, inter eos qui Virgini peccatum veniale attribunt: ex quo sequitur, Athanasium magis reduxisse plenitudinem gratiæ Beatæ Virginis, ob quam Patres eam *Immaculatam* appellarunt, ad peccati Originalis, quod animam omni gratiâ euacuat, quàm ad peccati venialis carentiam. Alios Patres, qui consimili loquendi modo de Virgine vsi sunt, congerere possem; verum in iis recensendis, aut hac materiâ enucleatius perscrutanda, immorari minimè delectat; cum nec memoria recolere velim aliquid cuiuspiam mentem subuisse, quo omnigena Virginis puritas ac candor offuscari videatur: aliquid tamen ex horum Patrum monumentis decerpere necessarium duxi, quo Deiparæ prærogatiua, quantum ad peccati Originalis carentiam spectat, debita splendoris gloria eluceat.

Tum etiam nemo ex Patribus, qui prioribus vndecim Ecclesiæ sæculis floruerunt, quod est valdè dignum consideratione, oppugnauit Virginis immunitatem ab Originali peccato; cum aliqui carentiam peccati venialis ei non concesserint: signum sanè euidens, quòd Traditio vocandi B. Virginem *Immaculatam*, apud aliquos Pa-

tres magis recipi ac intelligi consuevit de carentiâ peccati Originalis quam venialis. Inter eos, qui ei imputare peccatum veniale feruntur, annumerari solent qui sequuntur: S. Chrysostomus & Origenes locis supra citatis; Tertullianus de Carne Christi, c. 7. & lib. 4. contra Marcionem, c. 19. S. Athanasius loco supra allegato, S. Irenæus lib. 3. cap. 18. S. Gregorius Nyssenus, Oratione in illud, *Quando sibi subiecerit omnia*; Sanctus Cyprianus Sermone de Passione, Euthymius in 1. Lucæ, Theophylactus in 1. Lucæ, & 2. S. Andreas Hierosolymitanus, Sermone de B. Virgine, Beda super *Missus est*, Ammonius Presbyter in Euangelium secundum Ioannem, ac alij, eandem assertionem sequentes, Virgini peccatum veniale attribuire feruntur; qui sic loquuntur, ut difficilius benignam ac fauorabilem explicationem admittant, quàm qui Virgini peccatum Originale impingere censentur. Super Christi verbis inter nuptias in Cana Galilææ, *Quid mihi & tibi est mulier*, scribit Maldonatus in Ioann. 2. vers. 4. *Inter veteres Auctores paucos admodum inuenio, qui aut non aperte dicant, aut obscure significant aliquam culpam, aut errorem certè fuisse, quòd Filium ad faciendum miraculum inuenerit.*

Ex dictis aperte intelligi potest, quo modo quotquot ex Patribus propensius Virginem à peccato potius Originali quàm à veniali liberabant, arbitrati sunt minus indecorum fuisse Christo nasci ex Matre quæ leui veniali maculâ afficiatur, quàm quæ Originali ignominia dehonestetur: nam licet Virgini eligibilis esset nullum committere peccatum veniale, quàm non contraxisset peccatum Originale, imò quàm donari eximio vnionis hypostaticæ dono, licet hoc æstimabilius beneficium, ac in se bonum multò excellentius quàm peccatum veniale malum sit; argueret quoque Virginem maiori reprehensione dignam peccatum veniale semel commissum in genere moris, vtpote voluntarium in propria personâ, quàm culpa Originalis. Nihilominus præseruare Virginem à peccato Originali maius priuilegium, ac excellentius beneficium est ex parte Dei, quàm eam non permittere maculâ veniali aliquantulum opacari: stante etenim præseruatione à peccato Originali, nec anima Dei inimicitiam contrahit, nec diaboli mancipium euadit, nec denique redditur inepta ad recipienda plura auxilia gratiæ annexa, quibus plura peccata venialia declinare posset; ex alia parte peccatum veniale ex se his bonis recipiendis obicem non adeò ponit, nec animæ pulchritudini, nec amicitia Dei, nec charitati machinatur exilium. Vnde sequitur, respectu Dei minus dedecere nasci ex Matre, quæ existens in charitate ac gratiâ Dei, aliqua veniali labe afficiatur, quàm ex Matre, etsi ab hoc nauo remota, quæ in dæmonis seruitutem, ac Diuinam ipsam inciderit indignationem, quæque deinceps emancipata, ac ab hac captiuitate redempta, solum quasi libertæ nomen vindicare posset.

Ad maiorem declarationem huius rei pono exemplum: Potentissimo Principi eligenda est vxor; vel vna, quæ ab ignominiosis parentibus, profapiaque perpetuæ infamiæ sordibus notata gignatur, aut, quod in Hispania est maxima ignominia, ex Maurorû aut Iudæorû proxima stirpe descendat; tanta tamen probitate morum instructa, ut nihil in suis actionibus reprehensione dignum admittat;

Lugo de
Pœnit.
disput. 15.
sect. 5. n. 60.


admittat : aut aliâ generis claritudine spectabilis, nimirum Regibus orta, ac remotissima ab omni genere ignominie, quæ ei obiectati queat; in suis quoque actionibus, ac vitæ ferie ordinatissima, præter vnum defectum, eumque leuissimum, ac nullius, vel saltem perexigui momenti, qui in eâ semel deprehendatur. Quis dubitet, quòd hoc posterius sit præferendum Regi, ac multis partibus honorabilius ac longè felicius sit filio ex eâ nasci, quam à priori: eapropter bonum censerì debet argumentum, desumptum ab immunitate Virginis à peccato veniali ad eius præseruationem à peccati Originalis ignominia. His respondetur ad tacitam obiectionem, cui quidam magnus Theologus in hac materiâ ansam præbere potuit: nam nos in præsentì non tractamus de eo, quòd Virgini præferendum sit; sed de eo, quòd Maiestatì diuinæ decentius appareat.

Antequam hinc me expediam, duo aduertere libet, quorum primum est: Patres paulò superius relatos, qui allegantur non negasse Virgini aliqualem nauum venialem (præterquam quòd iis ferè omnibus pia ac benigna aliqua interpretatio exhiberi posset) de traditionis vigore reliquorum omnium Patrum, in quorum comparatione sunt paucissimi, nihil derogasse; tanta etenim multitudo reliquorum Patrum irrefragabilem traditionem constituere valet. Porro, & vt mihi persuadeo, prædicti Scriptores, qui culpam aliquam videntur imputare Virgini, asseueranter eum deliberatione maturâ, aut asseruiue pleno iudicio, aut eum vltimâ determinatione nequaquam sunt locuti; sed tantum obiter, & quasi per transennam alterius sui intenti, ac finis munimentum moliti, & in eo occupati, vt quidam demonstrant: quapropter in fauorem omnimodæ puritatis DEIPARÆ eos postea citare non grauabor. Et quidem veneror, & admiror prouidentia Diuinâ permissum fuisse, vt in prioribus vndecim sæculis aliquot extitissent, qui in B. Virgine omnis peccati venialis exclusioni minùs fauerint, nullo interim negante eius immunitatem Originalem; quorum, quæso, esset censenda imbecillior ratio ac infirmius fundamentum, quibus hæc innititur, quam illa; licet in his quinque postremis sæculis quidam ad immunitatem Originalem, quam ad actualè puritatè minùs inclinare videantur, quòd postea in exactiorem examinationem redibit. Interim censeo, de nullo Patrum antiquorum, imò nec posteriorum posse dici, quòd affirmatiuam opinionem absolutè ac perseueranter adstruxerit. Ceterum, admissò quòd aliquot eam constantius defendissent, ex dictis tamen constat, Traditionem tam firmam, pronuntiatam tam commune, ac denique consensum ad eò vnanimem innumerosum Patrum per tot sæcula minime abrogare, aut debellare posse.

Alterum, quòd aduerto, est, Rupertum & Richardum Victorinum, Virginis puritatem commendantes, ad expressam peccati mortalis ac venialis exclusionem descendisse, eâ solum ratione ductos, quòd quosdam notauerint Scriptores, qui de hac parte negligenter, aut minùs aduertenter tractasse videbantur; ac potissimum Theophylactum, qui paulò ante eos vixit, & Euthymium, cuius tempora attigerunt: quapropter eis congruum videbatur illud virginæ puritatis extremum distinctius exprimere, ac eius veritatem nouâ luce refundere, ne à quibusdam intantum, ac incautè prætermissum, paulatim ver-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

geret in obliuionem, ac ex multorum memoriâ elaberetur; ideò ad muniendam ac sustentandam communem Traditionem, ac mentem Ecclesiæ, de totali Virginis puritate, quòd illius temporis exigentia postulabat, accuratiùs explicarunt actualè, in hoc ipso inuoluendo puritatem Originalem, vt pote comprehensam in totali, quam ipsi etiam in suâ occasione, ac loco commodiori adstruxerunt; quapropter eos inter fautores purissimæ Conceptionis iure connumerari oportet.



CAPVT V.

Non solum Patrum sententiæ, verum etiam rationes quibus innituntur, a què puritati Originali ac actuali suffragantur.



ORRÒ maximum indicium est, Patres in suâ Traditione communi puritatem Originalem etiam comprehendisse, quòd sua decreta ac sententiæ circa omnimodam Virginis puritatem non tantum ad exclusionem peccati Originalis se extendunt; verum & rationes, quibus vtuntur, suadent. Ratio, ob quam B. Virgini tantæ puritatis priuilegium attribuunt, est, quòd sit Mater Domini: sic sensit sanctus Augustinus, lib. de Naturâ & Gratiâ, cap. 56. dicens, *Propter honorem Domini*: postea ad amulsum eius verba recensebo. Sed hæc ratio æqualiter peccatum Originale detestatur: nam si Matrem Dei non deuit committere peccatum veniale, nec in ipso suæ Conceptionis instanti; quantò minùs eam deceret inforduisse luto Originali, quòd turpiorem inurit labem? Non certè tantum ob reuerentiam Dei, cuius Matrem omnis puritas decet; sed etiam propter ipsius Virginis honorem, ac Angelorum, quorum est constituta suprema Domina ac Regina, congruit eam à cuiuscunque peccati coinquinamento semper, ac vndequaque liberam fuisse: non enim expediebat Spiritus supernos ab omni impuritate remotissimos ex quo cœperunt esse inclusiue tali subesse Dominæ, quam seruile dæmonis iugum aliquando depressoisset, peccati iniquitas violauisset, ac verè exhonorauiisset; quam denique penuria gratiæ in primo sui esse instanti extremè depauperauisset; cum vice versâ Angeli sanctitatis diuitiis semper ac quocumque instanti affluerent, & tanti honoris priuilegio latarentur, in quo se Virginem longè superare gloriari possent. Cum his concinit Cardinalis Bellarminus, Tom. 4. Controu. lib. 4. cap. 15. dicens, *Quòd cum Deus B. Virginem ad tantam dignitatem sublimare decreuerit, vt omnes creaturas puras, etiam angelicas longè superauerit; ita etiam congruit, vt ei dedisset omne priuilegium quòd alicui creaturæ contulerit, nisi id eius conditioni aut sexui repugnasset. Si ergo tale priuilegium Angelis fuit concessum, vt in primo instanti sui esse aut creationis fuerint sanctificati, ac nullius peccati labe contaminati; hoc ipsum potiori iure*

K 2 Regina

Serm. de
Concept.
qui etiam
continetur
in Officiis
approbatis
à Sixto
Quarto, &
aliis Pontifi-
cibus.

Reginæ Angelorum debeatur. Totum hoc confirmatur illo loco Anselmi, sic loquentis: *Angelos, alius peccantibus à peccato seruatis, & feminam Matrem suam futuram ab aliorum peccatis exsortem seruare non potuit? In aternitate Consilij sui statuit eam Dominatricem & Reginam fore Angelorum, & tunc inferiorem gratiam Angelis datam, in consortium conceptam esse crederemus hominum peccatorum? Existimet hoc qui vult, argumentis suis probet qui vult, his qua dicimus aduersetur qui vult: ego, donec ostendat Deus mihi aliquid dignius excellentia Domine mee posse dici, qua dixi, dico qua scripsi, non mutò.* Videatur Pater Didacus Granadus, Tom. 4. Controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 20. qui fusiori calamo iis adtipulatur. Si igitur necessarium fuit, Reginam Angelorum ab humana infelicitatis clade liberari; quanto magis oportuit Dei Matrem ab omni dedecore præseruari? His accedit, quòd secundum D. Thomam dispositio proportionata requirebatur, statim ac Deus ad tantæ dignitatis culmen B. Virginem euehere decreuit: *Illos quos Deus eligit, ita præparat & disponit, ut ad id quod eliguntur, inueniantur idonei.* Hæc S. Thomas. Ast si sanctitatem Ioannis, ac ministerium Præcursoris cum illâ Dei Matris sublimi dignitate ac excellentiâ Reginæ Angelorum, quæ in B. Virgine asseruantur, conferamus; tanto perfectionis interuallo, ut constat, à se inuicem dissidere inueniemus, ut differentissimas, ac longè distantes exigant dispositiones. Si igitur Præcursoris ministerium ac dignitas longè inferior, non minorem apparatus, dispositionem, aut priuilegium postulauit, quàm ut adhuc existens in utero materno, etiam primis sex mensibus sanctificaretur; quanto meliori iure singularissima Dei Matris prærogatiua, ac Reginæ Angelorum maiestas, etiam in primo suæ Conceptionis instanti, tamquam futuræ celsitudinis prælagam gratiam exigere potuit, ac debuit? Quanta autem fuerit hæc DEIPARÆ dignitas, non tantum post partum suum, aut natiuitatem Filij Dei, sed antea, testatur Matthæus Augustus Cantacuzenus, super illa verba Capituli octauæ Canticorum, *Lampades eius*, &c. in quorum loco Septuaginta Interpretes legunt *Pinna ipsius*, cum inquit: *Sedit super Seraphim, & super ipsas supremas Intelligentias, inuisceratum ferens Opificem, & Conditorem Vniuersi.* Hoc de Virgine non tantum sentit, postquam ad cælos fuit euecta; sed etiam quando adhuc Dei Filium in utero gestabat. Hoc idem magis exaggerat & declarat Gregorius Magnus, respiciendo ad dispositionem ac præparationem ad tantæ dignitatis fastigium attingendum valdè necessariam, qui in exponendis illis verbis Isaïæ, cap. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini*, sic ait: *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ supra montes Sanctorum refulsit.* Et paulò antè dixit: *An non mons sublimis MARIÆ, quæ ut ad conceptionem Aeterni Verbi pertingeret, meritum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad Solium Deitatis erexit?* Et certè Gregorius hanc meritum magnificentiam ac excessum supra Seraphim, propinquitatem & accessum ad diuinitatem in B. Virgine supponit, antequam in suâ aulâ Virginali æterni Patris Filium concepit. Quos dispositionum apparatus, quæ & quot sanctitatis præludia ad tantam meritum molem, ad Diuinæ maternitatis priuilegium, ac denique immensos sanctitatis ac aliorum donorum

Ib. x. c. i.
in Virg.

spiritualium thesauros, quibus p̄c̄stèa fuit cumulatissimè locupletata, præsumi oportet, ut eius gratiam Sancti appellarint immensam: non est multum certè, quòd prodigium tantæ sanctitatis, ac promontorium vlque ipsius diuinitatis celsitudinem eiusmodi eleuatum, sic ad hæc disponatur priuilegia, ut mox in primo suæ Conceptionis instanti ab omni peccato præseruetur, ac nullis creaturis se inferioribus, quales sunt Angeli, quoad hanc partem postponatur. Præterea hoc aliquantulum explicari potest exemplo rerum physicarum, in quibus quòd formæ ac operationes eliciendæ sunt digniores, eò præstantiores exigunt dispositiones, ac præsupponunt.

Alia ratio est, quòd Sapientiam diuinam non decuit subire corpus obnoxium peccato; prout testatus est Fulbertus Carnotensis, dicens: *Hoc igitur cum primis adstruere fas est, quod anima ipsius, & caro in quâ elegit sibi habitaculum Sapientia Dei Patris, ab omni malitiâ & immunditiâ purissima fuerunt, affirmante Scripturâ, Quod in maleuolam animam non introibit Sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Hæc eadem Fulberti verba videtur desumpsisse D. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 4. ad probandam Virginis puritatem actuale; sed Fulbertus puritatem Originalem iis stabilire contendit, quod in aliis locis vberius expressit; & quòd reuera maiorem habeant vim ad suadendam immunitatem à peccato Originali quàm à veniali, dubitari non debet, cum corpus efformatum ac conceptum in peccato Originali, magis sit subditum peccato, quàm quòd vnum admittat veniale, si non contraxisset Originale.

Rursus: Patres sumunt argumentum ab integritate Virginitatis corporalis DEIPARÆ ad probandam eius puritatis spiritualis integritatem, quam omnibus suis numeris completam, *anima virginitatem* appellant. Vnam & alteram virginitatem, tam corporis quàm animæ S. Cyprianus in B. Virgine recognouit, ut ex verbis sequentibus liquidò constat: *Illud vas electionis, plurimum à ceteris differens, naturâ communidabat, non culpa.* Mox addit: *Vnde & Matri plenitudo gratiæ debeatur, & Virgini abundantia gloriæ, qua carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali intus & extrâ CHRISTI præsentia fruebatur.* Sanctus etiam Ambrosius, lib. 2. de Virginitatibus, dixit de Matre DEI, *fuisse Virginem non solum corpore; verum etiam & mente.* Sanctus Ioannes Damascenus inquit: *Gratiæ abyssum inuenit VIRGO, qua duplicis Virginitatis nauem incolumem seruauit, animamque non minus quàm corpus Virginem custodierat.* Et Sophronius inter Opera Diui Hieronymi dicit: *Ideo Immaculata, quia in nullo corrupta.* Sanctus Bonauétura eodem verborum stylo, quo in Beatâ Virgine carentiam peccati venialis probat, suæ etiam Conceptionis puritatem confirmat; ut ipsa eius verba testantur: *Congruum fuit, ut illa qua placuit Altissimo, adeò ut fieret Sponsa, & Mater Filij Dei Vniuersi, sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Hæc collatio virginitatis spiritualis ad corporalem, quæ pari gradu in Virgine concurrere videntur, maximam procul dubio habet efficaciam: non est enim credibile, quòd Deus in suâ Matre minus animæ quàm corporis puritatem exigeret, aut huic parcius ac minus beneficè consulere, quàm illi. Quippe, si in gratiam

Serm. de
Natiuitate
Sanctissimæ
Virginis.

Oratione
de Assump-
tione.

In 4 Sent.
dist. 3. a. 5.
quæst. 1.

corporalis

corporalis virginitatis tuendæ tot mirabilia aut potius miracula operatus est Deus, communem naturæ ordinem ac legem mutando; quanto congruentius de eo præsumi debet Matrem ab omni Originali labe præseruasse in fauorem spiritualis virginitatis, longè sanè perfectioris, ac à communi lege, cui omnes ab Adamo descendentes subiiciuntur, benignius exemisse. Licet S. Bonaventuræ hac similitudine ac comparatione corporalis virginitatis ad spirituales utatur, ad concludendam omnem maculam venialem; non minus tamen contra Originalem exerit vires; peccatum enim veniale nec spiritualis fornicatio nec stuprum, nec adulterium in sacra Scriptura nuncupatur, consequenter nec gratiæ insidias parat, nec sponso indignationem accendit, nec denique virginitatis flori excidium maturat: hæc omnia præstat maleficium peccati Originalis, ac animam turpissima labe corrumpit.

Denique nostrum probat institutum summa coniunctio B. Virginis cum CHRISTO, qui nullum habet commercium cum diabolo, secundum illud Apostoli, *Quæ conuentio CHRISTI ad Belial*: nec consequenter MARIA. Hac ratione vsus est S. Thomas, ad probandum B. Virginem nulli peccato veniali fuisse obnoxiam: sed quis non apertè videat, eam multo efficacius suaderi Virginis immunitatem à peccato Originali; hoc etenim animam cum dæmonio coniungit, eius dominio subiicit, in eius familiam transfert, amicitiam Dei dirimit, gratiam excludit, filiationem, adoptiuam tollit; peccatum verò veniale nec Dei amicitiam, nec gratiæ, nec filiationis adoptiue vinculum dissoluit. En ergo quanto minus separat peccatum veniale à Christo quàm Originale: vnde perspicuè colligitur supradictam rationem non minus militare contra peccatum Originale, quàm contra veniale.


quod cum gratiâ componi potest, nec ea animam euacuat, quanto efficacius valebit excludere peccatum Originale, quod omnem eliminat gratiam, ac animam suo Conditori minimè gratam confestim efficit. Quapropter S. Ildephonius in lib. de Parturit. Virginis meritò hoc testimonio demonstrat DEIPARÆ puritatem Originalem, quæ reliqui omnes ab Adamo descendentes depriuantur; & sic inquit: *Cum dicit Gratiâ plena, ex integro iram exclusam ostendit, & restitutam gratiam declarat.*

Alius locus sacre Paginæ, qui ad nostrum facit propositum, est *Tota pulchra, &c.* Quo etiam confirmat S. Thomas puritatem actualem Virginis. Hic sanè locus etiam ex vi rationum quas adducit D. Thomas ad Originalem puritatem se extendit, vt apertè & expressissime demonstrat Idiota, cuius verba iam retulimus. Insuper eandem puritatem Originalem inde probari constat ex Officio Conceptionis, quod Sixtus IV. approbavit, in cuius quadam Antiphonâ sic dicitur: *Tota pulchra es MARIA, & macula Originalis non est in te.* Vbi illæ dictiones MARIA & Originalis, in texta, ac reliquis verbis sacre Scripturæ interpositæ, ea ad distinctiorem sensum omnino determinant, ac quod occultare videbantur enucleant, ac manifestius exponunt. Quantam efficaciam habeat hæc verborum interpositio, satis luculenter docet S. Bernardus, aut quicumque est Auctor Sermonis 3. de Natiuitate Virginis, sic loquens: *Quoties Ecclesia in Scripturis sacris verba alterat aut alternat, fortior est illa compositio, quàm prima positio verborum.* Fortior, inquit, non quod per eiusmodi alterationem aut additamentum Ecclesiæ firmior fides aut maior certitudo ad verba sacre Scripturæ accedat; sed quod ab Ecclesia (cui ex officio & iure proprio incumbit elatebrare recondita Scripturarum mysteria) plenius elucidetur quod in eis obscurum continetur. Quod in presenti maxime locum habet, cum hoc Officium, præterquam quod à Sixto IV. Summo Pontificè fuit approbatum, satis comprobatum sit à Concilio Tridentino, quod eiusdem Sixti constitutionem confirmavit. Ob hoc testimonium Matthæus Cantacuzenus adeò firmiter adhæsit Virginis totalis puritati, ac ab omni genere culpæ remotissimæ, vt eam vocare minimè dubitauerit *ὑπερδωκευον*, hoc est, *Super-Immaculatam*: dicere volens ascendisse supra omnem puritatem creatam adhuc ultra iustitiam etiam Originalem, si fieri posset; interpres Latinus dicit, *Totius præter labris expertem*; sed verbum Græcum significantius rem exponit.

Similiter pro nostrâ militat sententiâ locus ille, *Vn: est columba mea, perfecta mea.* Propter hunc locum Theodoretus, siue potius Pfellus in suis Commentariis in Cantica insertus; Virginem appellat *Sanctissimam* ac *Immaculatissimam*; & subiungit: *Inter tot animas omnium hominum, qui saluantur, vt electa columba est vna illa sola quæ CHRISTVM genuit Virgo Mater, puella MARIA, quæ puritate profectio Cherubim & Seraphim antecellit.*

In hoc loco notatur Virginem esse vnicam, & solam in puritate, quod non esset verum, nisi in aliquo genere puritatis cuiuscumque alterius consortium excluderet; cumque plures ex filiis Adæ, vt iam dictum est, puritatem actualem habuerint, restat dicendum hoc singulare

2. Cor. 6.



CAPVT VI.

Pluribus sacre Scripturæ testimoniis probatur puritas Originalis quàm actualis.



ON solum Patrum rationes; verum & loca Scripturæ, quibus Virginis puritatem stabilire solent, se etiam extendunt ad occurrendum peccato Originali, quod nostræ assertioni ac sententiæ nouum addit vigorem; nimirum de Patrum traditione, etiam ad puritatem Originalem extendenda. Primus locus sit, illa verba Salutationis Angelicæ, *Gratiâ plena*; quibus Gregorius Thaumaturgus probauit Virginem esse vel fuisse Immaculatam: hæc enim plenitudo gratiæ ad tempus prolationis verborum tunc præiens, aut aliquod tempus quasi permanenter existens, iuxta mentem Sanctorum non limitatur; sed B. Virginis totius vitæ omne tempus successiuum cum omnibus suis partibus ac instantibus (alioqui nihil probaret) extensiuè complectitur. Vnde sequitur, *MARIAM* numquam admisisse vacuitatem gratiæ, per peccatum Originale inductam. Vigetur: Si locus ille ad remouendum à B. Virgine omne peccatum veniale vim habet,

Ioann. Ensch. Op. Parth.


Serm. de Annunt.

Cant. 6. v. 8.

Theodoret. in Cantic.

Virginis, ac vnicam consistere debere in ordine puritatis, ac iustitię Originalis. Quapropter Theodoretus non *Immaculatam*, sed *Immaculatissimam* eam vocavit: & licet hæc vox *Immaculata*, eò quòd sit negatiua, ac consequenter iuxta suę significationis amplexum totius ac cuiuslibet maculę carentiam comprehendat, sine istius superlatiui *Immaculatissima* adiectione sufficeret; addidit tamen, vt perspicuè intelligatur Virginem fuisse in omni genere puram, ac omnem puritatem possibilem attingisse, quam nequaquam attingeret, si impuritatem Originalem admisisset. Hoc ipsum Theodoretus ampliùs confirmat, dicens quòd *Virgo puritate profectò Cherubim & Seraphim antecellit*. Seraphim namque puritate nullatenus superaret, si maculam Originalem, à quã Spiritus caelestes longè aberant, contraxisset: porrò, ne cuiquam videatur ipsum locutum fuisse aut deuotionis causa, vel rhetorica exaggerationis gratiã, sed in omni veritatis rigore, illam asseruerationem *profectò*, immiscuit ad explicandum adæquate quòd censuit.

Præter prædicta, & alia sacre Paginae testimonia, quibus puritas Virginis probatur, ac Originalis, quæ sub puritate illimitatè sumptã comprehenditur, attingitur; quædam loca inueniuntur, quæ hanc speciatim ac præcipuè declarant, nec cuiuslibet puritati sunt communia; sed Originali tantum propria: ex quo deducitur pluribus locis suaderi puritatem Originalem quam actualem; omnia etenim loca quæ pro hac militant, etiam illam propugnant. Ceterum aliqua alia loca propria priorem protegent, quæ hanc posteriorem minus amplectuntur.



CAPVT VII.

Expenditur Concilium Tridentinum in fauorem huius Traditionis.



VNC accedo ad aliud argumentum, desumptum ex Concilio Tridentino, quod Sixti IV. Extrauagantes innouauit, considerabiliùs ac fortasse efficacius ad probandum tam antiquam Sanctorum Patrum traditionem ad B. Virginis puritatem etiam Originalem se extendisse: verum vt ad hoc argumentum apertior pateat aditus, animaduerto Primò, Nullum Concilium, ex iis quæ Deiparę puritatem commendarunt, Beatissimam Virginem à peccato actuali liberasse, quod eandem etiam à peccati Originalis maculã non exemerit: ac prætermisissis iis, quæ eius puritatem generaliter & in communi attestantur, vt Concilio Toletano XI. quod eam in Professione Fidei *Immaculatam* appellat; Sextã Synodo Constantinopolitana Act. 8. quæ illi eundem titulum concedit, ac in Act. 18. eam vocat. *Illibatam*; Secunda Synodo Nicæna Actor. 6. *Intemeratam*; Concilio Ephesino, quod *Impollutam*; Francofordiensi, quod in Epistola ad Episcopos Hispaniæ eam *Immaculatam* etiam prædicat: quæ omnia puritati in communi, complectenti vtrumque

genus puritatis, tam actualis quàm Originalis fauent. Veniamus ad ea Concilia, quæ ab actuali culpã Virginem specialiter atque manifestè eximunt: quorum vnum est Concilium Basileense, quod in eodem loco ac parte vbi asserit Virginem caruisse culpa actuali, attestatur etiam nullã maculã Originali fuisse contaminatam. In Sess. 26. dicit: *Doctrinam illam, asserentem gloriosam VIRGINEM MARIAM, præueniente & operante Diuini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiucisse Originali peccato; sed immunem semper ab omni Originali, & actuali rugã, sanctãque & immaculatam semper fuisse; tamquam piã, consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholica, recteque rationi & sancte Scriptura, ab omnibus Conciliis approbandam fore tenendam & amplectendã definimus & declaramus*. Si hoc Concilium fuisset approbatum, nos certiores de sensu cõmuni quem habuit Ecclesia sæculis retro actis adusque sua tẽpora, tam de eximendã Beatissimã Virgine ab Apostoli propositione vniuersali, quã etiam ab obiecto cultus in Festo Conceptionis, sufficientissimè reddidisset; & licet ob defectum approbationis huiusce Concilij determinationi non sit adhibenda firma fides, aut certitudo concedendã: ad minus ex ea colligitur euidenter sententia communis tot Patrum qui ibi assistebant, de immunitate Deiparę à peccato Originali; quod non est patrociniũ spernendum.

Concilium etiam Tridentinum dixit, quòd Ecclesia tenet Beatissimã Virgini fuisse ex priuilegio concessum vt numquam peccaret, nec venialiter: quapropter eam à communi forte ac fragilitate reliquorum hominum in committendis peccatis exclusit: simili quoque modo à decreto peccati Originalis illam exemit, dicendo, suum intentum non fuisse sub eo Matrem Dei comprehendere; sed tantum obseruari debuisse Constitutiones Sixti IV. quas denuò obseruandas præcepit. In quo certè validum pro nostro instituto ac suę mentis elucidatione præbuit argumentum, nec vix aliud pro certitudine ac munimento nostrę pię sententię ampliùs desiderari queat, eò maxime, quòd inferuerit clausulam ad eò honorificam, quæ alteri clausulæ quam apposuit quando de peccato actuali tractauit, ac B. Virginem puritatis actualis priuilegium obtinuisse asseruit, ferè æquiuale re videri posset; vbi sic ait: *Sicut tenet Ecclesia*, supponens de eodem priuilegio Traditionem extitisse in Ecclesiã. Simili sanè modo consimilem Traditionem præsupponere est visum, quando de peccato Originali sermonem facit: nam ab eo Virginem excipiens, confirmat quod in fauorem Conceptionis Sixtus IV. muniuit; quippe hic Pontifex ac Concilium Tridentinum, quod eius Constitutiones ratificauit, plus in fauorem Virginis ac nostri instituti veritatem propendit, quam à quibusdam iudicari poterit.

Quapropter placeo proponere quandam considerationem, nixam Extrauagante *Græue nimis*, Sixti IV. quæ etiam extat in Iure Canonico, & est confirmata per Tridentinum, non quidem animo asserendi, quod per illam videtur colligi; sed argumentandi dumtaxat gratiã, vt Doctores diiudicent, quid momenti habeat argumentum. Etenim ibi reprobatur & damnatur Põtifex tamquam fallas, omnique veritate destitutas, & tamquam erroneas quorundam propositiones inter alia asserentium, Opinionem piã de immaculatã Conceptione, hæreticam esse. Quod est definire, tum dictam

dictam opinionem non esse hæreticam (si quidem idem est definire propositionem aliquam esse falsam, atque esse veram eius contradictoriam) tum erroneum esse illam hæreticam vocare. Ex quibus duobus planè definitis à Sixto duo videntur sequi: Primum ex primo, opinionem oppositam piæ suæ iam potissimum fundamento destitutam esse: Secundum ex secundo, opinionem piam pertinere ad Fidem aliquo modo. Quamquam enim Pontifex in eadem Extrauagante expressè declarat, nihil adhuc ab Ecclesiâ decisum esse circa has opiniones, puta directè & in particulari, eoque iure sub graui pœnâ & censurâ præcipiat certis de causis, vt neutra pars opinantium alterius opinionem notet vt hæreticam aut erroneam aut aliâ huiusmodi censurâ; dum tamen propositiones, quibus opinio piæ à quibusdam Aduersariis notata erat, modo dicto condemnat, tacitè & indirectè videtur innuere opinionem piam aliunde, quam à definitione Romanæ Ecclesiæ aliquatenus spectare ad Fidem, oppositamque suo potissimo fundamento carere.

Incipio ab hoc secundo. De Fide est ex definitione Sixti, opinionem piam non esse hæreticam, vt posuimus; ergo de Fide est, opinionem piam non esse oppositam propositionibus vniuersalibus de peccato Originali in Scripturâ contentis. Vtraque consequentia videtur bona; quia dum decernit Pontifex opinionem piam non esse hæreticam, intentio eius est nullo modo esse eam oppositam Fidei. Pergo: Sed potissimum fundamentum, quo nitetur opinio contraria piæ, est, quòd piæ opponitur dictis propositionibus vniuersalibus (vt pote negans in Beatissimâ Virgine peccatum Originale, quòd ipsæ vniuersales affirmant in omnibus descendentes ex Adamo) ergo de Fide est post definitionem Sixti opinionem contrariam piæ potissimo suo fundamento carere, quòd erat probandum. Nec dici potest, Pontificem dum decernit opinionem piam non esse hæreticam siue Fidei oppositam, tantum velle non esse eam contra definitionem Ecclesiæ, quâ opinio contraria iam damnata sit, quoniam Pontifex in eo sensu decernit non esse hæreticam, in quo assereretur hæretica ab Aduersariis; sed Aduersarij non assererent illam hæreticam; quòd putarent esse damnatam ab Ecclesiâ, aut suam oppositam definitam, vt est notissimum; sed quòd putarent esse contra propositiones vniuersales supra dictas in Scripturâ contentas. Igitur decernere Pontificem non esse hæreticam, prout assereretur ab Aduersariis, perinde est ac decernere non esse oppositam prædictis propositionibus, vt argumentum factum concludebat. Constare igitur videtur ex Sixti Decreto, opinionem piam propositionibus vniuersalibus de peccato Originali oppositam non esse: quòd est ipsum ac dicere fundamentum potissimum contrariæ opinionis iam non subsistere.

Venio ad alterum quòd proposui: De Fide est ex definitione Sixti, propositionem, asserentem opinionem piam esse hæreticam, erroneam esse; ergo certum est secundum Fidem, post Sixti definitionem, contradictoriam talis propositionis conclusionem esse Theologicam, euidenter deductam ex aliquâ propositione in se immediatè reuelatâ, siue de Fide; cum idem sit apud omnes Theologos esse propositionem erroneam, & esse conclusionem Theologicam modo dicto contradictoriam eius: non enim videtur credibi-

le in re tam graui & dogmaticâ vsurpari à Pontifice verbum *erroneam* in significatione impropria & non rigorosâ, præsertim cum motuum Pontificis, in ipsâ Extrauagante expressum ad condemnandas vt erroneas supra dictas Aduersariorum assertiones, fuerit esse illas oppositas Decretis Ecclesiæ approbantibus, variisque indultis confirmantibus Festiuitatem & Officium immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis. Itaque verbum *erroneam*, sumitur à Pontifice in rigore Theologico: quo posito, consequentiæ factæ sunt firmæ. Vnde rursus infertur: Ergo post Sixti definitionem certum secundum Fidem est, hanc esse conclusionem Theologicam, *Opinio piæ non est hæretica*; illatam scilicet ex aliquâ propositione de Fide euidenter; sed nulla est propositio eam inferens euidenter, quæ censori posita in se immediatè reuelata & de Fide præter has, *Opinio piæ est vera*, vel *Opinio piæ est reuelata*; ergo ex definitione Sixti colligitur opinionem piam aliqua ratione spectare ad Fidem. Cætera patere videntur præter minorem, quæ inde probatur; quia præter illas duas propositiones, & hanc, *Opinio contraria piæ non est reuelata*, nulla alia superest, ex quibus illa, *Opinio piæ non est hæretica*, possit inferri: siquidem si tres istas semel è medio tollas, nulla alia superest quæ obstatre possit quòd minus opinio piæ hæretica possit esse; at pro tertiâ nullum vel leue indicium extat, quòd pertineat ad Fidem, vt extant multa pro aliis duabus in communi traditione Patrum, in approbatione Festi Immaculatæ Conceptionis, &c. ergo ex illis tantum duabus tamquam ad Fidem pertinentibus inferri potest non esse hæreticam opinionem piam; proindeque illa ad Fidem pertinere videatur, iuxta Sixti Decretum: siquidem iuxta illud non esse hæreticam opinionem piam, conclusio Theologica est; quòd erat intentum probandum.

Nec dici potest, prædictam conclusionem Theologicam, *Opinio piæ non est hæretica*, inferri ex declaratione de Fide, quâ declarat Pontifex, neutram ex opinionibus oppositis de Immaculatâ Conceptione esse adhuc definitam ab Ecclesiâ: ex hac enim declaratione, tamquam ex antecedenti de Fide, solum potest inferri, opinionem piam non esse hæreticam per oppositionem ad definitionem Ecclesiæ factam de tuâ contradictoriâ, cum sit bona consequentia, *Opinio contradictoria piæ non est definita ab Ecclesiâ*, vt declaratur à Pontifice; ergo opinio piæ non est contra huiusmodi definitionem. Non tamen potest inferri, opinionem piam non esse hæreticam simpliciter, immunemque ab omni oppositione cum Fide, vt inferri debet, vt hæc propositio, *Opinio piæ non est hæretica*, sit simpliciter conclusio Theologica, qualis esse debet iuxta Decretum Sixti, damnantis absolute & simpliciter tamquam erroneam eius contradictoriam, vt constat ex dictis. Vnde rursus concluditur, dictam conclusionem Theologicam solum inferri posse ex aliqua de illis commemoratis propositionibus, *Opinio piæ est vera*, *Opinio piæ est reuelata*; atque aded has aliqua ratione spectare ad Fidem, vt ex Decreto Sixti, per factum discursum inferebamus. Quapropter concedendum videtur, hanc propositionem habendam esse pro propositione Ecclesiæ reuelatâ: & si hoc non constet in scriptis ex aliquo Concilio aut Decretali Summi Pontificis; meritò propterea recurrentum erit ad Traditionem, ad quam etiam

recarritur, quando de puritate actuali sermo fit. Nullo sanè subterfugio huius consequentia ac illationis vim Aduersarij declinare posse videntur; nam dicere Pontificem in re tanti momenti, quanto condemnauit vnam propositionem, locutum fuisse improprie, & non in rigore quem verborum significatio ac ipsa materia postularunt, non est dicendum, vt aduertit; sed vltro fateamur Papam non fuisse taliter in omni rigore locutum, vt nullus ad Traditionem Diuinam aut Apostolicam sit recursus, constituendo illam de Fide: concedendum saltem est decere Apostolicum Decretum non constituisse fundamentum eius super rem incertam; certa autem habenda esset ex traditione Patrum, quamuis Diuina non fuisset: hic enim ad minimum consensus Patrum intercedere videtur. Ad hoc conducit, quòd licet Sixtus IV. ob quasdam rationes quas tunc iudicauit congruentes, vel rationabiles causas affirmatiuæ opinioni censuram infligi prohibuerit; nullam tamen eiusmodi condemnauit, sicut egit contra calumniatores piæ opinionis, declarando pro erronea propositionem, quæ modo dicto sententiam piam denuntiaret hæreticam, vt obseruauit Ægidius Lufitanus, lib. 3. de Concept. quest. 2. art. vnic. à num. 9. & cum eodem Hurtado de Mendoza, atque alij. Docet quippe Ægidius loco citato, quòd qui affirmat esse hæreticum aut mortaliter peccare eum, qui credit aut tenet Beatissimam Virginem absque vllâ Originali maculâ fuisse conceptam, tamquam verus hæreticus est iudicandus & habendus; qui verò dixerit hæreticam esse opinionem, quæ asserit Virginem in peccato Originali conceptam fuisse, profert quidem assertionem falsam & temerariam in Fide (pro eo quòd priuatâ suâ auctoritate asserit esse de Fide, quod Sedes Apostolica dicit nondum esse definitum de Fide) non tamen profert assertionem peruersam aut erroneam, & multò minùs hæreticam: quam assertionem dicit se statuere contra Valentiam & nonnullos alios ex Modernis, qui asserunt Sixtum IV. in dictâ suâ Extrauagante *Graue nimis*, hanc etiam vltimam assertionem damnasse & reprobasse vt peruersam atque erroneam; quod quidem (inquit) non fecit. Illud hinc etiam considerandum, non proinde, quòd quis dixisset sententiam negatiuam esse reuelatam aut de Fide, sequi, opinionem affirmatiuam esse hæresin; nam cum non constet manifestè ea reuelatio; sed probabiliter tantum iuxta aliquorum intellectum, non autem communem Ecclesiæ, liberum est cuique in vtrambet partem sentire; cumque ad hæresin necessaria sit contumacia quæ hinc minimè locum habet, opinionem affirmatiuam nullo modo possunt iudicare hæresin, etiam ij ipsi Doctores, qui sententiam negatiuam dixerint reuelatam. Et quidem de facto multi Auctores dicunt definitam esse ab Apostolis; & tamen contrariam non pronuntiant hæresin. Pater Granadus dixit definitam esse sententiam piam ab Apostolis, aduertens nihilominùs non fuisse definitam ab Ecclesiâ Romanâ; quia tunc temporis nondum erat Ecclesia Romana, cum nondum S. Petrus Romam venisset; sed Ecclesia Antiochena, siue Christiana. Sic explicat dicta Pontificum, supponentium non esse definitam ab Ecclesiâ Romanâ, & tamen non negat esse definitam, nec affirmat contrarium placitum esse hæreticum: nonnulla enim, quæ antiquitus de Fide esse constabat, in dubium processu temporis venere ob reuelationis obliuionem, aut obs-

curiorem notitiam: sic aliqui libri sacri olim Canonici habebantur; deinde dubitatum est de sacra illorum auctoritate, donec Ecclesia eam rursus declarauit. Confirmantur dicta; cum idem ipse Pontifex reliquerit ianuam non penitus clausam, quo minùs istiusmodi determinatio de non censurandâ opinione affirmatiuâ in aliquo tempore futuro variari posset per Sedem Apostolicam, dicendo prohibuisse in eam censuram, *Cum nondum sit ab Ecclesiâ decisum*; quod perinde fuit dicere, ac donec ab Ecclesiâ decidatur, hoc est in scriptis, & manifestè; interim nequaquam excludendo apud Ecclesiam potuisse per Traditionem esse certam: nam quemadmodum inquit Vega in *Concil. lib. 18. cap. 18.* sermonem habens de puritate Virginis actuali; *Neque opus sanè est hoc olim scriptis definisse Ecclesiam, vt verè dixere nostra Synodus Ecclesiam tenere hoc Virginis privilegium; sed satis est, si id vt certum & indubitatum semper crediderit maxima & præcipua pars Ecclesiæ. Non illa sola tenet Ecclesia, quæ certis & scriptis Canonibus definita sunt à Summis Pontificibus & generalibus Conciliis. Dum verò omnia quæ ab eis statuta sunt, prius vt certa tenebantur ab Ecclesiâ; & quia tali & tantâ certitudine ab ea tenebantur, scriptis mandatum est, vt ab omnibus Catholicis tota mentis deuotione susciperentur & crederentur.* Itaque pari modo pleræque reperiuntur propositiones in re simpliciter falsæ, etiam ante definitionem generalium Conciliorum, quas suæ censuræ suspensio aut prohibitio nec approbat, nec probabilitate etiam extrinsecâ positiuâ confirmat.

Sed antequam ad vltiora progrediar, præuenire libet, quod quispiam ad potissimam nostri fundamenti partem dicere posset; videlicet, sufficere ad determinationem Sixti IV. vt ex eâ colligatur hæc propositio, *Opinio pia est probabilis*, siue, vt magis me explicem, sit ista propositio illa, ex quâ inferatur conclusio Theologica, *Opinio pia non est hæretica.* Ad quòd respondeo, Hanc propositionem non contineri in in sacra Pagina, quæ aperit veritates quibus nulla subest formido; non verò opiniones probabiles: & licet verum sit, Doctores plerumque ex locis sacra Scripturæ probabilia tantum eruere; hoc tamen discursus humani illationi, non verò Spiritus sancti declarationi attribuendum est. Quòd si aliquis dixerit, condemnasse Sixtum IV. tamquam erroneam illam propositionem, ob rationem quam in ipsâ Bullâ assignat; nimirum, quoniam sancta Romana Ecclesia celebrat Festum Conceptionis; si proinde fateretur etiam, eandem certitudinem habere sanctitatem Conceptionis, ac habet sanctitas Natiuitatis virginæ, satis mihi erit, & non refragabor eius sententiæ. Quòd si minorem certitudinem tribuat puritati Conceptionis, dubiamque existimari, potest responderi eam rationem Pontificis fuisse immediatam, supponens aliud principium per quò ductus fuit ad pronuntiandam erroneam prædictam assertionem.

Aduertere etiam placet, Concilium Tridentinum huic mysterio simplici illâ declaratione satis fuisse, *Non esse suæ inuentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato Originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem MARIAM Dei Genetricem.* Nam etsi Concilium hoc non declarasset, non tamen comprehenderetur B. Virgo sub eius Decreto generali, sicut nec comprehenditur à locis communibus sacra Scripturæ, licet

id non declarent: quapropter hæc declaratio Concilij aliquid amplius ac excellentius continet, quod in Conceptionis cedat priuilegium. Propterea Didacus Aluarez, Archiepiscopus Tranensis (quamquam Dominicanus) 1. 2. *disp.* 178. docuit, Concilium de facto B. Virginem ex priuilegio, à peccato Originali, iuxta sententiam probabilem exclusisse: nam postquam posuit hanc conclusionem, quæ est tertia inter eas quas ibi statuit, *Temerarium est & erroneum, asserere aliquem, præter B. Virginem, non incurrisse ex priuilegio de facto Originale peccatum*, modò addidit in solutione ad tertium argumentum: *B. Virgo excipitur ex priuilegio à Concilio Tridentino, ubi supra ab vniuersali Decreto sancti Pauli omnes in Adam peccauerunt: excipitur (inquam) iuxta probabilem sententiam.* Alij inferunt ex eo quòd Concilium Tridentinum non comprehenderit B. Virginem sub illo Decreto generali, necessariò fuisse exemptam positiuè: nam Spiritus sanctus, qui Concilio assistebat, non reliquit illam in statu neutro & indifferèti, sed vel eam exemit aut inclusit; quòd non includeret certum est ex declaratione Concilij: ergo ecedendum videtur fuisse exemptam, licet hodie non sit ita declaratum. Constat saltem, nullū extare locum sacre Scripturæ aut Sanctorum auctoritatem, quæ ad defendendam opinionem affirmatiuam obligent: nihil enim iis contrarium declararet Concilium Tridentinum.

Obseruandum quoque est, prout adnotauit P. Ioannes Perlinus in Apologiâ pro magnæ Matris immunitate, *dist.* 7. *cap.* 4. ex mente Concilij, nolentis comprehendere Deiparam in illâ propositione generali Pauli, *& ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, itidem inferri, Virginem vt Originale peccatum non contraxisse, ita nec eius debito fuisse obnoxiam, cum extra intentionem & mentem Concilij sit ipsam in Adam peccasse.


In structurâ quoque verborum Concilij maximè obseruari debet aduersatiua illa *sed* priori sententiæ opposita, dicente Concilio, *Non esse sue intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam Virginem, &c. Sed obseruandas esse Constitutiones felicitis recordationis Sixti Pape IV.* Nimirum cum vnâ ex parte aduersatiua *sed* inferat sensum immediatæ locutioni oppositum, vt v. g. cum dico, Nolo loqui, *sed* tacere; ex aliâ verò Constitutiones Sixti omnino in fauorem immaculatæ Conceptionis editæ fuerint: perinde dictum videtur à Concilio, *Non esse sue intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam Virginem; sed obseruandas esse Constitutiones Sixti*, ac si diceret, suam mentem non esse Deiparam peccato Originali subdicere; sed potius cum Sixto Pontifice piæ opinioni de eius immunitate, quam ipse tantoperè probauit & prômouit, velle fauere. Etenim si mens Concilij non esset ista; quid opus fuisset & Constitutionem Sixti meminisse, & pœnas in transgressores, quæ minimè respiciunt aut tangunt Auctores piæ opinionis; sed Aduersarios (vt constat) signatè innouare? Denique ad minimum ex declaratione Concilij, & renouatione Constitutionum Sixti IV. quas ratas habuit, sequitur Tridentinum habuisse pro verâ opinionem piam: si enim aliter censuisset, nec Conceptionis Festiuitatem, nec Officium eius in Extrauagante Sixti IV. quæ incipit, *Græue nimis*, contentum approbaret, cum quo vnanimiter con-

fitetur Ecclesiam Romanam di etiam solemnitate celebrare, ac proinde sanctam Matris Dei Conceptionem iudicauit: de aliâ determinatione Sixti IV. quæ in Virginis cedit fauorem, postea tractabimus.

Satis itaque piam suam mentem erga immaculatam Conceptionem patefecit Concilium, & aditum aliis ad eam colendam peruium reliquit. Vnde M. F. Ioannes à Peña, Dominicanus, in suis in 3. p. S. Thomæ Commentariis sic scripsit: *Valde quidem urgebant Decreta generalia circa peccatum Originale, sed sacro vniuersali Concilio liberam facultatem concedente, quid in nos admisit sanctissima Virgo, vt de eius puritate non credamus, quidquid credi sine scrupulo potest? Et si sacrum Concilium illam comprehendere non vult, idque protestatur, nec ego comprehendere volo, sed per illud ingredi ostium, quod mihi Synodus, totam Ecclesiam representans, patefacit.*

Profectò Patres Tridentini, datâ operâ, & ex studio voluerunt sensum suum aperire pro immaculatæ Conceptionis sententiâ: quoniam, vt egregiè obseruauit eruditissimus Ioannes Antonius Velazquez, Concilium suâ sponte tam disertè & signatè declarare voluerit, procul à suâ mente fuisse Deiparam in Decreto generali de peccato Originali comprehendere; quippe potuit Concilium, aut rem intactâ relinquere, quin nulla tunc Deiparæ Conceptionis, siue in hanc siue in illam partè mentio fieret, & tamen signatè suam mentè de Virgine, peccato Originali non subiiciendâ testatâ esse voluit: aut etiam potuit eam declarationem iis verbis significare siue adornare, quæ neutri parti fauere viderentur, cum in vtriusque opinionis biuio Patres illi positi dicere potuerint, nolle se alteri ex partibus fauere aut contraire, ac proinde suæ intentionis non esse, Deiparam siue excipere, siue comprehendere; quemadmodum Dominici Patres omni modo & ratione dicendum fore contendebant, & nihilominus pro suo in Deiparam studio, accuratâ locutione, quæ in eius immunitatem signatè propenderet, declarare voluerunt, *Non esse sue intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato Originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem*, vt nobis in primis ex mente & auctoritate Oecumenici Concilij expeditissima ad manum solutio esset argumento ex Pauli verbis petito de Adamo, *in quo omnes peccauerunt*; quin vllò iam modo nos possit stringere.

Non definiuit autem Concilium veritatem immaculatæ Conceptionis; quia non urgebat necessitas declarandi hoc mysterium, sed extirpandi nouas hæreses, cuius causâ coactum fuit Concilium. Nec mirandum est, cum nec puritatem actualement Virginis directè definerit; sed supposuerit certam eâ certitudine, qua gaudebat; infallibili nimirum, & ex Fide propter traditionem Patrum. Sic etiam non definiuit puritatem Originalem; sed supposuit certam ea certitudine, qua gaudebat ex institutione suæ Festiuitatis, & celebratione eius per Ecclesiam Romanam. Quanta autem sit hæc certitudo, consulantur Sanctus Ildesphus, S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonauentura, & alij Doctores: alias causas infrâ dabimus.



CAPVT VIJL.

*Plura Concilia, præter Basileense
& Tridentinum, significantius
denotant puritatem Originalem
Virginis, quam specialiter
exprimunt actualem.*



Orrò pleraque Concilia, quæ puritatem actualem specialiter non attigerunt, in Originale expressius conspirarunt, vt Oxomienſe, celebratum anno 1222. Cantuarienſe, celebratum anno 1328. Primum inter alias ſolemnitates Beatiffimæ Virginis Conceptionem inferuit; ſecundum eius myſterio plurimum fauit, de quo videri poteſt Ioannes Bacchonus Carmelitanus, lib. 3. Sentent. diſt. 3. quæſt. 13. Poſt hæc Concilium Auinnionenſe, celebratum anno 1457. huius veritatis myſterium confirmauit. Etenim Cardinalis Petrus de Fuſo ſenior anno. 1457. ſedis Apoſtolice à latere legatus, celebrauit Auenione Concilium Prouinciale, in quo inter alias ordinationes ſtatutum edidit tenoris ſequentis: Decretum in Concilio Baſileenſi factum de Conceptione Beatiffimæ Virginis Mariæ; ſtatuumus inuiolabiliter obſeruari, diſtictè omnibus inhiſcendo ſub excommunicationis pœna, ne quiſquam aliquid in contrarium prædicare, vel publicè diſputare præſumat: Quod ſi ſecus aliquis fecerit, dictam ſententiam eum inuertere volumus ipſo factò, & in prima ſynodo, per Diœceſes, per quemlibet celebranda, prædicta ſtatuumus publicari, & Curatis Eccleſiarum iniungi, vt hæc populo manifeſtent. Datum in Eccleſia Cathedrali Auenionenſi, die 7. menſis ſeptembris, anno Incarnationis Dominicæ 1457. Pontificatus Domini noſtri Calixti Papæ III. anno. 3. ſubſcriperunt huic ſtatuto, non ſolum ipſe Petrus, qui, toti præerat concilio, ſed Alanus Coentinus S. R. E. Cardinalis, Robertus Aquenſis Archiepiſcopus, Petrus Epicoſopus Aptentis, Georgius Seneenſis, Caucherius Vapincenſis, Nicolaus Maſilienſis, Petrus Dignenſis, Petrus Glatanenſis, Palamedes, Cauallicenſis Poncius Vaiſionenſis, Ioannes Rhegienſis, Stephanus Tricaſtinenſis, Michael Carpentoratenſis, & Ioannes Auracienſis. Videri de hoc poſſunt Frizon, in Gallia Purpurata. lib. 4. Flaminius Ceraſola tomo. 1. de Deipara. Armamentarium ſeraphicum in Regeſto, pag. 45. Marracius in Purpura Mariana. §. 16. & alij Vnde colligitur, plura Concilia ſpecialiùs fauiſſe Originali quàm actuali puritati, vt ſuprà attigimus.

Iis accedere poſſunt antiqua Concilia, Ephelinum, Francofordienſe, Nicænum ſecundum, Toleranum vndecimum, ſexta Synodus, & alia; in quibus præter ea quæ generaliter commendant puritatem Virginis indiſtictè ad Originalem aut venialem, continentur nonnulla, quæ ſpecialiùs & expreſſiùs Originalem munditiem confirmant. Quippe in Concilio Ephelinum allegatur ſententia Attici Conſtantinopolitani, cuius poſteà pro immaculatâ Conceptione teſtimonium producemus;

eaque tantæ auctoritatis fuit, vt in duobus Conciliis non ſolum probata fuerit; ſed laudata ad Catholica dogmata comprobanda. Extant quoque in hoc Concilio Ephelinum aliqua teſtimonia S. Procli, S. Cyxandrini, Pauli Emiſſeni, Acacij Melitenenſis, Teodoti Ancyran, quibus itidem poſteà vtetur, comprobantia omnimodam Virginis puritatem. Interim tamen vnus vel alterius ſententias dabimus. Sanctus Proclus Sycicenus, Homil. habitâ coram ipſo Neſtorio, & extat in principio Ephelinum Concilij, ait: *Terra & mare Virginem honorant, & obſequij cauſa tamquam ſatellites ſtipantur; hoc quidem mitia nauigantibus dorſa ſubſternens; illa verò viatorum veſtigia inoffenſè dirigens. Exultet natura, honorantur femina; choros humana ducat natura, & carmina cantet; glorificantur Virgines. Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* In his oppoſuit Heuæ MARIAM; quoniam ſicut Heuæ tribuitur abundantia culpæ, ſic & in MARIA extitit ſuperabundantia gratiæ; quæ ſuperabundantia minimè foret, ſi aliquod illius vacuum habuiſſet. Præterea ſupponit MARIAM Heuæ culpam non attigiffe. Ibi etiam vocatur Deipara *Spiritualis ſecundæ Adami paradifus.* Poſteà addit: *Hæc admiranda illius œconomia tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vniõnis tunica confeſta eſt, cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus; netrix virtus ex alto obumbrans; trama, impolluta Virginis caro; radius textorius, immenſa geſtantis gratia; artifex, VERBUM per auditum illapſum. Quis vidit, quis audiuit talia: incircumſcriptus Deus vterum inhabitat.* Præterquam quod hic vocet carnem Virginis *impollutam*, notandum eſt, tribuiſſe MARIÆ gratiam ſine menſurâ, hoc eſt, immenſam; quæ ſi non refertur ad ſubſtantiam gratiæ, oportet referri ad durationem, vt nullo tempore vel inſtanti limitata Virgini fuerit poſſeſſio gratiæ. Quàmuis enim *geſtantis* verbo non intelligeretur Virgo, quæ geſtauit in vtero ſuo Deum, ſed ipſa Diuinitas, illa immenſa gratia actiua, & communicabilis proponitur, & in materiâ, cui paſſiue eſt gratia communicanda, in qua comprehenditur Deipara, ſine menſurâ exhibitur. Aliqui etiam ex eadem Homiliâ S. Procli allegant illa verba: *Clemens Deus ex muliere naſci non erubuit: quod enim agebatur, vita erat: nullam ille inde contrahit labem: quod in tra viſcera, quæ citra omnem dedecoris notam conſiderat, inhabitat.* Poſt quæ ſtatim addit: *Porro autem vt architecto nullam maculam aſpergit, ſi domum quam fortè extruxerat, incoluerit; neque lutum figulum inſicit, dum vaſculum, quod finxerat; ex eo reſingit; ita ex vtero Virgineo prædiſſe puriſſimum illud Numen, nihil quidem poluit. Quam enim citra vllam ſui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta proceſſit.* Quibus in verbis notanda maximè videntur illa vltima verba: *Quam citra vllam ſui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta proceſſit.* ſed ruruſ de hoc.

Accedat ad dicta illud Theodoti Ancyran Epicoſopi, in Homilia quam de Natali Domini in Concilio Ephelinum fecit, in ipſoque approbata manſit, *Μίτρα* inquit, *παρδενὴν κατὰ τὴν ἀμαρτίαν παδῶν*, id eſt, *Vterus Virginis mundus à paſſionibus peccati*; aptè perpendit noſter eruditiffimus Turrianus, Epift. de Concept. exinde probans puritatem Deiparæ Originalem, dicens de Theodoto ea verba proferente, ex Apoſtolo

mutuatus

Concilium
Oxomienſe.
Concilium
Cantuarienſe.

Concilium
Auenionenſe.

Concilium
Ephelinum.

mutuatus est, qui in Epist. ad Roman. cap. 7. passionibus peccatorum illa dicit, quæ capite proximo, id est 8. dixit facta carnis, cum ait, *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis*: mortificare enim facta carnis, est non consentire eis per spiritum siue mentem. De eiusmodi autem factis carnis siue passionibus peccatorum dixerat idem Apostolus in personâ suâ, cap. 7. utens eodem verbo *περὶ ἡμῶν*, unde *ἡμῶν*, id est facio, unde facta, quod nolo malum hoc facio; si autem quod nolo malum, illud facio, iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum. Concupiscentiam dicit, quæ caro concupiscit aduersus spiritum; quæ quia ex peccato Adæ orta est, peccatum vocatur. Ab istis igitur concupiscentiis, quas hic Auctor, Apostolum imitatus, passionibus peccatorum vocat, cum mundam fuisse Virginem affirmat, planè affirmat non peccasse Virginem in Adam, neque comprehensam esse in illa sententiâ Pauli, in quò omne, peccauerunt. Hactenus Turrianus.

Ipsam Concilium Ephesinum Canone 13. dixit, vocari & esse iuxta sanctos Patres Deiparam Virginem quòd ex eâ natum sit sacrum illud corpus animatum animâ rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur. His verbis insinuat puritas & sanctitas singularis carnis virginicæ, siquidem Corpus Christi etiam ante vnionem hypostaticam vocatur *sacrum*, scilicet ipsa caro Virginis, ex quâ corpus assumpsit Deus. Quæ meruit hanc appellationem sanctitatis ex eo quòd fuerit pars carnis Virginis, quam vocauit Concilium *Sacrum corpus*, quia Deus consecrauit illam ante vnionem hypostaticam, vt digna materia fuisset suæ Incarnationis, quam præcessit hæc consecratio, & vt par erat, ab ipsomet instanti, quo cœpit esse caro MARIÆ futuræ Dei Genitricis. Hoc enim insinuant Patres, qui corpus virginicum vocant sanctum, nimirum quòd Immaculatum omnino fuerit sine labe communi humanæ carnis; quod alibi notamus. Et quidem consideratione dignum est, Patres, cum nominant corpus & animam Christi ante vnionem hypostaticam, non esse solitos appellare animam sanctam, sicut corpus nominant sanctum, aut cum aliqua cõmendatione magnæ puritatis. Ratio est, quoniam anima ante vnionem, cum non præcessisset tempore, non habebat unde sanctificata antea fuerit; caro verò, quæ ante vnionem fuit caro Virginis, atque idè tempore præcedens, iam habebat unde sancta diceretur & digna vnione Verbi ex immaculatâ suâ puritate in Virgine Matre. Hinc etiam est distinctio, quam solent constituere Patres inter carnem Virginis, & carnem Abrahamæ & Dauidis; quæ cum eadem sit secundum naturam, non tamen soliti sunt dicere assumptam Christi carnem fuisse ex carne Dauid, aut Abrahamæ, sed dumtaxat ex semine: solum autem dicunt assumpsisse carnem ex carne Virginis: quoniam caro Abrahamæ, licet sanctus ipse erat cum genuit Isaac, maculata tamen fuerat peccato Originali: idè non dicitur caro eius sancta, nec ex carne eius assumptum Christi corpus, sed ex semine. Caro autem Virginis quia sine peccato Originali fuit, dicitur Sancta & ex eius carne Verbum incarnatum. Hoc supposuit S. Athanasius Epist. ad Epictetum, prout citatur in Concilio Chalcedonensi act. 1. cum dixit: *Is qui ex MARIA processit Dominus, Filius quidem est Dei essentia & natura; id verò quod est secundum*

carnem, ex semine est Dauid; carne autem sancta MARIÆ. Notandus loquendi modus *carne autem sancta MARIÆ.* Hinc potest intelligi, quomodo Synodus Ephesina in declaratione appellationis Deiparæ habuit etiam aliquam rationem suæ omnimodæ & Originalis puritatis, sicut ex Photio dicemus infra agentes de Concilio quinto Constantinopolitano, quæ omnino sunt videnda.

Fauent quoque puritati Virginis Originali alia Concilia, quæ approbarunt Ephesinam Synodum, in quâ declarata fuit Virgo *Theotocos*; & omnimoda eius puritas sæpius ab illis commendata Patribus. In horum numero est Concilium Aurelianense anno 552. sub Vigilio celebratum, & Concilium Armenicum anno 435. sub Sixto III. eoque ipso anno Nestorius obiit miseris confectus: in quò Concilio libri Nestoriani flammis sunt addicti. Maximè autem fauit Concilium Chalcedonense Oecumenicum quartum, in cuius definitione primâ dicitur: *Statuimus ordinem, & omnes Fidei formulas custodientes etiam sanctam Synodum Ephesi factam, cuius fuerunt auctores venerabilis memoria Cælestinus Romana urbis, & Cyrillus Alexandrina Ecclesia Sacerdotes.* Quin in ipso Concilio Chalcedonensi extant plura testimonia pro omnimodâ Virginis puritate; & satis hæc insinuat verbis S. Cyrilli in actione primâ Chalcedonensi ex Epistolâ eiusdem Cyrilli ad Ioannem Antiochenum; vbi maximè laudat confessionem Fidei Orientalium Episcoporum, in quâ dicitur: *Confitemur sanctam & diuinam Genitricem Dei Virginem, propter hoc quòd Dei Verbum incarnatum est, & humanitatem assumpsisse, & ex ipso conceptu adunasse sibi templum quod ex ipsâ assumpsit.* Vocatur hic Virgo *sancta & diuina* (sic legit secunda editio Sixtiana) non propter personam suam naturalem, sed propter puritatem supernaturalem. Non enim est virgo persona Diuina, sed quia eius puritas similis est Diuinæ, cum pleno ab omni sordè recessu, quam numquam habuit. Deinde carnem Virginis propter tantam puritatem vocat *templum Dei*, dicens templum accepisse ex ipsâ, nimirum carnem prorsus sanctificatam, quam idcirco postea vocat *corpus sanctum*. Deinde notanda est illa causalitas *propter hoc, quòd Dei Verbum*, &c. Nimirum quia Verbum carnem MARIÆ assumpsit: idè illa non solum est Dei Genitrix, sed *Sancta*, imò & *Diuina*, vt hoc modo significaretur eximia sanctitas præter communem aliorum filiorum Adæ, quæ decet & sequitur maternitatem Diuinam; nimirum quòd non solum sit innocens; sed impeccabilis per priuilegium sine experientiâ alicuius culpæ, imò sine periculo, ad similitudinem sui Filij, diuerso modo. Hoc magis explicatur cum in hac Epistolâ intenderit sanctus Cyrillus ora suorum obstruere, qui criminis insimulabant sanctum virum, quòd dixerit de celo aduenisse, & non de sanctâ Virgine *sanctum corpus Christi*; quasi indicaret puritatem carnis Christi fuisse tantam, quia de celo fuit, non de Mariâ Virgine. Quibus respondens Sanctus Doctor, commendat prius puritatem Virginis, veneratus illam non solum vt cælestem, sed sanctam & diuinam; postea ait: *Oportebat enim, & valdè oportebat aperte vos intelligere, quoniam penè omne nobis quod pro Fide est, luctamen aduenit, affirmantibus, quoniam sancta Virgo Diuini partus est Genitrix. Sed si dixerimus de celo, & non ex ipsâ sanctâ natum esse corpus omnium nostrum Saluatoris Domini, quomodo enim dicimus*

Concilium Aurelianense.

Concilium Armenicum.

Concilium Chalcedonense.

omnis Genitricem Dei, qua eum omnimodò peperit nisi & verum illud, quod peperit secundum carnem, qui est Emmanuel? Derideantur ergo qui de me ista garriverunt, non enim mentitur beatus Isaias Prophetas dicens: Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. Verum quoque testatur & sanctus Gabriel ad eandem Beatam Virginem dicens, Noli timere MARIA, inveniisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESUM: ipse enim salvabit populum suum à peccatis eorum. Quando autem dicimus de celo & de supernis Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, non tamquam de celo deposita sancta eius carne talia dicimus; sed sequimur magis mirabilem Paulum clamantem aperte: Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de celo, celestis: meminimus autem & ipsum Salvatorem dicentem: Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de celo Filius hominis.

Extat quoque in Concilio Chalcedonensi act. 1. post Fidem Synodi Nicenae, laudata sententia Theophili Alexandrini in Epistolis Paschalis, quae maximè fuit immunitati Virgineae, eamque infra opportunè dabimus. Extat quoque ibidem auctoritas Magni Athanasij in Epistolâ ad Epictetum, quam nuper perpendimus pro immaculatâ Conceptione.

Concilium etiam Constantinopolitanum quintum ex Oecumenicis multa habet praeter approbationem Ephesini, quibus omnimodam Virginitatis puritatem commendat magnificis & plurimis simul elogiis; attribuens illa Virgini penè quotiescumque eam nominat; non sanctam dumtaxat nuncupat, sed Sanctam gloriosam copulativè, ita ut significetur nunquam fuisse ingloriam atque ignominiosam per peccati alicuius probum; sed perpetuâ sanctitate gratiae honoratissimâ & gloriosissimâ etiâ in terris: & ne confunderetur hæc gloria cū decore virginitatis aut maternitatis Divinae, sed esse propter omnimodam sanctitatem & puritatem, adicitur perpetuò gloria virginitatis & maternitatis, exprimendo etiam semper Virgine & Dei Genitricem, ut mirabile sit quantâ constantiâ hæc repetantur in Can. 2. ait: Si quis non confiteatur Dei Verbi duas esse naturas, unam quidem ante secula ex patre sine tempore incorporaliter, alteram verò in ultimis diebus eiusdem ipsius, qui de caelis descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice & semper Virgine MARIA, natus est ex ipsa, talis anathema sit. Rursum Can. 6. Si quis abusivè, & non verè Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem MARIAM, &c. In confessione rectæ Fidei Iustiniani sæpissimè iterat eadem elogia. Similiter in Epistolâ siue tractatu ad Menam Patriarcham adversus Origenem, cuius Epistolâ meminit Liberatus cap. 23, qui testatur illam dictatam fuisse instante Pelagio R. E. Diacono, & Apocryphario, ac postmodum à Vigilio Pontifice approbatam. ubi inter alia dicitur: Quamvis enim a principio humana natura propter inobedientiam privata paradiso est, tamen, ut est dictum, virginitus Dei Filius propter multam charitatem suam, quâ dilexit nos, naturam nostram sibi uniens indivisè secundum subsistentiam in utero sanctæ gloriosæ Dei Genitricis semper Virginis MARIAE, maiori nos dignatus est gratia. Hæc associatio elogiorum sanctitatis & gloriae non est attributa Virgini propter cumulum glo-

riæ, quem adeptæ est in caelis, sed propter dignitatem electionis ad Divinam maternitatem, quam obtinuit in terris; prout in citatâ confessione Fidei declaratur his verbis: Unde ipsum Dei Verbum immutabiliter hominem factum esse confitemur, & non in hominem quemdam venisse; & eiusdem Dei Verbi incarnati esse naturam ex Virgine, & propter hoc Dei Genitricem sanctam gloriosam semper Virginem MARIAM esse. Hic reddit causam magnificæ huius appellationis, quia natus ex Virgine Deus; idè adhuc in terris fuit sancta gloriosa, id est, sancta gloriose, nimirum absque ignominia ullius peccati, cuius aliquando fuisset particeps: non enim dicitur Sancta & gloriosa disjunctivè, sed Sancta gloriosa unitivè; quia in ipso sanctitatis modo fuit illa tanta gloria, ut excluderet etiam leuissimam ignominiam. Ceteræ beatæ animæ sunt in caelis sanctæ & gloriose propter gloriam quam possident suæ sanctitati debitam: at Beata MARIA adhuc in terris fuit sancta gloriosa, quia semper habuit gloriam innocentiae, & nunquam fuit dedecorata opprobrio culpæ.

Maioris claritatis gratiâ advertendum est, hanc unionem encomiorum Virginitatis præstitisse hoc Concilium Constantinopolitanum iuxta constituta in Concilio Ephesino, prout illud Patres Græci intellexerunt & acceperunt; quorum sensum explicavit Photius Constantinopolitanus in Epistola de septem Synodis Oecumenicis ad Michaëlem Bulgariae Principem, ubi cum loquitur de Concilio tertio, quod fuit Ephesinum, ait: Declaratum est autem Dominum nostrum IESUM Christum in una eademque persona, ut verè ac pie à Patribus traditum est, adorandum ac prædicandum, & immaculatam eius semperque Virginem Matrem, propriè & verè appellandam summis cum laudibus Dei Genitricem. Quæ enim Dei Verbum, cum in carne nasci vellet, genuit, iure Dei Genitrix vocata, celebratæque est. Valde notandum est, non solum dixisse, declarasse Concilium Virginem esse Dei Genitricem; sed cum summis laudibus ita appellandam: quod si laus innocentiae ab ipsa Conceptione negaretur Virgini, frustraretur omnino hæc Concilij declaratio, cum hæc laus in hoc casu non posset tribui Matri Dei; quod est omninò contra mentem Concilij, quoniam hoc ipso quod definiuit MARIAM Deiparam verè esse; quicquid præterea de eâ magnum dici potuit, intellexit dignum & debitum esse tantæ maternitati, & potissimum puritatem omnimodam cum immunitate à labe Originali: quod ita etiam intellexit Photius, cum in eadem Epistolâ vocaverit Virginem immaculatissimam: & in ipsa relatione Concilij Ephesini dixit Immaculatam eius semperque Virginem Matrem. Exemplar præstans earum summarum laudum, quas Concilium voluit de Virgine dici, cum Deipara nominatur, nempe immaculatam fuisse, & semper Virginem extitisse. Summæ quippe Virginitatis laudes illæ erunt, quæ singularissimæ in illa continent, & sine ullo exemplo. Prima est quod sit Mater Dei; secunda, quod sit semper Virgo; tertia, quod sit immaculata sine peccato Originis. Hæ tres summæ laudes Virginitatis censuit Ecclesia Græca à Concilio coniungendas declarari; ipseque Photius præstitit dicens: Immaculatam eius, semperque Virginem Matrem propriè, & verè appellandam summis cum laudibus Dei Genitricem. Id ipsum soliti sunt Patres Græci observare, cum nominant Deiparam coniungendo

Concilium
Constanti-
nopolitanum
quintum.

iungendo vocem *Dei Genitricem* siue *Theotocon*, & elogium *semper Virginem*, & aliud encomium, quod indicet puritatem Originalem, nimirum vocando illam *Immaculatam*, aut *super sanctam*, aut *omnibus modis sanctam*, aut *superbenedictam*, aut aliud simile, sicut factum est in Concilio Constantinopolitano quinto; vbi vocant ibi Patres, & aptissime quidem, *Sanctam gloriosam semperque Virginem Dei Genitricem*: significando per elogium *Sanctam gloriosam* singularem illam laudem puritatis Originalis, quod alij alijs vocibus significarunt. Hinc etiam ex Concilio Ephesino introducta sunt Theodocia in mœneis & euchologijs Græcis, hoc est clausulæ de Deipara, quæ in Officijs Ecclesiasticis passim & in singulis Odis addunt siue opportunè, siue importunè, vt ita dixerim, hoc est, quamuis nihil attineat ad Virginem illud Officium, in quibus Theodocijs in honorem huius appellationis Dei Genitricis mille Virginis laudes repetuntur, maximè quæ spectant ad puritatem eius omnimodam; in hisque Theodocijs sæpè triplex illa summa Virginis laus commemoratur, vt in Theodocio Canonis Ecclesiastici compositi à S. Andrea Cretensi de sancta Anna Odæ. 4. vbi sic dicitur: *Virgo Dei Genitrix, quæ est tabernaculum incontaminatum, me nunc (quæso) delictis contaminatum purifica per nitidissimas guttas miserationum, atque mihi manum præbe opitulatricem, vt tanto amplius exclamem: Gloria tibi (ô pura Virgo) quam Deus glorificauit.* Et licet apud Græcos illæ tres Virginis laudes ante Synodum Ephesinam vsitate interdum fuerint, postea tamen communiore, & frequentissimè extiterunt.

Sophronius
Patriarcha
Hierosoly-
mitanus
Sexta Syno-
dus.

In sextâ etiam Synodo Constantinopolitanâ inueniuntur alia, quæ mirè fulciunt immaculatam Virginis Conceptionem. Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha in Epistolâ Synodicâ, quâ, vt Photius Constantinopolitanus in Bibliothecâ, suâ testatur, ad Honorium primum Pontificem Romanum scripsit, quæ in sextâ Synodo recitata est, & in Actione 11. collocata; falsò autem inscripta Sergio Constantinopolitano. Sic de Filij Dei Incarnatione confitetur: *Et in verum à viro intactum, castitate virginis decoratum MARIÆ sancta & pura, & quæ Dei erant sapientis, & ab omni labe secundum corpus & animam libera, ingressus, carnem assumit, qui erat sine carnis, & quæ sequuntur. Si ira & cupiditas, & omnes sensus corporis ita erant subiecti rationi, vt hac ratione secundum corpus & animam, & mentem, cui illa obediebant, esset innocens, erat igitur libera ab omni labe peccaminosa. At ab omni labe peccati libera esse non poterat nisi fuisset libera à lege peccati, quæ est in membris, sicut Apostolus ait, & quæ à peccato Originali, quod in Adam peccauimus, aliena fuisset. Cùm harum partium corporis scilicet & animæ, & mentis, ex quibus homo constat, munditiem Apostolus Thessalonicensibus optat, & à Deo precatur, sic ait: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus, & anima, & corpus sine querelâ in aduentu Domini nostri IESU CHRISTI seruetur.* Non dixit sine peccato; quia *Si dixerimus, ait Ioannes, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* sed sine querelâ dixit; hac enim carere possumus, sicut ait Lucas de Zacharia & Elisabeth; *Et erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Ioann. Euseb. Op. Parth.**

Quid differant, esse sine peccato, & esse sine querelâ.
1. Ioan. 1.

Domini sine querelâ. Nec hic dixit sine peccato propter eandem causam; sed sine querelâ, quæ ad crimen pertinet, & non ad peccata minima; id est, venialia, quæ vocamus, & sunt. Cùm igitur Sophronius in hac Epistolâ Synodicâ confessionem suam edens, dixit, liberam fuisse Virginem ab omni labe, secundum corpus, & animam, & mentem, complexus est, imitatus Apostolum, vires hominis naturales, quas habet corpus communes cum arboribus; vt siue manducamus, siue bibimus, in gloriam Dei manducamus & bibimus, & animales, communes cum animantibus, & spirituales, communes cum Angelis, quas Græci vocant, *ψυσικόν, αἰσθητικόν, καὶ τὸ νοερόν*, ex quibus totus homo constat; & quas mundare debet ab omni inquinamento. Hoc enim ordine creata sunt omnia, primùm arbores, deinde animalia, postremò homo. Quòd si non opus erat Virgini, vt se mundaret ab omni inquinamento carnis & spiritus (sicut nos Apostolus in Epist. 1. ad Corinth. hortatur) quia erat munda; necesse est, sicut dixi, vt Virgo gloriosa & felicissima lege illâ peccati caruerit, quam Apostolus in membris suis sentiebat, & vnde se infelicem vocabat.

Extat quoque in eadem Synodo sextâ, pro immaculatâ Virginis Conceptione, Rescriptum Honorij Primi Pontificis Maximi, quod in Additione 12. recitatur, quod sanè maximæ auctoritatis est: nam hic Pontifex sanctissimus habetur, qui doctrinâ moribusque sanctissimis omnem propè Clerum renouauit, Basilicam S. Petri tegulis æneis ex Ioue Capitolino sumptis cooperuit, multa templa & restituit, & magnificentissimis operibus ædificauit. Et licet acculetur à Græcis, quòd fuerit Monothelita; sed egregiè defenditur à S. Martino Græco, Auctore illius temporis, & etiam à Cardinali Bellarmino, lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 11. Quamuis enim condemnationis sententiam in Honorium Pontificem, eiusque posteriorem Epistolam promulgatam fuisse, Acta Concilij attestentur; verum mendosè, & per summam imposturam Theodori Constantinopolitani Episcopi: qui cum nomen Vitaliani, inuito Imperatore, à sacris Diptychis expunxisset, non tantum Episcopatu amotus, verum etiam propter hæresim à Concilio damnatus fuit, substituto illi Georgio. Post obitum tamen Georgij, per simulationem Orthodoxæ Fidei, anno sequenti restitutus est pristina Sedi & dignitati, vt testatur Nicephorus in Chronico. Nactus igitur originale exemplar Concilij eâ occasione, vt illud auctoritate Pontificia confirmandum, ad Leonem II. mitteret, suo vbique nomine expuncto, in odium Romani Pontificis nomen Honorij, quem propter Epistolam ad Sergium scriptam antiquiores Monothelitæ suarum partium esse iactauerant, vbique substituit. Ipsum Theodorum synodali iudicio de hæresi condemnatum fuisse, testatur Anastasius in Vitâ Agathonis, quamquam nomen illius nusquam apud Acta Concilij inueniatur. Is igitur tantus Pontifex aperte dixit, Christum Dominum carnem sumpsisse non de eâ, quæ in Adam fuerat corrupta; sed quæ ante peccatū erat immaculata. Verba sunt ista: *Quia perfectò à Diuinitate assumpta est natura nostra, non culpa illa (alij legunt, in illâ) perfectò quæ ante peccatum erepta est, non quæ post prauaricationem vitiosa.* Et infra: *De sancta & immaculata Virgine nullum experiens contagium vitiosa natura.*

L Ergo

Ergo caro Virginis, ex quâ Christus carnem sumpfit, non fuit per præuaricationem Adami vitiata, aliàs Christus expertus esset aliquo modo contagium vitiatæ naturæ.

Concilium
Tolet. XI.

Idipsum confirmat Concilium Toletanum XI. in Professione Fidei, dum ait, *Solam Filij personam, pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato, de sancta & immaculata MARIA Virgine credimus assumpsisse.* Commendans quippe humanitatem assumptam sine peccato, notantissimè aduertit sumptam fuisse ex sanctâ & immaculatâ Matre, vt eximiam eius ab omni peccato alienationem, siue, vt ita dicam, elonginationem exaggeraret, cum desumpta fuerit ex carne, quæ in Genitrice immaculatâ fuit. Quæ, si peccatum Originale contraxisset, nequaquam esset immaculata, & omnino semota à peccato caro, ex quâ sumpta fuit humanitas Christi, cum proximè in Matre peccatum Originis habuisset.

Concilium
Francofordien-
se.

Inuenio etiam in Synodo Francofordiensi, sub Adriano Papâ I. in Epistolâ, quam scripsit ipsa Synodus ad Præsules Hispaniæ, illustria verba isthæc, quæ comprobant puritatem virginæ Conceptionis: *An Adam, primus humani generis pater, qui de terrâ virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus Si seruus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine, meliore quidem terrâ, eam animata & immaculata, Spiritu sancto operante, factus est homo? dicente Apostolo: Factus est primus homo de terra terrenus, secundus de cælo celestis. Si terrenum liberum conditum confitemur, quare non multo magis celestem liberum confitemur?* Agebat sancta Synodus de ingenuitate & filiatione Dei naturali, quæ erat in Christo, non adoptiua, nec seruilis conditio; eamque ingenuitatem Filij Dei naturalis probat hic ex collatione formationis Adæ, & Christi. Quoniam si Adam liber fuit à peccato, formatus ex terrâ virgine, hoc est purâ & nondum maledictâ (prout locutus fuit S. Andreas, relatus in Epistolâ Presbyterorum Achaïæ, ad cuius verba pro puritate Conceptionis Marianæ alludit Synodus illam supponens) quanto magis Christus Dominus, formatus ex Virgine MARIA, meliore terrâ, immaculatâ, purissimâ, & non maledictâ, ingenuus tamquam Filius Dei naturalis erit? Vbi supponitur intactam & puram a labe Originali fuisse sanctissimam Deiparam. Ita vt eodem modo probet hoc testimonium puritatem Originariam eius, ac illud S. Andrea: *Sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra virgine, numquam maledicta.* Præterea, vocauit cælum sancta Synodus carnem sanctissimæ Virginis, ob eximiam puritatem suam, & perpetuam Dei habitationem in illâ; cælum enim numquam maledictum fuit, sicut terra, in eoque à principio creationis suæ Deus inhabitauit. Sic sanctissima Virgo numquam fuit maledicta, sed purissimum Spiritus sancti habitaculum ab ipsâ origine suâ. Ideirò notauit Synodus, Christum cælestem Hominem de cælo, id est, de purissimâ & numquam maculata Matre. Hoc testimonium non solum est maximæ auctoritatis, sed plurimæ: comprehendit enim auctoritatem Adriani I. Pontificis Maximi, qui Concilium Francofordiense approbauit, & cooperatus est eius definitioni; tum auctoritatem totius Synodi, & Patrum

qui prædicto Concilio astiterunt; tum omnium Episcoporum Galliæ, Germaniæ & Aquitaniæ; tum totius Cleri harum Prouinciarum; sic enim inscribitur Epistola, siue Rescriptum illud allegatum: *Sancta Synodus, & venerabiles in Christo Patres cum omnibus Episcopis Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ, & toto Catholice pacis Clero, &c.* Tam numerosus Ecclesiasticorum exercitus militauit olim pro Immaculatâ Conceptione Mariæ.

Secunda
Synodus
Nicæna.

In secundâ Synodo Nicænâ Actione 6. Patres illi grauissimi de B. Virgine sic pronuntiarunt: *Si quis non confitetur sanctam semper Virginem Mariam verè Deiparam, quauis visibili & inuisibili creaturâ superiorem, & cum sincera fide eius intercessionem, tamquam que libertatem apud eum, qui ex se genitus est, Deum habeat, non postulauerit: anathema sit.* Quæ verba (vt adnotauit Ferdinandus Salazar) non solum quatenus Virginem omni visibili & inuisibili creaturâ superiorem adstruunt, Virginis puritati & innocentia adstipulantur; sed etiam quatenus addunt ipsam omnimodam libertatem apud Deum nactam fuisse. Nam quæ est libertas hæc? aliquis fortasse nomine libertatis licentiam intelliget, qua Virgo iure materno preces suas Filio offerre potest. Sed repugnat textus Græcus; nam vox quæ ibi subest, *immunitatem*, germanè sonat non aliam certè nisi à peccato & communibus naturæ vitiatæ legibus: propter quam, cum omni careat labe ac peccato, apta est, vt pro nostris peccatis mediatricem apud Deum agat. Hanc secundam Synodum Nicænam approbauit Adrianus Primus, in quâ tum ab Adriano ipso in Epistolâ ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum datâ quæ relicta est in Concilio Act. 2. tum etiam ab ipsâ Synodo sæpè *intemerata, immaculata, incontaminata*, adde etiam *inculpata* Virgo Deipara nuncupatur. Quo sensu dicta fuerint ista encomia, scilicet extenso etiam ad puritatem Originariam Deiparæ, explicat Canon prædictus eiuſdem Synodi, qui extat in definitione 15. Actionis sextæ, ad quem adiecit in eadem Synodo Epiphanius Cubicularius hæc verba: *In his firmata & stabilita Catholica Ecclesia.*

His Conciliis adiungi potest in fauorem immaculatæ Conceptionis Concilium Mantuanum, celebratum anno 1064. ab Alexandro II. Papâ, in quo Concilio approbatum est Missale Mozarabicum, in quo extabat Missa immaculatæ Conceptionis, quæ multis modis adstruit puritatem Originalem Virginis: satis est dicere prima Officij verba hæc esse, *Speciosa facta es.* Vbi affirmat factam; id est, formatam Virginem cum specie & pulchritudine gratiæ. De hoc Concilio hæc habet Chronicum Coriolani ad dictum annum: *Statuto tempore Alexander Papa cum Episcopis & Cardinalibus Romanis Mantuam venit, ibidemque non nemo Episcoporum Lombardiæ, excepto Cadaloo iudicium fugiente, accessit. Adfuerunt & Hispaniarum aliquot Episcopi, deferentes libros Gothicos Rituales, à quibus cogniti, inuenti sunt Orthodoxi.* Hoc Concilium absque dubio fauisse puritati Conceptionis virginæ, consequens est ex eo quod ei adfuerit præcipuus, præter Romanum Pontificem, Doctor beatus Petrus Damianus, sacra Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Hostiensis, egregius puritatis virginæ Panegyristes. Idem confirmat historia Compostellana, imò & manuscripta Ecclesiæ Toletanæ.

Concilium
Mantuanum

Synodus
Cæsaraugu-
stana.

Ratio quoque habenda est Synodi Cæsarau-
gustanæ, celebratæ anno 1378. Cùm facta est
Constitutio Synodalis Archiepiscopi Cæsarau-
gustani super Festum de immaculata Conceptione:
vbi sic dicitur: *Sancta Synodo approbante
statuimus, precipimus & ordinamus, volumus &
mandamus, quod de cætero Festum Conceptionis
ipsius Virginis, quod est octaua die mensis Decem-
bris, tam à Clericis quàm populis, per ciuitatem
& totam Cæsaraugustanam Dioccesim, singulis
annis perpetuis temporibus celebretur, colatur &
seruetur, ab omni seruitij & feriali opere quies-
cendo.* Initium huius Constitutionis hoc est:
*Dum in Consistorio reuoluimus mentis nostra,
quod Diuina Prouidentia altitudo humanam crea-
turam eius imagini, & similitudini figuram, quam
misericordi respiciens pietate collapsam fore lapsu
viderat Protoplasti à nexibus reatus, per quem
damnationis sententiam incurrisse humani generis
posteritas videbatur, miro decreuit consilio rele-
vandam; erigens sanctam & immaculatam ex
clara stirpe Reginam MARIAM Virginem glo-
riosam.* Quid clarius pro puritate Conceptionis?
illud enim erigens, idem est ac formans erectam,
sanctam & immaculatam Virginem, sine parti-
cipatione communis calus; prout ex contextu
constat. Eadem Synodus concessit Indulgentias
celebrantibus Festum Conceptionis. Placet quo-
què memorare Synodum Burgensem, etenim
Franciscus Pachecus. S.R.E. Cardinalis, & Archie-
piscopus Burgenfis, inter alia pietatis suæ erga
Deiparam Virginem testimonia, in Synodo Bur-
gis celebrata anno 1575. vt habetur in libro Con-
stitutionum Synodaliū prædicti Archiepiscopa-
tus lib. 2. statutum edidit, quo colentibus diem
Immaculatæ Conceptionis Virginis sacrum in-
dulgentias concessit tenoris sequentis anno
1575.

*Conceptio Domine nostræ, quæ cadit in diem
octauam Decembris colitur in ista Burgenfi ciui-
tate, ex voto factò eam colendi, & carnes in Vigilia
non comedendi, atque in multis etiam aliis huius
Archiepiscopatus locis colitur ex deuotione, dictum
autem festum colentibus 80. dies indulgentiarum
concedimus.* Sic ille.

Nec ex modernis Conciliis silentio suppri-
mendum est Concilium Polonienſe, celebra-
tum contra Septentrionales hæreses, quod
multa habet in fauorem immaculatæ Conceptionis.
cap. 49. ait de Virgine: *Hec est noui Ade
noua Heua, non nouerca quod illa vetus, & post:
De cuius osse genita fuerat, cùm ipsa de sua carne
vicissim genuit; nec ab alio fecundata, quàm quem
peperit, vt inextricabili quodam enigmate simul
eadem fuerit & filia, & sponsa, & mater.* Rufus
ait; *Niueum illud Gedeonis vellus, quod in arca
sicca medio maduit, cuius alius præfigurabat simu-
lacrum nisi Maria? Quæ procul quidem à carnis
contagio semita, verum celesti rore tantum complu-
ta, Trinitatis opificio Deum pura concepit, pura
enixa est, pura post editum partum permanſit.* Ecce
quomodo puritatem eximiam Virginis commen-
dat in animâ, sicut integritatem in corpore com-
mendant alij per totâ virginæ visâ tēpus, quod
fuerit Virgo ante partum, in partu, & post partū.
Illud autem, quod dixerat Concilium, Virginē esse
nouam Henam noui Adæ, supponit Virginem esse
cū Christo primitias nouæ creaturæ, quod debuit
accidere in ipsa Conceptione ingratia, alioquin nō
esset tam singulare in illa, si de alio tempore intel-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

ligeretur, cùm alij Sancti cum processu temporis
gratiam obtinuerunt, etiam fuerunt nouæ crea-
turæ. Idem Concilium subdit, loquens de Sanctis:
*Nec habitauit in illis plenitudo Diuinitatis corpo-
raliter, quemadmodum in MARIA; cui, quæ per
partes alius est præstita singulis, totam se simul infu-
dit gratiæ plenitudo.* Vbi includit omnino sancti-
tatem Originalem, quæ concessa est Adamo &
Heuæ, & omnibus Angelis. Tandem ait: *Scriptum
autem est de Christo quoque, quod sit plenus gratiæ
& veritate; verum ab hac plenitudine tanto longius
absuit MARIA, quàm abfuerunt à MARIE ple-
nitudine Sancti reliqui.* His verbis satis insinuat
immunitas ab omni peccato, etiam Originali: nam
congrua explicatio earum est, quod sicut Christus
excessit plenitudine gratiæ MARIAM, quod ha-
buerit Christus sanctitatem naturalem, & per
suam ipsam naturam fuerit impeccabilis, MARIA
autem solum per gratiam, & nequaquam per na-
turam; sic MARIA excessit plenitudine gratiæ
Sanctos reliquos, quod MARIA fuerit tam plena
gratiæ, vt per ipsam gratiam fuerit impeccabilis,
ine aliquâ vacuitate gratiæ; Sancti autem reliqui
fuerunt aliquando peccatores; saltem vt filij Adam
per Originariam culpam.

Ex dictis in hoc capite constat, quantum au-
thoritate & numero tot Concilia fauerint purita-
ti Originali Virginis; quibus addi potest Syno-
dale Decretum Simonis Islepij, Archiepiscopi
Cantuariensis, datum anno 1362. quo manda-
tur, vt Festum in populo habeatur ab omni
opere feriatum, Natiuitas beatissimæ Virginis,
& Conceptio eiusdem. Quod & antè constitu-
tum est in Concilio Prouinciali, apud sanctum
Paulum Londinensem, tempore Simonis
Maphan, Cantuariensis Archiepiscopi, anno
1328. de quo videri potest Georgius Coluenerius
in suo Kalendario die 8. Decembris. Tum etiam
adiicienda est collatio Fontanobliaudensis, cum
Plessio Caluiniſtâ, tempore Clementis VIII. an-
no Christi 1600. quæ inserta est inter Gallicana
Concilia, sicut antiqua Collatio Carthaginensis
Catholicorum Episcoporum cum Donatistis in-
serta fuit inter Concilia generalia. In eâ quip-
pe Collatione Gallicanâ egregiè defensum est
Festum purissimæ & Immaculatæ Conceptionis
ab Episcopo Ebroicensi, postea Cardinali Pero-
mo; quam Collationem mirificè laudauit & gra-
tificatus est Clemens VIII. Et licet Basileenſe Con-
cilium non fuerit approbatum ab Ecclesiâ, De-
cretum tamen eius de Festo Immaculatæ Con-
ceptionis approbauit Concilium Auenoinense,
& ipsam Festi institutionem Sixtus IV. Omitto
quod aliqui grauissimi Auctores asseruere purita-
tē Originale Virginis definitâ fuisse ab Apostolis
quodam eorum Concilio; nec enim placet certa
solum secundum aliquos aggerere, sed certiora
apud plerosque, aut certissima apud omnes exhibere.
Aded Immaculatæ Conceptioni Virginis
fauere Concilia. Nec hîc rationem habeo Concilij
Pisani, in quo dixit Bernardinus de Busto deter-
minatam controuersiam huius myſterij ab Ale-
xandro V. nam fortasse sine Concilio solum ap-
probauit sententiam piam.

Necdum piget maiores moras trahere in hac
materiâ. Fuisset mihi religio, si non memi-
nissém aliorum Conciliorum, quæ pro Imma-
culatâ Conceptione affert acutissimus Ioannes
Perlinus in suâ Scholasticâ Apologiâ dist. 7. cap.
2. nimirum Mileuitani, Africani, Arausiani, &

L x Palæſtini;

Synodale
Decretum
Islepij.

Concilium
Londinense

Collatio
Fontano-
blaudensis.

Concilium
Polonienſe.

Concilium
Mileuita-
num.

Palæstini; quæ pro nostro instituto doctè perpendit. Ait Mileuitanum Canone secundo relato, in Decreto Gratiani, *de Consecratione*, dist. 4. Canone *Placuit, Placuit, ut quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari; sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed false intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit.* Hæc Concilium: quæ aurea planè sunt, quæque mirum in modum nostras partes agunt.

Rom. 5.

Etenim si præfata Pauli sententia, ut semper ab Ecclesiâ Catholicâ ubique terrarum diffusâ, intellecta est, accipi omnino debet, ut reuera fieri oportet; eo profectò sensu id erit, quo à Tridentino, quando totam id Ecclesiam repræsentauit: at illud de Virgine Paulus non intelligit; ergo si consonè ad Ecclesiæ mentem in Tridentino expressam censendum est, peccati debitum non contraxit Virgo, non in Adam peccauit. Etenim si Deiparam Apostoli comprehendere doctrinâ putabat Concilium, cur post Decretum, in quo quid de omnibus credendum esset, quid in Originalis peccati negotio Paulus statueret, definiebat, illam de Virgine subdidit exceptionem; Non recitauerat, quæ solam in Paulo communem labem explicant; sed quæ debitam etiam luculenter declarant, quæque de omnibus ab Apostolo tradi alleruerat: quare Virginem post excipiens, tum à culpâ, tum à debito illam excepit; excipitque Mileuitanum etiam, quòd asserat, Paulum iuxta Ecclesiæ sensum esse accipiendum: excipit & Africanum sub Cælestino & Bonifacio, in Biniânâ collectione tom. 1. pag. 642. contentum, eius titulus, *Concilium contra hæresim Pelagij & Cælestij, Quòd Adam non sit factus à Deo mortalis.* cap. 76. post initium, num 77. habet: *Item placuit, ut quicumque paruulos recentes ab vteris matrum, &c.* quæ in Mileuitano sunt iam relata:

Concilium
Africanum.

Burchardus.

quare, ut illud, nobis hoc etiam fauet. Est in Burchardo 4. Decreti libro, cap. 34. vbi ad marginem additur: *Ex Concilio Africano cap. 66.*

Concilium
Arafricanum.Binius.
Iouerius.

Et quoniam Arafricanum secundum, Canone 2. eadem prorsus habet ex Paulo ad Origine sceleris propagationem explicandam, veramque de illo doctrinam stabiliendam, quæ Mileuitanum & Africanum proponunt; illud quoque nostræ sententiæ dicendum est suffragari. Si eius desideras verba, suppeditabunt Tom. 2. Binius pag. 391. colum. 2. num. 2. versiculo, *Si quis soli; & Iouerius Sanctionum Ecclesiasticarum 2. classè, fol. 34. pag. 2. colum. 2. Canone 2.*

Synodus
Palæstina.

Palæstina Synodus prætereunda non est, in quâ iussus Pelagius errores abiurare suos, illos disertè, ne anathemate feriretur, damnauit. Sunt in Augustino, Epist. 106. nonnulla ex iis, quæ in Concilio eo peracta sunt; in Vasquez item ad calcem Commentariorum in 1. 2. D. Thomæ, 2. Tom. Excerptis illa, ut affirmat, ex quodam ab Antonio Aquante obtento exemplari codicis cuiusdam antiqui monasterij Mon-

Augustinus.
Vasquez.

tis Cassini. Primus error Pelagij erat, Adam mortalem factum, qui siue peccasset, siue non, mortuus esset; secundus, Quòd peccatum ipsius ipsum solum læsisset, non humanum genus; tertius, Quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante præuaricationem; quartus, Quod per mortem vel præuaricationem Adæ non omne genus humanum moriatur, & per resurrectionem Christi non omne genus humanum resurgat. *Hæc omnia Pelagius (inquit Augustinus) sic anathematizauit, quod satis gesta ipsa testantur, ut nihil ad ea quoquo modo defendenda disputationis attulerit. Unde fit consequens, ut quisquis sequitur illius Episcopalis auctoritatem iudicij, & ipsius Pelagij confessionem, hæc tenere debeat, quæ semper tenuit Catholica Ecclesia; Adam, nisi peccasset, non fuisse moriturum; Quod peccatum eius non ipsum solum læserit, sed & genus humanum; & Quod infantes nuper nati non sint in illo statu, in quo Adam fuit ante præuaricationem, ut ad ipsos pertineat etiam, quod breuiter ait Apostolus: Per unum hominem mors, & per unum hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificantur.* Hæc Augustinus, hæc Palæstina Synodus.

Augustinus.

1. Cor. 15.

Vtriusque illa esse non dubito, *Hæc tenere debeat, quæ semper tenuit Catholica Ecclesia.* Tenuit verò sic in Tridentino, ut Virginem in communi conditione comprehendere haudquaquam voluerit, non ergo ex totius Ecclesiæ ab antiquis sensu Virgo in Adam peccauit, aut in illo peccandi vllum habuit debitum.

Aduoco etiam in fauorem Conceptionis verba Concilij Florentini, quæ citantur ab Aduersariis, id est à sectatoribus opinionis affirmatiuæ, qui dicunt in odium opinionis Concilij Basileensis, ut notat Caietanus Opusc. de Concept. definitum esse hoc modo in Concilio legitimo Florentino: *Profitemur & docet Sancta Romana Ecclesia neminem unquam ex viro feminaque conceptum à diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per fidem IESU CHRISTI, qui sine peccato conceptus, natusque, & mortuus solus suâ morte prostravit, &c.* Hoc modo citat hunc locum Hyacinthus Arpalegus, sed corrumpit potius quàm interruptit illum, prout citatur à Caietano, qui post illud & mortuus, addit, *humani generis peccata delendo solus suâ morte prostravit, &c.* Hæc verba esse pro Immalatâ Conceptione comprobo auctoritate Oecumenici Concilij Tridentini, & legitimâ verborum Florentini explicatione. Nam Tridentinum, quod proculdubio non opponitur Florentino, profitemur & declarat, non esse suæ intentionis comprehendere Virginem in Decreto de peccato Originali; ac proinde intentum Florentini non potuit esse oppositum comprehendendi Virginem, quod patet ex legitimâ intelligentiâ verborum Florentinorum; nam definit *neminem esse liberatum à diaboli dominatu, nisi per fidem Christi*, quod est contra Pelagianos asserentes liberari sine fide & gratiâ Christi. Illud etiam, *qui sine peccato conceptus, &c.* confirmat nostrum institutum; nam illud *solus* non coniungitur cum *natus & conceptus*, ita ut sit sensus quòd solus ipse sine peccato natus est; quia esset falsum, cum saltem Virgo, & alij nati sint sine peccato, sed cum subsequentiis verbis. *solus suâ morte prostravit*; quod quidem verum est, licet


Virgo

Virgo sit concepta & nata sine peccato, quia solus Christus prostravit peccatum, & meruit ut Virgo sine peccato conciperetur & nasceretur. Quod ita esse intelligendum manifeste constat ex verbis Caietani, quæ omisit Arpalegus, ex quo testimonium depromptit. Nam, ut notavi, post illud & mortuus, addit, *humani generis peccata delendo, solus sua morte prostravit*, &c. Ex quo clarè patet nomen *solus* coniungendum esse cum *sua morte prostravit*; ita ut sensus sit solum Christum peccata humani generis delendo mortem suâ morte prostrasse, neminemque sine ipsius meritis à diaboli dominatu liberum fuisse. Confirmatur magis in his verbis citatis ex Concilio Florentino nihil contra immunitatem Virginis affirmare, sed potius Immaculatæ Conceptioni favere illos Patres, cum dicatur, *Solus Christus prostravit*, & non dicatur, *Solus Christus sine peccato conceptus & natus*: relinquitur enim ianua reclusa, ut Beata Virgo intelligatur etiâ sine peccato cõcepta sicut intelligitur etiam Ioannes sine peccato natus. Deinde cum dicat Concilium, *Neminem à diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per Eudem IESU CHRISTI*; nihil obstat, quò minus hoc potuerit accidere Virgini in primo instanti suæ animationis, in quo potuit habere fidem Christi, sicut Ioannes in ventre matris suæ; præterquam quòd non est necessaria fides Christi actualis, explicita & formalis in propriâ personâ ad sanctificationem eius, prout accidit in infantibus iustificatis, sed gratia Christi quæ omnino necessaria est, cum per eius merita & sanguinem redemptum sit genus humanum. Verùm falsò mihi videntur citari hæc verba Florentini, quia nec in definitione, nec in Decreto Eugenij Quarti talia verba inveniuntur. Et quidè in Tomis antiquorû Conciliorû omnino non extat Decretû quod illa verba pronuntiet, quâvis recens positum sit in Bullario sub nomine Bullæ Eugenij Quarti contra Iacobitas, sed tempora non coherent: nam Concilium Florentinum finitum est anno 1439. & hæc Bulla dicitur facta anno 1442. Vt cumque sit, illa verba militant potius pro Immaculatâ Conceptione, maxime prout legitime citantur in Bullâ Eugenij pro concordia Iacobitarum, quæ incipit, *Cantate Domino*, & sunt huiusmodi: *Firmiter credit, & profitetur, & docet neminem unquam ex viro feminaque conceptum à diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei & hominum, IESU CHRISTI Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus & mortuus, humani generis hostem peccata nostra delendo solus sua morte prostravit, & regni caelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdidit, reseravit*. Hæc vera, hæc legitima verba Eugenij, quæ fortasse cum aliquibus residuis ex Concilio Florentino Patribus pronuntiauit, tamquam corollarium Florentinæ Synodi, in hisque fauet immunitati Virginis, ut notauimus, & in cognomine *Immaculati*, quod tribuit in eadem Bullâ vtero Mariano. In eadem etiam Bullâ Eugenij approbantur Concilia, Ephesinum & Chalcedonense, quæ iam laudauimus bene merita de Immaculatâ Conceptione, ac proinde de eadem fuit bene meritû hoc Eugenij Quarti Decretû, cum Patribus qui ex Concilio Florentino reliquæ fuerunt.

Memoranda quoque est Synodus Trullana in Canone 79. vbi vocat Deiparam *Achranon*, hoc est, *sine ulla labe puram*; & præterea eam pronuntiat expertem molestiarum partus, quæ ex

Ioann. Euseb. Op. Parth.

maledicto & pœnâ Heuæ proueniunt simul cum peccato Originali: quapropter secundum hanc Synodum, & argumentationem S. Ildefonsi ab eo fuit immunis: licet enim hi Canones qui vocantur in *Trullo*, non sint recepti, plures sunt non prorsus contemnendi, cum ab Innocentio III. citentur, & in Decreto sæpè proponantur. Præterea sensus communis Patrum in *Trullo* congregatorum confirmat communem Ecclesiæ Græcæ sensum circa hanc materiam; licet in aliis errauerint.



CAPVT IX.

Nuncupatio Immaculatæ Virginis, iuxta prisca Concilia & moderna, comprehendit immunitatem à peccato Originali, & confirmat hanc traditionem Patrum.



PLACET adhuc ex Conciliis confirmare sensum traditionis Patrum, appellantium Virginem Immaculatam, Illibatam, & Intemeratam; extendi etiam ad puritatem Originalem. Etenim sic reuerita sunt sacra Concilia nomen *Immaculata*, ut eo attentissimè vtantur, cum aliquid in fauorem puritatis Conceptionis statuant. Ideò Concilium Tridentinum, cum excepit sanctissimam Virginem à lege comuni peccati Originalis, vsus est hoc nomine, dicens Sess. 5. Decreto de peccato Originali: *Non esse sue mentis comprehendere vbi de peccato Originali agitur, Immaculatam Virginem*. Similiter Concilium Basileense dixit Sess. 36. in suo Decreto: *Immunem semper fuisse ab omni Originali & actuali culpa, Sanctamque & Immaculatam*. Huic Concilio appendi potest Auenionense, quod prædictum approbavit Decretum. Videtur itaque Tridentinum supponere, Virginem, quia Immaculata fuit, non velle in suo Decreto de peccato Originali comprehendere. Similiter tot Episcopi & Doctores, qui Concilio Basileensi astiterunt, pro eodem habere dici *Immaculatam*, ac *immunem à peccato Originali & actuali*; imò hoc ipsum stabiliri, quia Immaculata est Virgo. Eapropter cum dixissent, *Immunem fuisse ab omni Originali & actuali culpa*, addidere, siue ut id confirmarent, siue ut nouam energiam adiicerent, *Sanctamque & Immaculatam*: his verbis ampliùs comprehendentes, quæ in antecedentibus clariùs exprimebant. Hoc ipsum confirmant aliqui ex Photio Patriarchâ Constantinopolitano, in Epistolâ de septem Synodis ad Principem Bulgariæ, vbi asserit in tertia Synodo, quæ fuit Ephesina, declaratum esse, *Dei Genitricem esse appellandam Immaculatam*; esse autem Immaculatam, quatenus significat mundationem à maculâ, non indigebat declaratione. Quare extendendum est ad munditiam Originalem, præseruatiuam communis immunditiei.


Quòd si dixeris, ex Concilio Tridentino potius colligi restrictum nomen *Immaculatam* ad puritatem actualem, non autem ad Originalem

L 3 extensum;

extensum; nam si intellexissent Patres per illud *Immaculata* elogium voluisse comprehendere etiam puritatem Originalem, definiret Concilium illam; non verò se abstraxisset à definitione, contentum quoddam B. VIRGINEM solum non comprehendisset in suo Decreto, quasi suspensam veritatem relinquens. Ad hoc dicimus, Concilium Tridentinum, licet tunc non definiret Immaculatam Conceptionem ob iustas causas quas alibi indicabimus; significauit tamen *Immaculatam* esse, & maximè fuit eius puritati Originali, atque eodem sensu dixit Immaculatam Virginem, atque Sixtus IV. Immaculatam Conceptionem; qui in Extrauagante *Græue nimis*, quæ extat in Iure, vocans Conceptionem Virginis Immaculatam, nihilominus non definiuit istud, sed potius animaduertit nondum esse ab Ecclesiâ decusum. Quare ex Concilio Tridentino non potest sumi argumentum ad extenuandam extensionem nominis *Immaculata*, attributi Virginis; imò potius indicauit extensam eius vim esse ad puritatem Originalem, eandemque vim apud illud habuisse, vocari Virginem Immaculatam, ac apud Sixtum vocari Conceptionem Immaculatam. Idè etiam ipse Sixtus IV. promiscuè vtitur vtroque in suis Extrauagantibus, iam vocans Virginem Immaculatam seu Intemeratam, iam dicens Conceptionem Immaculatam: sicut & Iulius II. fecit in Bullâ Confirmationis Monialium Conceptionis; & alij quoque Pontifices in Diplomatis, quibus fauent puritati Conceptionis, quidam vocant Virginem Immaculatam, alij dicunt Conceptionem Immaculatam; quoniam perinde illis est, siue applicetur Virgini hoc nomen *Immaculata*, siue Conceptioni, quoad significandum, hanc purissimam fuisse sine lorde Originalem.

Imò si enumerauerimus Pontifices qui pronuntiarunt Conceptionem Immaculatam, inuenimus non plus fauisse Conceptioni, quam Concilium Tridentinum, quod in suo Decreto dixit Virginem Immaculatam. Primus Pontifex, qui dixit Conceptionem Immaculatam, fuit Sixtus IV. in Extrauagante *Græue nimis*. Cumque Alexander VI. eam Diplomati *Illius qui ad verbum inferuerit*, & Leo X. *Suprà gregem Dominicum*, eandem summam referens, approbauerit, Pius V. Paulus V. & Gregorius XV. expressâ factâ mentione, ac si tenor eius insertus fuisset, confirmauerint; manifestum est hos Pontifices titulum *Immaculata* tribuisse Conceptioni, sicut & Sixtum. Addo, id ipsum affirmandum esse de Concilio Tridentino, siquidem eandem Sixti approbauit & innouauit Extrauagantem. Quapropter non solum præstitit Concilium Tridentinum pro Conceptione Immaculatæ Virgini, quantum præstitit pro illâ Sixtus IV. & ceteri laudati Pontifices, sed etiam ipsum titulum Immaculatæ Conceptionis commendauit, & proprium elogium fecit. Præterea Iulius II. in Diplomate, quod incipit, *Ad statum prosperum*, expedito anno 1511. non solum vocat *Conceptionem Immaculatam*, sed *Conceptionem purissimam, & animam Virginis à creatione suâ totam celestem*: sicut etiam in Bullâ, *Dum præclara*, expeditâ anno 1510. dixit *Sanctam Conceptionem*. Leo X. in Bullâ, *Pia Christi*, datâ anno 1518. ad oppidum Molinam de Aragon, dixit *Immaculatam Conceptionem*, idemque repetit in Bullâ, *Quia nuper*, in quâ Moniales Conceptionis participes facit priuilegiorum Ordinis Seraphici. A grauiissimis quoque Auctoribus citatur

Pauli III. Diploma, quod incipit, *Cum deuotâ consideratione*. expeditum anno 1537. vbi etiam vocat *Conceptionem Immaculatam*: extat hoc Diploma in Regesto Franciscano. Sixtus V. similiter in Bullâ, *Ineffabilia*, expeditâ anno 1588. vocat *Purissimam Conceptionem*; quod perinde est ac si dixisset *Immaculatam*. Paulus V. similiter citatur, dixisse *Immaculatam Conceptionem*, anno 1609. viua vocis oraculo; sed hoc non opus erat allegare, cum in eius Breui, ad PHILIPPUM III. Hispaniarum Regem, expedito die octauo Martij, anno 1617. tum etiam in eius Diplomate, incipiente, *Regis Pacifici*, apertissimè dixerit vtrouque *Immaculatam Conceptionem*. In pluribus alijs Bullis vocatur à Paulo V. Conceptio Virginis immaculata, prout obseruauit Petrus de Alna & cum asterisco notauit in Compendio Bullarij Franciscani; vbi etiam similiter animaduertit plures alias, in quibus Urbanus Octauus nuncupauit Conceptionem Deiparæ Immaculatam: quod etiam inuenitur in alijs plurium Pontificum Bullis, multæquo huiusmodi in Vaticanâ Bibliothecâ inuenientur. Igitur cum tot Pontifices, quamuis expressè Immaculatam pronuntiauerint Conceptionem, eam nihilominus non definirunt; sic etiam, licet Concilium Tridentinum non definirit illam, non propterea, cum dixit Immaculatam Virginem, comprehendit solum puritatem actuaalem: imò potius extendit ad complectendam etiam Originalem, cum tanto opere fauerit immunitati eius à communi labe. Videtur Concilium Tridentinum imitari voluisse antiqua Concilia, Ephesinum, Toletanum XI. in Professione Fidei, sextam Synodum Constantinopolitanam, secundam Synodum Nicænam, & Francofordiensem sub Adriano I. supra citatam: quæ cum vocant Virginem *Immaculatam*, aut *Impollutam*, aut *Illibatam*, comprehendunt etiam eius puritatem Originalem, vt clarius constat ex Ephesino, Francofordiensi, & sextâ Synodò Constantinopolitanâ, prout capite antecediti expendimus.



CAPVT X.

Idem Traditionis sensus confirmatur amplius ex eo, quod Conceptio B. Virginis in eius Natiuitatis Festiuitate celebraretur ab Ecclesiâ Catholicâ.



VERSUS constat, receptissimam fuisse in Ecclesiâ per illa vndecim priora sæcula Beatissimæ Virginis purissimam Conceptionem, ex eo quod eam solemnî Festiuitate celebrauerit: nam post Concilium Ephesinum, in quo fuit declaratum Beatissimam Virginem vocari debuisse Matrem Dei, maior in dies ad hanc Festiuitatem fidelium deuotio crescebat, ac celebrari fecit Festum eius sanctissimæ Natiuitatis, in quo non tantum celebratur Natiuitas eius ex Beatâ Annâ, vel vt ita dicam, dies natalis; sed etiam passiuâ Virginis Conceptio in vtero sanctæ Annæ, hoc est, tota & integra Virginis Natiui-

tas à conceptu eius in vtero matris, vsquequò ex ipso vtero in lucem fuit edita; vtrumque enim integra Virginis Natiuitas ac adæquatè sumpta intra se complectitur, vt perspicuè colligitur ex S. Ildefonso, lib. de Parturitione Virginis, quod manifestè conuincunt verba ac ratio eiusdem Ildefonsi, qui Beatissimæ Virginis Conceptionem defendit ab omni maculâ puram, eò quòd Ecclesia Catholica eius Natiuitatem solemniter coluerit ac colat: eius verba sunt sequentia: *Quando Spiritu sancto eam replente, non sine peccato Originali fuit, cuius etiam Natiuitas gloriosa Catholica in omni Ecclesiâ Christi, ab omnibus felix & beata predicatur: enimuero si non beata esset & gloriosa, nequaquam tam festina celebraretur ubique ab vniuersis; sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quòd nullis, quando nata est, subiacuit delictis; nec contraxit in vtero sanctificata Originale peccatum.* Hoc argumentum nullam efficaciam obtineret, si Ecclesia celebrasset Beatissimæ Virginis Natiuitatem ab eius Conceptione præcisam; verùm Ecclesiâ celebrante eius Natiuitatem integram ac totaliter sumptam, hoc est à principio sui esse aut instanti suæ Conceptionis inclusiue vsque ad tempus, quo ex vtero suæ matris in lucem prædiit, pro nostro intento suppetit argumentum irrefragabile. Latius se explicat S. Ildefonsus paulò post, vbi sic ait: *Dies, quando inchoata est felix MARIÆ Natiuitas, beata predicatur, & colitur religiose sanctis.* Quibus verbis manifestè dicit, quòd dies Conceptionis colebatur, quam vocauit Natiuitatem inchoatam. Præterea idem Sanctus notauit differentiam, quæ inter Festum Natiuitatis Beatissimæ Virginis, ac Ioannis Baptistæ intercedit: nam in hoc nullatenus inuuit celebrari Natiuitatem inchoatam sancti Ioannis, nec consequenter Conceptionem, quod eodem recidit; sed tantum vltimam Natiuitatem; hanc etenim gratia attingit ac præuenit; nam ipse in vtero sanctificatus legitur, illam nec gratia aut sanctificatio illustrauit; imò spatio sex mensium ea fuit posterior, hæc purâ sanctitatis prærogatiuâ decorata meritò ab Ecclesiâ colitur; illa communi generis humani miseriam dehonestata minimè attingitur: vt compendiosius totum complectar: natiuitas Ioannis, coarctata ad tempus sui partus, quo ex ergastulo materno Sanctus profiliuit, solemniter celebratur; non verò tempus conceptionis, quod illius sanctificationem in vtero præcessit; at verò Natiuitas B. Virginis totalis ac adæquatè sumpta, nimirum Conceptionem & ortum comprehendens celebrabatur ab Ecclesiâ: nam sicut hunc locuples gratia ditauit, ita & illam singularissima sanctitas ab omni labe muniuit.

Hoc ipsum constat ex Missâ antiquâ Natiuitatis Beatissimæ Virginis quæ in Hispaniâ celebrari consuevit tempore S. Isidori, sicut in Missali Mozarabe videri potest, in quo etiam de Conceptione fit celebris mentio; ita quòd in eâ hæc duo mysteria Conceptionis ac Natiuitatis Beatissimæ Virginis copulentur ac simul celebrentur: in hac namque Missâ locus ille Genesis B. Virgini accommodatur ac verè attribuitur, *Inimicitias ponam inter te & mulierem: quæ de Beatissimæ Virginis Conceptione intelliguntur: & in benedictione ad populum, à Sacerdote dicuntur hæc verba: Quisque Matrem seruauit à corruptela contagio, signum vestri cordis emaculat à delicto.* Quibus clarè notatur Deum præseruasse B. Virginem

à contagio, & consequenter à peccato Originali; quod constat ex reliquorum verborum appositione, quibus auxilium Diuinum imploratur, vt populus à delicto liberetur, ac communi & receptiori ipsius nominis acceptione; nomine enim contagij intelligitur peccatum Originale: liquet igitur illis verbis significari Matrem Dei fuisse à peccato Originali præseruatam.

Præterea, in Sermone primo de Natiuitate B. Virginis S. Ildefonsus in hæc verba prorumpit: *In hac siquidem die, competenter Beatissima Virgo MARIA sponso illi celesti liberè proclamat: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxisti me, & cum gloriâ assumpsisti me.* Hæc verba non satis concinunt, aut accommodari possunt Natali B. Virginis, nisi collectiue aut coniunctim sumatur cum die ac tempore Conceptionis, aut illius integra Natiuitas, à primo instanti sui esse, vsque ad tempus quo prædiit in lucem, celebretur: nam B. Virgo in momento suæ Natiuitatis hanc præseruationem, quâ Dei manu fuit detenta, vt in peccatum non incidisset, obtinere non incepit; sed tantum suæ Conceptionis ac Natiuitatis inchoatæ momento, quo dexterâ Omnipotentis fuit præseruata, vt nullius peccatâ contagio exponatur: verbis subsequentiibus Natiuitatis progressum indicat peculiari semper Dei assistentia manu ductum, vsque ad B. Virginis ortum, ac ad vltimum totius Natiuitatis complementum ac consummationem. Hoc confirmat Leo Augustus, in oratione de Natiuitate, in qua duas Festiuitates coniunxit, ac sic exclamauit: *O Conceptionem, partumque, ac infantem, quibus exitiosus peccati partus elanguit, salutisque multa prole innotuit!* Rem plane conuincit Georgius Metropolitæ, Sermon. 3. cuius titulus hic est: *Oratio in Conceptione ac Natiuitate Sanctissimæ Dominae nostræ Dei Genitricis.*

Simili modo S. Ioannes Damascenus, ac Andreas Cretensis, in Orationibus de Natiuitate Beatissimæ Virginis connectunt inter se vnam & alteram Festiuitatem speciatim ac expressissimè de Conceptione loquentes. Eos imitatus ac secutus est quantum ad hoc Fulbertus Carnotensis, in Sermonibus quos habuit de ortu Beatissimæ Virginis. Hanc vniionem Conceptionis & Natiuitatis Virginis in eodem de festo aud nonnullos Patres; inuenio etiam notatam à Francisco Combefis, Dominicano, Compilatore Auctarij Bibliothecæ Græco-Latinæ, qui in Notis ad Sermonem primū Georgij Metropolitæ, cuius titulus est, *In oraculum Conceptionis sanctæ Deiparæ*, postquam dixisset Græcos celebrasse titulo Conceptionis primam MARIÆ Natiuitatem, addit: *Quod etiam ex Andrea Cretensi Germani Constant. Damasceni, &c. Orationibus in Natiuitatem MARIÆ, & quibus vtrumque eius ortum perstringunt, palam est.* Ecce copula vtriusque mysterij sub nomine vtriusque ortus. Subdit deinde: *Putem ego, vti cæpta est secunda MARIÆ Natiuitas, ac ex vtero, festis coli honoribus ad instar, ac exemplo olim celebris diei natalis S. Ioannis Baptistæ ac Præcursoris, cum necdum Augustini tempore ea MARIÆ Festiuitas ageretur, saltem in Occidente aut Africâ, vt liquet ex eius Sermone 20. de Sanctis: ita primam eiusdem Natiuitatem, ac in vtero, quam vulgò Conceptionem vocant.*

Porro quòd duo vel plura mysteria in eadem Festiuitate celebrentur, non est nouum aut iniustum in Ecclesiâ; nam in solemnitate Epiphaniæ

tria mysteria coluntur; videlicet, Adoratio Regum, Baptismus Christi in Iardane, ac denique Miraculosa conuersio aquæ in vinum in Cana Galilææ. In Festiuitate Assumptionis, Transfus Beatissimæ Virginis Assumptionis in cælum in corpore & anima, ac tertio eius exaltatio, & coronatio pro Regina Angelorum celebrantur. In festo similiter Purificationis coluntur Deiparæ Purificatio, Occursus eorum in templo, qui eius sanctissimum Filium pro vero Messia agnouerunt ac confessi sunt; Ipsius quoque Filij introitus in templum. Quapropter hoc Festum tribus nominibus appellari consuevit; vno *Purificatio*, inter Latinos; alio *Occursus*, inter Græcos; tertio denique *Introitus*, seu *Aditus ad templum*, inter Syros; sicut constat ex Testamento nouo Syriaco Luc. 2. num. 21. in cuius inscriptione vocatur hæc Festiuitas, *Introitus Domini in templum*. Itaque non est mirum, quod Conceptio ac ortus B. Virginis antiquitus sint celebrata in eodem festi Natiuitatis, eò maximè, quod maiorem inter se connexionem habeant quam Regum Adoratio, Baptismus Christi, ac Miraculum patratum in Nuptiis; quæ parum videntur affinia.

Vide Notas
Francisci
Combes
in Ioan-
nem
Nicænum.

Quod præcipuè in hoc argumento notandum est, celebrata olim simul die sexta Ianuarij Baptismum Domini & Natiuitatem eius, saltem in pluribus Ecclesiis, & id factum ex præscripto S. Iacobi Minoris, prout testatur Zacharias Catholicus in Epistola ad Ioannem Archiepiscopum Nicææ, vbi ait: *Iacobi ea conscriptio est, ut Natiuitas ac Baptisma celebrentur sexta Ianuarij*. Clarissimè quoque Cyrillus ille Hierosolymitanus, qui scripsit Epistolam ad Iulium Pontificem: *Magnus est labor, ac hominum paucitas in magnis ac præclaris solemnitatibus, eo quod eadem die celebrentur, Lectionesque ac Officia amborum celebratum vix media parte absoluntur, quod nequeamus & Natale Domini celebrare, & Baptisma: nimirum fieri non potest, ut eadem die occurramus ad locum Baptismatis: nam Bethlehem tribus milliariis distat abs Hierusalem ad Austrum; Iordanis verò distat quindecim ad Orientem. Iubeat ergo tua Sanctitas perquiri scripta omnia Iudeorum qua Titus Casar abs Hierusalem prædatus Romam abduxit; fortè inneneris certam diem Natiuitatis Christi ac Dei nostri*. Idem colligunt alij ex S. Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, & Theoriano in Dialogo cum Amnenorum Catholicis: sed vberius loquitur Ioannes Nicænus, in Epist. de Festo Natiuitatis; qui optima comparatione vtitur: *Vt in domo alicuius eadem die celebretur, cum natalis dies, tum inaugurationis in regem, haud congruum decensque videatur: ut autem pater vnus diei circulo dilecti filij Baptisma pariter atque nuptias celebret, nihil absolum sit, aut minus decens: atque ut propter paupertatem faciat, planè præstabit, ut vno potius quàm duobus diebus rem faciat. Sancta ergo Ecclesia, quamquam sub Apostolis pauper extitit, propter contentioni studentium hæreses, ac eos qui rectè Fidei aduersarentur, necnon propter reges ethnicos ac infideles, propterque illatas persecutiones, ac propter Iudeorum audaciam, quibus ceu fluctibus maris circumquaque obseptæ erat: nunc tamen diues est, siquidem Euangelium explicatum est in mundum vniuersum, sermonèque veritatis peruasit vsque ad fines terra. Quia ergo post annos trecentos Christianum Pascha à Iudaico separarunt, eadem nunc quoque ratione Natalitio-*

rum diem ac Baptismatis, suo quemque ac proprio die, ac cum perfectis lectionibus, modulisque, ac Canonibus vnus ac eiusdem Domini nostri IESUS CHRISTI festinè colimus. Processu deinde temporis hæc Festa diuisa sunt, seiunctoque Baptismate à Natiuitate additæ sunt illi aliæ Festiuitates; nempe Adoratio Regum, & Miraculum Nuptiarum. Imò S. Augustinus, Serm. 32. de Tempore, qui est quartus Epiphaniæ, addit & quartum: *Nimirum excellens illud signum, quando quinque panibus quinque hominum millia Christus pauit in deserto*. Imò alij addiderunt plura; nam in Martyrologio Vsuardi, edito & annotato à Molano, hæc sexta Ianuarij dicuntur: *Quæ manifestari cepit gentibus, cum eum Magi adorauerunt, Melchior, Balthazar, & Gaspar. Simul hoc die Ecclesia gratam memoriam celebrat Baptismi eius sacri, & primi omnium miraculorum Christi, ac sub illo caterorum, quibus celebriter manifestata fuit ipsius Diuinitas*. Hæc notauimus, ne quis putet in Ecclesia nouum coniungi, & separari aliqua Festa. Tandem animaduerto, ne quis cepitet, quod Ioannes Nicænus dixerit post trecentos annos Pascha celebratum à Christianis diuerso die, quam à Iudæis fuerat institutum, aluisse in hoc ad Concilium primum Nicænum, celebratum anno 325. vbi terminatis in Synodo quæ ad Arium & Arianam hæresim spectare videbantur, quæstio illa de tempore Paschatis celebrandi reliqua erat. Vetus hæc controuersia fuit, iam tempore Polycarpi agitata; sub Victore autem Romano Pontifice, celebrato in Palæstina Concilio, definita. At quamuis plurimi resipuisent; Syri tamen Apostolicam traditionem prætexentes, adhuc in schismate persistebant, more Iudæorum, die 14. Lunæ, sanctum Pascha celebrantes, non autem die Dominico post dictam Lunam, ut cæteræ omnes Ecclesiæ. Fuit magno cum labore eadem causa ad finem perducta, & omnes spontè ad Ecclesiæ consortium redierunt, & pro Ecclesia aduersus Arianam hæresim strenuè depugnarunt. Ad facilius inueniendum cuiuslibet anni Paschalem diem, constitutus est in eodem Concilio numerus ille, qui aureus nominari consuevit, decem & nouem annorum periodum continens. Redeo iam ad institutum.

Suadet quoque vnionem antiquam Festi Conceptionis cum Natiuitate Virginis, quod in nonnullis Martyrologiis antiquis, prout ex illis accipit Ado Treuirensis, Festum Conceptionis non assignatur die octauâ Decembris; in die tamen Natiuitatis, octauo Septembris, mentio aut allusio fit ad Conceptionem. Sic Ado habet: *Natiuitas Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, quam Spiritus sanctus custodiuit, & electam sanctificauit*. Per hanc custodiam Spiritus sancti, significauit præseruationem; quæ custodia potius fuit necessaria in Conceptu, vbi imminet peccatum Originis, quam in Natiuitate; cum iam erat sanctificata Virgo. Idèd cum coniungit duo hæc, *custodiuit & sanctificauit*, non tam referendum est ad Natiuitatem, quam ad Conceptionem, cum in Natiuitate non fuerit sanctificata Virgo, sed sancta, cum sanctificationem antea accepisset; in Conceptione autem sanctificatio necessaria fuit.

Rursus hæc vnio inter Festiuitatem Conceptionis ac Natiuitatis, comprobatur ex eo, quod S. Anselmus in quadam Epistola ad Episcopos Angliæ retulerit; diuinitus fuisse inspiratum, ac

commiffum Abbati Helfino, colere celebritatem Conceptionis cum Officio Natiuitatis; nam cum huiusmodi Conceptionis Fefiuuitas in Angliâ ac reliquis Prouincijs Septentrionalibus tunc non fuerit adeo vfitata, ac eius connexio cum Fefio Natiuitatis non ita innotuerit, aut ex eorum exciderit memoriâ, eam renouari voluit Dominus nofter, ac ex latebris in lucem exilire, ordinando ac præfcribendo illi Abbati eius celebritatem modo difto: nam illi non præcepit nouam inftituere Fefiuuitatem fine confenfu ac auctoritate Summi Pontificis; fed tantum recoleere ac renouare folemnitatem antiquam, ac iam tunc in Ecclefia receptam, quod hæc probat reuelatio, ac de eo maximum eft argumentum.


Aduerto, quofdam iudicaffe S. Ildefonfum locutum fuiffe de Conceptionis Fefiuuitate tantum: hi namque afferunt dari duas Natiuitates, vnam *in vtero*, & aliam *ex vtero*; & S. Ildefonfum, quando fermonem habuit de Natiuitate B. Virginis, omnia intellexiffe de Natiuitate in vtero. Hoc autem comprobant quod dixerit Sanctus ille die Natiuitatis Virgineæ: *Dies, quando inchoata eft felix MARIÆ Natiuitas*. Sed huic aduerfatur, quod Conceptionis Fefiuuitas tunc non celebrabatur per vniuerfam Ecclefiam, ficut dixit Ildefonfus; fed tantum Natiuitatis, quemadmodum ex Patrum Homilijs liquidò conftat. Plures etenim funt, ac antiquiores, qui Natiuitatem quam Conceptionem B. Virginis refpiciunt. Vnde conftat S. Ildefonfum non potuiffe loqui de Natiuitate *in vtero*, nifi accomitatâ, ac fimul fumptâ cum Natiuite *ex vtero*. Secundò huic opinioni refragatur, quod S. Ildefonfus latum difcrimen pofuerit inter Natiuitatem inchoatam ac Natiuitatem abfolutè fumptam, illam vocando Conceptionem. Tertio: nam ibidem S. Ildefonfus tradit tres Natiuitates in Ecclefia celebrari folitas, quas à fe inuicem diftinguit, intra idem tamen genus; nimirum Chrifti, B. Virginis, ac S. Ioannis Baptiftæ: cum igitur Natiuitas Chrifti ac Baptiftæ, celebratæ folemniter in Ecclefia, fint natiuitates ex vtero; fimili modo fateri debet Ildefonfus, nomine Natiuitatis B. Virginis, intellexiffe Natiuitatem ex vtero, non tamen propterea exclufiffe Conceptionem, quam Natiuitatem inchoatam nuncupauit, vel fecundum alios, Natiuitatem in vtero. Sed hoc difcrimen, inter Natiuitatem B. Virginis ac Ioannis Baptiftæ notauit idem Ildefonfus, quod Ioannis Natiuitas ex vtero in Ecclefia celebretur, eò quod in vtero matris, poft contractum tamen peccatum Originale, fuerit fanctificatus; Beatiffimæ verò Virginis Natiuitas ex vtero, iuxta opinionem beati Ildefonfi, fimul cum Natiuitate in vtero ab Ecclefia folemnizetur, quam ille inchoatam, hoc eft Conceptionem appellat; quod illa verba fignificent: *Nullius igitur Natiuitas celebratur in mundo, nifi Chrifti, & eius* (hoc eft Beatiffimæ Virginis, de qua tum fermonem habuit) *atque beati Ioannis: Ioannes autem, quia & ipfe in vtero fanctificatus legitur. Sic & Beatiffima Virgo MARIA, nifi in vtero matris fanctificata effer, nimmè eius Natiuitas colenda effer: nunc autem, quia ex auctoritate totius Ecclefie veneratur, conftat eam ab omni peccato Originali immunem fuiffe, per quam non folum maledictio matris Heue foluta effer; verum etiam & benedictio omnibus condonatur*. Vnde apparet, S. Ildefonfum benè intellectum de Fefiuuitate Natiuitatis per vniuerfam Ecclefiam, nequaquam ex-

clufiße Natiuitatem ex vtero; fed eam aggregatim ac fimul fumpfiße cum Natiuitate in vtero, celebrando integram Natiuitatem, ac adæquatè fumptam, vtramque comprehendentem, ficut paulò fuperiùs diximus, Hoc totum aduertere libuit, vt liberiùs dicam, quod verius opinor; ad meum namque propositum nihil intereft, vtra interpretatio fit verior; nam ex quacumque fati colligitur Conceptionem Beatiffimæ Virginis, in prioribus vndecim fæculis Ecclefie; in maximâ veneratione habitam fuiffe. Tota hæc veritas ex eo maxime conftat, quod in ipsis primis vndecim fæculis paulò poft S. Ildefonfum in varijs partibus folius Conceptionis ac folitariè fumptæ, Fefiuuitas fuerit celebrata. Porro ad obiectionem illam de die Natiuitatis inchoatæ refpondemus illud dixiffe S. Ildefonfum, non quod dies ille Natiuitatis fuiffet folùm Natiuitatis inchoatæ, fed quod in eo die etiam celebraretur Natiuitas inchoata, fimul tamen cum Natiuitate confummatâ. Quod neceffe eft dicere, ne alijs Patribus & fibi ipsis inconftantaneus fit, iuxta dicta.

Multis fuperfedendum duxi, quæ à plerifque in huius veritatis confirmationem adduci ac depromi folent ex Miffali Mozarabico, à S. Ifidoro compofito; nam à quibusdam dubitatur, an ipfe Sanctus Doctor, inter reliquas folemnitates in eodem Miffali pofitas, Conceptionis Fefiuuitatem inferuerit, vel alius poftèa eam addiderit. At S. Ioannem Damafcenum pofuiffe hanc Fefiuuitatem in Calendario Græciæ, teftatur Galatinus lib. 7. de Arianis, cap. 5. Extat à tempore S. Decoroſi Epifcopi de Capua, qui annum circiter 663. floruit, ac Longobardos Italiæ ab idolorum cultu ad veræ Fidei cognitionem perduxit, quoddam Kalendarium Longobardicum in Cœnobio Monialium fancti Ioannis de Capua, in quo die fextâ Decembris hæc reperitur claufula: *Paſſio erit fancti Salini, Spoletani Epifcopi, & eodem die Conceptio Dei Genitricis & Virginis MARIÆ*. Quod videri poteft in Michaele Monacho, de Sanctis Capuanis, fol. 402. Eodem etiam modo venerabilis Beda hanc pofuit Fefiuuitatem in fuo Martyrologio, die octauâ Decembris, fic dicendo: *Conceptio fanctæ MARIÆ perpetuæ Virginis*. In tempore Caroli Magni, qui obiit anno 817. miraculum contigit Sacerdotis, cui B. Virgo apparuit, ac ei præcepit, vt die octauâ Decembris hanc Fefiuuitatem celebrasset, ac celebrari fecisset: qui atteftantur hoc miraculum eueniſſe, funt quatuor Religioſi ex ipſâ Familiâ Dominicanorum; ex quibus duo priores funt, Iacobus de Voragine, in fuo libro in Legendâ Sanctorum, quem Claudius de Rota, ex eodem Ordine, auctum quibusdam additionibus fecundò in lucem edidit, anno Domini 1536. alij duo funt, Pater Ioannes Sanchez, ac Petrus de Legizamò; qui correxerunt ac emendarunt librum de Vitâ Sanctorum, compofitum per Doctorem Millanum, quem tyſi dari curarunt anno falutis 1578.

Marcus Maximus, Epifcopus Cæſarauguſtanus, teftatur hoc myſterium in Hiſpaniâ fuiffe fuâ ætate celebratum, proceſſiſſe quoque à prædicationibus fancti Iacobi Apoſtoli. Fieri poteft vt hæc Fefiuuitas tunc celebrari conſueuerit fimul ac commixtim cum Natiuitate Beatiffimæ Virginis; fed quocumque modo dicatur, prædicta confirmat, ac hoc myſterium Conceptionis puriffimæ in vndecim primis fæculis Ecclefie fuiffe in ſummâ veneratione demonſtrat. Porro tunc in quibusdam

buldam locis seorsim celebrari consuevit, in aliis copulatum cum Natiuitate; in aliis denique locis utroque modo celebratur tam diuifim quam coniunctim, prout latius dicimus in Tractatu de Perpetuo Obiecto Festi Conceptionis.



CAPVT XI.

*Confirmantur dicta ex sententiis
& vero sensu sancti Ildelfonsi
circa Immaculatam Virginis
Conceptionem; cuius Sermo de
B. Virgine nondum antea ex-
cusus nunc editur.*



QVONIAM auctoritas sancti Ildelfonsi maxima sit ad fulciendam Festiuitatem Conceptionis Virginæ, nec defuerint, qui sine lectione librorum huius Sancti Doctoris excogitarunt dubiam eius mentem facere circa immunitatem Virginis; oportebit producere præter dicta superius alia testimonia eiusdem Sancti, quibus egregie adstruit munditiem Deiparæ Originalem; quæ aded sunt conspicua, vt satis sit ea referre. Qui tamen desideret maiorem considerationem, consulat nostrum Ferdinandum Salazar; sicut & qui velit profligata omnino diuersimodè sentientium commenta, legat Franciscum Biuarium in suis Sanctis Vindicatis. Igitur Sanctissimus Præsul Ildelfonsus in libro de Parturitione & Virginitate MARIÆ multa serit, quæ ad comprobendam MARIÆ perpetuam sanctitatem faciunt. Quid (inquit) legem nature requirunt in MARIÆ, ubi torum, quidquid in eâ fuit, possedit Spiritus sanctus? multa subnectit in hanc sententiam ab illis verbis, *Et quomodo Christus Verbum caro, vsque ad illa, Constat illam ab omni peccato Originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Heuæ soluta est, verum etiam & benedictio omnibus condonatur.* Deinde: *Cum verò dicit Gratia plena, ex integro iram exclusam ostendit, & restitutam gratiam declarat.* Et subinde: *Ergo inquit, per quem tanta benedictio efflruit & gratia manauit, non est credendum, quod eius puerperium doloribus & gemitibus, more feminarum subiaceret, & quia tristitia non subiaceret & arumnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit, quam Spiritus sanctus adimplevit, & totam Domino dicauit.* Quibus verbis, non solum à peccato, sed ab obligatione & debito liberam fuisse Virginitatem significat: nodus enim obligationem connotat. Ex eo probat sanctus Ildelfonsus, Virginem Originali culpâ vacasse, quia illius effectibus ac reliquiis omnino caruit. Quod argumentum identidem repetit circa finem huius libri. *Nullas adscribant (inquit) Sacratissima Matri contumelias, non gemitus, non dolores, non arumnas, non vllas vscerum vexationes, non vllas diæ tristitia corruptiones; quia hæc omnia, sicut sæpè dictum est, in primâ origine illata sunt vindictæ, & retributiones iustissima primæ prauaricationis. A quibus omnibus Beata Virgo MARIÆ, quantum est aliena à culpa, tantum proculdubio libera fuit à doloribus,*

& pœna. Huius etiam argumenti est, quod paulò antè scribit: *Quæ nec Adam ad se admisit, nec ex Heuæ collunione Filium suscepit, nec sub maledictio in doloribus & angustiis Dominum peperit.*

Reliquis testimoniis minimè postponendum est illud, quod habetur in eodem libro circa medium: *Vnde interrogemus illos sequaces Heluidi, qui est Virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen commaculant & gratiam, quæ plena predicatur, quando communi lege natura virginitate dicunt eam peperisse. Quia si ita peperit, ergo adhuc, ac si cum massâ primæ damnationis contra Angeli vocem, maledictioni subiaceret, ac Verbum Patris de carne peccati (quod absit) vi caro fieret, hominem assumpsit. Sed quia contra Fidem Catholicam est sic sapere, Beata Virgo plena gratia nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit; quia quantum aliena fuit à culpa, Spiritu sancto in ea cooperante, & virtute Altissimi qua obumbratur, in totum extranea à maledictio primæ damnationis. Eandem immunitatem satis confirmat & explicat sanctus Ildelfonsus illis verbis: *In qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio intererit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diæ conditionis, & in qua vexilla virtutum micuerunt, nullum peccatum primæ Originis, vt cruciaretur, vixit.* Contexamus nunc verba Ildelfonsi: *Nulum peccatum primæ Originis vixit, ab omni peccato Originali immunis fuit, neque Originale peccatum in vtero sanctificata contraxit.* Idem S. Ildelfonsus Serm. 1. de Assumptione Virginis exponens, quonam pacto dicatur verè Arca fœderis & Testamenti, hæc habet verba: *Rectè Arca Sacramentorum Dei Virgo MARIÆ fuit supra quam sanè Propitiatorium, & Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur; quia MARIÆ nullum extrinsecus irrepsit peccati contagium, & intus omnis custodia legis & manna fuit.* Dixerat prius: *Venite, queso, & videte, quoniam hodie translata est Arca Testamenti Dei ad Superos; exterius inaurata virtutibus, & fabricata interiùs auro purissima Maiesiatis, in qua lex Testamenti Dei & manna fuit.* Ex quibus constat, Ildelfonsum duo in Beatissimâ Virgine expendisse, quæ ad Arcæ Testamenti proprietatem spectabant; interiùs quidem, quod intra Arcam fuerunt legis vniuersæ tabulæ, & auri purissimi fabrica; exterius verò, quod erat omni ex parte inaurata, & super ipsam Propitiatorium & Cherubim hinc inde obumbrantia. Ex hoc autem duo infert, nimirum & quod intus, in Virgine omnis custodia legis fuit, & quod exterius nullum ei irrepsit peccati contagium. Ceterum cum omnis legis custodia excludat omnia peccata actualia; quippe cum non sit actuale peccatum nisi dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam, vt Augustinus & S. Thomas definiunt, & propterea custodia legis rectè dicatur intus esse, vt pote ex propriâ & intentâ voluntate operantis: necessum est, vt per contagium peccati, quod ei extrinsecus irrepsisse negat, Deo propitiante & defendente, excludat à Virgine peccatum Originale; hoc enim solum extrinsecus irrepsit homini ex alterius voluntate, non ex propriâ suâ peculiari, cum per carnalem generationem traducitur; & hoc significauit illis verbis: *MARIÆ nullum extrinsecus irrepsit peccati contagium, & intus omnis custodia legis fuit.**

Præclarum quoque est aliud Ildelfonsi testimonium, in paruo quodam Sermone: *Præparauit*

rat Deus sibi vas, ut per ipsum potuisset apparere hominibus; scriptum est enim: Sapientia edificavit sibi domum, vel templum, hoc est, MARIAM Virginem. Consideremus in quantum possumus, quia in lingua sufficit loqui, quod voluntas cupit proferre. Quanta fuit benignitas Dei, ut de tam longinquo inquireret sibi Templum, ubi habitaret: Quia MARIA Virgo non sic est nata, sicut solent pueri vel puella nasci; sed de Anna sterili, & de patre iam sene, extra consuetudinem mulierum, & refrigerentem calorem, & sanguinem iam tepidum in pectore, & omnem amorum libidinis discessum; mundo corde & corpore ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit, ut de tali vasculo Mater sua nasceretur. Quod nunc scimus, quia per Spiritum sanctum, illo ordinante & benigniter precipiente preparavit sibi Matrem, quæ præcessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec habebit sequentem. Hoc dictum sancti Ildefonsi consentaneum est sententiæ Diui Augustini, in Serm. de Parturit. & Purificat. sanctillimæ MARIÆ, ubi hæc ait: Deus humana natura fecunditatis dona contulit; libidinis verò malum creatura Dei non est, sed pœna peccati. Proinde de munditia nuptiarum nullus homo mundus nascitur; quia interuenire fordidam libidine, iniquitas seminatur. Hinc & beatus David, qui se nouerat de legitimo connubio generatum, huius tamen rei conscius, maculam carnalis generationis non sine graui gemitu deplorabat, dicens: Ecce in iniquitatibus, &c. Hæc paucis dicta sunt, ut noverimus maculam Originalis peccati non in legitimis nuptiis, sed in voluptate & delectatione constare libidinis. Fauet quoque Immaculatæ Conceptioni, quod S. Ildefonsus dixit in Serm. 3. de Assumptione: Quod per partes datum est aliis, tota simul venit in eam gratiæ plenitudo. Id accepit à Diuo Hieronymo, Serm. de Assumptione tom. 4. Eucherio Lugdunensi, seu (ut vulgò citatur) Eusebio Emiliëno, Serm. de Annuntiatione; Chrysologo, Serm. 143. qui est tertius de Annuntiatione, & postea docuit Bernardus, Homil. de Laudibus Virginis, & Diuus Thomas in Catenâ aureâ; & ipse Ildefonsus iterum repetit Serm. 6. de Assumptione. Ceteris (ait) electis ex parte gratia datur; huic verò Virgini tota se infundit plenitudo gratiæ. Cùm verò Adamo & Heuæ, primis hominum parentibus, & Angelis omnibus data sint in gratiâ vitæ initia, & quidquid aliis datum est, Virgini non fuerit denegatum, consequens est, ut ea etiam gratia illi donata sit in suâ Conceptione.


His omnibus auctoritatibus beatissimi Ildefonsi, coronidem siue coronâ imponat aureus eiusdem Sæcti Doctoris Sermo de B. Virgine, qui hactenus publicam lucem non vidit; alleruatur tamen manuscriptus in pergamenâ chartâ, tamquam inestimabilis thesaurus in Bibliothecâ Ecclesiæ Toletanæ, in cuius trigésimo primo loculo siue sectione, numero 17. extat liber in folio, tabulis compactus, & extrinsecus sic inscriptus: Ildefonsus de Virginitate Beatæ MARIÆ. M. S. Continet tamen omnia S. Ildefonsi Opera, in quorum fine dicitur: Explicit liber Ildefonsus, quem fecit scribi Reuerendissimus in Christo Pater & D. D. Ameliius miseratione Diuinâ titulo Sancti Eusebii Cardinalis, cui Deus det bonam vitam & longam. Et fuit completum per me Bernardum de Gordonis, die 23. mensis Iunii, anno 1388. In hoc igitur volumine extat Sermo prædictus, ubi S. Ildefonsus opponens Heuæ MARIAM, hanc commendat

immunem à peccato communis Originis. Et quia totus Sermo peruenustus est, integrum illum piis atque eruditis præsentio.

SERMO DE S. MARIA Beati Ildefonsi.

CREATOR omnium & Auctor vitæ, dilectissimi fratres, sicut fides vestra optimè nouit, Dominus Deus est. Quia scriptum est: Apud te est Domine fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Et Adam primus homo creatus est à Deo valde benè, sed per Heuam, suadente serpente, deceptus est valde male. Auctor verò mortis diabolus est, sicut scriptum est: Per inuidiam diaboli mors introiit in orbem terrarum, & imitantur eum, qui sunt ex parte eius. Ipse enim diabolus rectè à Deo conditus est, & in veritate noluit stare; sed mox ut creatus est, per superbiam suæ vitium offenso Creatore, caelesti sede caruit. Quas sedes Dominus reparare cupiens, protoplastum, scilicet, Adam & Heuam uxorem eius, ex terrâ in terram condidit, ex quorum genere ruinas vacuas cæli repararet. Sed Auctor mortis hanc reparationem inuidens, fontem rudem humani generis antequam riuiolos natiuitatis per arua spargeret, venenum suæ mortis immiscere festinauit. Sic ergo genus humanum, quasi vnam arborem adhuc in radice teneram, antequam in propaginis prole prodiret, vitiauit. Inde est ergo, quod radix vitiosa quotidie indefinenter fronderet, frondesque eius indefinenter per mortem marcescunt. Et sæpè contingit quod aurum fulgens reperatur in luto, & ex pungenti spinâ pulchra rubens oriatur & rosa. Hoc enim operante Prouidentia diuinâ, ex radice vitiatâ sine vitio prodiit virga, quæ intelligitur Beatissima Virgo MARIA, attestante Isaiâ Prophetâ, qui dixit: Exiit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Huius enim gloriosæ Virginis, id est, sanctæ MARIÆ figuram tenuit virga illa, quæ fuit in mysterio Aaron Sacerdotis, iubente Domino à sancto Moyse in Tabernaculo posita; quæ altero die sola fronduit, nucemque protulit: quia proculdubio sola Virgo MARIA fuit, quæ Dominum peperit, & post partum Virgo permansit. Per hanc ergo Auctor vitæ auctorem mortis patenter damnauit, dum per mulieris Filium damnauit mulieris peccatum. Scriptum est enim: Initium peccati à muliere cœptum est, & nos per illam morimur. Et iterum: Adam non est seductus; mulier verò seducta. Ita è contrario à muliere cœpit reparatio vitæ, per cuius Filium Dominum nostrum IESUM CHRIS- TUM omnes resurgimus. Quia scriptum est: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Videamus ergo, fratres charissimi, qualiter sibi istæ duæ mulieres distent. Ad Heuam enim auctor mortis per tortuosum serpentem mortem suavit: econtrâ B. MARIÆ Auctor vitæ per Gabrielem Archangelum salutis auxilium misit. Heuæ enim suavit diabolus, ut comederet cibum vetitum, MARIÆ nuntiauit Angelus, quod conciperet per obedientiam promissionis Filium. Heuæ comedens prohibitum pomum, & sibi nocuit, & viro. Beatissima MARIA concipiens nobis datum Filium, sicut scriptum est: Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & feminis profuit, & viris. Illa enim in animo furto rapere visa est Diuinitatis essentiam, attestante sanctæ Trinitatis

Trinitatis eloquio: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis* Maria autem humilem se confitetur Domini esse ancillam; ait enim ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Sancta Maria per obedientiam humilitatis obumbratur à virtute altissimæ Diuinitatis, Heua per corruptionem concipiens, & in dolore pariens, sub viri potestate fuit, Maria per mysterium Spiritus sancti fide concipiens, gaudio pariens; vnde Reges & Principes ouantes eius cupiunt subiici potestati: Heua de paradiso mittitur ad exilium; Maria de exilio huius sæculi eleuatur ad cælum: Heua timens post peccatum, absconditur inter ligna Paradisi; Maria Virgo gaudens post partum, circumdatur cœtibz Angelorum cœlestis militiae, dicentium cum gaudio: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Heua posteros; ex suâ carne nascentes, homines transmisit ad inferos; Benedicta Maria ex sua prole natos dirigit ad cœlos: ex carne Heuæ dicuntur filij hominum; ex Beatæ Mariæ Filio renati non dicuntur filij hominum, sed filij Dei. Vt quid vltius immoror protrahendo plurima? Heua obfuit, Maria profuit; Heua luxit, Maria illuxit. Sileat ergo nunc à feminis per Beatam Mariam mortifer & malè suasibilis sibilus: quia iam sumus omnes redempti per gloriosæ Virginis Mariæ Filium. Cadat & improprium Heuæ; quia vniuersi sumus lecti per partum sanctæ Virginis Mariæ. Exultet & lætetur celebrando hunc diem solemniter Christianorum caterua; quia vita, quam destruxerat Heua, reparatur per Beatam Mariam. Sed & potius gaudete beatæ puellæ Virginis Christi, quæ per exemplum B. Mariæ, sanctissimæ Virginis, carnales nuptias contemnentis, dolorem partus, potestatem viri, curam carnis, luctum pignoris, & solitudines mundi euadentes, vt sine impedimento viuere studeatis, & probetis sicut nos monet beatus Apostolus, Dominum exorando, terrena desideria respuendo, polum in dote merebimini, quia sociatæ Beatæ Mariæ thalamo Christi placebitis, Funera non plangetis, quoniam sine fine gaudia sumetis; quia immortaliter viuunt amor vester Christus Dominus IESVS. Et quia semper viuunt Christus, cum quo est amor vester, regnaturæ estis & vos pariter cum omnibus Sanctis. Fulis ergo precibus, fratres charissimi, cuncti Dominum communiter deprecemur, vt qui sanctæ Mariæ Virginis dignatus est propter nostram redemptionem nostramque salutem habitare vterum, & qui eam super astra cœli, ac supra Virginum choros facit regnare in cœlestibus, ipse vos eius meritis suffragantibus, iubeat fieri in Sanctorum congregatione participes, vt non inueniat in animabus vestris ille sæuus accusator quod perimat; sed eius immensa pietas nos misericorditer pertrahat ad coronam. Qui viuunt & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.



CAPVT XII.

*Eadem traditio firmatur ex antiquitate apud Græcos
Festiuæ Conceptionis
Deiparæ.*



ANTIQUITAS etiam celebratæ Conceptionis Virgineæ, apud Græcos Patres, suadet etiam communem sensum illius Ecclesiæ, & genuinum huius Traditionis intellectum, comprehendens etiam puritatem Originalem Deiparæ: quamuis enim communiter tribuatur sancto Ioanni Damasceno hæc Festiuitas, apud Græcos; inuenio tamen aliqua sæcula ante illum celebratam fuisse Conceptionem Virginis, saltem in aliquibus locis; quod non obstat, quò minus vniuersaliter celebraretur sub tempora sancti Ildefonsi Conceptio Virginis simul cum Natiuitate eiusdem; nam, vt superius probauimus, non est nouum in Ecclesia in vno die Festo duo celebrari mysteria, sicut neque inusitatum est idem mysteriū bis celebrari in anno: Annuntiatio quippe Deiparæ bis in Hispaniâ quotannis celebratur; semel die vigesimaquintâ Martij, iuxta vniuersalis Ecclesiæ ritum, & rursus die decimo octauâ Decembris, iuxta particularem Hispaniæ institutionem & morem. Festum quoque Angeli Custodis multis in locis celebramus die primâ Martij, & iterum die primâ Octobris: quòd autem in aliquibus locis Græcorum celebraretur ante sanctum Sabbam Conceptio Virginis, constat ex perantiquo Officio Diuino. Ex Officio, inquam, Diuino Ecclesiæ Græcæ, in conceptione sanctæ Annæ, qua illa Matrem Dei concepit; quod officium agnouit S. Sabbas, qui ante mille ducentos annos floruit in Rituali suo Hierosolymitano. Prout benè adnotauit noster Simon Wangbierckius, qui illud Officium è Græco in Latinum transtulit. Id ipsum confirmatur ex Canone Ecclesiastico in festo sanctæ Annæ concipientis, composito à sancto Andrea Cretensi, qui claruit anno 560. fermè ducentos annos ante Damascenum. In quo satis commendatur, & sæpissimè, puritas Originalis Deiparæ: atque operapretium erit notare aliqua. In Ode 6. Canonis dicitur: *Quomodo potuit vtero comprehendi, quæ Deum ipsum comprehendebat? Quomodo generari illa, quæ Christum generauit? Quomodo lactari demum, quæ lactauit ipsum Creatorem?* Manifestè hîc indicatur, in concipiendâ hæc Virgine aliquid extraordinarium & supernaturale concurrere debuisse, qualis est earentia peccati Originalis. Ibidem: *Anna columbam immaculatam concipiens in vtero, impleta fuit verissimo spiritali gaudio.* Virgo primo statim initio suo fuit columba immaculata; ergo minimè fuit primo ex peccato Originali coruus. Ode 7. dicitur: *Regalis purpura nunc contexenda in ventre tuo fit initium, ô Anna! quæ indutus Regnator cunctorum Deus spectabilem se mortalibus præbebit: in quâ & portandâ hostes, qui nos impugnant, humiliabit.* VIKGO primo statim initio suo in sanctæ Annæ vtero materia fuit purpuræ Regalis; non ergo fuit


fuit crassum primo filum & putidus pannus, id est peccato Originali infectus. Rursus ait; *Sua- uiter fragrans unguentum concipitur in utero tuo, Anna, & quidem unguentum tale, in quo recipere- tur ipse Dominus, qui est unguentum vite aeter- nae, quippe per halitum è Gratiâ suâ expirantem suavi mentes nostras odore imbuit.* Si Sancta Anna primo statim creatæ Virginis momento fragrans unguentum concepit; non ergo prius concepit lutum Originale, quod deinde in unguentum mutaretur. Tandem Ode. 9. dicitur; *Anna accipe nunc gaudium singulare ob conceptum à te fontem, qui est ipseus vite receptaculum. Tu item, qui in ventre tuo sanctum suscepisti templum, quaque cepisti hodie lumine iustitiæ illuminari.* Anna concipiens Virginem lumine tunc iustitiæ illu- minata dicitur. Ergo ex Ecclesiæ Græcæ mente nihil tunc tenebrarum peccati Originalis inter- cessit. Confirmat sensum, quo hæc dicta fue- runt in Canone hoc Ecclesiæ Græcæ, mens Auctoris illius, qui fuit S. Andreas Cre- tensis, egregius Conceptionis Immaculatæ Præ- dicator, ut constat ex suis concionibus, & iis sententiis eiusdem, quas in hoc Tractatu da- bimus.

Idem sensus confirmari potest ex Menæis Græ- cis, ubi sæpissimè puritas Marianæ Conceptionis commendatur; die quartâ Ianuarij, Ode 3. de S. Theotisto ita dicitur; *Tu palam designata es Porta Solis ex alto progressi. Tu Thronus Regis excelsus. Tu Scala sublimis, & ad celos usque porrecta, per quam Christus, ô nanis omnibus li- bera Virgo! descendit.* Die quartâ Ianuarij, Ode 4. ait: *Ad te dies noctesque, ô præ omnibus incul- pata! clamabo, & hac ratione saluabor.* Die vi- gesimâ quintâ Iulij, Ode 4. de Obdormitione sanctæ Annæ, hunc in modum: *Velut Sol quidam cum Lunâ coniunctus, inelytus Ioachimus cum Annâ Radium Virginis produxit, è quo deinde Radio sese ipseus Diuinitatis splendor diffudit.* Quid illustrius, aut magis ad rem? Sunt verò eius- dem coloris, quæ indidem Ode 5. sic inquit Eccle- sia; *Gloriosa Anna, tu genuisti calum in terrâ, quod calum paulò post exitum est Artificem celi, qui te celi Matrem ad caelestia gloriose traduxit.* Et quæ ibidem Ode 6. habet: *Omnibus encomiis maior est Anna; quia in lucem nobis edidit illam præfloridam virgam, & omni prædicatione maio- rem, quæ ex se protulit florem, qui nunquam mar- cescet.* Et quæ in Vesperis eiusdem diei sic canit: *Salue ô terra benedicta Anna, quæ florida partu terram Numinis færam mundo protulisti! Quæ Di- uinam legem exercitio indefinente amplexa, legis gratiæ prima lineamenta pro omnibus duxisti, dum nimirum vincula sterilitatis per Virginis tanta Natiuitatem dissoluis.* Aptè dicitur B. Anna in Conceptione Virginis prima legis gratiæ line- menta ductans: ut innuatur, ipsam à gra- tia inchoatam, & in gratia fuisse perfectam. Plura inuenientur in disertissimi Ioannis An- tonij Velasquez nitidissimo volumine de Conceptione lib. 4. dissertatione quarta & quinta.

Ex Ritualibus quoque precum, siue Eucha- logiis Græcorum idem potest probari, ubi passim vocatur DEIPARA omnibus modis Immaculata, omnino Sancta, Superbenedicta, & Super sancta. Sed quia affatim de hoc dicimus in Tractatu de Obiecto Festi Conceptionis, superfedendum modò est. Hoc ipsum stabilitur ex Liturgiis anti-
Ioann. Euseb. Op. Parth.

quissimus S. Basilij & S. Chrysofomi; quorum sententias opportuno loco etiam damus. Tum etiam in Officio mysteriorum ante consecratorum, quod extat in Bibliotheca Græco-Latina, Tom. 2. dicitur VIRGO omnino Sancta, Immaculata, & Superbenedicta, & de iis qui dormierunt Dominica ad Missam sono obliquo primò vocatur etiam Deipara planè Immaculata: Græcè est Panachrantos, nimirum omnibus modis Immaculata. Verba Theotocij sunt, & quidem eximia: *Consecuti sumus gaudium in tuo conceptu, ô planè Immaculata!* In Græco est, in tui conceptu; ita ut referri videatur ad Conceptionem Virginis passiuam. Sed quidquid sit satis est vocari Omnibus modis Immaculata.

Hinc patebit, quo sensu ibidem dicatur Sono 3. *Aue Porta Dei, per quam transit incarnatus Conditor, signatam seruans te: Aue nubes leuis, imbrem Christum ferens: Aue Scala, & Porta celi: Aue Mons Dei, reuera non sectus manibus.* Deinde sono obliquo 4. *Aue Dei amplissimum pradium: Aue Arca noui Testamenti: Aue urna, è quâ Manna celeste cunctis datum est mortalibus.* In Canone supplici, qui de superis potestatibus Angelicis, & omnibus Sanctis canitur ordine alphabetico vocat Virginem more solito Græcorum Purissimam. In Ode 8. & in 7. ait: *Ut thronus igne rutilus Regem creatura gestas. Eum Virgo obsecra cum Beatis & Sanctis melioribus, ut me regno suo dignum efficiat, qui tuum patrocinium fideliter cano & celebros.*



CAPVT XIII.

Argumentum ex modo loquendi plurimorum Patrum ab ipso tempore Apostolorum desumptum, qui puritatem Originalem supponunt.



A V D leue etiam argumentum nostro Instituto subministrat modus loquendi antiquorum Patrum; in omni ætate à tempore Apo- stolorum, quo purissimæ Con- ceptioni veritatem supponunt; licet eam ex- pressò nomine non declarent: ex quo loquendi modo facillimè intelligi potest, quàm indubi- tata fuerit superioribus sæculis hæc veritas: ut eam non opus esset declarare; sed insinuabant solùm aut supponebant. Suppositâ itaque tanta eius certitudine, impossibile videtur Traditio- nem de Immaculata, Impolluta, Inculpatis- sima, Illibata, Intemerata, sine labe, sine culpa, eius etiam Conceptionem non comprehendisse. Im- præsentiarum adducere non intendo in huius ve- ritatis munimentum Traditionem de consimilibus terminis negatiuis generalibus, aut iis æquiuale- tibus, quibus genericè ac communiter integra Virginis puritas ac totalis denotatur; quæ quidem Traditione Concilium Tridentinum nitebatur ad asserendum, in Ecclesia Catholica receptum esse B. Virginem omni prorsus peccato actuali caruisse.

Hæc Traditio est tam firma, euidens ac nota, vt nullo testimonio aut vltiori probatione roborari indigeat: itaque, quod nunc contendo, est stabilire vim huius Traditionis, comprehendentem puritatem Originalem, testimoniis specialibus, quæ propius ac expressius puritatem Originalem attingant, quibusque eam sancti Patres proculdubio supponunt, quæ tam multiplicia ac antiqua sunt (à tempore namque Apostolorum extant) vt ad efficiendam Traditionem insignem ac ineluctabilem sufficiant; ex quo certissima censei debet Conceptionis munditia tum ob communiora testimonia, innumerabilia sanè, quæ eius puritatem simpliciter sumptam promouent; tum etiam ob hæc specialia testimonia, quæ expressius ac intimius Originalem respiciunt: ex quibus omnibus apparebit vna Traditio irrefragabilis, Apostolica ac Diuina, de Beatissimæ Virginis puritate totali.

Aduerto, quòd licet ex Patribus plures sint, vt cœpi notare, qui immunitatem Virginis à culpâ Originali terminis proprijs & expressis non declarent, non propterea illorum testimonia leuioris esse auctoritatis, imò eo ipso maioris esse momenti ac ponderis arbitror censenda: cum nimia enim securitate ac certitudine loquantur, supponentes istam veritatem tamquam rem certissimam, ac nulli controuersie obnoxiam in eâ persuadenda, aut minutius examinandâ, tamquam materia, quæ in litigium ac dubium non verteretur. Quapropter suppositio, quam de hac re faciunt, solidius argumentum suæ sententiæ iudicari debet, quàm maior dilucidatio, quâ eam possent patefacere, ad minus si contrarium amplecterentur, modo quo locuti sunt nequaquam vterentur, & è contrario, qui hoc admisissent de fide, sic deberent loqui. Pono exemplum in sancto Ioanne Damasceno, qui nec verbo tenus de purâ Conceptione mentionem fecit; nec Originalem puritatem vniquam pronuntiauit: nam illâ ætate minimè fuit necessarium loqui, aut vti his terminis; horum tamen veritatem ex alijs indubitanter & clarè supposuit; adè, vt videatur etiam exemplisse Beatissimam Virginem à debito contrahendi peccatum Originale; quantò magis ab ipso eam exclusisset.

S Andreas
Apostolus
in Epistolâ
Presbytero
rû Achaia.

Vnus ex Sanctis qui de Virginis puritate loquuntur, supponentes sub eâ comprehendi Originalem; est S. Andreas; qui sic inquit: *Sicut primus Adam formatus est ex terrâ antequam esset maledicta; ita secundus formatus est ex terrâ Virginis, numquam maledicta.*

S Iacobus
Minor.

Iam posuimus suprâ capite tertio pro puritate Conceptionis celeberrimum testimonium S. Iacobi Minoris in suâ Liturgiâ; cui postea sequentia verba addidit, Virginem vocando *Matrem Dei nostri honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiore quàm Seraphim, qua sine corruptione Deum Verbum peperisti, & reuera Deiparam magnificamus.* Hic rediit Apostolus ad priuilegium Conceptionis vberius significandum; nam si Beatissima Virgo ignominioso opprobrio ac contumeliæ peccati Originalis exposita fuisset, non foret absolutè ac simpliciter honorabilior ac gloriosior gloriâ externâ & omnimodâ quàm Seraphim: haud modicè etenim Originalis maculæ impropertis læderetur eius gloria, ac obnubilaretur, quibus Angeli caruerunt. Præterea dici posset, quòd licet Beatissima Virgo maiorem gloriam ac honorem positiuè obtinuerit, quàm omnes Angeli

in locupletiori gratiâ; eam tamen superarent Cherubim & Seraphim vberioris gloriationis ac honoris splendore, è quòd numquam Originalis peccati nebula & ignominia subiacerint: præterquam quòd tanti mali carentia nostræ Domine foret bonum inestimabile & optabile valdè; insuper gloriâ priuaretur, quâ eam homines & Angeli maximè collaudant ac venerantur. Imò Corduba vltius dicit, ac ego arbitror verum, quòd Beatissima Virgo se esse immunem à peccato Originali præferret maternitati Dei. In re profectò tam exoptandâ adè dignâ æstimatione, non est credibile Deum postposuisse suam Matrem tantæ creaturarum multitudinim; nimirum Angelorum bonorum, qui sunt millia millium, ac multò plures quàm omnes filij Adæ: ita quòd quilibet ex illis meritò gloriari posset se obtinere honorem ac priuilegium, ad quæ Dei Mater numquam peruenit, dicendo se nunquam fuisse signaculo Originalis ignominie dehonorum, nec vniquam inimicum Dei. His suffragatur, quòd Apostolus maiorem excellentiam ac gloriam Beatissimæ Virginis super Choros Angelorum in eo, quòd eorum sit Regina, assignauerit: quippe ob hunc ipsum titulum, quamuis suprema Matris prærogatiua non accedat, peccati Originalis dedecori minimè fait exponenda. Præterea vocatur in eadem Iacobi Liturgiâ Beata Virgo *Omnibus modis Sancta, Immaculata, & Superbenedicta.* Singula horum verborum omnimodam puritatem insinuant. Quid præstabit omnium collectio, maxime occasio quâ profertur; nimirum post recitatam Salutationem Angelicam, quasi explicantia plenitudinem gratiæ, quâ Angelus salutauit Deiparam. Ibidem quoque dicitur: *Commemorantes Sanctissimam, hoc est omnibus modis Sanctam, Immaculatam, Gloriosissimam, Benedictam Dominam,* quæ elogia quater in eadem Missâ reperiuntur.

Sanctus Marcus in suâ Liturgiâ ait: *In primis Sanctissima, Intemerata & Benedicta Domina nostra Dei Genitricis, & semper Virginis MARIÆ.* Vbi notandum pro illo nomine *Sanctissima*, in Græco esse nomen *Panagia*, hoc est, *Omnibus modis Sancta.* Valdè enim considerare oportet diuersis nominibus solitos esse Græcos significare eximiam sanctitatem hominum, ac Beatissimæ Virginis, Christi Domini, & Spiritus sancti. Cum enim vocant homines sanctissimos, vtuntur nomine superlatiuo communi *Hagiotatos*: cum autem vocant Virginem Sanctissimam, aut Christum, aut Spiritum sanctum, non solent vti nomine illo superlatiuo, sed alio maioris energiæ, & omnimodæ comprehensionis aut eminentiæ; nimirum nomine *Panagios*, aut *Hyperagios*, quibus significatur omnimoda & totalis sanctitas aut summa, & super omnes sanctitatis eminentia. Cumque eodem modo explicent omnimodam sanctitatem Virginis, appellando illam *Omnibus modis Sanctam*, vel *Super sanctam*, sicut explicant sanctitatem Christi & Spiritus sancti, demonstrant omnino nullius culpæ vestigium in ea fuisse; sed totum puritatem, & sanctitatem simillimam Diuinæ.

In Liturgia quoque Æthiopum Apostolicâ, quoniam ab Apostolis promanasse dicatur, sic dicitur in Oratione ad Virginem Dei Matrem: *Latere Immaculata verè Regina, latere gloria nostrorum parentum.* Quasi dicat: Tu, quæ vtpote vera Regina & Augusta, duræ seruorum pœnæ, feruæque

S. Marcus
Euangeli-
sta.

Liturgia
Apostolica.

feueræque legi de maculâ contrahendâ non subiacuisti, atque ita humani generis amissum decus restaurasti, tu Domina gaude. Verè Regina, quòd Immaculata eâ ratione, vt numquam seruire alicui debuerit, nisi vni Deo; cui seruire verè regnare est. Non igitur vllum peccati habuit debitum quando id cuiusdam est infelicissimæ seruitutis. Lætare igitur tanto bono, tantâ gloriâ, quam suam parentes nostri vocare possunt, cum hac illorum fuerit ignominia compensata, sic humani generis amissum iustitiæ statum, & decus, primorumque parentum collapsam gloriam magno cum fœnore restituiti. Et infra: *Domine, omnes eos, quorum recordamur, custodi in rectâ fide, & in gloriâ omni tempore, & fac vt serueant ineffabili charitate per preces, ac intercessionem, quam pro nobis facit Domina nostra Sancta, & Immaculata Virgo MARIA.* Et post Sacramenti eleuationem: *Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & Saluatoris nostri IESV CHRISTI, quod & quem assumpsit ex Domina nostra Sancta & Immaculata MARIA.* Ipsi Æthiopes in suo ordine Baptismi (quem ab eodem Marci fonte promanasse nonnullis visum est) mentem suam manifestius aperiant. *Intercessione* (inquiunt) *plena gratia Virginis Genitricis Dei MARIE, que in omnibus est Sancta.* E quibus loquendi formulis omnimodam etiam in conceptu MARIE gratiam, & perpetuam in omni tempore sanctitatem, quis non colliget? nã si in omnibus fuit sancta, debuit etiam esse in Conceptione suâ & sancta; non solum in negatione peccati mortalis & venialis; sed Originalis quoque, scilicet in omnibus

Ex aliis Apostolis, puta sancto Matthæo, Diuo Iacobo Maiore, Mathiâ, ac sancto Thomâ Apostolo, referantur quædam clausulæ expressiores de Originali puritate; de quâ sic loquitur Luitprandus, *Quam omnes Apostoli prædicauerunt vbiq̃.* Ad minus sanctus Ignatius Martyr, fateatur seipsum ab Apostolis ac Discipulis Domini accepisse, quod in puritatis Originalis commendationem affirmat; *Sicut nobis a fide dignis narratur* (sic enim Apostolos & Discipulos Domini appellauit) *in MARIA Matre IESV humana natura natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* His verbis non inlinuat quid ordinarium aut commune, quale esset, quòd Virgo fuerit tam Sancta ac Angeli; æquiparare namque Beatissimam Virginem Angelis solum in gratiæ intensione, esset nimis mediocre: hanc etenim qualitatem alij homines obtinebunt, nec ad hoc tantum affirmandum necessarium foret adducere fide dignos in testimonium. Itaque concedendam est, quòd S. Ignatius aliquid altius ac specialius hac aduertentiâ intendit, quod non est aliud, quam quòd Beatissima Virgo, licet pura creatura humana, gratiam sit adeptâ, non tamquam persona humana aut filia Adami, iam peccati Originalis maculâ contaminatâ; sed tamquam persona Angelica, à quâ procul abest tanta ignominia nota, à primo instanti sui esse ac inceptionis: in hoc quippe gratia Angelica excedit humanam; non verò in entitate suâ, aut aliis circumstantiis; in his enim potius e contra gratia hominum multis modis superare potest gratiam Angelorum, quæ Christi meritis non fuit acquisita, nec pretiosior, aut æstimabilior redita virtute passionis eius.

Eadem suppositione loquitur S. Dionysius Areopagita, cum vocat Virginem *Deiformem*, atque *super omnes calicos Spiritus Sanctissimam*, Ioann. Euseb. Op. Parth.

in eâ Diuinam puritatem denotando; porò animaduertendum multò vrgentius esse, ac nostro conducibilius instituto, quòd S. Dionysius Virginem vocet *Sanctissimam*, quam aliquis ex reliquis Sanctis: nam in opinione huius Auctoris, sanctitas non consistit in entitate positiuâ, sed negatiuâ, ac maculæ priuatione, sicut dictio *Immaculata*; sic consequenter ad suam sententiam de Diuinis nominibus, cap. 12. iuxta quasdam partitiones, quarum titulus est, *De Sancto Sanctorum*, &c. dicit: *Sanctitas quidem est, vt nostrâ ratione dicam & sententiâ, ab omni scelere libera, perfectâque, ac omni ex parte incontaminata puritas.* Vnde constat, S. Dionysium, appellando Virginem non solum super omnes Angelos Sanctam, sed etiam Sanctissimam, nobis expressè innuere, ac palam fateri, quòd eos puritate, ac ab omni culpâ immunitate superauerit: quod non esset verum, si maculâ Originali inforduisset, imò è contrario, puritate excederetur ab Angelis, cum nullum peccatum Originale contraxerint; nec eius puritas *ex omni parte incontaminata* d. ci. posset. Pro eiusdem Immaculatæ Conceptionis mysterio Turrianus noster, vir profus doctrina, eruditione & iudicio plenus, allegat eundem Dionysium cap. 3. de Diuinis Nominibus, vbi vocat corpus sacratissimæ Virginis *Dei receptaculum, & vitæ principiatium.* Sicut ergo carnis Virginæ, postquam exanimata fuit, tanta ratio est habita, vt nulla illam corruptela tangeret; sic enim decebat rationem illius haberi, etiam antequam fuisset animata, cum futura esset Dei capax, & initiatiua vitæ, expediebat etiam, vt in se quoque haberet principium vitæ, excludo omni debito mortis. Præterea ipse Turrianus ait: *Quomodo ergo decebat, vt illud corpus Virginis, postquam habuit animam, fuisset vniquam mortuum peccato, si dedit principium vitæ illius, qui cum essemus mortui peccatis; conuificauit nos? Vt sicut Heua, secundum nomen quocumque vocatur Adam, fuit mater cunctorum viuentium; sic esset Virgo Mater omnium verè viuentium; dum Mater est eius, qui est omnis vitæ Auctior, & vita ipsa, ac supra vitam.* Egregiè proinde Lelius Zechus, Tom. 1. Tract. de Deiparâ, cap. 1. probat immunitatem Virginis à peccato Originali, ex priuilegio suæ resurrectionis. Rursum hoc ipsum confirmabimus infra, dum de Iuuenali Ierolosymitano agemus: quod oportet videri.

Sanctus Iustinus Martyr, bonâ consonantiâ inter se conformans, quod scribit q. 136. ad Orthodoxos, vbi Sanctissimæ Virginis puritatem animæ supponit, dicens: *Et qua tota ad Deum expectet*, ac quod dicit in Expositione Fidei nominando Virginem *Sequestram*, hoc est Mediatricem inter duas partes aduersas, ac extrema contraria; nempe Deum & peccatores, nihil ab his participantem, in quantum sibi inuicem opponuntur liquidò; vel saltem non obscure indicat *MARIAM*, cum peccatoribus peccati infortunio, nec cum Deo essentiæ suæ infinitæ, æternæ, independentis, &c. felicitate communicasse; sed mansisse creaturam purissimam, nihil ex contrarietate extremorum in se admittentem. Qui plura desiderat ex S. Iustino, adeat Ioannem Perlinum in suâ Scholasticâ Apologiâ.

Sanctus Irenæus l. 5. c. 9. ait: *Quemadmodum Heua per Angelicum sermonem seducta est vt* S. Irenæus. *effuge*

In Chron. anno 131. S. Ignatius Martyr Epist. ad Ioann.

S. Dionysius Areopag. in Epist. ad Paulum.

effugeret Deum, prauaricata verbum eius; ita & MARIA per angelicum sermonem euangelizata est, ut portaret Deum, obediens eius verbo; & sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, sic hac suasa est obedire Deo, ut & Virginis Heua Virgo MARIA fieret Aduocata; & quemadmodum morti adstrictum est genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem, aqua lance disposita virginali inobedientia per virginali obedientiam: adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogenite (de vna eademque MARIA intelligi oportet) emendationem accipiens, & serpentis prudentia demissa est in columba simplicitate. Omnia hæc verba alludunt ad iustitiam Originalem, ac in postremis declaratur, Virginem tamquam columbam purissimam, serpentis vafritiem suam puritate vicisse. Alium locum Irenæi lib. 3. c. 3. aptè expendit Perlinus.

S. Hippolytus Martyr.

Decreueram omittere sanctum Hippolytum Martyrem; quoniam quæ ex eo allegantur, solum significant Virginem Immaculatam. Scripsit de consummatione mundi Orationem, in qua sic de Virgine loquitur: *Dei, qui ex impolluta ac Deipara MARIA ortum sumpsit, atque incrementum.* Hæc Orationis initio. Post: *Cum Dominus IESVS CHRISTVS secundum carnem aduenerit ex Sancta & Immaculata Virgine, tribumque Iuda assumpsit.* Et paulò infra: *Cum Saluator mundi genus humanum saluare decreuisset, ex Immaculata MARIA Virgine natus est, & in figurâ carnis hostem conculcauit, sue Diuinitatis propria potentia.* Desiderabam ego aliquid amplius addi præter simplex nomen *Impollute* aut *Immaculate*; quamuis enim cenream per has voces exclusisse Patres antiquos peccatum Originale; cum tamen meum institutum sit hoc probare; aliunde oportebat id suadere, quam ex hac simplici appellatione *Immaculata* aut *Intemerata*. Inueni profectò istud consulto Textu Græco, nam in primo loco vocat S. Hippolytus Virginem *Panachranton*, quod nomen eximia energiæ est; & denotat Virginem esse *Omnibus modis, siue super omnia purissimam, & sine ulla labe*; atque hoc sensu intelligendus est, cum in alijs locis eam vocat *Immaculatam*.

S. Gregor. Thaumaturgus Sermone de Annuntiatione.

Gregorius Thaumaturgus sic loquitur: *Missus est seruus incorporeus ad Virginem inuiolatam atque immaculatam: missus est a peccato liber ad corruptionis seu labis expertem.* In Græco ponitur *ἄσβεστος*, quo lues, contagium aut labe significatur: his verbis explicat nobis S. Gregorius, Patres Virginem vocasse *Immaculatam*, sensu aded laxo ac illimitato, ut ad maculæ etiam Originalis carentiam se extendat; nam comparat ac assimilat exemptionem à labe in Beatissimâ Virgine, cum immunitate à peccato in Angelo: at vero si Virgo maculam Originalem contraxisset, minimè dici posset, eam fuisse labis aut communis humani generis contagij expertem; æquè minùs tam pura ac libera à peccato diceretur, ac Angelus.

Luca 1.

Alia eiusdem Sancti verba pro huius mysterij comprobatione laudatus Turrianus sic ponderat. Beatus Gregorius Neocæsariensis cognomento *Θαυματουργὸς* in Sermone *Ἐἰς τὴν Ἐυαγγελίαν*, interpretans quòd Angelus Virgini dixit, *Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Deum*, perinde, inquit, est quasi dictum sit, ne diiudices gratiam secundum naturam *ὡς ἂν εὐσεως ἢ χάριτος καταλοῦν ἐν ἀρέχταις*, id est, legi enim naturæ se subiici

non patitur gratia. Et paulò post, quasi explicans illud verbum Salutationis *εὐχαριστωμένη*, quia in hac, inquit, totus thesaurus gratiæ *εὐαγγελίῳ* id est, reconditus erat. Ex omnibus enim generationibus, inquit, hæc sola Virgo sancto corpore & spiritu fuit; sola fert eum, qui verbo portat omnia: & non solum admiratur Angelus pulchritudinem sanctæ, sed virtutes animæ. Idcirco, inquit, *εὐχαριστωμένη* id est gratiâ plenam appellauit. Cum hanc solam Virginem, ex omnibus generationibus dixit sancto corpore & spiritu fuisse, qui alioqui sciebat, quòd Apostolus docet, studium veræ Virginis esse, curare ut sit sancta corpore & spiritu, profectò de nouo & inaudito genere sanctificationis intellexisse, necessè est. Id autem fuerit, ex omnibus generationibus hanc solam Virginem conceptam esse sine peccato Originali. Fuerunt enim alij in vtero, postquam in peccato Originali concepti sunt, sanctificati. Rursus paulò post, explanans quòd idem Angelus dixit: *Dominus tecum*; tecum, inquit, non terrenus sponsum; sed ipse Dominus sanctificationis, Pater castitatis, Auctor immortalitatis, Dator libertatis, Salutis procurator, & veræ pacis Conseruator & distributor; qui ex terrâ virgine fecit hominem, & ex eius costâ Heuam, hic Dominus tecum. Satis apertè significat hic magnus Auctor, ut fuerunt Adam & Heua creati, omnis maculæ puri; sic Virginem omnis peccati puram generatam esse. Nisi enim sic sensisset, quorsum dixisset, *Qui fecit ex terrâ virgine hominem, & ex costâ Heuam*, hic Dominus tecum? Videtur enim comparasse creationem Adæ ex terrâ virgine, & Heuæ ex costâ, cum purissimâ Conceptione Virginis. Et rursus *Ex te, tecum*, cum pulchrâ pulcher, & speciosus præ filiis hominum; cum impollutâ, qui sanctificat omnia; tecum Deus, & ex te Deus, & perfectus homo. Impollutam ergo vocauit, quia numquam fuisset immunda, aut non sancta: cum impollutâ, inquit, qui sanctificat omnia; fuisset autem aliquando immunda, si in peccato Originali concepta esset, à quo postea mundata per Spiritum sanctificationis, non iam sola ex omnibus generationibus sancto corpore & spiritu fuisset, ut quidem fuisse hic grauissimus & antiquissimus Auctor Gregorius Neocæsariensis plane affirmat.

Origenes.

Fortasse S. Gregorius audierat ab Origene Magistro suo hunc sensum de puritate Virginis Originaria: nam egregie illam commendauit Origenes, ut constat ex eius sententiis, quas cap. 4. retulimus. Quibus addi possunt hæc verba, quæ in Homil. 1. in Matthæum profert: *Huius itaque Virginitatis Dei dicitur hæc Mater Virgo Maria, Digna digni, Immaculata Sancti, & Immaculati, Vna vnica, Vnica vnici.* Ibidem induxit Angelum Gabrielem ad Ioseph Virginis sponsum loquentem. *Accipe ergo (inquit) eam, id est Mariam, sicut commedatum celestem thesaurum Deitatis diuitias; sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam.* Et infra: *Accipe eam, sicut Virginitatis mansionem.* Quæ ergo ratione plenissima diceretur Mariæ sanctitas, si eam gratiâ vacuam fuisse aliquando concedatur: nec enim eius iustitia fuisset semper perfecta, si peccato aliquo infecta. Nec dixit Origenes *MARIAM* solum sanctitate & iustitiâ plenam dici, sed etiam sanctitatem ipsissimam, & plenissimam esse; ut vel sic innueret ipsam nullius peccati consortium admisisse. Nec volo suppressere quæ mox addit: *Accipe eam sicut Virginitatis*

Virginis mansionem, sicut honorabile templum, sicut donum Dei, sicut Creatoris omnium propria, sicut Regis celestis Sponsi Domum immaculatam. Quomodo veram esset, Virginem fuisse Creatoris propria, si in ipsâ creatione fuisset ab ipso alienata per peccatum? Quæ propria cuiusque sunt, alteri non debentur. Maria propria omnium Creatoris dicitur; non ergo deberi unquam potuit sceleri, non quæ Immaculata erat peccati maculæ, non Dei templum, & domus dæmonis. Iuuant quæ idem scribit Homiliâ 3. in Matth. cap. 2. dicens: *Hic puer (Christus nempe) non indiget patre super terram; incorruptibilem enim habet Patrem in Excelsis; non indiget Matre in calis; Immaculatam & castam habet Matrem in terrâ, hanc multum Beatam Virginem MARIAM.*

Origenes.

Tertullianus.

Audeo etiam conuocare Tertullianum pro Immaculatâ Virginis Conceptione; qui compendiosis & abstrusis verbis, ut solet, eam indicauit, lib. de Velandis Virginibus cap. 5. cum locutus de Heuâ, dixit: *Ex viro suo sumpta est, & ipso adhuc virgine.* Ad intellectum huius sententiæ notare oportet, sensa aliqua fuisse communia Sanctis, & repetita ab antiquis Patribus, quæ aliquando explicant; aliquando tamen solum respiciunt, eaque supponunt, & in eorum suppositione dicunt aliqua, alludentes ad illa. Sic fecit hoc loco Tertullianus; respexit ad illud ante & post illud Patrum pronuntiatum, quo asseritur sanctissimam Deiparam soluisse debitum, quod femineus sexus debebat primo homini; quod sic eleganter explicat S. Cyrillus Ierofolymitanus Catechesi 12. *Mutuata est à viro femineo generi gratia; Heuâ enim ex viro nata est, & non ex matre concepta; sed ex illo viro tanquam partu edita. Reddidit igitur MARIA gratiæ huius mutuum officium, & non ex viro; sed ex ipsâ sola impulsu, ex Spiritu sancto virtuteque Dei peperit.* Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 141. *Cum deberet femina debitum viro ex eius latere, sine femine existens; hoc soluit Mater Domini, &c.* Idem supponit S. Petrus Chrysologus, Serm. 143. *Quid mirum modo, si Virginis habitauit in vtero, qui mulierem hominis sumpsit ex latere? Ipse hominem mulieris resumpsit ex vtero, qui virginem viri formauit ex corpore; ac perinde homo, que tibi videntur noua, Deo habentur antiqua.* Eodem modo loquuntur alij Patres, & supponunt non minus excellenter soluisse debitum Deiparam, quam Adam creditum contraxit, qui planè nobilissimum corpus mutuauit Heuæ; nimirum corpus virgineum & immaculatum, non solum incorruptum, quoad integritatem materialem; sed mundum ex informatione animæ sanctæ. Quapropter debitum à MARIA Sanctissimâ soluendum debebat fieri non minus excellenter, scilicet ex carne suâ virgine & Immaculatâ tum ob incorruptionem materialem, tum ob splendorem animæ, quæ cum gratiâ infusa fuit corpori. Ad necessitatem igitur soluendi nobilissimè hoc debitum feminei sexus respexit Tertullianus designans nobilitatem crediti ex parte Adami, cum adnotat Heuam ex Adamo sumptam, non vterumque, sed ex Adamo tunc virgine, qui corpore & animâ parus erat; atque idcirco non minorem puritatem requisit in Beatâ Dei Genitrice soluente illud debitum, scilicet ut esset etiam virgo corpore & animâ purâ, non minus condita cum gratiâ quam Adam fuit. Egregiè propterea Ericus Altifiodorensis, Homil. de Purificatione notauit habuisse Deum rationem virginitatis Adami, cum cle-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

git Matrem Virginem; quod postea amplius illustrabimus. Nec volo tacere hunc fuisse sensum Ecclesiæ Græcæ in suo Euchologio, vbi pariter alludit ad debitum mulieris & formationem eius ex solo Adamo: nam in Officio funeris Monachorum dicitur: *Protoparentis Heuâ debitum, ô Pura, exegisti concipiens Deum, immortalitatem & resurrectionem fidelibus largientem, & æterna gloria te collaudantes coronantem.* In Officio autem Exequiarum hæc habentur: *Qui prius Heuam ex Adami costa primam omnium matrem efformauit; in illibato tuo vtero carne circumdatur, per quam mortis, ô Pura, dissoluit potestatem.* Nec obstat dictis, quod Pamelius malè imputauerit Tertulliano, sensisse Deiparam in partu non fuisse virginem; quoniam non penetrauit mentem abstrusam huius Auctoris, ut alij eiusdem Commentatores adnotarunt; & insuper ipse Tertullianus palam professus est virginem & intactam concepisse.

Sanctus Cyprianus etiam de B. Virgine asserit: *Nec sustinebat Injustitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis; quoniam pluribus à ceteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Quis hic non videat hunc Sanctum Patrem supposuisse puritatem Originalem Beatissimæ Virginis; culpa namque communis, cui descendentes ab Adamo subiiciuntur, tantum est Originalis, non verò venialis; hanc enim aliqui saltem infantes non commiserunt: cum quibus si Virgo culpa non communicauit, euident est eam non fuisse obnoxiam Originali, ac de illa potissimum intelligi debere, Deiparam communibus iniuriis non fuisse offensam.

S. Cyprianus Orat. ne Christi Natuitate.

Nec ob aliam certè rationem S. Dionysius Alexandrinus de B. Virgine dicere potest, quoddam *una & sola filia vite*; illa etenim sola non fuit filia mortua Adami; sed viua ob carentiam peccati Originalis; propter quod omnes in Adam moriuntur.

S. Dionysius Alexandrinus in Præf. Epist. ad Paul. Samosatenum. S. Ephraim, Orat. de Deiparâ.

Idem supposuit S. Ephraim, quando inquit: *Intemerata, Incorrupta, Pura, Immaculataque Virgo Deipara, ab omni sordè & peccati labe alienissima, omnium Regina, sublimior fuit Caliculis, purior Solis radius & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & gloriofior ceteris omnibus superis exercitibus.* Tanta alienatio à culpâ sine dubio consistere nequit sine immunitate ab Originali sordè, quæ reliquorum peccatorum est radix ac fomentum.

Claruit sanctus Titus Bostrenus anno 364. qui in cap. 1. Lucæ Virginis perpetuam innocentiam commendat his verbis: *Sacratissimam Deiparamque Dominam nostram viro de familia Davidis desponsatam asserit Euangelista, per hoc vtiq; indicare volens, ex eodem illo Davidis genere, vnde Ioseph, qui illam duxerat ortum traherat, ipsam quoque inculpatisimam Virginem fluxisse.* Hæc extrema verba studiose dicta videntur ad significandum, ipsam quidem ex Dauide generis initium, non verò culpæ aut criminis originem accepisse. Præterea in Græco pro *Sacratissimâ* est *παραρτων* *Omnibus modis sanctam*, & pro *Inculpatisimam* est *παραρτων* *Omnibus modis inculpata* siue *Immaculata*.

S. Titus Bostrenus.

Sanctus Methodius Patarensis, Homil. de Simone dicit: *Benedicta tu prorsus benedicta, omnibusque desiderabilis, in Benedictionibus Domini nomen tuum Diuina gratia plenissimum.* Certè si super eam peccati Originalis maledictio cecidisset

S. Methodius Patarensis.

non foret profus benedicta. Idem ipse Virginiem vocavit purum ac immaculatum Dei Altare; sicque exclamavit: *O omnibus generationibus excelſior, Omnibusque viſibilibus atque inviſibilibus operibus longè præſtantior declarata!* Quibus verbis demonſtrat Virginiem antecellere etiam ipſam Angelorum creationem; quod minimè foret verum, ſi in gratiâ non fuiſſet producta; imò vberiori quàm ea, quæ Angelos accomitata eſt in ſua creatione, vt ſanctus Pater palàm fatetur.

Hoc ipſum magis explicat Textus Græcus, & conformior illi verſio Franciſci Combeſis, iuxta quam exhibebo pleniùs hanc auctoritatem ſancti Methodij: *O cunctis celſior generationibus, quæque inter creata omnia, tum viſibilia, tum inviſibilia, multis numeris honorabilior enituiſti! Felix Radix Jeſſe, & ter beata domus David in quâ germinaviſti! Deus in medio Tui, & non commoveberis: ſanctificavit enim Te, tabernaculum ſuum Altiffimus.* Hæc verba inſinuant locutum fuiſſe ſanctum Methodium, etiam de Sanctificatione in ipſa creatione, paulò poſt addit: *Qui dixit, Honora patrem tuum & matrem; longè potiùs, talibus ipſe adceſſeri volens, gratiam, propriamque ipſe legem, in eam ſervaverit, quæ vltro aſſumptam ipſi natiuitatem miniſtrauit; quàmque ſine patre, velut ſine viro, Matrem inſcripſit, confirmavitque; diuino quodam decore, & ſupra hominem gloriſicauerit.* In his verbis non ſolùm adſcripſit Deiparæ decorem puritatis Originalis, cùm dicat, gloriſicatam ſupra hominem, hoc eſt ſupra Genus humanum, quod vilitate culpæ Originariæ abiectum iacet. Tum etiam, quòd hæc gloriſicatio fuerit cum diuino quodam decore, ſcilicet cum ſanctitate, quæ ſimillima ſit diuinæ puritati, quæ procul maximè eſt ab omni maculâ culpæ. Quod omne maximè confirmat exclamatio quam ſubdit ad Virginiem; *O ſacratiffimum, admirabiliſſimumque Dei habitaculum!* Nam vox Græca, quæ reſpondet ad adiectiuum ſacratiffimum, eſt planè admiranda ad aſſerendam omnimodam Virginiſ ſanctitatem; quippe eſt ſuperlatiuum compositum ex ſuperlatiuis, quæ nullo modo excludant aliquam ſanctitatem creatam, tum ſecundùm intentionem virtutis, tum ſecundùm extenſionem temporis, vt in nullo fuerit carentia illius. Eſt igitur hoc nomen Græcum ſuperlatiuum παναγιώτατον, quod poteſt vocari maximum ex maximis, ſiue ſuperlatiuum ſuperlatiuum: cùm enim prout iam ſignificauimus, diuerſo vt ſuperlatiuo ſoleant Græci, ad exaggerandam alicuius hominis ſanctitatē; ad hoc enim ἀγιώτατον potiùs ſeruit: & diuerſo ad ſignificandam ſuperhumanam & totalem ſanctitatem Deiparæ, tum Spiritus ſancti, tum Chriſti, ad quod frequenter vtuntur nomine πανάγιον ſiue ὑπεράγιον. In hoc loco S. Methodius hoc ipſum ſuperlatiuum nouâ ſuperſtulit energiâ, & reſuperlatiuum fecit, omne genus & modum ſuperferendæ excellentiæ comprehendens, ita vt clariffimè excludat à ſanctitate virgineâ contractionem culpæ Originalis.

Aſſertur à nonnullis pro immunitate Marianæ Conceptionis ſanctus Melito Aſianus, Epiſcopus Sardenſis, Homiliâ de Tranſitu Virginiſ, cùm dixit: *Domine, præelegiſti hanc ancillam tuam fieri immaculatum tibi thalamum.* Vbi ſatis inſinuare videtur immunitatem Virginiſ à peccato Originali, cùm dixerit non ſolum electam immaculatum Dei thalamum; ſed præelectam; nimirum

per ſingulare puritatis priuilegium à principio ſuæ Conceptionis. Quamuis enim hic Tractatus de Tranſitu Virginiſ numeretur inter apocrypha in cap. *Sancta Romana Eccleſia*; non propterea damnantur omnia, quæ in libris apocryphis reperiuntur; ſed incerta tenentur quæ narrant, & etiam ſi hiſtoria ſit falſa, verba referentis auctoritatem poſſunt habere ex opportunitate temporum; maximè cùm conſonant aliis Sanctorum Patrum ſententiis, vt hic accidit. Idcirco etſi hunc Tractatum indignum cenſeam S. Melitone, & venerabilis Beda illum notet; attamen quia antiquiſſimus eſt, & ea verba ſenſui communi illorum temporum congruentia, non poſſunt noſtræ cauſæ nocere. Trithemius hunc Tractatum tribuit S. Melitoni, qui floruit anno 150. & Margarinus de la Bigne, Docteur Pariſienſis, illum Scholiis illuſtrauit & defendit. Sed licet habeat ſolùm antiquitatem maiorem, quàm quòd tempore Bedæ fuerit antiquus, & minimè recipiendam hiſtoriam contineat, vſui prædicto delerere poterit; hoc quippe fructu non carebit, vt iis temporibus antiquis tam conſtans & generalis fuerit huius veritatis perſuaſio & veneratio; vt etiam in ſcriptis apocryphis non negetur, imò neque in hæreticis & ſchiſmaticis, Iudaicis & Mathometanis, prout poſtea obſeruabimus.

Sancti Athanaſij, præter conſpicuas ſententias eius, quas retulimus ſuprà cap. 3. & 4. pro puritate Originali, egregia quoque ſunt illa, quæ Sermone de Sanctiſſimâ Deiparâ verba pronuntiat: *Itaque Spiritus ſanctus in Virginiem descendit cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per Diuini principatus rationem adſunt, vt omnibus gratioſa eſſet, atque idcirco Gratiâ plena cognominaretur: eò quod adimpletione Spiritus ſancti abundaret, & virtute Altiffimi obumbraretur; quam virtutem per omnia tempora conceptus etiam habuiſſe conſido; neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor; ſed per omnia tempora illi eſſe donatum.* Huiusmodi etiam proferuntur hæc vltima verba, ex Epiſtolâ ad Epictetum; quamquam alij legant hoc modo: *Quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuiſſe conſido, & poſt conceptum eam retinuiſſe.* Supponit ſanctiſſimus Docteur verba Salutationis Angelicæ, *Aue gratiâ plena*, extendi non ſolùm ad magnitudinem quantitatis continuæ; ſed etiam ſucceſſiuè, id eſt ad omnia tempora exiſtentæ Virginiſ, vocatque tempora conceptus, quæ præceſſerunt à primo inſtanti Conceptionis paſſiuæ Virginiſ, vſque ad inſtans Conceptionis actiuæ, in quibus diſponebatur ad maternitatem Diuinam: alioqui Conceptio Chriſti non habuit tempora nec tempus, ſed celerrima & momentanea fuit. Cùmque diſtinguat tempora poſt conceptum, intelligenda ſunt tempora conceptus, ea quæ fuerunt ante illum; nimirum à Conceptu MARIÆ in vtero ſanctæ Annæ, vſque ad conceptum Chriſti in ventre Sacratiffimæ Virginiſ. Et quemadmodum tempora poſt conceptum ad omnia inſtantia extenduntur; ſic tempora conceptus, hoc eſt ante conceptionem Chriſti, nullum momentum excludunt. Adde dictis, quæ idem S. Athanaſius dixit Homiliâ in Occurſum Domini, multis modis ſignificans aut ſupponens puritatem Originalem Deiparæ, quippe inducens Simeonem loquentem Virgini ait: *Tuam ipſius animam, quam Iacob ſcalam vidit ad celos pertingentem; Moyleſque ille Dei inſpector, & candelabrum, & Arcam, Tabulam*

S. Athanaſius.

Idem S. Athanaſius.

Exod. 20.
v. 12.

S. Melito.

Tabulamque ac Mensam; quam denique Aaron nullo humore germinantem virgam aspexit. Tuam ipsius animam, ô Intactissima, Impolluissimæque, quam David quidem Arcam appellat sanctificationis; Salomon autem Lectum aureum, & Thronum, ac liliorum Conuallem; (Diuinarum reor virtutum) Paradisumque Diuina plantatum manu. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: Tuam inquam, que electa es antequam etiam nascereris, que à saculis ac generationibus fuisti predestinata. Tuam ipsius, quam elegit Pater, Filiusque domicilium habuit; ac Spiritus sanctus, ratione qua Deum deceat, obumbravit. Ob puritatem Originalem fuit anima Virginis Scala Iacob, attingens terrenam carnem Adami, & simul cælestem gratiam Dei; cuique innixus Dominus, tenuit & præseruauit illam, ne in maculam protoplasti caderet. Dicitur quoque Paradisus plantata manu Domini: quoniam in plantatione suæ creationis, sola manus Dei & gratia eius locum habuit: non autem vestigium diaboli & eiusdem seruitus.

Sanctus Basilius sic censuit de Beatissima Virgine: *Ex sanctitate compacta caro, digna erat ut Deitati Vnigeniti uniretur.* Hunc locum accuratè expendit P. Valentia, pro sanctificatione carnis simul ac animæ Virginis Sanctissimæ, in primâ sui efformatione. Hinc patet, quo sensu Basilius in suâ Liturgiâ vocauerit Sanctam & Intemeratam Dominatricem Dei Genitricem, extendens nomen *Intemerata* ad præseruationem de peccato Originali. Idem Basilius in Iaiam, cap. 7. ait de Virgine: *Cum nullo semine suscepto Mater facta sit Emmanuelis, pura omnino, sanctaque, ac immaculata est, & post partum quoque Virgo permanens.* Cum enim primus Adam non ex viri femineque congressu sit ortus, sed ex terrâ factus; postremus etiam Adam prioris corruptionem instaurans, in Matre Virgine corpus fabricatum assumpsit.

S. Iohannes Chryso-
stomus.

Sanctus Chryso-
stomus in suâ Liturgiâ inuocat Virginem semper Beatissimam, penitus Incontaminatam. His verbis Originalis peccati carentia supponitur; nam dum tanti mali miseriâ premeretur, nequaquam tantæ felicitatis culmine semper frueretur, nec omnino à peccato Originali pura diceretur. Alia eiusdem Doctoris egregia loca supra dedimus capite quarto, quæ omnino memoranda sunt: sicut & alia quoque hinc referenda, in quibus multoties supponit hanc Virginis primæuam mundiciem. Oratione in Annuntiationem ait: *Vas est incontaminatum, pignus sine maculâ, alabastrum nullâ infectum immunditiæ, nullo partus satus semine, innupta puella, Virgo thalamum nesciens, petra non excisa, hortus conclusus, fons signatus, ager non satus, plaga non confusa, inenarrabile miraculum, partus cogitatu maior.* Quod si non credis meo sermone, expecta parienti tempus: ac siquidem MARIA aliarum more feminarum lacrymas fuderit, ac ediderit gemitus, homo est, non Deus, qui in carne ex MARIA natus est. Nec silentio prætereundum est, quod idem S. Chryso-
stomus dixit Homiliâ in Hypapanten Domini. *Magnum reuerâ Virgo hac mundi miraculum est. Ecquid enim rerum vniuersitate queat hac maius & sublimius inueniri? Sola hæc cælum & terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim; non aliud denique*

quidpiam inter creatas res visibiles aut innisibiles unâ hæc maius aut excellentius inueniri potest.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in Epist. ad Nemesium: *Beata Virgo, vixit templum Dei ab Spiritu sancto est coagmentata & sancta structa.* S. Gregorius Nazianzenus.

Quibus satis declaratur, quod in aliis repetit locis, animâ & corpore à Spiritu præpurata. Quod perinde est dicere, ac eam manere purissimam, ac ab omni immunditiâ præseruatam; vt postea ex consimilibus Patrum locutionibus latius patebit. Hanc omnimodam Virginis puritatem supponens idem Nazianzenus dixit in Tragœdiâ.

*Veneranda ô Virgo, casta, felicissima,
Quando Beata nunc Beatorum in polo.
Exuta quidquid fecis humana, sedes
Æternitatis pallio ornata ut Dea
Habita, senectæ expers*

Post pauca addit:

*—O puella gratiâ
Æquanda nullis, Mater & Virgo supra
Omnes decora Virgines, & maxima,
Quæ vincis omnes Cælitum ordines,
Regina, Domina, & generis humani Bonum!*

Hanc victoriam Angelorum per excessum gratiæ & puritatis non decebat eam, quæ victa à dæmone fuisset per sorditiem culpæ, nec videtur consentaneum, si illa, quæ fuisset aliquando subiecta, & ancilla diaboli, Regina & Domina fuisset purissimorum Spirituum cæli.

Adeo quatuor Doctores Ecclesiæ Græcæ in puritatem Virginis Originalem conueniunt. Videamus modò quid senserint alij quatuor Doctores Ecclesiæ Latine.

Sanctus Augustinus hoc modo loquitur: *Exceptâ sanctâ Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur habere volo questionem: unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Nec potest hinc responderi, Augustinum loqui solùm de actualibus peccatis; quia alioqui debuisset etiam excipere Innocentes occisos ab Herode, paruulos baptizatos, Iohannem Baptistam, qui actuale peccatum non habuerunt, aut habent: ergo loquitur Diuus Augustinus etiam de Originali peccato; maximè cum contra Pelagianos disputet, qui negabant peccatum Adæ cum suis damnis & oneribus in omnes suos posteros translatum: negabant etiam nos omnes contraxisse Originale peccatum ex carne & corruptâ naturâ ipsius Adam, & econtrâ asserbant, quemlibet hominem ex vitibus propriæ naturæ, per solùm liberum arbitrium, absque speciali gratiâ Dei, posse omne peccatum vitare, & Diuina præcepta implere. Cum verò Pelagiani allegarent contra sanctum Augustinum multos iustos ex veteri & nouo Testamento, ipse citato libro respondet, quòd licet omnes istos Scriptura iustos appellet ob ingentes virtutes; tamen fuerunt aliquando sub aliquo peccato, & si quando vitauerunt peccata actualia, hoc non fuisse ex propriis viribus, sed ex speciali Dei gratiâ. Excipiens hinc ergo B. Virginem MARIAM, censendus est loqui non de solis actualibus, sed & de Originali; dicit enim in primis, propter honorem Domini. Honor autem Domini IESU non minus postulat vt Mater eius careat peccato Originali, quàm actuali aliquo. Deinde generaliter dicit, de Beatâ MARIA, cum de peccatis agitur, nullam se*

S. Augustinus lib. de Naturâ & Gratiâ cap. 36.

velle habere questionem. Dicit etiam Matri Christi gratiam collatam ad vincendum omni ex parte peccatum; quod explicans Diuus Bernardus Homil. 2. semper Salue; *Ex omni*, inquit, *parte, hoc est, ex parte Originalis & actualis peccati*. Ita citant Diuum Bernardum, Ioannes de Carthagenâ, Homil. 19. & Petrus Canisius, lib. 1. de Deiparâ, cap. 7. Eodem modo explicant Diuum Augustinum Bellarminus lib. 4. de Statu peccati, & Episcopus Chryfopolitanus in Psalm. 43. asserens de mente esse Diui Augustini, Virginem MARIAM fuisse præseruatam per gratiam ab omni peccato, non solum actuali quocumque, sed etiam Originali. Solet hic opponi, quod agens contra Pelagium sic scribat idem Doctor: *De omnium hominum peccato obnoxia successione. Vnde*, inquit, *neminem eruit, nisi quem sine lege peccati, repugnante legi mentis Virgo concepit*. Vnde solum Christum videtur excipere à peccato Originali; sed non obstat: nec enim ipse Diuus Augustinus, & alij, qui Beatissimæ MARIÆ Immaculatæ Conceptionem defendunt, exemerunt eam à legè & obnoxia successione omnium mortalium ad contrahendum Originale peccatum; sed docet tantum sanctam hanc Virginem MARIAM singulari fuisse gratiâ præuentam, ne Originale peccatum, cui ex naturâ suâ cum cæteris obnoxia erat, incurret.

Tribui solent Augustino illa verba: *Cum subiectio peccati Originalis caput sit diaboli, tale caput MARIAM contriuit*: quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animam Virginis. Producent autem hæc verba, Ioannes Cochius in Sermone de Conceptione, & Bernardinus de Busto in Officio de eadem Conceptione. Et ex his alij, quamuis in Augustini Codicibus hodie non reperiuntur. Alia loca Augustini pro Conceptione citant Clichtouæus lib. 1. de Concept. cap. 13. & Salazar in suâ Defensione, cap. 42. sæcul. 5. Miranda, & alij. Hoc idem ipsius Sancti Regula illa satis nota confirmat, in quâ dicit, Minimè fugisse peccatum actuale, qui ab Originali peccato non declinauerit.

Cum hac Diui Augustini sententiâ solet referri Paulus Orosius eius discipulus, concors omnino cum dixit: *Coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, supra quam deuotè MARIÆ gratia imploratur, & dies conceptionis eius celebratur*.

Sanctus Hieronymus in exponendis illis verbis: *Deduxit eos in nube diei*; dicit, quod nubes illa est Virgo Sanctissima MARIÆ; & adiungit verba subsequentiâ: *Pulchrè dixit, Diei; quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce*. Nec enim semper in luce existeret Beatissima Virgo, si densa communis naturæ nebula illam præoccupasset.

Sanctus Ambrosius: *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*: & quod dicatur *per gratiam*, mysterio non vocat: nam licet illud *per gratiam* videatur superuacaneum, od quod certo certius sit apud omnes sanæ fidei cultores, neminem sine gratiâ posse existere immunem aut liberum à culpâ, Ambrosius tamen, quia alludebat ad exemptionem Beatissimæ Virginis à labe Originali, vt inter ipsam & suum Filium sanctissimum in modo puritatis aut immunitatis à maculâ constet discrimen, explicare voluit Virginem per gratiam obtinuisse, quod Christus

per naturam suo iure vindicauit. Illustre hoc & integrum S. Ambrosij testimonium sic extat in Psalm. 118. in fine hoc est, in vltimum versiculum; vbi ait: *Quere ouem tuam iam non per seruos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me in carne, qua in Adam lapsa est. Suscipe me non ex Sara, sed ex MARIÆ, vt incorrupta sit Virgo; sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*. In aliud tempus differre libet complura alia loca in Officiis per Summos Pontifices approbatis purissimæ Conceptionis; & sunt testimonia satis manifesta Diui Hieronymi, sancti Augustini, sancti Ambrosij, sancti Hilarij, S. Cyrilli, ac plurium aliorum.

Excellenter sensisse de Sanctitate Virginis, Diuus Gregorius Pontifex Magnus, etiam Originali, sanctum Gregorium Papam, colligitur ex eo quod nemo aliorum Sanctorum excellentius sensit de præparatione eius ad maternitatem Diuinam & Conceptionem Verbi. Considerans enim illum Isaïæ locum, *Præparatus mons domus Domini*, &c. dixit lib. 1. Reg. cap. 1. *Potest huius montis nomine Beatissima semper Virgo MARIÆ Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnè electa creatura altitudinè electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis MARIÆ, quæ vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentissimam dignitatem Isaïas vaticinans ait: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ supra omnes Sanctos refulsit. Mons quippe & domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparauit uterum. Ecce, non tantum in Conceptione Dei censuit MARIAM esse montem, & sublimem, & solium Deitatis, omnesque Hierarchias Angelicas superantem sanctitate & meritorum cumulo; sed ante Incarnationem, in præparatione eius, vt fieret digna Mater Dei; quæ præparatio ex ipsâ creatione animæ virginæ inchoata est; nec excederet ex omni parte suorum vertice meritorum angelicam merendi felicitatem, si in primâ Virginis creatione non haberet gratiam, quando Angeli etiam potuerunt habere meritum. Notanda etiam sunt illa verba; *Omnem electa creatura altitudinè electionis suæ dignitate transcendit*. Creatura electa proprius videtur dici, quæ in suâ creatione per gratiam selecta est, quales fuerunt angelici Spiritus, super quos est anima Deiparæ digniori & cumulationi gratiâ electa, & in suâ creatione discreta, & segregata à ceteris filiis Adam, Originali culpâ contaminatis. Hoc enim pertinet ad maiorem altitudinem & dignitatem electionis, vt à principio sui esse electa sit ad gratiam, non post peccatum actuale, vt Paulus, non post peccatum Originale, vt Ioannes Baptista, non à principio suæ creationis ad gratiam amissibilem, vt Adam & Heua, non ad gratiam cum dono utcumque perseverantiæ subsequenti, vt S. Michaël & Gabriël; sed supra has omnes creaturas electio fuit MARIÆ, ita vt præueniret non modò peccatum actuale, sed Originale, & fuit ad gratiam singulari priuilegio inamissibilem, imò cum decenti debito gratiæ; vt aliquando ostendi propter dignitatem maternitatis Diuinæ, quæ exigebat plenitudinem gratiæ sine vllius instantis vacuo. Hoc eminentissimum genus electionis ad gratiam requirebat*

Lib. 5. in Julian c. 9.

Paulus Orosius Epist. ad Eustochium. Vadinghæ in Kalendario Mariano. S. Hieronymus in Explicat. in Psalm. 77.

S. Ambrosius in Psalm. 18.

Isaïæ 2.

bat electio in Matrem Dei. Hanc S. Gregorij mentem confirmant Concilia Ephesinum & Chalcedonenſe, quæ ipſe Sanctus tanquam ſacro ſancta Euangelia veneratus eſt; in quibus Conciliis non ſolum Virgo Theotocos declaratur, & ſæpiſſimè predicatur; ſed omnimoda etiam eius puritas commendatur, vt iam aduertit. Hæc de quatuor Doctoribus Eccleſiæ Latinæ: nunc pergamus ad alios præſicos Doctores, & ſapientiſſimos Patres.

S. Epiphanius.

Sanctus Epiphanius Orat. de Laudibus Virginis dicit: *Gratia plena eſt Beata Virgo, ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis, naturâ formoſior eſt ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu angelico.* Ceterum de Beatiffimâ Virgine dici nequit, quod ex meritis naturæ humanæ, aut eorum, quæ illi debentur, Angelis fit formoſior; ſed ex affluentia gratiæ, ac talis, quæ eam à principio concomitetur, ac initiatio ſuæ durationis inſtanti ſit quali connaturalis per modum gratiæ Angelorum, quæ eos in primo ſuæ creationis inſtanti nimia pulchritudine decorauit: quod idem Sanctus amplius declarat ſubſequentibus verbis: *Letabantur Angeli, quaſi ipſi dumtaxat Deum haberent, quibus B. Virgo ſuperior nata Deum habitantem in cælis, concepit in terrâ.* Ob idipſum idem S. Epiphanius ait: *Cui prædicandæ cæleſtis ac terrena lingua minime ſufficit; imò verò nec Angelorum: etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt; non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Letabantur verò Angeli, tamquam ipſi dumtaxat Deum haberent, quibus Sanctiffima Virgo ſuperior nata, &c.* Addit quidam, ipſam quoque ſubſtantiam Virginis voce illâ naturæ iudicaſſe Epiphanium, quam idcirco Angelis omnibus ſuperiorem dixerit, quod & libera ab omni peccato habito concepta fuerit, & impeccabilis; cum tamen Angeli adhuc primo ſuæ creationis inſtanti, ſecundum veriorem ſententiam crimine ſe potuerint maculare. Et quamquam MARIÆ impeccabilitas gratiæ adicribi, non naturæ debeat; idem tamen naturâ formoſior Angelis ab Epiphanio dicitur, quod ex gratiâ illius puriſſima natura peccati ſorde nunquam potuerit inquinari; cum tamen ante beatam viſionem angelica quævis potuerit, vt re ipſâ in iis, qui perierunt, turpiter ſatis fœdata eſt. Ibidem ait: *Lilium immaculatum* (ſic appellat Virginem) *ouem immaculatam, quæ peperit Agnum Chriſtum, & iuuentam, nunquam iugum expertam, quæ vitulum genuit.* Quod iugum hoc putas? ego illud intelligo, de quo Auguſtinus 5. Hypognoſticon 3. capite, vbi Origineum malum metaphorâ iſtâ docet explicari in Eccleſiaſtico vbi dicitur, *Grane iugum ſuper filios Adam.*

Ecdi. 40. v. 1.
S. Proclus.

Sanctus Proclus in Orat. 6. de Deiparâ, in nouo Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ, Sermonem habens de ſancto Iosepho, quando de ſuæ Sponſæ partu admirationem concepit, ſic ait: *Non meminerat potuiſſe eam effici Dei templum, quæ ex mundo erat formata luto.* Textus Græcus habet adiectiuum *ἀγαθόν*, quod etiam ſignificat *iuſtum*: quippe illud lutum non ſine iuſtitia Originali fuerat. Et in Oratione de Natiuitate Chriſti inquit: *In architecto nullam maculam aſpergit, ſi donum, quam fortè extruxerat, incolat, &c. quam ergo citra ullam ſui labem formauerat, &c.* Verum, ſi vis ſermonis Græci attendatur, hæc labis alienatio ad formatorem referenda eſt, non ad rem formatam, quamuis etiam decorum ſit

Deo Matrem ſine dedecore formaffe. Verum, alia ſunt innumera loca, quibus S. Proclus indicat puritatem Originalem Virginis; in Oratione 6. ait: *Hæc oliua fructifera, plantata in domo Domini, ex qua Spiritus ſanctus Domini corporis ramum accipiens, tempeſtate iactato humano generi detulit; fauſtè de celo annuncians pacem.* Cum dicat *plantata in domo Domini*, excludit ditionem & iuriſdictionem diaboli in plantatione creationis virginæ. Ibidem ait: *Hæc arca intrinſecus & extrinſecus deaurata; corpore ſcilicet & ſpiritu ſanctificata, in qua erat thuribulum aureum, & urna aurea habens manna ac reliqua complectens, de quibus ſupra. Hæc, primogenita illa ingis experta, ac ruſa vitula.* Scilicet, ſine vllius peccati iugo; maximum quippe iugum eſſet peccatum Originale: idem Sanctificata dicitur MARIÆ non ſolum animâ, ſed corpore. Vnde ſentire videtur Proclus, nec carnem Virginis fuiſſe aliquando obnoxiam peccato, nec per eius debitum. In his & aliis elogiis aperte conſtat reſpexiſſe hunc Patrem puritatem Virginis Originalem, cum in eadem Homiliâ perſpicue dixerit de Beatiffima Virgine, *Eam effici Dei templum, quæ ex mundo erat formata luto.* Idem Pater in Homilia 5. de Laudibus Virginis de illa dixit: *Adoratur & MARIÆ, tamquam quæ Mater ancillæque, & nubes, thalamuſque, ac arca Domini effecta ſit. Mater: eum namque peperit, qui voluit naſci. Ancilla: quippe naturam conſiteor, & prædico gratiam.* Vbi fatetur, folius Dei ancillam fuiſſe Virginem, non ancillam diaboli; & ancillam Dei fuiſſe per naturam, ſed ſimul cum gratiâ quam prædicat vt mirabilem. Item Orat. 1. *Horrendum Incarnationis textorium iugum, in quo inefabili quadam ratione vnionis illius tunica conſecta eſt; cuius quidem textor exiſtit Spiritus ſanctus; netrix, virtus obumbrans ex alto; lana, antiquum Adami vellus; trama, impolluta caro ex Virgine; textorius radius, immenſa geſtantis gratia; artifex tandem, Verbum per auditum illabens.* Notandum illud, *antiquum Adami vellus*, ſcilicet ante peccatum; idem vocat impollutam carnem Virginis: mox addit de Verbo Dei: *Nullam contraxit labem vulua hoſpitio, quam nullo ipſe condiderat dedecore, ſiue, abſque contumelia; Græcè eſt ἀνυβρίσως ſcilicet ſine culpâ ſeu innocenter.* Rurſus Orat. 4. *Accurrant mulieres, quod mulier non mortis arborem oſtendat, ſed pariat fructum vitæ.* Mox addit: *Accurrant matres, eò quod Virgo Mater inobediencia arborem vitæ arbore emendauit; concurrant filie, quod inobediencia materne iniuriam Filia obediencia vindicauit.*

Idem ſanctus Proclus.

Heb. 9. v. 4.

Sanctus Caſarius Dialog. 3. proferit hæc verba: *Pro loco Virginis, nimirum Heuæ perpetuam Virginem Sanctam Matrem ſuam ſuſcitauit, pro illius pœna huic ſalutem per proprium ſeruum Gabrielem miſit, in hac ſanans, quæ illa deliquerat.* Vbi pro Heuâ MARIÆ, Sancta ſcilicet pro peccatrice ſupponi & ſubrogari dicitur. Pro pœnâ ſalutem illi per Angelum miſſam affirmat; quia quæ culpam ignorabat, pœnâ etiam carere debuit. Extrema verba ſunt: *In hac ſanans, quæ illa deliquerat; non dixit, ſanans eam, quaſi primum morbum traxiſſet; ſed ſanans Heuæ delictum in ipſâ, quaſi dicat, delicti ipſius iniuriam & peſtem auertens.*

S. Caſarius

Sanctus Cyrillus Ieroſolymitanus, Orat. in Occurſum Domini, quæ extat in Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ, dixit de puero IESU,

S. Cyrillus Ieroſolymitanus.

Heuam

Heuam reformati; nimirum in Matre sua, ob restitutum statum puræ creationis per gratiæ sanctitatem, quam amiserat Heua per culpæ ruinam: hanc sanctimoniam Matris requirebat immensa Filij sanctitas, quam comprobat ex iis, quæ Matri singularissimè præstitit, de qua ipse Cyrillus dixerat: Omne masculum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Samuel quidem, & Isaac, ac Iacob; Ioseph item, atque alij, præter spem è sterilibus nati, ac matrum adaperientes infecundas vuluas, sancti Domino vocati sunt: at Christus, solus ex sola (Unigenitus ipse ex Vno illo) natus Virgine, nec virginales adaperiens portas, haudquaquam sanctus Domino; sed Sanctus Sanctorum, ac Dominus Dominantium, Deusque deorum, ac primogenitorum Primogenitus, principumque Princeps, ac Rex regum. Idem sanctus Cyrillus Catechesi 12. ait: Per Virginem Heuam venit mors, operapretium erat de Virgine apparere vitam, ut sicut illam serpens decepit, ita hanc Gabriel annuntiaret.

Christus
maius ali-
quid quam
Sanctus
Domino.

Sophronius.

Sophronius antiquior, qui floruit anno 400. Sermone de Assumptione MARIÆ, inter Opera sancti Hieronymi, ait: *Bene gratiâ plena dicitur, quia ceteris per partes præstatur. MARIÆ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Quidquid in eâ gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratiæ & veritas fuit; totum misericordia & iustitia, quæ de celo prospexit; & ideò Immaculata, quia in nullo corrupta. Verè hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera & odoramenta virtutum, sicque conclusus, ut nesciat violari neque corrupti ullis insidiarum fraudibus. Fons signatus totius sigillo Trinitatis, ex quo vita fons manat, in cuius lumine videbimus lumen. Ipse Sophronius MARIAM velleri Gedeonis comparauit. Vellus namque cum sit de corpore, nescit tamen, inquit, corporis passiones; ideoque MARIAM gratiâ plenam fuisse testatur, in quam se infuderit gratiæ plenitudo.*

Sergius
Hierapolita.

Sergius Hierapolita, Orat. in Natal. MARIÆ, in qua sub nomine Natiuitatis cõprehendit etiã Cõceptionem, iuxta aliorum Patrum morem, quem notauimus superius, multis insinuat modis immaculatè Virginem conceptam; sic ait: *Ex Dauidico semine nascitur, vitæ Mater est, tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix, Heuæ reuocatrix, immortalitatis fons; corruptionis interitus, ac liberatrix. Hæc ad præseruationem à peccato Originali in Conceptione referenda sunt, non ad exclusionem eius in Natiuitate ex utero post illius possessionem & contaminationem: idem enim de Baptistâ dici poterat. Postea eodem sensu addit: En illa nascitur, quæ antequam nasceretur, Dei Mater fore designata est. Nascitur singulari virginitatis decus & ornamentum; nascitur Aaronis virga de radice Iesse germians; nascitur Prophetarum præconium, & iustorum Joachim & Annæ germen. Hæc iam nascitur, & vnâ cum ipsa mundus renascitur ac renouatur. Iungit cum virgâ Iesse virgam Aaronis quæ sacra fuit, ut denotaret sacram & sanctam germenasse Virginem.*

Cosmas Ier-
osolymita-
nus.

Cosmas Ierolosymitanus, in suâ Theologia, quam tredecim elegantissimis Hymnis profecutus est, in primo Hymno sic habet: *In Virgine verò habitans Verbum, & carne acceptâ transit, seruata incorruptâ: quam enim non sustinuit à lapsu (id est, quam non sustinuit labi) enixam continuit innocuam. Quoniam ex Virgine natus Christus eius integritatem non violauit; quam*

enim non permisit labi communi peccati, ab omnibus partus iniuriis seruauit incolumem. In Hymno sexto ait: *Pete à Filio tuo, & Deo meo dari mihi remissionem, quæ feci, malorum, sola Sancta, & sola Benedicta. Cum dicat solam, indicat eam sanctitatem, in quâ sola fuit sanctissima Virgo, nimirum Originalem. Id ipsum supponit, vocans Virginem non solùm puram, sed perpuram. Hymno quinto ad hunc modum cecinit: Animis puris & infordidis labris eia magnificemus immaculatam & perpuram Matrem Emmanuelis. Et infra Hymno sexto: Defensionem tuam habens, perquam Pura, non timebo.*

Psellus, qui cum sancto Gregorio Nysseno, Psellus, sancto Maximo & sancto Nilo infertus est in Commentariis Theodoretæ in Cantica Cantorum, sic ait in fine capitis vltimi: *Has classes & hos ordines Salomon ille prospiciens, & diuino afflatus Spiritu tantò ante cernens Verbi Sponsi purissimam Incarnationem, & quæ ipsam sine semine genuit, Sanctissimam Dei Genitricem MARIAM, illam Immaculatissimam, quam omnes omnium hominum generationes vocibus numquam cessantibus Beatissimam prædicant, quæ totius mundi Saluatorem peperit, &c. inter tot animas omnium hominum qui saluantur, ut electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo, Mater, puella MARIA, quæ puritate profectò Cherubim & Seraphim antecellit. Hanc eandem sententiam tribuunt Theodoretæ doctissimi Scriptores, Canisius, Coccius, Ferdinandus Salazar, & alij plures; fortasse quia in Commentariis Theodoretæ inserta sunt Commentaria Pselli, qui absque dubio illa verba protulit. Ideò in Commentariis Græcis Theodoretæ & iis quæ Latina reddidit Franciscus Linus atque edidit noster Iacobus Sirmundus, non inueniuntur, quoniam abest illis commentatio Pselli.*

Ipse autem Theodoretus non est alienus ab eadem sententiâ, quam latius supra expendimus; nam in ipsâ commentatione Theodoretæ consentaneus sensus inuenitur, intellectus specialissimè de Virgine, ut par est; verba eius sunt: *Sponsam igitur & sexaginta & octoginta dicit esse præstantiorem: Vna enim, inquit, columba mea, perfecta mea; rursus eam nominans spiritalem, atque vnicam. Nam supra sexaginta & octoginta est vna Matri sue. Matrem autem habet sacram piscinam superiorem illam Hierusalem. Electa autem est Genitrici sue, quæ, cum illas quoque genuerit, hanc tamen omnibus prætulit, & filiam electam habet. Itaque viderunt eam filia, & Beatam prædicabunt, hoc est adolescentula, nec solùm adolescentula, sed etiam regina & concubina eam laudibus concelebrabunt. Omnibus enim ista præstitit. Hæc solùm inuenio legitima Theodoretæ verba, quæ videantur commendare omnimodam Virginis sanctitatem, cum de ipsâ solùm propriè & strictè possit intelligi præstantiorem esse omnibus creaturis sanctis, vnam esse Dei columbam, atque vnicam, & quidem in præseruatione ab Originariâ labe vnica fuit, vnâque columba Dei, sine culpæ vllius felle.*

Præterea satis se ostendit Theodoretus Immaculatæ Conceptionis Professorem, laudans sæpè in suis Operibus testimonia Patrum, quæ illius puritatem supponunt. In Dialogo primo cuius titulus est. *Immutabilis*, affert illud sancti Gregorij Nysseni in lib. Aduersus Eunomium: *Cum sapientiam sibi domum adificasse dixit, carnis Do-*

mini

mini constructionem verbis illis obscure significat. Non enim alienâ in domo vera Sapientia habitavit; sed domicilium sibi ex virginali corpore extruxit. Vbi satis ostenditur carnem Virginis non fuisse alienatam à Deo, cum ex virginali corpore ædificata fuerit ei domus, non aliena, sed propria, quo loquendi modo de carne Virginis iuxta alios Patres, significatur munditia eius Originalis. In Dialogo quoque secundo cuius titulus est, Inconfusus, affert confessionem Orientalium Episcoporum, relata etiam à S. Cyrillo in Epist. ad Orientales, & in Concilio Chalcedonensi, quæ Inmaculatæ Conceptioni patrocinator, ut iam notauimus, vocatque carnem Virginis templum Dei, in quo etiam significatur iuxta alios Patres omnimoda eius puritas.

Sanctus
Flauianus.

In eorumdem Patrum censu annumerandus est sanctus Flauianus Antiochenus, Serm. de S. Ioanne Baptista, cum dixit: *Tuus Creator corporum suum templum, quod ex te nasceretur, fabricauit. Quem locum citat etiam Theodoretus Dialogo primo.*

Sanctus
Gregorius
Nyssenus

Sanctum Gregorium Nyssenum, fautorem immaculatæ Conceptionis, allegat Galatinus lib. 7. de Arianiis, nullo eius producto testimonio: produxit tamen aliquod Ferdinandus Salazar, nimirum ex Homiliâ 18. in Cantica: *Solus ex vniuersis hominum myriadibus de puritate virginicâ electus est, cuius Conceptio sine duorum coniunctione perfecta, partus minime inquinatus, parturigo doloris expers, cuius thalamus Altissimi potestas, quasi quadam nubes virginitatem ipsam inumbrans, fax nuptialis, Spiritus sancti splendor, cubile, vitiorum expers conditio, nuptia puritas incorrupta.* Hæc ille. Quibus omnia, quæ in nuptiis intercedere solent, in Verbi Diuini Incarnatione eleganter admodum expinxit. Sed illud in primis adnotandum: *cubile vitiorum expers conditio;* quod de Virgine omnino capiendum est, cuius uterus pro cubili fuit, in quo nuptiæ Verbi ac naturæ humanæ peractæ sunt. Conatur tamen horum verborum neruos incidere Ægidius, quod nimirum per vitia actualia tantum peccata, aut eorum habitus notantur; sed non attingit prorsus germanam nominis vim: nam peccatum Originale aptissime dicitur vitium naturæ aut conditionis humanæ; atque adeo illud satis aperte excludit Nyssenus: in Græcis est, *κλίση ἀκαχοπαδείας.* Quam vocem aptè admodum interpres conuertit: propriè enim impassibilitatem ab omnibus malis notat. Sed illud cum primis solidum: addit enim, *Nuptia puritas incorrupta.* Quæ verba non possunt intelligi de virginitate; de hac quippe iam præmiserat, *partus minime inquinatus, & nubes virginitatem inumbrans:* ergo de puritate & munditiâ à peccato accipi debent. His, quæ Ferdinandus Salazar expendit adiici possunt alia loca eiusdem sancti Gregorij Nysseni, quæ puritatem Originalem in Virgine supponunt: lib. de Virginitate ait: *Incorrupta vitique est Virgo illa, Sancta & labe carens.* Idem Nyssenus, in Natalem Domini, carnem Virginis vocat consecratam, dicens: *Quia carnem Deo consecratam, tanquam Sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramque præstare.* Vbi supponit integritatem Virginis corporalem, consequens donum esse integritati spirituali, quæ in primo instanti animationis consecratur corpus. Idem sanctus Gregorius ibidem, Orat. de Natali Domini, locutus de tempore quo Beatissima Virgo plenis iam nubilis annis, Sacerdo-

tum, qui templo præerant, in quo ipsa fuerat educata, sollicitudinem acuebat. *Subingere eam legi naturæ, & adducere quasi seruam, si quis eam in matrimonium duceret, res longè absurdissima, minimeque decora videbatur. Sacrilegium enim prorsus existimabatur, si homo ius ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum ac dedicatum esset, haberet. Hæc Nyssenus, qui testimonio prudentium Sacerdotum absurdissimum, indecorum, sacrilegium reputabant Virginem naturæ legibus addicere, ut quisquam hominum aliquam in eius corpus potestatem exerceret; quia seruitutis cuiusdam speciem præferebat. Quid ergo de peccato sentirent, quod diaboli aduehit seruitutem? Æquumne foret, ut diabolus per peccatum ius ac potestatem in donarium quod Deo consecratum & dedicatum esset, haberet? Tale quid illius benignissimus Pater pateretur? In libro *Mirabilium Regni Aragonia*, fol. 50. sic narratur: *Cum cuiusdam ancilla ex domino peperisset, & ad libertatem, iuxta Hispania Leges pronocaret, ille negabat. Iussit Rex Alphonsus puerum sub hastâ vendi; quod cum dominus ferre non posset, filium fassus est, sic dicens: Ergone filius meus in seruitutem, me viuo? Quis ergo credat passurum Deum, ut charissima inter filias in seruitutem propudiosissimam trahe-retur? Nec contemnenda sunt, quæ idem Gregorius dixit Homiliâ 13. in Cantica, ad illa verba, *Electus ex millibus*, ubi ait: (prout allegatur in catenâ Græcâ Bellarionis in Lucâ) *Idcirco electus, fuit & utraque parte natura ordinem innouauit: nec incipiens ex voluptate, neque procedens per dolores. Atque hoc fit ratione quadam consentaneâ, minimeque immeritò. Cum enim illa, quæ mortem in naturam per peccatum introduxit, condemnata sit ut in doloribus laboribusque pariat; decebat omnino Matrem Vita tam Conceptionem à laciis inchoare, quam partum in lacrimis perficere, Ave, enim, inquit ad illam Angelus, gratiâ plena, expellens hac voce tristitiam, quæ ab initio propter peccatum partui erat imposta. Hic videtur supponere exceptam Virginem à maledictione Heuæ; quia fuit excepta à culpâ filiorum Adam.***

Confirmatur mens sancti Gregorij Nysseni ex aliis eiusdem sententiis: quarum aliquas satis conspicuas affert beatus Simeon Metaphrastes in Oratione de Venerando ortu & educatione Deiparæ, quas afferam, tum ut comprobem sensum sancti Gregorij proferentis illas, tum ipsius sancti Simeonis referentis & laudantis easdem; vna est: *O beatam illam carnem, quæ propter insignem puritatem anima bona ad se attraxit! in aliis enim omnibus vix anima pura sancti Spiritus aduentum acceperit; hic autem fit caro Spiritus receptaculum. Quin etiam virtus Domini obumbrabit tibi. Quid hæc arcana significat oratio? Christus Dei virtus & Dei Sapientia, inquit Apostolus. Altissimi ergo Dei virtus, quæ est Christus, per aduentum sancti Spiritus formatur in virginitate. Quomodo enim umbra corporum conformatur figura eorum; quæ præcedunt: ita etiam character & signa, quibus filij Dei cognoscitur Diuinitas, apparebunt in eius qui paritur virtute, ut qui imago, & signaculum, & adumbratio, & splendor primi exemplaris per admirabiles ostenditur operationes. Altera est: *Erant autem verba mysterij benedictio. Ave gratiâ plena, inquit, Dominus tecum. Contraria illi prima voci, quæ facta est mulieri, nunc verba sunt Virgini. Illa doleribus in partu condemnata fuit propter peccatum; in hoc autem per leuitiam ex-**

Beatus Si-
meon Me-
taphrastes.

pellitur tristitia: in illâ partû præcesserunt dolores; hic verò læticia est obstetrix partus. Ne timeas, inquit, quoniã enim omni mulieri metû affert partus expectatio, metum expellit dulcis partus promissio. Hæc ex Nysseno, quod approbans beatus Simeon, vocat sæpè Virginis corpus impollutû & viuificû, & ipsam Deiparam veræ Vitæ Matrem & admirabilem MARIAM; & ait: *Tua sunt hæc magna-lia, ô Virgo! & te glorificans, qui potens est, fecit dispensationem rerum admirabilium & supernaturalium.*

Eucholo-
gus.

Ab Euchologo in Lucernario, in precatione Sacerdotis vocatur Virgo *Super omnes illibata*, in Græco est vox *παράχρηστος*, hoc est, *omnino*, seu *omnibus modis Immaculata*; eodem modo nuncupatur in Officio Laudum, atque etiam in Orationibus pro puerperâ. In Officio Sacerdotis polluti, post Orationem sancti Basilij & beati Patris Martiani pro puritate commendatur recitanda hæc ad Virginem Oratio, *Pra Cherubim venerandam; siue proprius, honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosorem incomparabiliter quàm Seraphim, qua peperisti incontaminatè Verbum Divinum, verè Deiparam, te magnificamus.* In hac Oratione supponitur puritatem Virginis maiorem esse quàm Seraphim: nam in illâ alluditur ad munditiem Originalem; tum quia illud Officium & orationes antecedentes sint pro puritate; tum quia hæc eadem Oratio extat in Liturgiâ S. Iacobi Minoris, postquam puritatem Virginis commendauerat; & in eius confirmationem appenditur prout suprà expendimus; nec enim adedè integrè diceretur Virgo gloriosior quàm Seraphim, si eo honore & gloriâ careret, quâ gaudent Angeli. In Ordinatione Episcopi dicitur de Verbo Divino: *Hominem abiectissimum, & totum in peccatum lapsum, assumpsit ex puris & virgineis sanguinibus solius immaculatæ & mundissimæ Virginis.* In Officio Noutij vocatur Deipara *Tota pura*, & etiam *Sola pura*. Singulæ hæc appellationes suadent puritatem Originalem; copulata autem demonstrant, atque vt omne dubium tollatur, dicitur ibidem: *Non est præter te innocens quisquam, Immaculata Dei Genitrix.* Hi modi loquendi sunt antiquissimi in Ecclesiâ Græcâ, ex quâ plurima collegimus in Opusculo de Perpetuo Obiecto Festi Conceptionis.

S. Eustachius An-
tio. henus.

Sanctus Eustachius Antiochenus in Hexaëmer. Virginem appellat *ἀχρηστος*, quæ dictio est totius puritatis ac omnis maculæ exclusionis significatiua. Quapropter Leo Allatius, eius interpret ac commentator, dicit quòd significat quòd *Tota pulchra est, nec ullam admittit omnino maculam.* & Lexicon locupletatum à Badæo dicit, quòd significat *Nullâ aspersus maculâ, nullâ labeclâ notatus.*

Nonnus
Panopolita.

Nonnus Panopolita eodem nomine vtitur in Metaphrasi Ioannis cap. 2. quapropter cum loquens de Virgine dixit *ἀχρηστος*, manum eius; idem censendum est de mente Nonni ac S. Eustachij, circa omnimodam puritatem Deiparæ.

S. Sophro-
nius.

Alter Sophronius, id est S. Sophronius, Patriarcha Ierolosymitanus, qui ducentis & triginta annis posterior fuit priore, in Epistolâ ad Sergium sic loquitur: *Vterum intactum virginitatis ingressus, castitatem lustratam MARIÆ, Sancta, præclara, & qua Dei sunt, sapientis, & ab omni contagione libera, & corporis, & anime, & intellectus incarnatus, qui erat incarnatus, &c.* P. Valquez affirmat, in quibusdam originalibus reperi-

ri, *ab omni contagione libera.* Sed certè minimè refert, an vnum vel aliud ponatur; nam ambæ dictiones in vnum sensum conueniunt: nam sicut beatissima Virgo liberari dicitur à peccatis venialibus, non quòd ea semel commissa illi fuerint remissa; sed quòd peculiari auxilio ac speciali gratiâ fuerit præuenta, ne in eadem incidisset: pari sanè ratione non dicitur liberari à peccato Originali, eò quòd ab eius nexu semel contracti abluatur; sed quia ob priuilegium singulare ab eo fuit præseruata.

Ammon
Adriano-
poleos An-
tistes.

Ammon Episcopus Adrianopoleos apud S. Cyrillum in lib. ad Reginas, cuius etiam verba referuntur in Concilio Ephesino, part. 1. sic ait de Deo Verbo: *Quòd si is, qui Deus secundum naturam est, utpote Vnigenitus Dei Filius, seruiliformâ assumptâ, sacraque Virginis Primogenitus appellari non dedignatus, semetipsum redemptionem pro omnibus tradidit; clarè patet, in quantam impietatem prolabantur Ariani, qui Deiparam MARIAM iis sacrificiis, qua pro puerperis ex lege offerri mos erat, opus habuisse asserunt.* Duo hic consideranda: Vnum, supponi nullâ Deiparam indiguissè purificatione, sicut reliquæ puerperæ indigebant in Lege; quoniam expers fuit à lordibus humanæ conditionis (vnde S. Ildefonsus & alij Patres puritatem Originalem Virginis commendarunt, nec discedit ab eis Ammon.) Alterum est, hoc priuilegium puritatis corporalis siue naturalis, & integræ naturæ in statu innocentie colligi ab Ammone, & approbari consequentiam eius à S. Cyrillo, quoniam Deus fuit Filius MARIÆ. Vnde melius colligitur priuilegium puritatis spiritualis per exclusionem culpæ in Conceptione; quod etiam erat in innocentie statu, atque integritate illâ naturæ humanæ nondum per peccatum corruptæ.

Chryssippus
Ierolol.

Chryssippus Ierolosymitanus, Orat. de Laudib. Virginis sic asserit: *Tuum est verissimè audire istud Gratia plena; quia tecum est vniuersus læticia thesaurus, totius læticia & gratia Rex; cum ancilla, cum speciosa inter mulieres Speciosus forma præ filiis hominû, cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia, &c.* Obluiscere, ô Virgo, populû tuum; populus enim à quo cognationem contraxisti, nequam est. Ignominiam tibi affert populus imprudens tibi irreprehensè, natura propaginis familiaritate innectus est, & culturâ spinarum ferax rosam tuam producit, &c. Hoc sufficit ex hoc Patre testimonium depromere, sine eo quòd opus sit adducere illa verba, quæ incertiora, ac magis æquiuocum sensum præ se ferunt. *Tecum est Conditor omnium, tecum inquam, vt ex te gignatur, tecum in Conceptione, vt ex partu tuo generetur.* Verû ponderatione dignum, quod amplius dixerit: *Aue Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum:* nam si peccati Originalis densa operiretur caligine, in tenebris existeret, ac occasum pateretur.

Eutychia-
nus.

Eutychianus, de Pœnitentia sancti Theophili, ait: *Sancta, venerandaque, & omnibus laudibus celebranda Deiparens, qua sola casta & pura est, sola sancta anima & corpore.* Ingeminatio nominis *Sola* eam singularitatem puritatis & sanctitatis Virgineæ denotat, in qua sola fuit pura, sola fuit sancta Beatissima Virgo: nimirum in puritate & sanctitate Originali. In cuius excellentiæ laude etiam celebrandam dixit Eutychianus, cum omnibus laudibus celebrandam prædicet, & hæc vna sit ex omnibus, & quidem maxima, maximumque omnium fundamentum. Præterea tri-
buit

habet Virgini elogium, quo solum Christum honorat Ecclesia, dicens, *Tu solus sanctus*, eodem præconio commendans eximiam Virginis puritatem, Eutychianus, dixit, *Pura est, sola sancta*: quia sanctitatem Originalem sola habuit per Christum, & ex privilegio, sicut Christus per se, & ex naturâ suâ. Aduerto alios Patres eiusmodi etiam appellasse Virginem, vt suprâ dedi ex Colmâ Ierololymitano.

S. Andreas Cretensis.

Sanctus Andreas Cretensis, in Orat. 7. de Natiuitate, quam frater Franciscus Combesis, Dominicanus, publicè euulgari curauit, loquens de Progenitoribus Beatissimæ Virginis, hoc modo fatur: *In fecunditatis astu exustis aridisque sempiterni viroris florem concedit*. Quid clarius aut fauorabilius pro Virgine dicere potuit, quam ei nunquam defuisse florem gratiæ? In Oratione etiam primâ introducit sanctum Iochimum & Annam, referens quomodo ex iis *Immaculatissima germinauit*, hoc est Beatissima Virgo, quam etiam ibidem appellauit *Iuuiolatum vere incontaminatum margaritum*. Idem sanctus Andreas in Homil. 1. de Dormit. Virginis dicit: *Mulier, quæ celorum superauerat naturam puritate, Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum Opificem omnium generationis*. Hæc dictio *natura*, eandem ponderationem admittit, quam superius sancto Epiphano exhibuimus; supponit enim Beatissimam Virginem à principio sui esse naturalis superasse ipsos Spiritus Seraphicos vbertate gratiæ: & sic, quemadmodum Angeli creati in gratiâ, ac tali, quæ proportionata fuisset illorum naturæ, hierarchiæ ac altitudini ministerij, ad quod eos Deus elegit, ita similiter anima Beatissimæ Virginis fuit creata in gratiâ proportionatâ ac congruâ generationi futuræ Filij Dei, ad quam fuit electa ab origine mundi, & ante sæcula. Et in secundâ Homiliâ dicit: *Sola enim, sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam, sola seruiit Opifici vniuersæ naturæ*. Ex eo quod cum repetitione dicat Virginem fuisse electam *præter naturam*, disparitas constat inter eius electionem, Ieremiæ, ac Ioannis Baptista, quod hi solum à *sue matris viro* fuerunt electi, illa verò ab initio sui esse præelecta, & hoc præter communem humanæ naturæ, peccato conuicta, legem ac ordinem. Statim addit: *Tu enim verè es, quæ es reuera pulchra, & macula non est in Te*. Et paulò post: *O sancta & Sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctimonie thesaurus*. Nec omittendum est, quod idem S. Andreas dixit in Menæis, die 1. Augusti, Ode 6. de Machabæis: *De Te publicè constat, o MARIA, quod sis æterni Patris beneplacitorum thesaurus, Elij quoque mundam intrantis commoratio, & augustum denique Spiritus sancti dinersorium: ideoque totius Trinitatis ideam vî quadam perefficaci representas*. Vbi primùm obserua, *MARIAM* notanter dici beneplacitorum æterni Patris thesaurum, vt innuat nullum fuisse gratiæ ornamentum, cuius creatura capax esset, quod ei æternus Pater non dilargiretur; alioqui diminuta fuisset thesauri gratiarum imago. Deinde verò perpende egregiam, ac panè diuinam epithasim, quæ inest huic dicendi modo, quo Deipara vî perefficaci ideam, siue exemplar Augustissimæ Trinitatis in se representare asseritur: quid enim maius aut illustrius dici potuit ad perpetuam ab Origine Sanctitatem & puritatem *MARIAE*

Ioann. Enseb. Op. Parth.

asserendam; Quippe idea seu exemplar, vel vt exactius loquamur, imago, seu speculum rem sibi obiectam ad viuum reddit atque representat: cum verò *Deus lux sit, quin tenebra in eo sint vlla: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis, siue momenti abumbratio*.

Acacius Episcopus Melitenensis, Homil. Ephesi in Patrum confeslu habitâ ait: *Neque Deiparam quoque Virginem eo honore priuauerim, quem dispensationis mysterium gratuito ipsi impertiuit. Est enim, charissimi, absurdum fuerit, crucem ignominiosam, quæ Christum portauit, cum altaribus Christi conglorificari, atque in fronte Ecclesie splendentem apparere; eam verò, quæ ob tantum beneficium Deitatem suscepit, Deipara honore priuari. Deipara igitur est Sancta Virgo: Deus enim est qui ex eâ natus est*. Hæc argumentatio ab ignominia Crucis supponit non esse in Virgine maiorem ignominiam culpæ; sed totum in eâ fuisse sanctitatem. Vnde meritò concludit, *Deipara igitur est sancta Virgo: Deus enim est qui ex eâ natus est*. Nam dignitatem Matris Dei sanctitas omnino omnimodaque decet.

Acacius Episcopus.

Ioannes Ierololymitanus, de Institut. Monachorum, nimia perspicuitate in huius argumenti fauorem ac testimonium loquitur; sed euitanda prolixitatis gratiâ, eius verba ad longum non refero; pauca tamen transcribam, quæ ad rem nostram planè sufficiunt: *Quamuis in quolibet alio homine (instar maris) natura humana sit in suâ origine ita amaritudine peccatorum & vitiorum pondere pressa, &c. Beata tamen MARIA de hoc mari (id est humanâ naturâ) aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, &c.*

Ioannes Ierololymitanus.

Macarius Philadelphiensis Orat. 2. in Barbarorum incurfu, vocat Deiparam *Panyperenlogenomen Dominam*. Quæ exaggeratio totalis omnimodæ & eminentissimæ Benedictionis negat omnino maledictum alicuius culpæ, imò maxime Originalis; de quâ est maledictio filiorum Adæ.

Macarius Philadelphiensis.

Antiochus Episcopus, citatus à sancto Cyrillo Alexandrino, libro religiosissimis Reginis nuncupato, & à Concilio Ephesino, primâ parte ait: *Quem hesterno die pro nostrâ salute immaculato partu MARIA Virgo Mater effudit, MARIA, inquam, Mater Vire, Mater pulchritudinis, Mater magnificentie, illa Splendorifera, siue Lucifera, asserens spem; illa Deipara, illa noua Parens, illa Virgo Mater*. Tot encomiorum veritas non satis aptaretur, si Genitrix Vitæ genita fuisset in morte, si Mater pulchritudinis deformis formaretur cum feciditate culpæ, si magnificentie Parens vile habuisset exordium filiorum Adæ, si lucem asserens mundo, in illum intraret tenebrosa, si nouo modo Parens antiquo modo conciperetur. Rectè propterea immaculatum dicit Virginis partum, quia tota ipsa sine macula.

Antiochus Episcopus.

Amobius Romanus, in Commentariis in Psalmum 10. ad illa verba, *Iustus autem quid fecit Dominus in templo sancto suo*, eam interpretationem asserit, quæ si benè expendatur, plurimum fauere videtur Immaculatæ Conceptioni: eius verba sunt: *Qui iustus est, quare fatigatur, quare percutitur? Quid enim mali fecit? Agnus immaculatus Dominus est, quem vos putantes qualemcumque hominem, hominis arbitrio tradidistis. Ipse autem in templo sancto suo est,*

Amobius Romanus.

id est Deus est in Christo mundum concilians sibi. In isto templo sancta est, quod de immaculata Virgine suscipiens sedet in calis ad dexteram Patris, & est in celo sedes eius. Duo in his verbis consideranda sunt; vnum, eodem modo vocasse Immaculatum Christum Dominum ac Genitricem eius: quapropter videtur simili sensu id prestitisse, inficiatus de Sanctissimâ Deiparâ omne peccatum, etiam Originale, sicut negare illud Christo necesse fuit; nec enim idem nomen in tam paucis lineis in diuersos significatus distorqueret. Quamuis enim ex eo solum, quod vocetur Virgo Immaculata, nolo modò adstruere hanc extensionem Traditionis, etsi id fecerint alij Scriptores grauissimi; at verò cum ex circumstantiis potest id clariùs significari, vt in hoc loco, non erit absurdum inde etiam colligere puritatem Virginis Originalem. Alterum est, ad comprobendam eximiam Christi innocentiam, meminisse Matrem habuisse Immaculatam, & simul sedisse ad dexteram Patris; quasi ostendens Christi summam sanctitatem ex sanctitate Parentum, scilicet Matris, secundum naturam humanam, & Patris, secundum diuinam: ad hanc autem collationem etiam oportebat ablegasse à sanctissimâ Deipara culpam Originis. Maximus natione Alexandrinus, dignitate Constantinopolitanus Episcopus & scientiâ subtilissimus Philosophus testimonio, & approbatione Diui Hieronymi, insignem de Fide aduersus Arianos librum scripsit, & Gratiano Imperatori dicauit, Mysterium immaculatae Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ ita expendit: *Ductor mortis Diabolus, per cuius inuidiam mors introiit in orbem terrarum, omne genus humanum in primo Parente veneno nequitie sue potauit, quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiauit. Inde est, quod radix vitiosa quotidie frondet, frondesque eius indefinenter per mortem marcescunt; & sæpe contingit quod aurum fulgens reperitur in luto, & ex pungente spina pulchre rubens oriatur rosa. Hoc enim operante Prouidentia diuina: (quæ vbi erat spina, suscitauit rosam; vbi erat lutum, aurum purissimum suscitauit) ex radice vitiosa sine vitio produit virga que intelligitur Beatissima Virgo MARIA, attestante Isaia, qui dicit: Egredietur virga de radice Iesse Flos de radice eius ascendet.*

S. Theodor.
rus.

Sanctus Theodorus, cognomento Nouus, Confessor, Orat. in Natiuit. B. Virginis: *Iob ait: Cæli non sunt mundi in conspectu eius, & stelle non sunt pure coram illo: MARIA verò quid purius, quid mundius? Terra est, in quâ peccati spina non orta est. Terra est, non vt illa prior maledicta, cuius etiam fructus pleni sunt spinis & tribulis; sed in quâ benedictio Domini, & cui benedictus fructus ventris, MARIA noua secunda creationis Dei massa, sanctissima generis primitia. Aue rubus, confertum igni miraculum, quem rubigo peccati non tetigit; nam & planta fuit intacta. Aue vna, confectum ex auro vas, quam nulla delicti labes infecit. Aue sanctuarium, fons diuinâ scaturigine fluens, omnis sanctimonie plena. Aue liber sigillis signate, quem nulla excogitabilis corruptela maculat. Aue codex nouus, quem nulla prorsus attingit corruptio. Aue aurum mundum, Spiritus igne probatum in vite fornace, nullamque habens nequitie labem. Aue lignum impuribile, quæ ad peccandum prona corruptionis vermem non admisti. Aue illibata, omni reprehensione sublimior, ex qua Christus sincerus & purus nequitia, omnium reprehensionum purgator.*

Non sumus immemores magni Mariæ gloriæ S. Cyrilli defensoris sancti Cyrilli Alexandrini; sed distulimus egregium eius testimonium ex Ecclesiasticis libris, Breuariis & Officiis, quæ multi Romani Pontifices approbauerunt, inferius referendum. Interim tamen aduerto, graues auctores citare ex Commentariis eiusdem Cyrilli in Euangelium Ioannis hanc sententiam: *Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus est, sacratissima eius Virgine, ex qua Deus homo produit in mundum exempta, cum peccato Originali nascimur, & grauissima cecitate depressi in mundum venimus, quam quidem cecitatem de radice primi parentis contraximus.* Verùm hæc auctoritas non est S. Cyrilli Alexandrini, sed Iodoci Clitovæ, in Commentariis Cyrillo Alexandrino ad Euangelistæ Ioannis explicationem adiectis; nec propterea est contemnenda; tum quia Iodocus non paræ auctoritatis Theologus est, & eruditissimus in sanctis Patribus; tum etiam quia id dixit consentaneus doctrinæ sancti Cyrilli, iudicans iuxta illam esse hanc sententiam, & quidem falsus non est, vt constabit ex eius testimonio in Officio Conceptionis, in calce huius capituli proferendo: interim tamen satis mihi videtur ex aliis locis fauissè sanctum Cyrillum Immaculatae Conceptioni Virginis; nam Homilia 6. quæ Ephesi dicta fuit contra Nestorium, locutus de Sanctissimâ Deiparâ, ait: *Per quam demones fugantur, per quam diabolus tentator celo decidit, per quam prolapsum plasma in celum recipitur.* Non dixit S. Cyrillus, cecidisse per Virginem diabolum de celo, propter primam illius ruinam; quia tunc nec Virgo existerat, nec ipse diabolus tentator fuerat; loquitur autem de alterâ demonis ruinâ ex eo dominatu, quem per officium tentandi acquisierat: idem signatissime dixit, *Diabolus tentator*; per tentationem quippe Heuæ acquisiuit dominium in omnes filios Adæ peccato Originali contaminandos: ex hoc autem dominio repulsus est, ruinamque fecit per sanctissimam Deiparam in gratia conceptam, sic per ipsam antiquum plasma cepit in celum reduci. Ibidem vocauerat Deiparam *Lampadem inextinctam*, siue *Licem semper ardentem*, quia numquam caruit luce gratiæ, nec vnquam extincta fuit morte peccati. Idem S. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum dixit: *Ex Virgine assumpto sanctissimo corpore, & animato mentali anima processit homo, non relinquens quod erat Deus, neque, sua excellentia dignitatem abiiciens.* Vocat sanctissimum corpus, quod accepit ex Virgine, non propter sanctitatem, quæ illi aduenerat per vnionem hypostaticam, sed propter sanctitatem, quam in se habebat ipsa caro Virginis ante Conceptionem Verbi: idcirco non vocauit animam sanctam, quoniam ante assumptionem Verbi sancta non erat; quia neque erat, nec existerat: ad encomium autem tantæ Sanctitatis spectabat etiam sanctitas Originalis, & omnino decebat.

S. Cyrillus
Alexandri
nus.

Lib. 6. in
Ioan. c. 15.

Idem S. Cy-
rilus Ale-
xandrius.

Marcus Monachus, in oratione pro Puritate, postquam Christum vocauisset immaculatum & impollutum, sicut Apostolus Paulus, excludendo ab illo omne peccatum, etiam Originale, vocauit similiter Virginem non solum simpliciter Immaculatam, sed addens omnino Immaculatam: cum enim locutus fuit de Christo, vitur nomine *Achranos*, ac cum de Beatâ Virgine loquitur, vitur

Marcus
Monachus.
in Eucolo-
gio.

utitur maioris energiæ nomine, *Panachrantos*, hoc est omnibus modis & vndequaue Impolluta & Immaculata, vt significaret per hanc exaggerationem excludi ab illâ etiam peccatum Originale, quemadmodum & à Christo exclusit Paulus per simplicem appellationem Impolluti.

Timotheus Ierofolymitanus.

Timotheus Ierofolymitanus, Orat. de Prophetâ Simeone dixit: *Vnde etiam supra omnes Inculpata, & omnibus modis Sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in eâ, vsque adhuc immortalis est.* Quod dixerit Virginem supra omnes simul esse inculpatam, ac omnibus modis Sanctam, nobis insinuat illi non defuisse sanctitatem, quâ macula Originalis præueniretur, ac minime in eius animam sanctissimam introire permetteretur; in quo eius inculpabilitas supra omnes consistit: hoc magis declarauit idem Pater, cum vocauit Virginem *Supra quam dici potest Inculpatam, omnibusque modis Sanctam.* At verò, si peccato Originali fœdaretur, plus dici posset, ac Virginis laudibus deficeret, quo eius applausus cumulatior redderetur.

Procopius Gazæus.

Procopius Gazæus ad cap. 3. Genes. opponens Heuæ MARIAM, dixit: *MARIA gaudium & letitiam toti mortalium generi obnuntiavit, humanique generis maledictionem, in quam deuenerat, fugauit.* Hæc obnuntiatio intelligenda potius est in Conceptione Virginis in Annæ vuluâ, non in Conceptione Christi in vtero Virginis: nam in istâ iam attulit gaudium; in illâ tamen annuntians fugauit in se humani generis maledictionem, per sanctitatem suam Originalem.

Sedulius.

Sedulius lib. 2. Operis Paschalis in metro cecinit:

*Vt veluti spinis mollis rosa surgit acuris,
Nil quod ledat habens, matremque obscurat
honore,*

*Sic Heuæ de stirpe sacrâ veniente MARIA,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.*

Post hæc tam insignia & perspicua verba, quibus hæc veritas à cuiusvis calumniâ sufficienter munitur, temerè audet Bandellus hunc ipsum Auctorem allegare pro opinione contrariâ ac minùs piâ, inuertendo ac variando eius verba, vt cui libet legenti tam metrum, quàm Orationem solutam Sedulij liquidò constabit.

Eusebius Emiffenus Serm. de Natiuitate.

Eusebius quoque Emiffenum deprauatum adducit; qui tamen legitime ac sine corruptione citatus, puram Beatissimæ Virginis Conceptionem supponit, ingenuè fatendo eam obtinuisse per gratiam, quod Christus per seipsum, aut se solo vindicauit. *A peccati enim veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris.* Aduertenter dixit *per se*, nam supposuit, Beatissimam Virginem ex priuilegio gratiæ illud fuisse consecutam, alludens quoque ad exclusionem peccati Originalis; mox opposuit: *Vbi enim omnium aromatum (id est gratiarum) fumus redolet, ibi factoris indicium esse non potest, id est peccati.*

Aurelius Prudentius.

Aurelius Prudentius in suâ Apotheosi aliquid etiam dixit ad Sacræ Virginis puritatem designandam, cuius verba ad litteram refert Beatus Ildelfonsus lib. de Parturitione & Virginitate MARIÆ, & sunt quæ sequuntur;

— *Innuba Virgo*

Nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris:

Pubertas signata manet grauis intus & extra:

Incolumis florens de fertilitate pudicâ

Ioann. Euseb. Op. Parth.

*Virginitas, & prompta fides Christum bibis
aluo*

Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Quibus in verbis quàm maximâ consideratione digna sunt illa, quibus dicit Virginem sacram fuisse grauem, seu potius grauidam intus & extra. Quod est, ac si expressius dixisset, mente & corpore, & eodem modo. Ex quo haud quidem incongruè colligi potest, quòd sicut Virgo sacra in eiuſdem honorem Virgo ac grauida simul dicitur, propter integritatem purissimæ suæ carnis, absque corruptione vllâ, & absque vllâ prorsus libidine: ita similiter & mente dici debet Virgo inuiolata ac grauida, propter incorruptionem purissimæ suæ animæ, & liberationem in eâ factam ex speciali Dei priuilegio ab omni prorsus Originalis peccati labe. Quem sensum esse legitimum probat ipse sanctus Ildelfonsus, Serm. 1. de Natiuitate, dicens: Quòd sacra Virgo fidei femine fuit prius grauida, & Christum prius concepit mente quàm ventre.

S. Leo d. 4. p. 2.

Sanctus Leo Magnus, qui floruit circa annum 440. Sermone 1. de Natiuitate Saluatoris, loquendo de eadem sacra Virginis puritate, & qualiter ipsa Dei Filium prius concepit mente quàm ventre, post alia sic inquit: *Virgo Regia Davidica stupis eligitur, qua sacro grauidanda foetu, diuinam humanamque prolem prius conciperet mente, quàm corpore.* Et Sermone secundo de eadem Natiuitate sic ait: *Oportuit vt primum Genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris & sanctitatis hospitium diuini Spiritus virtus infusa seruaret, qua statuerat deiecta erigere, & constacta solidare.* Quibus in verbis quàm maximâ consideratione est dignum, quòd æquali lege & æquali custodiâ seruatum fuisse dicit sanctitatis atque virginitatis, siue pudoris hospitium. Ex quo haud incongruè quidem colligitur, quòd sicut corporis virginitas in Virgine sacrâ fuit perpetua, & numquam violata; ita & sanctitas in eâ perpetua fuit, & numquam per peccatum aliquod violata; quin verò æquali custodiâ fuit semper ab Spiritu sancto seruata. Hoc idem supponens S. Leo in Epistolâ ad Iulianum Coensem; quæ extat apud Binium in Concilio Chalcedonensi, vocat MARIAM *Inuiolatam*; quia nullâ forde tum eius mens, tum caro læsa fuit: hoc enim *Inuiolata* nomine plus utitur S. Leo ad significandam integritatem spiritus, quàm illæſionem corporis; atque idcirco sæpè in suis Epistolis vocat Deum *Inuiolabilem*; quippe qui nulli corruptelæ obnoxius sit, tamquam impassibilis. Idem Sanctus & eodem sensu attribuit etiam Virgini adiectiuum *Intemeratum*: in Epistolâ 10. æquè vocat Virginitatem MARIÆ *inuiolatam*, ac Dei naturam *inuiolabilem*; & in Epistolâ 11. ait: *Idem & sempiternus ex Patre, & temporalis ex Matre, in suâ virtute inuiolabilis.* Idem S. Leo subtilissimè notauit immunitatem Virginis à peccato Adæ. Dixit in Epistolâ 10. ad Fabianum Constantinopolitanum: *Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa.* Hoc est, non assumpsit de Matre naturam culpatam & vitiosam. Alioqui non erat opus addere *ex Matre*, quoniam satis esset dicere, *Assumpta est natura, non culpa*: vbi duo asserere intendit; vnum, Verbum Diuinum verum esse hominem; quia naturam humanam assumpsit ex Matre Virgine; quòd asserit contra Eutychem: alterum est,

Binus.

Christum verum esse Deum, qui quamvis reperit naturam, quam assumeret ex Matre, non reperit vitium, quod ex ipsa posset contrahere; quod asseruit contra Nestorium. Hoc probat in Epistola 13. ad Pulcheriam, hac arguta consideratione, locutus de Eutychete: *Quantum Nestorius à veritate excidit, dum Christum de Matre solum hominem asserit natum; tantum etiam hic à Catholico tramite deviat, qui de eadem Virgine non nostram credit editam esse substantiam, volens utriusque eam solius Deitatis intelligi, ut quod formam serui gessit, & quod nostri similis fuit atque conformis, quaedam nostra natura fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodest, Dominum nostrum B. MARIÆ Virginis Filium, verum perfectumque hominem dicere, si non illius generis homo creditur, cuius in Evangelio predicatur. Dicit enim Matthæus: Liber generationis IESU CHRISTI Filij David, Filij Abraham: & ita humana originis ordinem sequitur, ut generationum lineas usque ad Ioseph, cui Mater Domini erat desponsata, deducat. Lucas verò retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis Principem redit, ut Adam primum, & Adam nouissimum eiusdem ostendat esse natura. Ex duobus modis, quibus referunt Evangelistæ genealogiam Christi, probat sanctus Leo duo illa capita contra utrumque hæreticum; quoniam Matthæus non incepit genealogiam per directam successionem, deductam ab Adam, qui peccato totam posteritatem infecit; sed ab Abraham, homine sanctissimo, & patre Fidelium, vnde ortus fuit populus electus & Deo sanctus, ut sic ostenderetur Christum verè participem fuisse naturæ humanæ per Virginem; sed sine culpâ Adæ, ut crederetur homo esse illius generis, cuius in Evangelio predicatur Liber generationis. Lucas verò, quia deducit genealogiam Christi usque ad Adam, vel potius reducit, non eam disposuit per directam successionem; sed per retrogradam reflexit: quemadmodum argute notavit sanctus Leo; quoniam licet verè homo fuisset, & accepisset à Matre naturam Adami; non tamen descendit in eam culpa illius, nec in eam deductum est commune generis contagium.*

Mat. 1.

Anonymus.

Anonymus, priscus Auctor Græcus, in Encomio Virginis sic illam salutat: *Aue Proxenetæ lætitiæ: Aue nocuenti solutio.* Satis hoc erat, sed rursus ait: *Aue totius mundi gaudium: Aue Angelorum gloria.* Non enim tanta gloria cælestium Spirituum fuisset, si Reginam habuissent ignobilioris quam se originis: ibidem ait: *Aue Tabula à Deo scripta;* nimirum per Spiritum sanctum, qui suis eam charismatibus ab ipsa Conceptione, quâ formata fuit, exornavit; nec nec enim in illâ prius aliquid scripserat dæmon. Alludit ad tabulas Legis digito Dei scriptas, quarum perfectio, propter quam dicitur Lex Dei immaculata, typum referebat sanctissimæ MARIÆ. Hoc magis declaratur ex Menæis Græcis die 20. Iunij, Ode 9. de S. Methodio, ubi dicitur: *Te novæ Legis Arcam vocamus, unaque novæ Legis Tabulam ab ipso Numine sculptam, cui suum Deus Verbum inscripsit.* Pulchrè, *novæ Legis Tabula à veteri peccati lege, & communi antiqui delicti consortio aliena: pulchrius, ab ipso Numine sculpta, ut Conceptionis MARIÆ non nisi Deus Artifex fuerit.*

SNicephorus Archiepiscopus Constant.

Sanctus Nicephorus, Archiepiscopus Constantinopolitanus, in Epistola quam misit ad Leonem

III. Pontificem Maximum, in Confessione Fidei sic de Virgine scribit: *Inhabitans enim in utero Sanctissima, Incontaminata Dei Genitricis Virginis Maria, & in animo, & in carne præmundata spiritu.* Quam Epistolam sic claudit: *Intercessionibus Immaculata & Incontaminata eius Matris, & omnium Sanctorum, &c.* Illa vox præmundata idem valet quod præmunda, iuxta modum loquendi aliorum Patrum, de quo postea agemus, & denotat anticipatam munditiam Virginis per iustitiam Originalem, sicut & vox prælecta, quâ usus est Theophanes Ceramæus postea laudandus.

Iacobus Monachus, cuius ætatem referunt ad tempora S. Basilij Magni sed quamvis recentior fuerit, antiquissimum Ecclesiæ Græcæ sensum supponit circa omnimodam Deiparæ puritatem; sic inducit Adamum Virgini colloquentem: *O Filia, quale ex meo semine germen surrexisti! Qualem ramum virentem edidit natura mea! Qualem benedictionis florem effloruit! Deinde subiungit: Florem, ex quo expressum fuit pretiosissimum unguentum, ac ex quo meæ formationis suavis ille odor efflavit! ô germen, cuius beneficio arboris illud emarcuit crimen!* Plura hic pendenda. Rursus beatam Annam Virginis Matrem exhibet Adamum & Hevam inuitantem, ut ipsi gratulentur, Deoque gratias offerant propter MARIÆ filia suæ natiuitatem, & ait: *Veni Dux Generis, si quis sensus est, reuocans excitanque communi interfis incunditati: eaque olim sperata reparationis perspice pignora, vinculum maledictionis solutum, sempiterni gaudij exordium, concessam à longâ maledictione liberationem. Veni prima parens, dolorum partus sublatoꝝ symbola referens. Ades dum, disrupti tristitiæ chirographi faustum nuntium prior recipe.* Satis hic supponitur Virgo expers maledicti Adami sine Originis labe. In quodam eiusdem beatæ Annæ Cantico idem Auctor emphaticis admodum hisce verbis utitur: *Dedit mihi fructum iustitiæ suæ, singulari illum substantiâ, multipliciumque diuitiarum æternarum.* At Græco idiomate plus virium hæc verba videntur habere, quibus Virginem nuncupat fructum iustitiæ Dei μονόστιον, & πορτοπλέσιον, id est fructus, qui cum naturâ & substantiâ vnus sit, multorum diuitias possidet; subaudi gratias; quia Virgo cum vna esset, binos status innocentia & redemptionis, iustitiam Originalem & actuaalem obtinuit. Pergit idem Iacobus, & vocem μονόστιον interpretatur pro electione Virginis folius ad gratiam iustitiæ Originalis; & sic ait: *Singulari autem substantiâ appellat, vel eam quæ vnus esset ac singularis natura; vel vnâ illam ac singulararem, ad eiusmodi electam iustitiam.* Deinde de hoc ipso fructu pergens loqui, subiungit: *Solus benedictionis aperuit thesauros.* Et de parentibus Virginis addit: *Intemeratam illam generant.* E verbis supra memoratis pleraque, etsi minimè ponderentur, mysterium declarant; si verò ad libellum reuocentur, ipsum supponunt.

Iacobus Monachus.

Iuuenalis Ierofolymitanus, in Relatione virginis sepultura, quæ extat apud Euthymium Ierofolymitanum, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 40. Simeonem Metaphrastem de Vita & Dormit. Beatæ MARIÆ, cap. 44. & Michaëlem Glicam 3. part. Annalium maxime fauit omnimodæ puritati Virginis, sine corruptelâ Originali; referam partem illius

Illius ex Michaële Glicâ : *Apostoli Thoma gratiâ sepulchrum aperiri iusserunt, quod illum cernerent absentiam in morte Virginis suam molestissimo ferre animo. Itaque sepulchrum quidem aperitur, at ipse thesaurus in eo reconditus nusquam apparebat; sola sepulchrales exuvie reperiebantur. Consimili nimirum modo & ipsam Dei Matrem ex mortuis resurrecturam fuisse, quo Filius resurrexerat, multo antè beatus ille Dauides huiusmodi verbis significauerat: Surge Domine in requiem tuam, Tu, inquam, ipse, & Arca sanctitatis tua. Nam quia norat Dauides, eam, quæ Christum utero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam Arca Sanctitatis esset atque nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam è sepulchro, quo & natus ex ipsa Christus Dei Filius & Deus resurrexit; idcirco non abs re consimilem utriusque resuscitationem ex mortuis multo antè quasi pictura quadam expressit. Etenim ni res ita se haberet, non sanè posteaquam dixerat, Surge Domine, subiiecisset, & Arca Sanctitatis tua. Quapropter hac quidem in parte amplius hesitare noli. Nam quia dno illa primum omnium Creatorem hominum corpora interitui facta sunt obnoxia propter inobedientiam, indeque porro subsecutum aliud, nimirum ut malum eiusmodi latius serpens, in uniuersam humanam naturam se dederet: idcirco nunc quoque primum omnium duo corpora, excusso depositoque interitu, facta sunt primitiæ quasi quedam eius immortalitatis, quam spe certa nobis pollicemur. Hæc combinatio CHRISTI & MARIÆ, quoad incorruptionem corporalem, supponit æquâ & maiori ratione similem combinationem quoad incorruptionem spiritualementem: nam si caro Virginis etiam post mortem incorrupta fuit, anima eius in ipso principio vitæ debuit carere corruptelâ: de quo expediebat habuisse priuilegium, ne mortua Deo nasceretur non minus quàm priuilegium resurrectionis; quod huiusmodi explicauit Durandus à Sancto Portiano in lib. 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. Incineratio, seu reuersio corporis humani in puluerem est pœna peccati Originalis, secundum legem communem, per quam natura derelicta fuit sibi: & ideo, sicut de terrâ formatum est corpus, sic in terram reuertitur. Sed Beata Virgo priuilegiata fuit in hoc articulo rationabiliter, ut sicut corpus Christi sumptum de corpore Virginis fuit immune à tali corruptione, secundum illud Psalmista: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, sic corpus Virginis, de quo fuit sumptum corpus Christi, fuit immune ab eadem corruptione. Videnda omnino sunt quæ diximus supra, ubi egimus de sancto Dionysio Areopagita.*

Euthymius
Eremita.

Idem confirmat Euthymius Eremita, lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 40. ubi cadauer Virginis vocat *Intemeratum quidem, & ex omni parte laudandum corpus* Et postea: *Cui placuit in propria persona carne indui, & ex Sacrosanctâ Virgine homo fieri, & nasci in carne Deus Verbum, & Dominus gloria, & post partum eius incorruptam conseruauit uirginitatem. Ei quoque uisum est, postquam ea è uicis excessit, intemeratum corpus honorare translatione, ante communem & uniuersam resurrectionem.* Hic considerari possunt ea quæ superius diximus: tum etiam illa uerba expendi: *Intemeratum quidem, & ex omni parte laudandum corpus;* nam comprehendunt omnem partem temporis vitæ uirginæ; atque aded tempus & instans suæ Conceptionis; alioqui non esset ex
Ioann. Euseb. Op. Parib.

omni parte laudanda caro Deiparæ.

Multi ex Antiquis sic venerati sunt carnem Virginis, etiam inanimem, ut eam dixerint sanctam & Immaculatam; tum post animationem, cum in sepulchro iacuit, tum ante animationem, cum in utero sanctæ Annæ primùm concepta fuit: quemadmodum S. Damascenus, qui dixit *Sanctissimum eius fatum*: cui consentaneè locuti sunt alij Patres, quos in Tractatu de Perpetuo obiecto Festi Conceptionis referimus cap. 28. §. 3. supponendo illam caruisse peccato Originali. In horum numero accensendus est Cosmas Indicopleustus, qui in illud Psalmi 18. *In sole posuit tabernaculum suum*, interpretatur tabernaculum de carne Virginis, quam assumpsit Verbum Diuinum, vocans illam Tabernaculum Dei, ob sanctitatem eius, de quo dicit: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Ided ait: *Tabernaculum est Domini caro, quæ assumpta est in eius diuinitate*: scilicet, posuit illam in Sole diuini Verbi, non enim uocauit tabernaculum carnem Christi post unionem ad Deum; quoniam tunc non potuit, sed posita adoratur in Sole Diuinitatis; sed appellauit tabernaculum carnem Christi ante unionem; hoc est, carnem Sacratissimæ Virginis, cuius partem posuit in Deitatis Sole, significans hoc modo loquendi eximiam eius sanctitatem, atque aded immaculatam sacramque semper Deo fuisse.

Eodem sensu dicit Paulus Emissenus Homiliâ de Natiuit. Domini, habitâ uigesimo nono die mensis Chæac, in magna Alexandria Ecclesia, præsentè beato Cyrillo, & relata est in Concilio Ephesino, part. 3. *Deus Verbum, qui ante secula arcano ineffabilique modo ex Patre genitus est, nouissimis temporibus natus est ex muliere. Naturâ namque nostrâ perfectè assumptâ, humanitateque ex prima Conceptione sibi comunita, ac nostro corpore sibi in templum coaptato, ex Deipara Virgine Deus perfectus, & homo itidem perfectus produit.* Vbi, cum mentionem fecisset humanitatis & corporis Christi, non explicauit ex humanitate sibi Templum adaptasse; sed ex corpore, quod accepit ex Virginis carne, supponens sanctificationem & puritatem eius.

Paulus
Emissenus.

Ioannem Geometram maximè laudat Corderius in Prolegomeno suæ Catenæ in Lucam, cuius sæculum fatetur se ignorare; sed eius antiquitatem inficiari nequit, cum inter antiquos Patres, qui in Catenâ Græcâ in Luc. afferuntur, Geometra etiam sententiæ allegentur in antiquâ illa Catenâ; quæ cum antiqua sit, & citet antiquos Patres, ex quibus fuit collecta, non potest Ioannes Geometra magna antiquitate carere. Prædictam Catenam habuit olim Bessarion, Episcopus Nicænus, qui floruit circa annum 1440. in sua Bibliotheca. Addictissimus fuit Geometra Regi-næ cælesti, & in Hymno 3. ex Theodociis, quæ confecit, palam fatetur immunitatem Virginis, dicens:

Ioannes
Geometra.

Gaude primæui libera labe patris.

Quæ uerba cum aliis conueniunt, quæ paulò antè in eodem Hymno effuderat, cum ab eo nuncupata est MARIÆ

Utij nostri crimine Virgo carens.

Eodem sensu plura cumulat in aliis Hymnis, quæ commendant omnimodam Virginis puritatem: solum notabo aliqua ex Hymno secundo: ibi Virgini gratulabundam salutem impertitur:

Salue grata uotorum incunda piorum,

Quæ generis solius probra scilicetque vetus.

Græcè paulò significantius sonant verba *αἰχμαλωτῶν*, id est *probrum primorum parentum*.

Ibidem non dedignatur Virgini obblandiri hisce encomiis, vbi, *Fons triplex gratiarum ex purissima radice, atque sata à Trinitate*. Radix vitæ Virginis, Conceptio ipsius est, & hanc Geometra vocat *Purissimam*. Deinde mentio triplicitatis & Trinitatis videtur alludere ad gratiam triplicem, quæ ipsi tribuitur aduersus tria, quæ habentur, peccatorum genera, quæ ab ipsâ arcentur, Originale nempe, veniale & mortale. Deinde subiicit :

*Salve perpetua vita stirps, atque Amaranthus
Flos, sacrosqui non marces, honore vigens.*

Et Paulò pôit :

Salve Hyacinthi puniceus decor, alma notantur

Quo libertatis symbola nulla necis.

Verùm disticho isto cum Græci Textus significatione collato, magis appositè argumento conuenit nostro, & senius illius est : *Aue Hyacinthi purpurei gratia, in cuius foliis sunt libertatis litteræ, nec verbum est mortis*. Quia nempe in Virgine sanctissimâ nullam partem habuit aliquando mors spiritualis. Non sunt omittenda, quæ in eodem Hymno addit :

Salve ter radians Polus, & circum athera pandens

Intensum & nitidum, nec tenebras capiens.

Salve celum exultans, & sine flatibus vllis,

Affectus expertus, mœstitiæque carens.

Sed præter carmina idem Ioannes Geometra astruit Immaculatam Virginis Conceptionem in Catenâ Græcâ in Lucam : ad cap. 1. ait : *Spiritus itaque, inquit, superueniet, qui præpararet Filio introitum, & præinhabitet & præpurget ipsi thalamum, vel potius exornet, eametsi præpurum & præornatum*. Vbi exaggerat puritatem Virginis ante Incarnationem, vocans illam Thalamum præpurum, quod magis declarat ad versiculum 36. nuncupans Deiparam *Facem inextinctam; tum Terram semper sui similem, quæ & plena sit repleta diuinis alimentis*. Si semper fuit Virgo sui similis, semper fuit sancta, & numquam habuit dissimilitudinem peccati.

Theodorus
Raichenfis.

Theodorus Raichenfis in suâ Prosparsæue de Incarnatione, locutus de Nestorio, ait: *Bellum suscepit cum Virgine venerabili nullam reuerentiam adhibens Matri Dei & purissimæ MARIÆ, utpote Matri Domini; sed potius ut seruus superbus & impudens, negans Dominum suum, & Dominam suam vituperans, non tam inuidens ei appellationem Matris Dei, quam inuidens Dei appellationem, ex ipsâ Virgine Matre nato*. Duas rationes hic appinxit, propter quas veneranda sit Beatissima Virgo, vna ex ratione maternitatis diuinæ, altera ex ratione suæ puritatis: ideo distinxit nullam reuerentiam adhibens Matri Dei & purissimæ MARIÆ. Quapropter cum ratio puritatis copuletur cum ratione Maternitatis: sicut hæc est maior maternitas quam excogitari potest; ita & puritas debet esse summa, & maior quam inueniatur in creatura aliqua. idcirco debet esse talis puritas, vt omnino neget sordem Originalem; ideo concludit, respiciens ad has duas rationes, quòd Nestorius neget Dominum suum, & vituperet Dominam suam; scilicet inuidens Christo appellationem Dei, negando Virginem esse Deiparam; inuidens quoque Virgini

appellationem Matris Dei, quòd non extolleret in illam tantam puritatem, vt digna esset maternitate Diuina.

Sanctus Iosephus Confessor, priscus è Græcis S. Iosephus
Confessor. Pater in Mensis 17. Martij, Ode 1. de S. Alexio ait: *Filius aquè increatus ac Pater in Te sola reperit causam, cur similem nobis naturam indueret, Te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem*. Idem Ode 7. de S. Amorio dixit: *Tibi intaminatò recentissimi nitore volumini Sapientia diuina inscripta est, qua libro viuientium suos inserit pugiles*. Appellat MARIAM *Intaminatum recentissimi nitore volumen, vt ipsam in iustitia & sanctitate conceptam affirmet; quippe nitor recentissimus nihil est aliud, quàm primogenius nitor, quem nullus adhuc natus præcessit*. Tum etiam die 5. Ianuarij, Ode 3. de S. Ioanne Calybita, sic eleganter ait: *Te integer ille ac purus, ô vndique intaminata, tanquam rosam instar unguenti fragrantem in conuallibus reperit*. Die 13. Ianuarij, Ode 5. de S. Hermilo & Stratonico, in clausula sic inquit: *Vt pulchra, vt florida, vt tota puritatis nitore circumfulgens sermonem diuinum pulchritudine florentem corpore ex te sumpto cinxisti*. Die 20. Martij, Ode 9. disertè inquit: *Tu nauorum expertus, ô Domina Regis omnium thronus effecta es*. & die 2. Ianuarij, Ode 5, *Salve ô cadentis mundi erectrix, nulli unquam culpæ subiecta*. & die 8. Ianuarij, Ode 7. *Fortitudo, laus & salus mea est Dominus ille, qui Te intaminatissimam Mauricem elegit*. & die 13. Iulij Ode 5. eandem Deiparam affatus: *Te perquam suppliciter oro, qua sola maculam in Te omnem ignoras*. & die 15. Augusti, Ode 8. opportunissime: *Illa creatura unica ab omnibus nemis intacta, quam omnes hominum lingue in vnum collectæ, Angelorum item omnium ora predicatione dignâ prosequi nequeunt*. & die 16. Februarij in vltimâ Strophâ: *Spem nostram in te post Deum reponimus ô intactissima!* & die 8. Ianuarij, Ode 6. de S. Dominica in clausula: *Per te ô in omni sanctitate perfectissima Numinis Sponsa!*

Theodorus Heracleota, Comment. in Psalm. Theodorus
Heracleota. 44. ad illud: *Astitit Regina à dextris tuis*, quod intelligitur communiter de Beatissimâ Virgine, affert vetustissimi Patris lectionem, quæ supponit Originalem iustitiam in Deiparâ nec calum Adami expertam fuisse, dicens: *Alius pro astitit legit stabilita est, id est firmiter & immobiliter stetit; nam porta inferi non præualebunt aduersus eam*. Quippe Beatissima Virgo stabilita est immobiliter, & firmiter stetit, nullo unquam peccato, etiam Originali, à statu gratiæ dimota; id quod ille Pater eleganter innuit, quando vertit *εἰς κολύβη, Erecta stetit instar columna*, siue columnizata, scilicet firma, stabilis; non velut arundo, quæ huc illucque omni aurâ moueatur. Quantò autem plura illi dona tanquam onera Deus imposuit, tantò firmior constitit. Quemadmodum enim si quis rectæ columnæ onus, licet graue, imponat, non deiecit tamen; sed stabilit eam magis, quòd grauius est onus: ita quoque Virgini accidit: vnde iam Mater Dei electa se vocat ancillam; quia scilicet suo se loco dimouere tanto dignitatis onere non nouit. Hinc etiam à Dei dextris collocatur in vestitu deaurato: nam reliqui omnes filij Adam, utpote in peccato concepti, in rerum naturam nudi prædeunt, & omni virtutis diuinæque gratiæ amictu spoliati spurcam Originalis reatus vestem præferunt, ob quam Deo inuisi ad illius

sinistram

finistram abiiciuntur, utique damnandi exilio sempiterno, nisi infelicissimo illo habitu exantur.

Sanctus Stephanus Sabaita in Menæis 1. Ianuarij, Ode 9. Stropha 1. ad MARIAM sic exclamat: *O qua lucem diuinam progenerasti, quæ luce Sol ipse posterior est! qua etiam lux in forma corporea ad nos homines appulit. Te inquam, o Benedicta, & ob omnibus maculis munda, velut Deiparam magnificis extollimus vocibus.*

Anatolius Syrus, in Cantico de Mariæ Natiuitate: *Quæ ab aeterno prædestinata fuerat, ut Dei domicilium, diuinumque sempiterna natura templum foret, hæc vniuersorum Regina iure saluatur.* Non dixit Reginam cæli saluari, quia domicilium Dei fuit; sed quia præsignata fuit ut foret, supponens in diuinâ præsignatione decretam pariter fuisse gratiam Deiparæ à suâ ipsâ formatione, ut dignum Dei habitaculum fuisset. Præsignatio enim illa non esset miranda in Dei Matre, nisi ipsam comitaretur aliquid mirandum; omnium quippe Sanctorum excellentiæ & dignitates præsignatæ sunt à Deo: quod autem ipse videtur in Deiparæ præsignatione, est, quod præsignata in illâ primùm fuerit Maternitas Dei, non lapsus in seruitutem diaboli: vnde, præsignata maternitate, simul fuit præsignata gratia congruens & decens illi danda: decebat autem ut Matri Dei daretur gratia in primâ sui animatione, cum primùm in illa præsignata non fuerit filiatio Adæ, sed maternitas Dei. Hæc eadem est mens S. Anselmi, cum probat puritatem Originalem Virginis, dicens: *Angelos aliis peccantibus à peccato seruaui, & feminam Matrem suam futuram ab aliorum peccatis exsortem seruare non potuit? In æternitate consilij sui statuit eam Dominatricem & Reginam fore Angelorum, & tunc infatigabilem gratiam Angelis datam, in consortium conceptam esse crederemus hominum peccatorum? Existimet hoc qui vult.*

Calixtus Patriarcha Orat. in Calamitate Populi, vocat Virginem *Paryperendoxon, hyperenlogemenen Dominam*: quæ verba exaggerantissime notant superexcellentem & omnimodam puritatem Virginis, quæ adeo fuit superbenedicta à Domino, ut omnem omnino à se excluderet maledictionem Adami. Atque adeo fuit omnino gloriosa super omnium gloriam, ut in ea non haberet locum communis ignominia peccati Originalis.

Anonymus Scholiastes.

Anonymus Scholiastes, in Catenâ Græcâ ad Canticum Magnificat, hæc in honorem virginæ puritatis verba habet ad illud: *Quia fecit mihi magna qui potens est. Quomodo enim non magna, cum ea qua Virgo est, concipiat, Dei voluntate naturam transcendens, dignaque effecta, ut sine virili operâ sit non simpliciter Mater, sed Vnigeniti Saluatoris? Dicit autem, qui potens est: ut si quis ambigat de opere Conceptionis, cum dicat Virginem concepisse, subiungit: Fecit mihi magna qui potens est, ut potentia operantis hoc præclarum factum adscribat. His verbis satis innuitur priuilegium Immaculatæ Conceptionis; tum quia inter magna, quæ fecit omnipotens Deus in Deipara, designatur Virginitas, quæ non esset tam magnum priuilegium, si solum significaret integritatem corporis, & excluderet virginitatem animæ, sine vllius peccati corruptela. Deinde quod dicat transcendisse Virginem naturam Dei voluntate, hoc est ex peculiari Dei proposito &*

decreto, ut nomen Græcum *βέραμα* significat, qui naturæ transcendens non est tam magna prærogativa in integritate corporis, ac in animæ omnimodâ puritate, per quam Virgo Sanctissima transcendit naturam ab Adamo corruptam sine illius corruptela creata. Præterea insinuat hic Pater transcendisse Virginem naturam, ut digna efficeretur ut esset Mater & Virgo, & non vt-cumque Mater, sed Vnigeniti Saluatoris. Hanc autem dignitatem decebat maxima dispositio; dignaque magnitudine potentia Dei, si in ipsa fabrica personæ naturalis Virginis adderetur gratia supernaturalis.

Iis addi possunt quæ Anepigraphus in idem Canticum notauit, non solum magnalia MARIÆ opus fuisse Omnipotentia, sed diuinæ etiam Sanctitatis; quoniam totum quod operatum fuit in MARIÆ, cum sanctitate & in sanctitate fuit idcirco non solum dixit; *Quia fecit mihi magna qui potens est*; sed addidit, *Et sanctum nomen eius.* Ad quæ verba ait prædictus Pater: *Non enim præterea mulier contaminatur, quod in eam Vnigenitus veniat; Sanctum enim nomen eius. Et nihil contaminat Saluator dum concipitur, dum in me Virgine proprium corpus efformat. Propterea etiam Spiritus superuenit, ut cum Conceptio sancta fuerit, sanctum quoque partum efficiat.* Supponit Matrem Dei nullo modo esse aliqua contaminatione læsam; atque idcirco præuenta fuit eius Conceptio, & partus miraculosè, ut cum incorruptione & integritate corporis Deum conciperet & pareret; sed ad sanctitatem diuinam non minus spectat cura sanctitatis & incorruptionis in animâ Deiparæ, quam in corpore; quare non minus incontaminata fuit mente, quam carne. Præterea, si sanctitatem Verbi diuini decuit, ut præseruaret Matrem à corruptelâ partus, quæ minimè futura erat cum culpa, nec tollebat quin sanctissima MARIÆ Virgo conciperet sine virili opera, & accideret post eius Incarnationem, non in ipsâ, multò magis decuit ut præseruaret Matrem à verâ corruptela alicuius peccati, licet esset ante Incarnationem. Sanctitas enim Diuina magis opponitur contaminationi spirituali culpæ, quam contaminationi materiali corporeæ integritatis. Hæc illustrari possent ex iis, quæ in aliquorum Patrum locutionibus notamus.

Hierographus, Auctôr Officij Diuini Ecclesiæ Græcæ, quod 9. Decembris celebrari solitum Conceptionis sanctæ Annæ, qua illa Matrem Dei concepit, ait: *Qui ex aridâ petrâ fontem aque produxit, ille nunc ventri tuo largitur fructum, o Anna, nempe perpetuam Virginem, è quâ, tamquam petrâ, promanabit saluis aqua. Non tu iam amplius seu in frugiferâ terrâ incolis terram, & planè liberata es opprobrio tuo. Germinabis enim Terram fructificantem, quæ scilicet fructificet spicam talem ac tantam, cuius beneficio totius humani generis opprobrium auferatur.* Pulchrè Scholiastes adnotauit: Virginis conceptæ comparatio cum petra ostendit illam nulla vi peccati Originalis, nec ad momentum comminui potuisse, aut frangi. Item Anna terram fructificantem concepit: at si hæc terra spinas peccati Originalis habuisset, verum non erat, terram hanc fructiferam fuisse tempore suæ Conceptionis: iam tunc autem fructificabat sanctitatem Originalem hæc terra.

Hierographus.

Constantinus Pogonatus in Edicto Bicymbalano ait: *Confitemur vnum sanctæ Trinitatis Do-*

Constantinus Pogonatus in Edicto Bicymb.

minum nostrum IESUM CHRISTVM, Vnigenitum Filium Dei, Deum nostrum, qui est cum Patre & sancto Spiritu sine principio Consubstantialis, eundem ipsum in ultimis praeiustis temporibus, propter humani generis salutem atque reformationem descendisse de caelis, hoc est per spontaneam se exinanuisse humilitate, & in vulua illibatae Virginis, Deique Genitricis MARIAE habitasse, & animam & corpus per spiritum, & ex sancta & immaculata carne eius in propria substantia carnem sumpsisse nobis consubstantialem, & hanc sibi mediante anima rationali & intellectuali compaginasse atque formasse. Non dixit solum personam Virginis Immaculatam; sed speciatim eius carnem exprimit, quae ut omnino sit immaculata adhuc cum anima caruit, carere etiam debebat debito culpae Originalis contrahendae; quod debitum vocauit maculam S. Thomas, ut alibi notamus: tam specialiter commendat carnem Virginis; quia cum ea sit, quod ex Virgine accepit Christus, debebat habere omnem speciatem munditiam, cuius capax esse poterat: idem, postquam bis significauit puritatem totius Virgineae personae, semel vocando ipsam Virginem *Illibatam*: & rursus dicendo animam & corpore esse per Spiritum praepurificatam. Sic enim in Graeco legitur; nam in Latina versione abest vox *praepurificata*, hoc est antea pura: descendit rursus propter rationem dictam, ad singularem solum carnis puritatem commendandam.

Planè mihi videtur, hunc Constantinum omnimodam puritatem Virginis, etiam Originalem, palam confessum esse. Cùmque sanctus Leo Papa Secundus eius gesta laudauerit & approbauerit; idem profus sensisse de puritate Virginis censendus est in Epistolâ huius Pontificis ad Constantinum, quae extat in fine sextae Synodi, ubi dicit de hoc Constantino sanctus Leo: *O sancta Mater Ecclesia exurge, depone pallium maroris, & induere stolam incunditatis tuae. Ecce filius tuus constantissimus principum, defensor tuus, adiutor tuus, ne commonearis, accinctus est gladium verbum Dei, quo diuidit incredulos à fidelibus; induit se loricae Fidei & galeae spem salutis. En propugnator tuus (confide, ne metuas) nouus Dauid, non ille Rex vnus gentis Iudaicae; sed hic tuus Christianae plebis piissimus princeps. Nazareni sanguine corporatus deiecit Goliath, magniloquum hostem tuum, & cunctum agmen eius huc illucque disperfit. Adeo magnificè hic sanctus Pontifex approbat gesta & dicta huius Constantini. Nec obstat approbationi Constantini & sextae Synodi quod in iis, quae pertinent ad Honorium Primum, corrupta fuerint scripta Leonis, ut notauit Bellarminus; siue quod non certus fuerit de facto, ut Turrecremata credit. Idem sanctus Leo approbavit Concilium quintum generale, ubi immunitas Virginis commendatur.*

Sanctus Sabbas, qui ante 1200. annos floruit, die 3. Ianuarij, Ode 3. de S. Gerdio ait: *Nemo, ut tu Domina, inculpatus est aequè, nec praeter Te intaminatus quisquam, o nauo nulli subiecta! nam omnium Creatorem ventre tuo clausisti, qui misericordiam solus abundat. Aptè Scholiastes hic adnotat: Non decebat puritatem infinitam ex Matre, quae aliquando contaminata fuisset, progigni, cum praeteritarum sordium ipsa quoque memoria offendere soleat. Idem S. Sabbas 3. Ianuarij, Ode 3. de S. Malachia in clausula ita loquitur: *In Te, quae nulli umquam culpa assinis fuisse, spem omnem**

*meam repono. Luculentissimè die 3. Ianuarij, Ode 7. de sancta Syncretica sic gratulatur MARIAE: In Te primi parentis substitui lapsus, ultra pergen-di facultate sublatâ. Quid clarius? Idem, die 29. Ianuarij, Ode 6. Ex Te sola, tamquam purissimo lilio in medio spinarum inuento, uterum incolens tuum Sponsus ille tuus processit. Et die 1. Ianuarij, Ode 9. Tu, quae ab omni es nauo intacta. Et 12. Februarij, Ode 5. Ab aeterno propter splendorem integritatis, & pulchritudinem virginalem, ac demum propter charismata, seu gratia dona, quae Te ab omni nauo immunem fecerunt, manifestè sola fuisti digna tanti partus honore. Idem S. Sabbas ait, (ut Simon Wangneiecius vertit) *de te enim sola publicè constat quod ab aeterno mundata existeris.* In quae verba iuuat describere Annotationem doctissimi eiusdem interpretis. Dum Manea dicunt. Mariam ab aeterno mundatam extitisse, non ita intelligi debent, ac si velint, Mariam ab aeterno vixisse (cum praeter Deum nemo fuerit ab aeterno) sed potius explicari debent ut censeantur dicere velle, ab omni aeternitate nullum vntquam momentum extitisse, in quo verum fuisset dicere, Deiparam ab originali peccato vel fore, vel esse immundam. Saepius hic loquendi modus vsurpatur in iisdem Ecclesiasticis Graecorum libris. Quem etiam in reuelationibus D. Brigittae obseruauit: ut *lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 9.* ubi Maria ab aeterno in caritate Dei fuisse dicitur, & in *serm. Angel. cap. 1.* ab aeterno fuisse Deo carissima super omnia.*

Alexander Monachus Oratione de Inuentione sanctae Crucis dixit de Virgine: *Sine corruptione concepit, & cum modo Deum decenti genuit; Deus enim erat, qui ex ipsâ carnem sumpsit.* Vbi omnem excellentiam Virginis supponit, cum dixit, *modo Deum decenti genuisse*; hoc est cum circumstantiis diuinæ Maiestati congruentibus, & dignissimis, maxime circa dignitatem & omnimodam sanctimoniam suae Matris: modus enim Incarnationis quoad circumstantias adeo incomprehensibilis est, ut dixerit sanctus Maximus Constantinopolitanus in Catenâ Graecâ in Lucae cap. 1. *Nonnulli ambigunt, quomodo dicatur Christi Incarnatio Virtutes caelestes latuisse, cum reperiamus prophetias, quae de Domino sunt, per Angelos factas, & Conceptionem Virginis à Gabriele annunciatam esse, & ab Angelis sacra pastoribus mysteria declarari: quid est igitur quod Angelos latuit? non enim est dubitandum quin Angeli sciuerint Dominum pro salute hominum esse incarnandum; sed incomprehensibilem Domini conceptionem, eiusque modum ignorabant.* Ad hunc modum attinet non solum tempus Incarnationis, sed totius vitae Deiparae; ita ut incorruptio eius corporalis & integritas spiritualis ante Incarnationem, & post Incarnationem Virginem decorauerit; ita ut etiam fuerit pura spiritualiter ante partum, & in partu, & post partum. Et enim haec integritas & puritas spiritualis in Matre suâ non minus decet Deum, quam corporalis, & semper illam Virgo Sanctissima possedit, quod confirmat illud Ioannis Geometrae, in eadem Catenâ Graecâ, ubi ait ad Cap. 1. Lucae, allocutus Virginem: *Multa quidem & magna Legis antiquae miracula: Mare diuisum & rursus collectum, petra exundans aquarum riuus, flumina discissa atque cohibita, Sol reuentus, nubes praecurrens, columna ignis progrediens, fons amarus melle fluens, & virga sicca flores germinans, ardens*

Alexander Monachus

S. Maximus Constantinopolitanus.

Ioannes Geometra.

Sanctus Leo.

S. Sabbas.

rubus incombustus, irroratus fornax inextinctus, aqua aquis inflammata, tabula digito Dei conscripta, arena volucris irrigata, manna delapsum, steriles parientes, vetula germinantes, præter rationem quidem, non tamen sine fructu. Sed quid hæc, o Virgo, ad hoc quod leges in te solvantur rationis atque natura; sed non temporis ac mutilationis, concipiendo simul & pariendo, non florem tantum fructumve, ut virga: nec fluxum quidpiam, atque inanimatum, ut petra laticem; sed Deum simul & hominem: sic ut non solum fueris incombusta, sed diuina insuper effecta, non in materiali, ut pueri; sed Dei flamma, nec ad momentum, & exterius flammam detinens, ut rubus; sed interius, & quidem tanto tempore. Hoc tantum tempus non solum refert ad spatium, quod intercedit ab Incarnatione ad partum, sed totam Virginis vitam; idè postea vocauit Deiparam Terram semper sui similem: aduerbium semper non limitat tempus: eadem ratione illam etiam dixit Facem inextinctam.

S. Gauden-
tius.

Consequenter ad dicta placet adducere sanctum Gaudentium, pro Immaculatâ Conceptione; qui Tract. 1. de Lectione Euangelicâ ait: *Probauit sanctam Virginem suam esse domicilium Dei, ubi lumen pudoris perpetuum seruet ingressus, dum sine detrimento integritatis Materna nascitur sine corruptela conceptus. Dixit, probasse Christum MARIAM fuisse Matrem eius ex gratiis in illam collatis, quatum vna fuit, lumen pudoris seruasse perpetuum: non dixit pudorem dumtaxat, ne putaretur loqui de solo corporis pudore, cum loqueretur de pudore illustrato diuinâ gratiâ, idè dixit, lumen pudoris: quare æquè perpetua fuit in Virgine gratia, ac fuit pudor atque incorruptio corporis, nimirum per totam vitam, ab ipsâ, inquam, animatione: semper enim Virgo fuit carne & spiritu.*

S. Theopha-
nes.

Sanctus Theophanes, Episcopus Nicænus in Menæis, die 23. Februarij, Ode 4. & 5. de S. Polycarpo ait: *O à cunctis sordibus incontaminata, & super omnes inculpato Inculpatisima Dominica! Die 25. Ianuarij, Ode 6. de S. Gregorio Theologo inquit: Te o Virgo Mater prouiderunt Prophetæ, tanquam Librum quemdam planè intaminatum in quo conscriptus esset cibus Dei. Die 20. Ianuarij, Ode 3. de S. Euthymio in clausulâ: Diuinorum Vatum asserta. Tu o sola inter omnes Benedicta, velut sigillo auctoritatis tuæ firmasti cum pareres Verbum, quod loquebatur per illos. Et in didem Ode 4. Latere, quæ es Mons inumbratus gratiâ, latere Tabernaculum, latere Arca, latere Candelabrum diuinam sustinens lucem. Die 16. Ianuarij, Ode 5. de Catena S. Petri in clausula: Multorum me scelerum, o intaminata, oneribus prægrauem alleua, &c. Die 17. Ianuarij in Cathismate Virginali, post Oden 3. de S. Antonino eodem sensu inquit: *Pt inculpatisima Conditoris Sponsa me celeriter è demonum machinationibus erue. Et ibidem Ode 7. Immaculata, & omnium Sacratissima Virgini MARIÆ acclamatione faustâ plaudamus. Et ibidem Ode 8. O intaminatissima Genitrix Dei inflitas à peccato cicatrices emunda. Et die 16. Ianuarij, Ode 5. Canonis primi de Cathedra S. Petri, in clausula de Deiparæ puritate, ait: Sol ipse, o omnium celebrata vocibus Virgo, Te multò illustriorem seipso agnoscit.**

Imperfe-
ctus.

Lubet etiam Imperfecti sententiam producere, cum mirificè astruat ex testimonio sanctissimi

Iosephi Sponsi Virginis omnimodam eiusdem Virginis puritatem, cum iudicasset impossibile fuisse eam peccasse, plus quam sine viro concipere, hoc autem iudicium omnino excludit fontem peccandi, scilicet culpam Originalem. Igitur in Matthæi cap. 1. docens qua ratione Iosephi videns MARIAM grauidam, nihil mali de illa cogitauerit, ait: *O inestimabilis laus MARIÆ! magis credebat castitati eius, quam viro eius, & plus gratia, quam natura. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius credebat mulierem sine viro posse concipere, quam MARIAM posse peccare. Hic maritalem zelum, & veri clamantis accusationem sola præterita conuersationis documenta vincebant.*

Anologus Areopagiticus in Encomio sancti Dionysij vocat Virginem *Agriculturam Spiritus sancti*. Quibus verbis indicat Spiritum sanctum astitisse Virgini ab ipsa fatione & seminatione, quæ maxime pertinent ad agricolas, supponens in ipsa eius Conceptione gratia Spiritus sancti fuisse cultam.

Anologus
Areopagi-
ticus.

Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, ex cuius fragmentis ordinauit Strabo Glossam ad illud Luca 1. Cantici *Magnificat*; *Quia fecit mihi magna qui potens est*, sic interpretatur verba Virginis: *Quia in me carnem sumpsit, & me à peccatis mundauit, & dona Spiritus sancti mihi contulit. vbi illud, à peccatis mundauit, idem est, ac mundam præseruauit: non enim habuit Deipara peccata, à quibus purgari posset: non enim solum dixit in singulari, à peccato mundauit; sed in plurali, à peccatis: quare omnino intelligendus est Rabanus de sola præseruatione, non de superueniente mundatione. Deinde comprehendit in hac præseruatione immunitatem à peccato Originali; alioqui non numerasset inter magnalia Virginis, quæ fecit Omnipotens Dei Brachium, præseruationem solum à peccatis actualibus: nam munditiam horum peccatorum innumeri alij filij Adam habuere, scilicet infantes, & iudicij expertes, qui cum circumcissione antiquitus, & modò cum Baptismo obièrunt.*

Rabanus
Maurus.

Idipsum significat Anselmus Laudunensis in Interlineali in Luc. 1. eadem verba Cantici *Magnificat* explicans ait: *Quia singularis potentia culmine omnia quæ fecit transcendit longè. Hic excessus, & vt sic dicam, transcendus tam longus & eminent, & ex culmine potentie diuinæ; & non vtcumque, sed singularis, quod minus potest significare, quam singularia priuilegia Deiparæ, minimè aliis communia, & pertinentia nõ solum ad dotes incorrupti corporis, sed potissimum ad sanctificationem immaculatæ animæ, quæ non fuisset ita singularis & magna, nisi præseruasset ab Originali culpa.*

Anselmus
Laudunensis.

Menæologus die 25. Martij Homil. de Annuntiatione, cum totam Dominicæ Incarnationis œconomiam explicasset, subdit: *Quoniam verò Decretum hoc suum (scilicet Incarnationis) cum ab ipso satana, tum à celorum quoque Virtutibus ignorari voluerat; primò quidem prouidentia singulari perfecit, vt sacra Virgo ab ipso vite sue principio tam omnino existeret pura, quam esse puram decebat illam, quæ tanto Bono, id est Christo, digna existeret. Idem 5. Maij, Ode 3. de sancta Iræne ait: *Mors instar fluminis ruens apud te perdidit vires. Quo sanè facto permoti, primitias Te immortalitatis vocamus. Eodem sensu,**

Menæolo-
gus.

die 4.

die 4. Junij post Stichologiam secundam de S. Metrophane Archiepiscopo Constantinopolitano, itidemque die 2. Junij, Ode 9. de S. Nicephoro Patriarchâ Constantinopolitano, in Theotocio, in Virgine velut in radice immortalitatis totum negotium salutis humanæ peractum fuisse sic affirmat: *Collaudemus Radicem immortalitatis, Paradisum ratione pollentem, atque totius orbis terrarum grandem thesaurum. In hac enim Virgine negotium mundi salvandi confectum est, simulque singulis hominibus Originalis peccati venia parata.* Die 9. Martij, in Vesperis de S. Canone, Deiparam salutans, sic inquit: *Salve, quâ nihil unquam magis peregrinum inter mortales auditum; salve paradisi lignum ab ipso Deo plantatum; salve Extirpatrix demonum; salve, ô gladii utrimque acute, hostis nostri caput abscindens.*

Atticus
Constanti-
nopolita-
nus

Atticus Constantinopolitanus tom. 2. Concilij Ephesini cap. 28. hanc protulit sententiam, quæ supponit puritatē virginæ Conceptionis dicens: *Nam si Deo turpe est in Virgine habitare, modis omnibus turpins erit Virginem formare. Quod si verò condere turpe non est, nec opus suum inhabitare turpe erit. Ut efficax hæc ratio sit, supponit incontaminatam esse formationem personæ Virginis; alioqui respondere possent aduersarij; Sicut turpe fuisset Deo esse auctorem peccati, etiam Originalis; ita etiam turpe foret habitare opus suū contaminatū peccato. Etenim illa argumentatio sicut plenam vini habet in statu naturæ integræ; ita illam amittit in statu naturæ corruptæ per peccatum. Quare, ut Virgini adaptetur, negandum est illi peccatum Originale, quod corruptit & turpescit naturam. Nec est ista ratiocinatio solius Attici; sed etiam sancti Cyrilli Alexandrini, sancti Procli Constantinopolitani, & aliorum Patrum.*

Georgius
Metropoli-
ta.

Georg. Metropolita multa habet, quibus astruit puritatem Conceptionis: Sermone 3. de Conceptione ait: *Hodie terra illustrioribus supra cælum gratiæ fulgoribus letam faciem explicat: augustius cælo spiritali claritate splendet; maiori supra mundi cælum decore pollet: quippe natum suscipit superius cælum; cælum, inquam, eximie lucidum, ac spatiosissimum, quod mundo non occidentem Solem, sed eum præterdat, qui nescit occasum: cælum planè non visibilibus stellis, sed spiritalium luminum accensione varium. Hoc enim celebri hodie conuentu recolimus; hoc splendidissimum apposuit omnis generis eduliorum epulum; hoc præsentis diei indixit tripudium; hoc sermonem prouocans, ad suam vniuersos conuocat participationem. Quid luculentius? cùm vocet Virginem in suâ Conceptione cælum spiritalium luminum accensione varium, scilicet cum lumine gratiæ & virtutum: nec enim hæc dixit propter solam natiuitatem Deiparæ; sed potissimè propter eius Conceptionem: quamuis enim vtramque celebret, id facit communibus vtrique laudibus, & quidem maximè Conceptionis, quam primo loco commendat. Hoc etiam constat: quia confert Conceptionem Virginis cum Conceptione Christi, quæ est Incarnatio, non cum Natiuitate Saluatoris, vocans Conceptionem MARIÆ Arrhabonem Incarnationis; idèd ait: *Arrhabo prolata est ac delecta, innupta Sponsa: Regia quoque hodie pariter edita est atque instructa; bonorumque in spe positorum securâ aduentu illo ac necessitudine firmitas, percipientibus dona nobis vtrique accessit. Præit itaque præsentis diei claritas ineffabili illi ex Chri-**

Idem Geor-
gius.

*sti incarnati Sacramento latitia; præit verò, non ut ei non coharens, vel ut magnitudine differens; sed velut quæ ad rei totius certitudinem quasi manu duxerit, idque modo nobis familiari ac congruo; quando per eam, quæ nostra gentilis esset, consummatissimum gaudium conciliauit. Quomodo autem coherent Conceptio Virginis cum Conceptione Christi, illiusque pignus & Arrhabo esset, si absque gratiâ fuisset, imò cum peccato? Confirmant etiam Conceptionem Immaculatam quæ ipse dixit Serm. 2. de Conceptione: *Ex sterili Virgo, ex Virgine Deus corporaliter gignitur, ambobusque nouam Deus creaturam molitur. Hanc enim nobis hodiernæ lucis prænuntiauit latitia. Quodnam prænuntium dedisset nouæ creaturæ conceptio veteris, si peccatum Originale Deiparam maculasset? Ibidem vocatur Virgo Præclarissima creatorum gloriatio. Quomodo autem esset gloriatio rerum creatarum, si ignobilius Angelis creata fuisset? Idem Georgius in Menæis die 24. Martij, Ode 5. de Profectu Annuntiationis MARIAM Virginem pro futurâ salutatione Angeli sic alloquentis inducit: *Esto paratus ô diuina munditia Liber! quippe Tibi sancti Spiritus digito inscribetur Sapientia diuina; sed incarnata, quæ insipientia mea prauaricationem è medio tollat: ô aureum item candelabrum! ignem recipe diuinitatis, ut per Te illuceat mundo, vnaque iniquitatum nostrarum tenebras dissipet. Opportunè Deiparam etiam ante Dominicæ Incarnationis mysterium appellant diuinæ munditiæ Librum, ut significet MARIAM non vtrumque ab omnibus maculis mundam, sed eâ munditiâ præditam esse, quæ Diuinam æmuletur, in quâ nihil non eximiè purum valeat suspicari. Alia luculenta loca eiusdem Georgij Homiliâ de Præsentatione producemus infra.***

Sanctus Eulogius Alexandrinus Homil. in Ram. Palmar. sic inducit Virginem loquentem: *Non enim mundo peperit purum hominem, sed Deum incarnatum. Cuius rei testis est locuples constans virginitatis signaculum. Ne dedecores, ô homo quam ex me Deus sumpsit vestem, ne ei, qui illam induit, contumeliam irroges. Ne iniuria afficias tabernaculum; reuera enim nulla manuum opera habitanti in eo fuit confutum. Ne lumen à carnali mea lampade separes, ut ne malè Solem extinguas qui illuxit mundo; quique sine homine homo factus est. Notanda sunt hîc illa verba: *Ne lumen à carnali mea lampade separes; nimirum lampadem gratiæ. Deinde affert argumentum aliorum Patrum, probantium diuinitatem Christi ex virginitate Matris; ex virginitate nimirum corporis & animæ, quam hîc denotat constantem S. Eulogius: quippe quæ numquam defecerit. Idem Eulogius comparat Virginem cælo quoad puritatem: & quia inde venerit Christus, elogium benedicti tribuit: idèd ait: *Rectè pueri affectati sunt vocem Elisabetha: nam dicente illa Virgini ac Deiparæ: Benedictus fructus ventris tui, aiunt illi eius Filio: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quid est, Benedictus qui venit in nomine Domini? Qui venit? Vnde? De cælo, aut ex Virgine.***

S Eulogius
Alexandri-
nus.

Leontius Cyproneapolitanus Homiliâ in Simeonem ait: *Purus ille ac incontaminatus, vna cum incontaminata ac innupta Virgine ac Matre Lege præscriptam obeat purificationem. Hæc combinatio CHRISTI & MARIÆ, quoad incontami*

Leontius
Cypronea-
politanus.

incontaminationem, satis excludit contagium culpæ Originariæ. Ibidem quoque ait Leontius: *Quomodo autem, quæ eo impleta fuit, qui naturam omnem tum oculis subiectam, tum non aspectabilem sanctificat, Spiritus sancti expertus existit? rursus: Quomodo, quæ diuina ac consubstantialis Trinitatis fuit effecta particeps, nedum non deficeret sanctitudine ac puritate?* Tandem ait quod rem concludit: *Omni benedictione superiores erant Mater pariter puerpera, ac Puer.* Quod non esset verum, si succubisset Virgo maledicto Originali.

S. Gregorius Antiochenus.

Sanctus Gregorius Antiochenus Oratione in mulieres vnguentiferas: *Omnia spectantia ad Saluatorem sunt Sacramenta. Quomodo enim natus est clausis virginalibus claustris, ita & surrexit clauso sepulchro; ac sicut unigenitus Dei Filius primogenitus factus est ex Matre; ita resurgens factus est primogenitus ex mortuis. Sicut ergo natus handquaquam Matris Virginis virginitatem soluit; ita nec resurgens soluit signacula sepulchri.* Hæc collatio supponit Virginem immaculatam conceptam: nam si sepulchrum, vt cadauer inanime Christi exciperet, electum est nouum, & in quod nullus mortuus fuisset intromissus, quanto magis, vt Verbum Dei carnem suscipere, ex Virgine eligenda erat noua creatura per gratiam in sua Conceptione, in quam mors peccati nunquam fuerat ingressa.

Georgius Chartophylax.

Nec omittendus est Georgius Chartophylax quamuis aliqui putent eundem fuisse cum Nicomediensi; is in Orat. in Deiparæ represent. ait: *Hodie Agna immaculata, seu acceptabilis hostia offertur in templo, ex qua ortus ille Agnus Dei mundi abstulit peccatum. Hodie columba illa irreprehensibilis in templo penetralia euolans malitie aucupem deuittauit, eius machinamentis facta sublimior. Vox immaculata, & columba, & irreprehensibilis, & alia similia satis indicant puritatem omnimodam Virginis, etiam in Conceptione.* Item Georgius ait: *Pretiosum illud reuera donarium, atque Angelis venerabile; supremum ac mundissimum illud cimelum, in quo thesauri gratiæ depositi fuerunt; in quo æconomie opes ineffabili ratione reposita erant, in quo nostræ salutis erant condita pignora. Vas (inquam) illud impolutum; locum illum luminis conceptaculum, ex quo salutis radij orbi vniuerso illuxerunt.* Multa hic expendi possent, supponentia Immaculatam Conceptionem.

Hymnographus.

Hymnographus in Hymno alphabetario vocat Virginem *τρίτογενή τριμάκαιρον τριώσραν τριόβληρον*: hoc est vnius è Trinitate Genitricem, ter Beatam, tribus luminibus illustrem, ter lanâ pulchriorem, siue trilunem. His verbis omnimodam puritatem voluit significare deuotus hic Scriptor, & tanta triplicitate videtur allusisse ad trinam puritatem, contra tres peccatorum sordes, Mortalem, Venialem, & Originalem.

Germanus Iunior.

Germanus Iunior Orat. in Dominici Corporis sepultura ait: *Quâ ratione Natiuitas ex Virgine, non per omnia similis nostræ habuit, nec omnino humane natiuitatis leges secuta est; suntque etiam in quibus partus supra humanam rationem mirabilis fuit, ac natura nouata est. Quenam illa? Vtique Conceptio sine semine, partus dolorum expertus, seruata post partum, vti ante partum virginitas: vt ex rebus ad hæc mirabilibus non nudus homo existimaretur qui natus esset; sed veritate Deus cognoscere, qui carnem induisset. Sic sanè etiam*

in morte naturalia commixta fuerunt iis, quæ natura rationem excedunt. Hic expendi possent eadem, quæ notauimus in S. Gregorio Antiocheno, de electione sepulchri noui ad resurrectionem Christi, & creaturæ nouæ in Conceptione ad Incarnationem Verbi; & quæ in aliis Patribus notauimus, probantibus diuinitatem Christi ex virginitate Matris. Idem Germanus inducit Virginem dicentem de se in morte Christi: *Urna ego aurea manna habens plena sum amaritudine.* Quibus verbis omnimodam suam puritatem supponit, significatam per Arcam Testamenti, & manna, vt alibi dicimus.

Canon Ecclesiasticus Græcor.

Canon Ecclesiasticus Græcorum, de Conceptione Virginis, Ode 1. ait: *Anna concipit puram Sobolem;* hoc est secundum proprietatem Græcam, nulla macula contaminatam. Rursus Ode 3. ait: *Anna incontaminatam Dei Genitricem in utero concepit,* mox subdit: *Tuam orantis vocem exaudiuisti Altissimus, ô Anna, in paradiso: ideo que ventri tuo fructum largitus est paradisi; nimirum illam Progeniem, quæ nobis gratiæ diuinæ ianuam aperuit.* Scholiastes addit: *Vide vt Anna incontaminatam in utero conceperit: hoc est ab omni labe Adæ remotissimam & expertem.* Deinde vero: *obserua, norantur ab Ecclesiâ Græcâ Deum exaudientem vocem Anna induci in paradiso, vt fructum paradisi largiretur; ergo si Virgo fructus est paradisi, procul ab ea lolium, procul spina; nihil enim tale generauit paradisi; tota ergo ab origine fructus benedictionis & gratiæ.* In auctoritate huius Canonis non allego, quam potuit suus Auctor dare, scilicet S. Andreas Cretensis, cuius alia iam testimonia retulimus; sed testimonium, quod in illo præstat totius Ecclesiæ Græcæ sensus, & consensus circa immunitatem Deiparæ.

S. Isidorus Pelusiota.

Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 141. ait: *Cum deberet femina debitum viro ex eius latere sine semine existens; hoc soluit Mater Domini, sine semine ipsum incarnatum pariens.* Error autem eorum, qui propter unionem cum naturâ increata carnem quoque Christi increatam fuisse asserunt; hæc commonstrabitur. Nam unio carnis ad Verbi diuinitatem ex utero facta est. Exinde enim illam composuit Verbum è calo descendens, cum ante aduentum Verbi, aut Deiparam **M A R I A M** non existeret. Eadem ratione vtuntur alij Patres, quæ etiam supponit non impuriorem carnem dedisse Virginem Christo, quam Adamus erat, cum ex eo fuit Heua formata; alioqui non plenè solum esse debitum mulieris, si deteriore carnem dedisset homini Deo.

Ericus Altissiodorensis.

Hoc supposito, facilius intelligentur verba, quæ in Sermone de Purificatione protulit Ericus Altissiodorensis. Hæc sunt: *Deus namque veram ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, virginittatis ei gratiam non ademit: neque enim decebat, vt Creator humane carnis Deus, qui in prima conditione homini virginittatem tribuerat, idem quod fecerat redempturus, virginittatem carni de qua nascebatur, auferret.* Quod si Deus noluit homo fieri minus nobiliter quam Heua facta fuit, quoad virginittatem corporis eius, à quâ carnem assumpsit, multo magis decebat, quoad puritatem animæ, non inferiorem esse munditiæ Virginis, quare, sicut Heua fuit formata ex Adamo virginè, & creato cum gratia diuina, sic Christus genitus fuit ex Virgine **M A R I A**, & creata in gratia.

Subdit

Subdit idem Ericus aliam sententiam, quæ non parum fauet Immaculatæ Conceptioni, dicens: *Dei Genitricis summissis votis obsecremus auxilium, ut suâ potentis intercessione nobis apud Filium suum, purgationem impetret criminum; quæ purgationem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum. Vbi supponit ab his peccatis fuisse liberam, & puram Virginem, à quibus purgari nos possumus eius intercessione; cumque vnum ex his & primum, ac proinde maxime purgandum sit peccatum Originale; ab hoc quoque libera Virgo fuit.*

Basilus de Seleucia.

Basilus de Seleucia in Oratione de Verbi Incarnatione sic locutus est: *O ter Sacrosancta Virgo! de qua qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nunquam quidem à veritatis scopo aberrabit, ac tamen dignitatis magnitudinem nullâ umquam oratione exæquabit.* His verbis supponitur quantum dici possit de puritate Originali Beatissimæ Virginis; nec videtur mysterio ac peculiari animaduersione vacasse, quod eam non nancupauerit Sanctam tantum; sed ter Sacrosanctam ob supremam eius puritatem, ac immunitatem à triplici maculâ trium generum peccatorum, videlicet Originalis, Actualis mortalis, ac venialis; quæ plenè connumerat, ac à Dei Genitrice remouit. Si autem consideremus vim nominis Græci, non solum ter sanctam significat Virginem; sed millies, id est omnibus modis & numeris sanctam. Ibidem ait idem Basilus: *Ne timeas MARIA, timor enim eorum est qui offenderunt: Tu quæ inuenisti gratiam apud Deum.*

S. Petrus Chrysol.

Sanctus Petrus Chrysologus in Sermone de Annunt. n. 140. sic dicit: *Peruolat ad Sponsam festinus interpres, ut à Dei sponsa humana desponsationis arceat & suspendat affectum, neque auferat à Ioseph Virginem; sed reddat Christo, cui est in vtero pignora cum fieret.* Hic non solum supponit; sed etiam expressè fatetur Virginem esse inuenisse peccato Originali.

S. Venantius Fortunatus.

Sanctus Venantius Fortunatus lib. 8. Poëmatum:

*Figmentum figuli super omnia vasa decorum,
Atque creatura fulgida massa noua.*

Idem S. Venantius lib. 1. de Partu Virginis:

Nomen honoratum Benedicta MARIA per eam,

Ad laudem artificis nobilis artis opus:

Dulcis & Angelico pretiosa puella relatu,

Omnes ultra homines dona decoris habens:

Iude rubore rosas, candore hinc lilia vincens,

Flos nouus è terrâ, quem polus arce colat.

Considerandum est, laudasse Deum ab opificio Virginis, quod accidit in suâ Conceptione, & creatione animæ; quoniam illud miraculum præstitisset in illâ Deus, quod creata fuerit in gratiâ, non in peccato, ut ceteri filij veteris Adami. Idcirco concludit vocans Virginem, *Florem nouum è terrâ*; notans nouitatem suæ creationis cum gratiâ, & tantâ, ut fuerit digna caelesti cultu. Hinc patet, quo sensu dixerit idem Venantius in Expositione Symboli: *Ille, qui ante sacula natus est, postea de Spiritu sancto templum in Virgine fabricatum intelligendum est: nam sicut in sanctificatione Spiritus nulla fragilitas extitit; sic nec in partu eiusdem nulla causa corruptionis apparuit.* Confert Venantius virginitatem cum sanctitate Virginis, atque ita conficit. Quemadmodum semper Sancta, ita etiam semper Virgo, supponens fragilitatem naturæ vitiatæ per peccatum

numquam habuisse; sed potius semper possedisse integritatem gratiæ per sanctificationem animæ Virginæ coeuiam.

Eodem sensu, quo S. Venantius excludit à Virgine fragilitatem spiritus, tribuit illi Michael Syngelus integritatem, cum dixit in martyrio Dionysij Areopagita: *Virgo integerrima, omnibus caelestibus Potestatibus sublimior est MARIA.* Attentè designauit Potestates caelestes, quibus sublimior fuerit Virgo, quamuis non sint æquæ sublimes Spiritus ac Seraphim & Cherubim: cum tamen alij Sancti dicant Virginem superiorem esse Seraphim & Cherubin: voluit enim Michael Syngelus designare plenissimam victoriam Virginis contra dæmonem, cui ab ipsâ suæ animæ creatione terribilis fuit; cumque Potestatibus id ministerium attributum sit, ut fugent, coërceant & vincant dæmones, aduersus quos sunt terribiles; idcirco Potestatibus sublimiorem dixit *MARIAM*, de cuius Conceptione dicitur, *Quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut Castrorum acies ordinata.*

Idiota.

Locupletissime & manifestissime de Immaculatâ Virginis Conceptione eloquitur Sanctus & Sapiens Idiota, qui, secundum quosdam, floruit anno 800. & secundum Bellarminum anno 902. Hic ait in contemplatione Beatissimæ *MARIÆ* Virginis cap. 1. *Trabe me post te, ô Benedicta Virgo MARIA! Benedicta ante ortum, in ortu, & post ortum, ante saculum, in saculo & post saculum.* Et cap. 2. inquit: *Tota pulchra es, ô plusquam gloriosa Virgo MARIA! tota pulchra es, & macula non est in Te. Tota pulchra es in anima per virtutum & charismatum omnium perfectam pulchritudinem: Tota pulchra es in tua Conceptione, ad hoc solum effecta, ut templum esses Dei altissimi: Tota pulchra es generatione Verbi Diuini, qui est splendor Paternæ gloriæ. Tuæ gloriosa animæ nihil umquam adfuit turpitudinis, vitij aut peccati, & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ ac virtutis.* Post pauca addit: *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia aut humilitas Virginum.* In summa nullo genere vacasti virtutum, ô Virgo gloriosissima! non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue Originalis, siue actualis, siue mortalis, siue venialis non est in Te, nec umquam fuit, nec erit, sed adest omnis gratia naturalium honorum, spiritualium charismatum, & caelestium donorum. Quantum enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei, tanta est inter contemplationem tuam, & aliorum Sanctorum distantia. Mox in cap. 6, sic fatur: *Inuenisti Virgo gratiam caelestem; quia fuerunt in Te ab Originis labe preseruatio, Angelica Salutatio, Spiritus sancti superuenientis, & Filij Conceptio.*

Theophilus Alexandrinus in Epistolis Paschalis multa habet, quibus se consentaneum demonstrat alijs Patribus, qui diuersis rationibus commendarunt omnimodam *MARIÆ* puritatem. In Concilio Chalcedonensi, Actione 1. post Fidem Nicenæ Synodi confirmantur dogmata Catholica cum hac Theophili sententiâ: *Sicut enim artifices optimi non in pretiosis solis materiis artem ostendentes, mirandi sunt, sed qui ex vili luto & cera solubili sæpè suæ discipline operando demonstrant virtutem, multò magis sunt laudabiles: ita omnium optimus Artifex, vnus & efficax Dei Verbum decorans convenientia ordinis vniuersa,*

Theophilus Alexandr.

uniuersa, non quasi accepta corporis pretiosi materia ad nos peruenit; sed in luto maiestatem suam ostendit, reformans hominem, qui de limo plasmatus est: ipse ex Virgine noui decoris homo procedens; modum quidem natiuitatis immutans; per omnia verò nostram, secundum nos absque peccato similitudinem non indicans fugendam. Admonet his verbis puritatem carnis virginæ, ex qua sumpsit humanitatem Verbam Diuinum, non minorem esse cælesti puritate, contra eos hæreticos, qui propterea dixerunt, carnem de cælo attulisse Filium Dei; Theophilus autem hoc negat, sed recurrit ad diuinæ Omnipotentiae artem, quæ ex luto Adami potuit materiam purissimam in Matre suâ præparare, vnde carnem assumeret. Deinde cum ait, *Ex Virgine noui decoris homo procedens*; alludit ad debitum Heuæ Virginis, solum à MARIA Virgine, commodanti materiam purissimam, ex quo noui decoris homo procederet, sicut olim processit femina Heua ex purissimo & virgine Adami, materiaque eius immaculatâ. Videantur quæ de Tertulliano, S. Isidoro Pelusiotâ, & Erico Altiflodorense notamus suis locis. Præterea consentaneum se exhibet Theophilus iis Patribus, qui per virginitatem MARIE vtramque intelligunt puritatem; corporis scilicet & mentis, vt omnino nullam corruptionem experta fuerit nec in carne nec in animâ. Tandem maximè consideranda sunt illa Theophili verba: *Ipsè ex Virgine noui decoris homo procedens*: quoniam non dixit: *Ipsè est homo noui decoris*; sed ex Virgine processisse noui decoris hominem; referens etiam ad processionem ex carne virginæ decorum Christi, non tantum ad vnionem hypostaticam, significans talem fuisse eius Matrem, tamque puram & Immaculatam subministrasse illi carnem, vt maximum decus fuisset germen esse ex tam immaculatâ radice: quod planè supponit omnimodam puritatem & ingenuitatem sine maculâ, & seruitute adhuc Originalis peccati.

Honorius Primus Pontifex,

Honorius Primus Pontifex in Rescripto suo palam Immunitatem Virginis supponit, cum dixit assumpsisse Christum naturam nostram, illam profecto, *Que ante peccatum erepta est, non que post præuentionem vitata natura*; Item, nullum expertum contagium vitate natura; prout plenius considerauimus, cum de sextâ Synodo egimus.

Ioannes Antiochen. Episcopus

Ioannes, Antiochenus Episcopus, cum Paulo Episcopo, & aliis Orientalibus, in Chartâ Confessionis Fidei, quam laudauit S. Cyrillus in Epistolâ ad ipsum Ioannem Antiochiæ Episcopum, aded fauet Immaculatæ puritati Virginis; vt vocet propterea carnem eius Templum, *quod ex ipsâ assumpsit* Christus. Ipsam autem Virginem vocat *Sanctam & Diuinam*. Integra verba, & maiorem considerationem præstitimus, cum ageremus de Concilio Chalcedonensi.

Photius Constantinopolitan.

Nec respuendus est Photius Constantinopolitanus Episcopus, cum in Epistolâ ad Michaëlem, Bulgaria Principem, de septem Synodis Oecumenicis in fine vocauerit Virginem *Immaculatissimam*; declaraueritque mentem Concilij Ephesini in fauorem Immaculatæ Conceptionis, vt iam diximus. Idem in Homiliâ de Natiuitate Virginis MARIE eiusdem immunitatem locupletissime commendat, vt postea videbimus.

S. Maximus Tauricensis.

Ex sancto Maximo Taurinensi affertur pro Immaculatâ Conceptione hæc sententia: *Hæc Porta Ioann. Euseb. Op. Parth.*

clausa, que fuit admirabilis Dei thalamus, caeleste templum, Tabernaculum gloria, de quo speciosus produit Sponsus, Lux Gentium, Spes Fidelium, condecenter & congruè nulla macula Originali contaminata est. Hæc verba Maximi citat Petrus Morales, & multi alij Auctores referunt; verum in his non hæreo; quoniam in eius Sermonibus non inuenerim, & præterea sint alia eiusdem Sancti verba, quæ satis commendant munditiem virginæ conceptus. Homiliâ de Dominicâ in Ramis ait: *Ego autem sum vermis, & non homo; cur Deus vermiculose voluerit comparare; possimus hoc quidem humilitati primum assignare; sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alicuius corporis de sola & pura terra procreatur: sic & ipse Saluator de sola & pura MARIA procreatur. Legimus etiam in Libris Moysi de manna vermiculos procreatos: digna sane, & iusta comparatio; siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus IESVS de Virgine procreatur: quin potius ipsam MARIAM Manna dixerim; quia est subtilis, splendida, suavis & Virgo, que calitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. In his verbis maximè fauet hic Pater Conceptioni Virginæ; tum quod dixerit, *Ipsè Saluator de solâ & purâ MARIA procreatur*; tum quod MARIAM Sanctissimam vocauerit Manna, cuius origo & formatio cælestis fuit: quoniam formatio Conceptioneque Deiparæ: *Inuenisti gratiam coram Domino, quam inuenit numquam alia quepiam, ô Purissima! Tibi data est gratia, ô Dei Genitrix Diuina! Tibi, Aue omnis creatura clamat, ô Dei Nympha! Tu enim sola Mater Eslij præelecta es pura, &c, Animam purgauit, corpus sanctificauit, templum me fecit Dei capax, habitaculum à Deo factum, animatum Templum aduentus sanctissimi Spiritus, & vite puram Matrem. Idem ait: Aue Domina Virgo, Aue Immaculatissima, Aue Receptaculum Dei, Ada reuocatio, Heua redemptio, Mons sanctus, manifestum Sanctuarium. Non est opus hic considerationis morâ.**

Venerabilis Beda Homiliâ in Natiuitate omnium Sanctorum ait: *Beata Dei Genitrix, & semper Virgo MARIA, Templum Domini, & Sacrarium Spiritus sancti.* Quo sensu hæc dixerit Beda, comprehendens etiam sanctitatem Originalem, colligi potest ex Martyrologio quod composuit, vbi assignauit Festum Immaculatæ Conceptionis, prout iam notauimus superius cap. 8. cuius puritatis splendorem in ortu suo, hoc est Conceptione, significauit per orientis sideris splendorem. Sic enim ad Euangelium in Festo Annuntiationis MARIE ait: *Beata Dei Genitrix meritis præcipuis, etiam nemine testimonium reddidit: interpretatur enim Stella maris. Et ipsa quasi sidus eximium inter fluctus sæculi labentis gratia priuilegij specialis refulsit.*

Sanctus Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, in Sermone de Fasciis & Zonâ Beatissimæ MARIE, exponens illud Psalmi 86. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*; dicit: *Quanam ea Ciuitas est? Existimo manifestissime, & sine vllâ contradictione eam, que verè est electa; & omnibus est superior, diuinarum & sublimium virtutum magnitudine & puritate omnibus antecellentem MARIAM, nulli penitus culpa affinem.* Idem in Encomium MARIE præsentat: *Dicant qui contra ipsam linguas mouent, videntesque sunt quasi non videntes.*

Venerabilis Beda.

S. Germanus Patriarcha.

videntes. Vbi tale quid unquam viderunt, puellam ex promissione, eamque triennem, ad tertium usque velum Templi tanquam donum omni reprehensione vacans, oblatam. Eodem modo Virginem vocavit Irreprehensam; aut iuxta translationem aliorum, in quam nulla cadit reprehensio: alludit ad id, quod de Christo dici solet, eum mysticè intrasse in Sancta Sanctorum, eò quòd ipse fuerit Sanctus Sanctorum, impollutus & segregatus à peccatoribus. Eodem quoque modo arbitratur, ac merito, Virginè etiam mysticè intrasse in Sancta Sanctorum, propterea quòd & ipsa sit Sancta Sanctorum, ac omni culpà vacauerit, sicut eam appellavit Fulberus Serm. 1. de Natiuitate. Contentaneus quoque sancto Damasceno egregiam hanc protulit sententiam sanctus Germanus Homilià de Præsentatione Virginis: *Statim ergo natura à Deo iussa semen excepit; non enim ante diuinam gratiam ipsa ausa est excipere. Sed cum illa accessisset, matris, quæ prius erat clausa, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec Dei voluntate, quod in ea erat seminatam in lucem est editum.* Pulchra sunt etiam quæ dicit idem S. Germanus in Fragmento 13. *Ineffabilis Angelis & hominibus, magnum & à seculo oraculis proditum mysterium admirandum! Hodie in visceribus castæ Annæ concipitur MARIÆ Dei filia, preparata in habitationem vniuersalis Regis seculorum, & in reformationem generis nostri.* Si Ergo concepta fuit Virgo filia Dei, nequit concepta esse filia diaboli. Videri possunt notæ Hippolyti Marratij in hoc Fragmentum, vbi plurima cumulat ex sancto Germano, quibus Conceptionem Immaculatam astruit; videlicet, Quòd sit omnino pura, omni puritate fulgens, & puritate omnibus antecellens: quòd sit omni ex parte intemerata & immaculata, imò omni ex parte superintemerata & superimmaculata; nulli culpæ affinis, nulli culpæ obnoxia, atque ab omni penitus maculâ aliena: quòd sit Virgo omni reprehensione carens, immaculatissima, purissima, atque omnium sanctissima: quòd sit codex purissimus, flos semper virens, fructus puritatis, templum immaculatum, & palatium purissimum summi Regis Dei: quòd denique sit sponsa innocentissima, & sine maculâ Sponsi immortalis; terra sancta & superimmaculata, columba purissima ob diuinum animæ splendorem niue candidior, & paradus terrestris à Deo confusus, atque ab omnibus fraudulenti serpentis infidiis tutatus.

Theodorus
Ancyranus.

Theodotus Ancyranus Homilià 1. de Natiuitate Saluatoris dixit: *O Virginem, quæ ipsum vicit deliciarum paradysum! Ille namque sine semine genus omne plantarum stirpium protulit, ex Virgine terra exortis plantis: hæc autem Virgo melior est illa terra. Non enim pomorum protulit arbores, sed virgam esse fructum salutarem hominibus afferentem, & illa terra virgo erat, & ista Virgo: sed ibi quidem arbores nasci præcepit Deus; huius autem Virginis ipse Creator secundum carnem factus est germen. Neque illa terra ante arbores plantaria suscepit; neque hæc ex partu virginitatem lesit. Virgo paradiso gloriosior facta est. Ille enim Dei cultura factus est; hæc autem secundum carnem Deum ipsum excoluit, vbi voluit hominis copulari nature. Satis in his puritas Virginis commendatur ex similitudine paradisi, cuius terra virgo & pura cultura Dei fuit. Sic & Deipara tum Virgo, tum purissima, actiue & passiue cultura Dei*

fuit. Idem Theodotus in Homil. 2. admodum pulchrâ, & lectâ, etiam in Synodo Ephesinâ, S. Cyrillo præfente, comparans Virginem cum rubo ardenti dicit: *Dic mihi, quid est vilius, rubusne, an vierus virginis ab omni passione peccati purus?* Rubus enim MARIÆ expressè fuit similitudo; si ergo vilem illam arbusculam ita Deus ipse olim infedit, vt eum illi splendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem induerit; quâ (quâso) ratione Virginem nostram obfuderit, aut potius possederit? Quem illi nitorem, quam puritatem, quam lucem intulerit; quando eam ita ab omni peccati affectione immunem præstitit?

Arator, Subdiaconus Romæ, qui anno Salutis 540. vixit, lib. 1. in acta Apostolorum sic cecinit: *Porta MARIÆ Dei Genitrix intacta creantis, A Nato formata suo, mala criminis Heuæ Virgo secunda fugat, nulla est iniuria sexus; Restituit quod prima tulit.*

Arator, Sub-
diaconus
Romæ.

Sanctus Fulgentius de duplici Christi Natiuitate: *In primi hominis conuge nequitia diaboli seductam deprauauit mentem; in secundi autem hominis Matre gratia Dei & mentem integram seruauit & carnem. Sed animæ integritatem non retineret, si in sui esse primordio disrupa fuisset peccati Originalis pondere. Quare perpendens Ilambertus hoc Fulgentij dictum, sic ait: Quod tamen esset falsum si virgo Deipara fuisset aliquando infesta peccato Originali, nam hæc Antithesis sit etiam, inter ea, quæ vtrique contigerunt statim à principio suæ creationis, cum ibi loquatur de illo peccato, quod Eua commisit per seductionem serpentis. Idem Fulgentius Sermone de Laudibus MARIÆ: *MARIA è contrario quàm præclarissimis tribus bonis sublimetur ausculta, Salutationis Angelica, benedictionis diuina, & plenitudinis gratia; sic enim eam legitur saluasse, Aue gratia plena, benedicta Tu inter mulieres; cum dixit Aue, salutationem illi celestem exhibuit; cum dixit Plena, ostendit ex integro iram exclusam prima sententia, & plenam benedictionis gratiam restitutam, &c.* Verum minimè dici potuit aut verificari, *Ex integro iram exclusam fuisse sine præseruatione à peccato Originali, quo homo Deo inuisus efficitur.**

S. Fulgen-
tius.

Hoc probatur ex eo quòd sanctus Ildefonsus lib. de Parturitione Virginis hac eadem phrasi vtatur, ad occurrendum peccato Originali, quod à Beatissimâ Virgine sæpius ac manifestissimè eodem libro remouet, vt ex his eius verbis liquet: *Constat illam ab omni peccato Originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Heuæ soluta est; verum etiam & benedictio omnibus condonetur.* Deinde subiungit: *Cum verò dicit Gratia plena, ex integro iram exclusam ostendit, & restitutam gratiam declarat.* Iam diximus peculiari capite, quomodo sanctus Ildefonsus palam pronuntiauit Virginem non contraxisse peccatum Originale.

S. Ildefon-
sus.

Antiochus Monachus Homilià 21. *Nulli (inquit) possibile est ad tuam virtutis pertingere fastigium, nisi præsidio inueter & erga Deum charitatis, & animi de se quàm moderatissimè sentientis, iuxta testimonium Deiparæ omni laudum genere celeberrima, nulli obnoxia vitio, sed gloria omni dignissima, &c.* Postea adauget: *Hic igitur clarissime explicatum reor, quia per summam humilitatem, & erga Deum charitatem plena cum esset gratia, promeruit sibi vestem pertextere virginitatis, nulla ruga decolorem, nulli obnoxiam reatini.*

Antiochus
Monachus.

Strabo,

Strabo.

Strabo, Fuldenfis Monachus, Auctor Glossæ, in cap. 25. Exodi, de Arcâ Testamenti sic scribit: *Facta vero fuit hac Arca de lignis Setim, quæ sunt impuribilia; ad significandam puritatem B. Virginis MARIÆ, quæ fuit purissima mente & corpore, & etiam post mortem conseruata à corruptionis putrefactione.* Censuit contra eximiam puritatem Virginis futuram corruptionem mortuæ suæ carnis, quæ peccatum in illâ non esset, quantò magis iudicauit ablegandam à Deiparâ corruptelam labis Originalis, quæ peccatum est.

Priscus.

Priscus, Auctor Altercationis Synagogæ & Ecclesiæ, qui floruit circa annum 900. dixit cap. 7. *Et Tu, ô MARIA, Mater matrum, Virgo virginum, Stella stellarum,* mox addit: *Sacrarium facta es Spiritus sancti; Christum ergo factorem creaturarum noua, munda Vnica Vnicum genuisti.* tandem ait: *Peregrina, & aliena totius corporalis vel spiritualis macula.* Cum dicat, totius macula, etiam Originalem repellit.

In hoc Patre, atque Strabone supra laudato, atque aliis pluribus notandum est, exclusisse à puritate Virgineâ non solum maculam, quæ culpa sit; sed etiam illam maculam, quæ peccatum non est: idè ab illâ repellunt maculam corporis & corruptionem carnis, vt inde intelligatur, multò magis repulisse maculam spiritus Originalem, quæ culpa est. In horum numero accensendus est Elias Cretensis, qui in Orationem 4. Nazianzeni ait: *Dei Genitrix, ne sordidis quidem cogitationibus vniquam inquinata est.* Vocat cogitationes sordidas, non eas, quæ culpæ forent per consensum (absit hoc) sed quæ maculæ solum fuissent per obiectum physicum: cum igitur has maculas inculpabiles negandas censuisset in Deiparâ, potiori iure negat maculam culpæ ex labe Originali.

S. Eucherius Lugdunensis.

Sanctus Eucherius Lugdunensis ad Euangelium Feriæ quartæ Dominicæ 4. Aduentus: *Quis vniquam tantam gratiam habuit, quantam Virge MARIÆ? aliis enim ad mensuram gratiæ dantur, hæc autem Gratiâ plena dicitur.* Negat in conferendâ gratiâ Virgini non solum quantitatis, sed etiam temporis mensuram; quæ omne tempus ab ipsâ Conceptione suâ tanto tempore ante Christi Conceptionem eam possederit, idcirco notanter subdit: *Quæ cum gratia plena sit, priusquam & concipiat, post Conceptionem quantâ Dei abundauit gratiâ, quis cogitare possit? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiqua preuaricationis maledictione tenebantur.* Mox ait: *Merito igitur in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur.* Quam facillè hæc expendi possunt, tantò minus est hic immorari.

S. Ioannes Damascenus.

Sanctus Ioannes Damascenus Oratione 1. de Natiuitate sic effatus est: *O Deo digna filia, humane nature venustas, primigenia matris Heuæ correctio!* Et certè hic sanctus Doctor pluribus locis peccatum Originale à Beatissimâ Virgine manifestissimè remouet, donec in hæc verba demum prorupit: *O beati Ioachim lumbi! deinde: Immaculatum semen, iterum: Natura gratia foetum anteuertere minimè causa est; verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Præterea in Theogoniâ dixit: *Ex radice nata fesse Virgo, terminos præteristi mortalium substantia.* Ibidem vocat Deiparam *Abranton & Panagnon*, quæ significant omni-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

nimodam puritatem. Luculentissimè quoque in Menæis exaltat idem S. Damascenus puritatem Virginis in suâ Conceptione; nam die 12. Augusti inquit: *Equidem videbaris, ô Virgo, esse filia Adami collapsi; at reuerà eras Tu ipsa Genitrix Dei eundem restituentis in integrum.* Idem die 22. Ianuarij post Oden 9. de S. Anastasio martyre: *O semper & vbique inculpatisissima Numinis Mater! quæ es ingens cantandi materia Apostolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demum Caluibus data.* Cum dicat *Vbique inculpatisissima*, complectitur etiam totum tempus, quo fuit in vtero matris: vox enim Græca *παραμωου* non solum comprehendit omnem locum; sed etiam omne tempus & omnem modum culpæ, & tantumdem significat ac vndequaque, ac omnimodò sine culpâ. Indidem ait: *Salve columba electa, quæ mentem habes pennis inauratis spectabilem, salve speciosissime turtur, eximia super omnes hirundo, passer-cule nitidissime absque vlla naui vel umbra. Salve Agno Dei nostri grauida Agna.* Die 26. Augusti, Ode 1. de S. Xenophonte inquit: *Qui vnus, & vnus cælum extendit; idem quoque aliud Cælum, & quidem animatum elaborauit, Te nimirum, ô Deipara.* Die 27. Ianuarij, Ode 7. de B. Virgine, Strophâ 3. & 4. *Salve scaturigo dulcedinis: Tu nobis demonstraris pratum manu diuina constitum: odorifer item hortus existis, cuius germinum sator & cultor extiterit Deus.* Et indidem Strophâ 4. & 5. *Salve munditiarum omnium promptuarium, &c.* Et die 9. Martij in Vesperis: *Obsecro te, ô ab omnibus nauis intacta! Quid vltra? vbique Damascenus commendat puritatem omnimodam Virginis; nec deest eius testimonium in Euchologio Græcorum; vbi in Officio duplici ad Deiparam subditur: Oratione beati Patris nostri Ioannis Damasceni; vbi vocatur sacratissima Virgo Hyperagia, hoc est Super sancta, siue super omnes Sancta; quia sola superauit omnes filios Adæ in sanctitate Originali.*

Haymo, Halberstadiensis Episcopus, qui floruit anno 820. dixit Homiliâ in Epist. de Assumptione MARIÆ: *In ipsâ hereditate Domini morata est MARIÆ, quæ non peccando à possessione Domini non discessit; sed integram suam animam à concupiscentiâ, & carnem à corruptione seruans; portio hereditatis Dei effecta est.* Explicat de Virgine locum illum Sapientis, vbi dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum;* qui intellectus de Virgine Conceptionem eius comprehendit, quæ fuit initium suum; quare in exordio suæ creationis possessa à Deo fuit per gratiam. Alia considerari possent in hoc loco de integritate animæ & carnis; sed cum similia expendimus in aliorum Patrum testimoniis, hic super sedendum est.

Haymo, Halberstadiensis Episcopus.

Prout 3. v. 12.

Alter Athanasius, nimirum sanctus Gregorius, Septimus huius nominis Pontifex ait lib. 8. Epist. 22. *Scribe in corde tuo, quia summa Regina celi, quæ super omnes choros Angelorum exaltam esse creditur, quæ est decus & gloria omnium mulierum; imò salus & nobilitas omnium electorum* protinus adiungit: *Caput & vita omnium bonorum.* Quomodo nobilitas fuisset electorum, si in origine suâ, quæ maximè spectat ad nobilitatem ignominiosa fuisset: Quomodo caput bonorum, si aliquando pedibus mali spiritus supplantata fuisset: nec congruenter vita bonorum dici posset, quæ morte peccati fuisset possessa à diabolo.

Sanctus Gregorius VII. Pontifex.



Hermannus
Contractus.

Hermannus Contractus, qui in laudem Beatissimæ MARIÆ Virginis composuit *Salve Regina*, in prosa eius dixit: *Aue maris stella, in lucem Gentium MARIA diuinitus orta. Euge Dei porta, quæ non aperta, Veritatis lumen ipsum Solem Iustitiæ indutum carne ducis in orbem. Virgo decus mundi, Regina cali, praelecta ut Sol, &c.* Dum ait, *Prælecta*, indicat anticipatam electionem in ipsâ origine Conceptionis: propter quam dixit, *MARIA diuinitus orta.*

Hefychius
Ierofolymitanus.

Hefychius Ierofolymitanus Orat. de Laudibus Deiparæ de eâ dicit: *Præclarum natura nosiræ ornamentum, gloria luti nostri, quæ Adamum pudore, & Heuam comminatione liberauit, quæ audaciam serpentis abscidit, quam concupiscentia fumus non attingit; neque vermis voluptatis eam læsit.* Dicere simul de Virgine, quod sit *Gloria nostri luti*, & quod *serpentis audaciam abscidit*, supponit eius immunitatem à peccato Originali.

S. Eligius
Nouiciensis.

Sanctus Eligius Nouiciensis Homiliâ de Purificatione: *Nequaquam immunda indicatur, quæ sancto Spiritu obumbrante, totius munditiæ & sanctitatis Auctorem genuisse probatur; denique & ipse puer Deus purus ab omni contagione peccati.* Hic sanctus Pater associando inter se puritatem Christi & MARIÆ, ac vtramque quasi expendendo in eiusdem significationis bilance, nullo discrimine adducto, sed potius eiusdem sensus tenore retento, nobis indicat Beatissimam etiam Virginem fuisse liberam ab omni contagione, etiam peccati Originalis, quod eiusdem Auctoris sequentibus verbis amplius confirmatur: *Plenitudinem & perfectionem omnium gratiarum illi contulit.*

Leo Sapiens.

Leo Sapiens in Orat. primâ sic Virginem applaudit: *Nata nobis est Puella, formata quidem æque ut Luna, sed errati eius ut sit correctio.* Porro æqualitas Maria cum Heuâ in formatione consistere tantum potest, in eo quod vtraque in gratiâ fuerit efformata; quod præterea eo supponitur, quod illius peccati correctio dicatur. Hoc ipsum confirmant sanctus Ioannes Damascenus, qui hac eadem phrasi vtens, à Virgine peccatum Originale exclusit. Idem Leo Homiliâ de Dormitione Deiparæ, quæ in nouo Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ ponitur, Virginem his laudibus attollit: *Perpetuo lumine collustratum candelabrum lucens.* Et in Homiliâ 7. de Annuntiatione ex nouem Homiliis quas publicauit Gretferus, dicit: *Cum adhuc ô Virgo in lumbis paternis contineris, Primogenitus tuus clamabat: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; audisti verè, & obliuiscis populi tui, & sortis, & domus paterne: sortis videlicet illius, quæ Heua primogenitrix toti generi distribuit, immenso illo dolorum cumulo, quasi hereditatis vice dato, & nihil horum in domum tuam intulisti; propterea dilexit te Rex ob animæ tuæ pulchritudinem.*

Iustinianus
Augustus.

Iustinianus Augustus etiam aduocari potest in fauorem Immaculatæ Conceptionis, quandoquidem, iuxta præscriptum Concilij Ephesini, iis elogiis nuncupat Dei Genitricem *Mariam*, vt supponant eius omnimodam puritatem; vt constat ex Epistolâ siue Tractatu ad Mennam Patriarcham aduersus Origenem; & in confessione Fidei, quæ exstat in Concilio Constantinopolitano quinto ex Generalibus; accommodans se in his elogiis Canonis secundo & sexto eiusdem Concilij, cuius ponderationem satis exhibuimus, cum de prædicto Concilio ageremus; nec opus est hic immorari,

Encomiastes in Depositione Zonæ Virginis, postquam eam vocauit *prorsus Immaculatam*, addit, *peccato enim, ac sorde sublimiorem*: non satis duxit dicere à peccato, addidit etiam, à sorde, vt vtroque liberam genere culpæ actualis & Originalis ostenderet Dei Genitricem. Cæterum per nomen *sublimiorem* plus significauit, quam si dixisset, *liberam.*

Theodorus
Syagelus.

Theodorus Syngelus in narratione historicâ de Pretiosâ veste Deiparæ in Blachernis, postquam vocauit Virginem Dignissimam, enarrans miraculum incorruptæ suæ sacræ vestis, ait: *Par quippe, par omnino erat, ut quæ animam, corpus, ac rationem, moresque, ac sermonem, ipsamque adeo cognitionem munda habuisset ac incorrupta, nullamque admittentia labem, ac ab omni sorde libera, sua ipsius quoque vesti incorruptionem præstaret.* Postea addit: *O castissima, incorrupta, intemerata Domina, quam Deus sanctificauit elegitque, ac dignam iudicauit, ex qua Verbum sibi coeternum ac consubstantiale incarnaretur.* Adiecit post alia officia Verbi & Spiritus sancti erga Beatissimam Virginem; cumque sanctificatio tribuatur tertiæ Personæ; creatio tamen primæ Personæ tribuatur, id est, æterno Patri, nihilominus huic, scilicet Patri, tribuit Theodorus sanctificationem Deiparæ, vt ostenderet in suâ creatione sanctificatam fuisse: hanc narrationem Theodori, suppresso tamen nomine, edidit Franciscus Combes in Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ, Tomo secundo.

S. Anastasius
Sinaita.

Sanctus Anastasius Sinaita lib. 2. in Hexaëmeron, postquam Heuam cum Lunâ deficiente & eclipsim patiente composuit; sic demum attexit: *Adam non fuit deceptus, sicut dicit Apostolus; Heua autem decepta, cum a tenebricosi & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defecisset eius lumen. Eius tamen luminis defectum restituit lux vera, quæ ex ipsa processit, ex secunda, inquam, Heua, Christus, tamquam ex quapiam plena Luna MARIA, quæ numquam minuta aut deficit, aut priuata fuit essentiali lumine, nempe sua virginitate: siquidem ei acclamauit Angelus, Aue gratia repleta: scilicet propter Heuam, quæ est Luna, quæ fuit male habita & vexata; & quæ ex suo defectu per inobedientiam fugerat, & se absconderat, & timuerat à ligno inobedientiæ & transgressionis, gratiâ repleta à Sole Iustitiæ, nempe à Deo.* Non minuit vim huius sententiæ, quod lumen essentiali explicauerit virginitatem; quoniam non loquitur de virginitate solius corporis: hæc enim non potest dici lumen essentiali gratiæ & sanctitatis: nam potest eius carentia componi cum eximiâ sanctitate ex lumine gratiæ, sicut accidit sanctæ Annæ. Loquitur autem de integrâ virginitate seu puritate Virginis, corporis scilicet & animæ, cuius puritatem omnimodam vocarunt etiam Patres integritatem & virginitatem, vt non semel indicauimus. Itaque Virgo Sacratissima non est passa deliquium aut defectum in integritate suâ, tum corporis, tum animæ: quæ cum in sanctitate creata fuisset, numquam fuit orba lumine essentiali gratiæ in animâ, nec splendore superadiecto incorruptionis in corpore: nimirum omnimodâ virginitate & puritate. Idem lib. 6. inter alia luculenta verba postea referenda concludit, de Beatissimâ Virgine locutus: *Quomodo est Mater, eiusmodi non ferens in se integram & illibatam fetus sui imaginem?* S. Augustinus & alij Patres dixerunt prius concepisse Virginem Verbum mente quam carne: denotantes fidem eius, & voluntatem requisitam

S. Cyrillus
Alexandr.

requisitam ad assumptionem humanitatis in eius ventre. Ideò sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Iulianum obseruauit, non fuisse formatum Christum ex Virgine dormiente, sicut Heua fuit formata ex Adamo; idcirco ait: *Quoniam inconuertibile & immutabile secundum naturam, sicut Deus uiuens & substantiam habens Dei Verbum, non ex propria natura uinitum sibi formauit corpus; sed accepit de nobis, & non ex sommo & uoluptate uiro operante, sed ex sancta Virgine, nouo & mirabili modo, & ultra nature leges.* Itaque uirtus animæ ad Conceptionem Diuinam requisita fuit; quapropter decebat, ut non minùs fuisset pura & integra, & Virgo ab omni contaminatione culpæ anima MARIÆ, quàm eius caro pura & incorrupta: tum nequis intelligeret ipsum Anastasium loqui de perpetuâ uirginitate corporis: ipse sanctus Anastasius se explicat, subdens: *Perseuerauit MARIÆ uirgo quoad animam; perpetua autem uirginitas quoad animam, est perpetua integritas quoad peccatum, uel actuale uel Originale.*

Idem Si-
naita.

Paulinus
Aquilienf.

Paulinus Aquileiensis in septem libris, qui inscribuntur contra Felicem Virgelitanum, & habent hoc principium, *Scripti Epistolam dixit lib. 3. MARIÆ eiusdem est nobiscum natura, sed non eiusdem gratiæ.* Hoc dicit propterea quòd gratia Virginis est angelica, sicut dixit sanctus Ignatius Martyr, eam adornans à primo sui esse instanti; & in lib. 6. se magis declarat, ubi inquit: *Multata est prima mater humani generis dolore, tristitia, seruitute, tribus è contrario clarissimis bonis MARIÆ Virgo honorata est, Salutationis Angelicæ, Benedictionis diuinæ, & Plenitudinis gratiæ: nam primus homo de terra uirgine consilio sanctæ Trinitatis formatus est, dicente Domino: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; secundus uerò Adam, id est Christus, de terra uirginis uteri, operatione eiusdem Trinitatis creatus est.* Ex contrapositione seruitutis Heuæ ad gratiæ plenitudinem in MARIÆ luculenter intelligi potest, MARIAM tantæ copiositate gratiæ præuentam fuisse, ut in dæmonis seruitutem non irrueret. Præterea dicit: *Antequam Spiritus sanctus ueniret in MARIAM & uirtus Altissimi obumbraret, & hoc conciperet, quòd Sanctum uocaretur Filius Dei, ipse uterus MARIÆ, quamuis mundus esset à peccato, & sanctus; tamen uilitate humanitatis erat ut lana optima, & incomparabilis uiuersis, quæ erant sub celo, uirginibus.* Hoc idem attribuitur Alchuuino; ceterum liber unus est Auctoris, quamquam duobus attribuatur. Et quidem Andreas Quercitanus in Præfatione ad Opera Alchuuini probat, septem hos libros fuisse eiusdem Alchuuini, non autem Paulini; uerum utriuslibet fuerint, uterque in ipsis puritati fauit Originali Virginis, cum horum Patrum scripta uicissim approbata ab iisdem fuerint; quippe reciproca uicissitudine sese exhortabantur ad stringendum calamus contra Eli-pandum Toletanum, & Felicem Virgelitanum; mutuoque alter alterius approbat scripta. Tum utriusque auctoritas maxima fuit in Concilio Francofordiensi, ubi piam sententiam approbaverunt, quæ in eodem Concilio commendata fuit, prouè capite sexto retulimus. Præterea in operibus indubitatis eorum idem uterque confirmat: etenim Paulinus Aquileiensis in tribus libris, quos scripsit contra Felicem, quorum primus incipit: *Ioann. Euseb. Op. Parth.*

Paulinus
Aquilien-
fis.

Vniuseiusdemq; præcinentis columbæ; in hoc primo libro conceptum fœtus uirginis in utero sanctæ Annæ ex semine sancti Ioachim uocat Stirpem sanctam; nimirum generationem siue conceptionem sanctam sic enim ait: Pauli igitur ad Romanos istiusmodi scribentis calamo perdocetur, quorum Patres, inquit, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sacula. Et secundum carnem quidem ex Patribus, & secundum diuinitatem sine carne ex Deo Patre: unum tamen eundemque CHRISTVM IESVM super omnia Deum benedictum in sacula consistetur. Quoniam non ex Patribus purus homo, ueluti quilibet Prophetarum, qui adoptiuus filij & nuncupatiui Dei uocabulo censerì possunt, sed ex Beate Virginis Immaculato utero, quæ de sancta præcedentium horum Patrum stirpe descenderat, Deus & homo ueraciter natus, tamquam Spiritus de thalamo suo processit. Genealogiam quippe Christi non potuit uocare Sanctam, cum in eâ comprehendantur tot maximi peccatores, & omnes Sancti & peccatores concepti fuerint in peccato: quare solum ob uirgineam in conceptu sanctitatem dixit de stirpe sanctâ, hoc est de profeminatione purâ; quemadmodum S. Damascenus id ipsum significauit, uocans *Beatos Ioachim lumbos, & Semen immaculatum.* Voluisse hoc significare Paulinum indicat opportuna nuncupatio *Immaculati uteri.* Ibidem illud Moysi dictum à Domino, *Altare de terrâ facietis mihi;* propter puritatem uirgineam interpretatur huiusmodi; *Altare quippe de terra est Christi caro sumpta de Virgine:* etenim terra purum elementum est, sine compositione contrariorum, quod non habent mixta; nimirum ligna aut saxa: idè de terrâ illud altare fuit Christus ex MARIÆ purissimâ carne, non ex ligno aut saxo, quæ sine puritate elementalibus sunt. In eodem libro, præterquam quòd uocauerit Paulinus Immaculatum uerum Virginis, ipsius quoque personam dixit Intemeratam, inquit: *Uirgenitus Dei Filius, sempiternus ex Patre, temporalis ex Matre, adificauit sibi domum, hoc est humana sese uerissimè natura uessiuit, permanens id, quòd erat incommutabilis Deus, ex utero intemerata Virginis Matris tamquam sponsus processit de thalamo suo.* Quæ elogia in hoc Patre & aliis, qui scripserunt contra Eli-pandum & Felicem, scilicet Alchuuino, Etherio Vxamensi, Beato Presbytero, S. Agobardo, Adriano Primo, & denique Concilio Francofordiensi, speciali debent ratione extendi ad Originalem puritatem: nam hi Patres sæpè ex priuilegiis Virgini concessis confirmabant Deitatem sui Filij & filiationem eius naturalem, non adoptiuam. Sic idem Paulinus in eodem libro gloriam resurrectionis Christi tamquam Dei confirmat ex uirginitate & sanctitate suæ Matris, dicens: *Per id enim resuscitatus crederis, quòd de sancta Virgine nasci dignatus es.* Sic etiam omnes Patres Concilij Francofordiensi in Epistolâ ad Episcopos Hispaniæ probarunt ingenuitatem Christi tamquam Filij Dei, ex puritate Virginis, etiam Originali, ut cap. 6. admonuimus. Cum igitur maximum sit hoc priuilegium Immaculatæ Conceptionis, & maxime consentaneum maternitati Dei, censendum eos Patres illud semper respexisse, quamuis non explicassent omnino, præsertim cum constet omnes illud adnotasse in citatâ Epistolâ.

Alchuuinus, Veniamus ad Alchuuinum, & inueniemus eiusdem sententia consortem. Hic magnus vir, & sanctus Monachus, & sapiens Doctor, lib. 3. de Trinitate satis insinuat omnimodam puritatem Virginis, de qua ait: *Fuit lana mundissima* (id est innocentia omnimoda) & *virginitate clarissima, & incomparabilis vniuersis, qua erant sub celo virginibus, eratque talis ac tanta, vt sola digna fieret diuinitatem in se recipere Filij Dei.* Sicut enim conchylij sanguinem lana suscipit, vt purpura ex eadem lana Imperiali Maiesiati tantummodo digna fiat, qua nullus alius induitur, nisi angusta praeclara dignitate; ita Spiritus sanctus superueniens in Beatam Virginem, virtus Altissimi obumbravit eam, vt lana fieret diuinitate purpurata, solummodo aeterno Imperatori indui dignissima. Ad hanc diuinam purpuram tincturam supponit antecederet in ipsa lana, hoc est ipsius Virginis carne ornam munditiam. Paulò post de eadem Dei Genitrice ait: *Gl'ificata vt Deum Dei Filium coeternum & consubstantialem Patri generaret.* Non enim ita glorificata fuisset MARIAM, si eam gloriatio- ne careret, quã gaudent Angeli sibi inferiores, quòd omni contumeliã peccati caruerint, creati sine vllã maculã, & cum splendore gratia. Eandem puritatem omnimodam Virginis notat, dum ea epitheta quæ Christo tribuit Scriptura, attribuit Matri eius; idèd Poëmate nonagesimo ait: *Tu Regina poli, campi Flos, Lilia mundi.* Nec exiguum argumentum est, puritatem virgineæ Conceptionis Alchuuinum approbasse, quòd scripserit quatuor libros contra Epistolam Elipandi, in iisque cum reproballèt omnia, quæ dixit in eã Epistolã Elipandus, tantummodo refutat illud assertum: *Gloriosam Dei Virginem adoptiuam filiam genitam.* Quibus verbis expressè asseritur conceptam Virgine in gratiã habituali, quæ illam fecit adoptiuam filiam Dei. Hoc autem dictum non displicuit Alchuuino, dumque illud non impugnavit, prorsus approbavit.

Pfalm. 110.
v. 3.

Ioan. i. v. 14.

1. Cor. 15.
v. 21.

Anastasius Antiochenus, successor Synaitæ in Sede illã Antiochiæ, nisi fortè sit ipse, multa con- gessit, quæ puritatem Originalem Deiparæ sup- ponunt aut significant. Orat. 1. in Annuntiationem, in ipso titulo vocat Virginem Παρθένον hoc est penitus immaculatam, ex omni parte pu- ram, intemeratissimam, omnibus modis puram, deinde in serie Orationis ait: *Cum omnibus generationibus Te solam Beatam in mulieribus dicemus, quam neque Sol, voluptatis flammam immittens, ne- que fluxa vis Luna noctu lesit. Non enim dedisti in commotionem pedem animi; sed eo fixo in petra, inflexa mansisti, Teque Dominus custodiuit.* Postea addit: *Verbum caro factum est, figmentum reformans, quod vnã cum maligni serpentis sermo- nibus ingressum peccatum corruptioni obnoxium fecerat: ac sicut per feminam mors causata est, sic oportuit dispensari salutem per feminam. Per illam deceptam voluptate, omnes mortui sumus: per hanc viuificati sumus, non ea tantum accipientes à qui- bus excideramus: sed longè maiora ac pretiosiora, que neque humanus intellectus possit concipere.* Ora- tione secundã ait: *Auete femina, que gaudij prin- cipium suscepistis, solam illum inter virgines gra- tiosam, pulchram, immaculatam, sanctam, Dei Genitricem MARIAM.*

S Agobar-
dus.

Sanctus Agobardus Sermone de Trinitate ait: *Misit Filium suum Dominum, Verbum, vt ca- ro fieret, id est homo verus, & habitaret in nobis, id est, in humanitate perfecta, quam sum-*

psit pro nobis, ex nobis, id est ex sancta Virgine, ad hoc preparata & custodita. Notanter dixit, *ad hoc preparata; addens insuper & custodita; scilicet preparata à principio suæ formationis per dona gratia, & simul custodita à præseruatione culpa, contra quam maximè custodienda erat in creatio- ne animæ suæ.* Idem S. Agobardus, in Opuscu- lo *De quibusdam nanorum errorumque castigatio- nibus, ac emendationibus in Antiphonariis,* repre- hendens illam Antiphonam antiquam, *Descen- dit de celis, missus ab arce Patris, introiuit per aurem Virginis in regionem nostram indutus stola purpurea,* dixit: *Quod quantum à Fidei veritate discordet, ex verbis ipsius Angeli perspicuum est; qui ipsi Virgini interroganti, Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Respondit: Spiritus san- ctus superueniet in Te, & virtus Altissimi obum- brabit Tibi. Quomodo autem virginalis vterus re- gio nostra possit intelligi, cum & Virgo illa vnicui Filij Mater sit, & nos omnes non ex virgine- a, sed ex corrupta carne nascamur, prorsus in- ueniri non potest.* Vbi supponit Virginis car- nem non fuisse corruptam contagio Adami, sicut fuit corrupta caro cæterorum filiorum

Fulbertus Carnotensis Orat. de Ortu Virginis eius.

dicit: *Quanta putamus pronisio fuerit sanctorum Angelorum, circa tam Dei gratissimos parentes ab initio procreationis, & excubatio super tam ingen- tem Sobolem: numquid abfuisse credendus est Spi- ritus sanctus ab ista eximia Puella, quam sua obum- brare disponebat virtute? Haud sanè verificaretur Spiritum sanctum à Virgine numquam abfuisse, si in suã Conceptione ei non interfuisset; & sanè tunc interfuisse eodem ipso Sermone insinuat, dicens: *In huius Conceptione necessaria haud du- bium est, quin vtrumque parentem viuificus & ardens Spiritus singulari munere repleuerit.* Et paulò antè dixerat: *Felix talis partus & ortus, de cuius substantia assumpta est talis Virgo, qua tolle- ret veternas parentum offensas, & releuaret con- cussum orbem, qui sub sauo duri erat hostis do- minio.* Rursus in Expositione Salutationis Ange- licæ Virginem alloquens inquit: *Electa es insignis inter filias, qua Immaculata semper exististi ab exordio tue creationis; quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis.* Et licet hoc Opusculum non viderim; illud tamen pro indu- bitato habeo, tum ob grauium Scriptorum, qui illud citant, auctoritatem; tum etiam quòd mihi constat eum plura scripisse, quæ in Bibliothecã Patrum Colonienf. non reperiuntur. Canisius lib. 1. de B. Virgine cap. 7. nullum Fulberti Tra- ctatum allegat; eum tamen asserit eo modo allo- qui ac salutare B. Virginem consueuisse, eundem- que modum salutandi alios docuisse; quod benè cohæret cum iis, quæ lib. 5. cap. 28. dicit; nimi- rum Fulbertum in Ecclesiam introduxisse quasdam formulas pias, ac ritum preces effundendi ad B. Virginem.*

Etherius Episcopus Vxamenf. & Beatus Pres- byter in lib. 1. de Adoptione Christi Filij Dei, se- pissimè probant Diuinitatem Filij MARIÆ, & eius Sanctitatem naturalem, non adoptiuam, ex virginitate Matris. Sub initium eius libri dicitur: *Quis est Filius Dei, nisi Deus, quem Virgo peperit MARIAM? Clariùs additur postea: Quomodo non est IESVS CHRISTVS Deus, Dei Filius, qui de Vir- gine natus est? Rursus dicitur: Hoc totum quare dixi- mus, nisi vs IESVM CHRISTVM, qui de Virgine natus*

Fulbertus
Carnotens.
Orat. de
Ortu Virgi-
nis.

Etherius
Episcopus
Vxamenf.
& Beatus
Presbyter.

natus est, verum Deum, & verum Filium Dei esse proprium firmaremus. Hoc fuit iuxta morem aliorum Patrum, qui Diuinitatem Christi ex virginitate suæ Matris comprobant, & per virginitatem intelligunt omnimodam integritatem Virginitatis, tum corporis, tum animæ, per eximiam puritatem & sanctimoniam. Ideo multi solent addere epitheton Immaculatæ, aut Intemeratæ, aut Sanctissimæ Virginis. Vnde sanctus Anselmus cap. 5. de Excellentia Virginis dixit: *Virginitas MARIÆ Diuinitatem Christi honorauit.* Et Albertus magnus cap. 181. super *Missus est*, definiens essentiam propriissimam virginitatis, sic inquit: *Virginitas est recessus ab omni malo; tam malum animæ quàm corporis comprehendens.* Et quidem maior ratio habita fuit à Deo puritatis spiritualis, quàm integritatis corporalis: quia vt docuit Augustinus lib. 1. de Mendacio ad Consent. cap. 20. *Minus est quiddid in corpore, quàm quiddid in anima violari potest.* Hanc fuisse mentem Etherij Episcopi, atque Beati Presbyteri constat, cum in eodem libro dicatur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virga de radice Iesse, Virgo MARIA est; Flos de virga, IESVS CHRISTVS Filius Dei est. Quia ego (inquit) Flos campi, & Lilium conuallium. Ecce Adam de terra, Noë de Adam, Abraham de Noë, David de Abraham, Virgo MARIA de David, IESVS CHRISTVS Filius Dei de MARIA.* Inde concludunt nouum Adamum cælestem esse: quia de celo; nimirum de carne MARIÆ, quæ ob puritatem suam, & Cælestis gratiæ splendorem in suâ Conceptione Cælum dicitur. Quod paulò post his declaratur verbis: *Vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo; priusquam in utero conciperetur. Si requiramus consuetudinem mulierum, de nulla dictum est, In utero concipit: quia extrinsecus à viris acceperunt, unde conceperunt. Si requiramus Scripturas, tunc promissa est ista Conceptio, quando serpenti dictum est in paradiso: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen eius. Et rectè cognoscimus: quia mulieres semina non habent, nec sine virili semine concipere possunt. Semen ergo mulieris, Verbum carne factum est: quæ non de terra, sed de Excelsis est, sicut ipse IESVS ait: Ego de supernis sum, vos de inferioribus estis. Et Paulus Apostolus ait: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo cælestis.* Notandum est postquam protulisset, *Verbum carne factum est*, non dixisse, *quod non de terra*, scilicet *Verbum*: sed scripsisse, *quæ non de terra*, videlicet *caro*, quæ de Virgine assumpta est; de quâ propter puritatem, & quia non fuit maledicta sicut terra, dixit, *Quæ non de terrâ, sed de Excelsis est.* quo etiam modo loquendi explicant alij Patres puritatem MARIÆ Originalem, vt S. Eulogius Alexandrinus, S. Cyrillus item Alexandrinus, Georgius Nicomedensis, & alij.

Beatus Petrus Damianus Sermone de Assumptione Beatissimæ Virginis ait: *Caro enim Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit: sed singularis continentia puritas in candorem lucis æterna conuersa est.* Ac in Sermone 3. de Natiuitate inquit: *Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis & perfectionis singularis huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuine gloriæ charismate plena fuit?* Bellarminus in lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15. probans, B. Virgi-

nem Mariam singulari Dei priuilegio fuisse ab originali peccato immunem, inter alios Patres, qui huic suppositioni suis testimoniis suffragantur, adducit collegam suum Damianum, his Verbis. *Habemus Petrum Damiani, qui in Serm. de Natiuit. sancti Ioann. Baptista scribit: Altiori genere sanctificationis Virginem mundatam fuisse à peccato, quàm Ioannem, vel Ieremiam, qui in utero sanctificati leguntur. Non videtur autem aliud genus sanctificationis fingere posse, quàm, vt B. Virgo mundata sit à peccato, in quod necessario incidisset, ni per gratiam præseruata fuisset. Ioannes vero, & Ieremias sanctificati sunt à peccato, in quod iam re ipsa inciderant. Idem, Petrus in sermon. de Annuntiat. B. Maria: Cum fecerit, inquit, Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea, recinatorium aureum, in qua sola se, post tumultus Angelorum, & hominum inclinaret & requiem inuenires.* Hactenus Bellarminus ex Damiano.

Ambrosius Ansbertus in Homiliario Alchuni ni dixit: *Tu ergo pulchra es vt Luna: quia tota pulchra es, & macula non est in Te, neque vicissitudinis obumbratio.* Hoc est, nulla transmutatio de peccato ad gratiam, aut è contrâ.

Sanctus Anselmus lib. de Conceptione Beatissimæ Virginis cap. 18. dicit: *Quia decebat vt illius hominis Conceptio de Matre purissima fieret, nempe decens erat vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa nueret.* Quo testimonio vsus est B. Thomas in 1. d. 17. & 44. ad probandum MARIÆ sanctitatem non esse maximam inter possibiles sub Deo: quia gratia potuit diuinitus augeri: at verò ait, Puritatem esse maximam omnium, quæ sub Deo possunt excogitari: quia maxima puritas consistit in recessu ab omni peccato; MARIÆ autè ab omni recessu, tam actuali quàm Originali, in quo sita est maxima puritas creaturæ; quæ tamen est inferior puritate Dei, qui non potest inquinari peccato: MARIÆ autem est purior Angelis: quia ij potuerunt peccare, quoniam non fuerunt in creatione confirmati in gratia: MARIÆ verò in ipsâ Conceptione fuit in gratiâ confirmata per proximam impotentiam physicam ad peccandum etiam venialiter. Itaq; doctrina Anselmi de maximâ puritate MARIÆ inter creaturas non est vera, nisi MARIÆ sit præseruata à peccato Originali: alioqui Angeli essent MARIÆ puriores, quia nullâ contagione peccati fuere inquinati. In Epistolâ ad Episcopos Angliæ B. Virginis purissimam Conceptionem euidenter attestatur Anselmus: in aliis quoque doctrinæ suæ locis compluribus, quos citant grauissimi Auctores.

Giselbertus in Disputatione contra Iudæos ait: *Vellus istud (Gedeonis videlicet) sacratissima Virginis corpus est, sine omnis carnis macula. Cum enim vellus sit in corpore, corporis nescit passionem: sic rore Spiritus sancti vellus, id est, corpus virginale complutum, nullum carnalis vitij sensu contactum.* Verùm hæc eadem sententia extat in erudito libro, cuius titulus est, *Altercatio Synagoga & Ecclesia*; quam iam superius allegauimus: vnusquè atque idem Tractatus est Disputatio ista contra Iudæos Giselberti, atque illa Altercatio Synagoga: sed tribuitur diuersis Auctoribus. Trichemius enim, quem multi sequuntur in Chronico Hirsaugiensi cap. 14. & in libr. de Scriptoribus Ecclesiasticis, eam tribuit Giselberto, qui fuit Præpositus Monasterij west in Anglia

S. Anselmus.

Albertus Magnus.

S. Augustin.

Ambrosius Ansbertus.

S. Anselmus.

B. Petrus Damianus.

Giselbertus.

gliâ, Ordinis sancti Benedicti, Anselmi Cantuariensis auditor atque discipulus, vir in diuinis Scripturis eruditus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, claruit sub Henrico Quarto Imperatore cum Anselmo, anno Domini 1090. Alij tamen malunt Auctorem huius Altercationis esse antiquiorem. Iodocus Coccius cum refert ad annum 900. & Canisius lib. 1. de Virgine cap. 7. dixit diuinare eos, qui illum Tractatum imputant Giselberto.

Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus.

Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, in Epistolâ Synodicâ ad Adrianum Pontificem approbat omnes Canones sextæ Synodi Trullanæ, in quorum Canone 79. aliâs 80. vocatur Beatissima Virgo eodem nomine, quo vsus est sanctus Eustachius, *ab omni labe Purissima*; & eidem Deiparæ negantur molestiæ partus, quæ pœnam Heuæ & peccatum Originale sequuntur.

Iuo Carnotensis.

Iuo Carnotensis Sermone de Natiuit. Domini sic loquitur: *Quomodo Matrem carnis sue sanctificauerit, deinceps audiamus, ut inde latetur Catholicus, immundus confundatur hereticus; omnem quippe nauum tam Originalem quam actualis culpæ in ea deleuit: sicque carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiem transformauit.* In eodem sensu, quo hic Pater locutus est de peccato veniali, loquitur de Originali. Quemadmodum igitur iuxta illum, qui & hoc verbo deleuit vsus est, in nullum veniale incidit, ita etiam eius sententiâ nec Originale peccatum admisit: quod amplius etiam hic Doctor declarauit, dicendo: *Prima enim humani generis parens, quia serpentina persuasionis vires concepit, duplici maledicto succubuit, ut & cum viro mortem incurreret, & ut filios, quos cum carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret: huius maledictionis filia Heuæ successerunt hæredes, & omnes, & filios sub necessaria mortis condemnatione genuerunt: sola hæc Mater, quæ non sibilo serpentis credidit, benedictionem, quæ utramque maledictionem excluderet, audire promeruit.*

S. Bruno.

Sanctus Bruno Psalmo 105. dixit: *Hæc enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus; ab omni propterea contagione peccati libera, per quam Vitæ vitam agnouimus.* Rursus in sermone Natiuitatis Beatissimæ Virginis: *Hæc linea incipit ab Heuæ, & desinit in MARIAM; in principio est mors in fine vita consistit: mors per Heuam facta est, vita per MARIAM reddita est, illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligauit ac vicit.*

Priscus Orator.

Priscus Orator de Festo Acathistico vocat Virginem Sanctissimam, *ἄχρητον* quod significat omnimodam & eximiam puritatem, postea addit: *Diuina æconomia ac bonitatis ministra illa sanctissima, prorsusque immaculata Dei Genitrix.*

S. Odilo.

A sancto Odilone in Hymno de Natiuitate Beatissimæ Virginis vocatur huiusmodi: *Syduis inclytum, illustrans omne seculum, per quod dies & tempora assumunt vitæ lumina.* Ergo horam suæ Conceptionis non decebat esse in tenebris mortis.

In Anthologio nouo Græcorum, ad Horas canonicas nocturnas & diurnas, iuxta ordinem antiquæ traditionis sanctorum Patrum, sancti Sabba & Studita, vt plurimum sancti Montis; sed & pias traditiones sancti Patris Iosephi, Monasterij sancti Nicolai Casullarum, impresso Romæ anno 1598. ex Typographiâ Vaticanâ die sancti Demetrii Magni Martyris 26. Octobris dicitur: *Sine noxa in medio spinarum reperiris velut purissimum lilium, conuallium flos, o Dei Mater.* Ibi-

dem etiam dicitur: *Vt radicem, fontem, & causam incorruptionis, o Virgo, Te omnes credentes Fideles Hymnis & laudibus honoramus: Tu enim immortalitatem subsistentem nobis compluisti, Item: Glorificata, illuminata Virgo Mater, omnes Te honorantes verissimam Dei Genitricem custodi. Benedicte Tu in mulieribus, Integerrima Domina.* Ibidem quoque: *Sanans formam corruptam mortalium, o Castissima: hæc ex Te induit, manens quod erat hominum amator.* Hinc satis constat sine corruptelâ peccati Originalis fuisse, quæ fuit fons incorruptionis, & sanauit corruptam formam naturæ humanæ, atque ipsa in se fuit integerrima, & sine noxâ in medio spinarum.

Egregiè quoque à sancto Aldhelmo, lib. de Laude Virginitatis, cap. 22. nuncupatur Virgo *Virgula radice, gemmula floris, aurora Solis, nutus Patris, Genitrix & germana Filij, simul sponsa & felix vernacula, sanctarum socrus animarum, superiorum Regina Ciuium, columba inter sexaginta Reginas, & bis quadringentas pellices.* Alludit ad sententiam Pselli, siue Theodoriti in Cantica, de quâ supra. Hæc enim singularitas & elogiû columba, quæ sine felle est, & typus puritatis, supponit Originalem in Deiparâ, prout Theodoretus seu Psellus, siue vterque illam probauit, vt iam vidimus: & quidem ob hanc puritatem maximè appellauit Deus Virginem nomine columbae. *Vna est (inquit) columba mea, perfecta mea.* Nam sexaginta sunt Reginae, & multo plures concubinæ, adolescentularum autem non est numerus; sed primaria Sponsa, & omnibus longo intervallo anteposita, vna est MARIAM, hoc est sola; quam singularitatem maximè habet in puritate Iustitiæ Originalis. Est quippe amor munditiæ & puritatis veluti natuius columbae; vt propterea aquâ vnde bibere & se lauare possit, mundam & puram esse oportere admoneat Varro lib. 3. cap. 7. *Sunt enim (inquit) permunda hæc volucres.* Itaque aptè consentit cum summo Virginis nitore, & titulo Sponsæ Dei nomen columba. Quis enim Sponsam Dei cum dixerit, immundam vel cogitare sustineat? Et nomen quidem Hebræum columba à radice impurum quid, & graueolens ferente deductum est; quia indidem deriuatur vnde cœnum & lutum, vt Sancius in cap. 2. Cantic. num. 58. ratiocinatur, ipsum tamen columba nomen nihil nisi purum & illime præfert: quod in rem nostram appositè cadit; nam Virgo, quamuis de cœnosâ & fœdâ radice parentum generis nostri procreata: nihil tamen continet nisi sanctum & purum; ita vt etiam ipsum eius primum initium fuerit intemeratissimum, & omni prorsus labe carens, quod Galatinus lib. 7. de Arcan. cap. 5. expressum putat eo Spiritus sancti oraculo Cantic. 2. *Columba mea in foraminibus petra.* Nam petram ad principium generationis pertinere, patet ex Isaiâ 55. vbi Hebræi iubentur attendere ad petram vnde excisi erant, id est ad suæ generationis principium. In ipsis ergo petrae foraminibus, inque ipso primo ortus ad vitam principio puritas Virginis commendatur.

Sanctus Theodorus Studita Ode 5. Canonis pro Sanctis imaginibus appellat Deiparam *Lucernarium auro exornatum, quod lumen intellectuale mundo peperit, & tenebrosam nebulam dissipauit.* Significauit hoc dicendi modo, in tantâ luce non fuisse tenebras proprias alicuius peccati, etiam Originalis. Peperit quidem intemerata & iniquolata Solem Iustitiæ; fuitque in eâ comprobatum,

S. Theodorus Studita.

probatum, quod fabulosè de matre Augusti iactatum est, vitam scilicet coniugi, cum Augustum pareret, Solem fundere, vt scribit Constantinus Manasses num. 72. Meritò proinde Christiani veteres, diem nati è Virgine Christi, Solem nouum nominabant, vt constat ex S. Augustino Serm. 61. de Diuers. cap. 1. & ex sancto Leone Serm. 2. de Natiuitate, sub finem, & ex S. Ambrosio Serm. de Natiuitate, initio; vt quâ die veteres Ethnici festum noui Solis celebrabant, prout docemur ex iisdem Patribus, ipsi exortum ex Virgine Lumen rectis corde religiosè venerantur.

In Anastasij Collectaneis hæc habentur ex Martyrio sancti Martini Papæ: *Sanctissima & Immaculata, benedictaque, gloriosissima & excellentissima omnium creaturarum, gratia plenissima, gaudium faciens & tribuens, Domina nostra, propriè natura & veritate sola Dei Genitrix Virgo MARIA.* Non fuisset plenissima gratiæ, si barathrum peccati Originalis continuisset.

Sanctus Amphilochius Orat. in Sanctam Deiparam vocat eam *Alabastrum unguenti sanctificationis.* Hoc modo significat totam Diuinâ esse delibutam gratiâ, odoreque sanctitatis plenam, & omnium chrismate charismatum imbutam, vt nullum dederit locum alicuius peccati fœtori etiam Originalis: sicut & sanctus Germanus, qui multis modis Immaculatam Conceptionem prædicauit, eam quoque significauit per similitudinem boni odoris; cum Oratione de Natiuitate B. Virginis eam appellauit *Acerram spiritualium aromatum, qua spirituale sacrificium Christus compositus è Deitate simul & humanitate, in igne Diuinitatis viuifica ipse, ac spiritualis carnis, boni odoris confusè indinise ostendit.* Vocat ob hunc bonum odorem carnem Christi, quam accepit ex Virgine, *Spiritualem*; quia non fuerat infecta communi carnis Adæ fœtore, scilicet graueolentis peccati Originalis; sed limpida & pura instar Spiritus cælestis,

Inustus Orgelitanus.

In eodem sensu fauens puritati Conceptionis Virgineæ Inustus Orgelitanus in Cant. ad cap. 6. dixit Virginem esse *Arcolam aromatum, ex quâ odor Iustitiæ ortus est.* Nec debuit deesse in hac arca eximium Iustitiæ Originalis aroma.

S. Amphilochius.

Præter hæc, sanctitatem omnimodam Virginis etiam in Immaculatâ suâ Conceptione commendatam fuisse à sancto Amphilochio, manifestè constat ex iis verbis, quæ postea subdit in eadem Oratione: *Quid stultè à veritate dissentis, Deique placitum in Sanctissima Virgine ad communem salutem prouidè dispositum detractas atque renuis? Qui enim antiquam illam Virginem sine probro condidit, ipse & secundum sine nota & crimine fabricatus est: quique quod est decoris pulchrè fecit, etiam quod intus est, ad domicilium animæ sanctè perornauit.* In his verbis non fuisse locutum sanctum Amphilochium de solâ carentiâ priuatiuâ maculæ in Heuâ & MARIA, siue earum formatione, sicut in statu puræ naturæ, sed etiam de positiuâ sanctitate & dono gratiæ in illas collato, cum formarentur, patet ex illis verbis, quæ postea subdit & concludit idem sanctus Amphilochius: *Nam Christiani, velut qui Deo morigeri sint & suasibiles, obaudiunt diuinitus inspiratas Prophetarum prædictiones, ita ubique de laudatissima Virgine clamantes: Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius, & non commouebitur. Et iterum: Homo*

Præclarum testimonium de Immaculatâ Conceptione.

natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Ibidem vocat Virginem *Panagiam, Panachranton, & Diuinam.*

Luitprandus Ticinensis in Chronico ad annum 676. clarissimis verbis dixit *Immaculatam Conceptionem.* Et præterea multis in locis suorum Operum indicat probasse omnimodam Virginis puritatem, cum sæpè laudet Adriani Papæ litteras, & Decreta contra Elipandum & Felicem, probantia Christum non fuisse filium adoptiuum, sed naturalem, quæ extant in Concilio Francofordiensi, vbi egregiè Conceptio Virginis Immaculata supponitur, sicut iam diximus. Hoc inculcat in lib. de Pontificum Vitis cap. 97. tum etiam in Epistolâ ad Traquemundum Illiberitanum. Item in Chronico anno 782. sicut etiam in legatione ad Nicephorum Phocam commendat Ephesinam Synodum, in quâ toties omnimoda Deiparæ puritas commendatur.

Luitprandus Ticinensis.

Antipater Bostrensis Oratione de sancto Ioanne Baptista, & Silentio Zachariæ explicans Salutationem Angelicam, *Aue gratia plena, ait: Aue, qua tuo primo parenti Adamo exhibes defensorem. Aue, qua fers sine dolore natura create fundamentum. Aue, qua citra laborem intercedis inter mortalitatem & diuinitatem.* In his vltimis verbis consonat Antipater cum sancto Iustino, qui vocauit Virginem *Sequestram* inter Deum & homines: significans hoc pacto omnimodam eius puritatem; vt suprâ aduertimus. Paulò post addit idem Antipater: *Inuenisti enim gratiam, quam perdidit, qua primùm fuit creata, femina. Illa sola suscepit deceptionem: tu autem sola attulisti solutionem deceptionis.* Gratia, quam perdidit Heua, fuit cum Iustitiâ Originali; quare eandem habuit beatissima Virgo.

Antipater Bostrensis.

Marcus Hydruntinus Episcopus Hymno in magno Sabbato ait: *Ex in corruptâ profectus, & vulnerans costam Creator meus, ex ipsa fecisti reformationem Heuæ, Adam factus.* Alludit ad sanctum Ioannem Damascenum, & Leonem Sapientem, qui Deiparam vocarunt *Correctionem* Heuæ; sicut & alij Patres *Reformationem* eiusdem: vt autem sit correctio siue reformatio Heuæ, opus est vt non defuisset Beatissimæ Virgini gratia vlla, in quâ enituit Heua, nec habuisset defectum, qui deformasset illam: quòd si Virgo sanctissima caruisset Originali gratiâ, quam habuit Heua, malè posset dici correctam in illâ fuisse. Originalia dona formaliter, hoc est quatenus sunt in principio originis, cum denotent determinatum tempus, & actum, illo transacto, nequeunt reparari.

Marcus Hydruntinus Episcopus.

Theoleptus Philadelphiensis Metropolitæ in Canone de iudicio, præterquam quòd vocet Virginem *Immaculatam & Intactam*, dixit eius *lucem diuinam*; quia in eâ numquam fuerunt tenebræ alicuius culpæ.

Theoleptus

Ioannes Nepos Patriarcha Ierofolymitanus, quem Petrus Wastellius eundem facit cum Auctore libri de Institutione primorum Monachorum ad Caprasium, non exiguè fauet Immaculatæ Conceptioni, cum in cap. 2. Matth. locutus de iis quæ fuerant in Beatissimâ Virgine ait: *Omnia laudabilia, omnia admiranda, quæ sine Spiritu sancto possibile non erat esse in naturâ humana.* Valdè consideranda sunt hæc verba: nam non solum supponunt Virginem non fuisse in naturâ humanâ sine Spiritu sancto, hoc est sine gratiâ; sed debitam ei fuisse coætaneam gratiâ in principio suæ forma

Ioannes Nepos.

formationis & naturalis existentiae, ex quodam saltem genere decentiae propter maternitatem Diuinam: idem dixit, *Non erat possibile*. Et in cap. 19. ait: *Quis putabat mulierem, quae clausit paradysum ut nemo intraret in eum, ut ipsa fieret prima porta Paradysi, ut per illam lux procederet, per quam tenebra intrauerunt*. Planè non decuit in hac portâ lucis MARIA fuisse aliquando tenebras, neque in aditu paradisi obstaculum peccati locum praecipuisse.

Faustus
Rhegiensis.

Neque clariùs affirmari potest sententia negatiua, quam asseruit Faustus Rhegiensis, quem inter Sanctos admittit Cardinalis Baronius Tom. 10. in appendice ad Tom. 6. anno 490. retractans se de his, quae aduersus illum dixerat Tom. 6. & praeter fundamenta Baronij ad suam retractionem addi posset in Concilijs Gallicanis Sanctum vocari Faustum, scilicet in Concilio Arelatensi tertio, & in appendice ad Concilium Aurelianense secundum in causâ contumeliosi Episcopi post Epistolam Ioannis Secundi, ubi citatur sententia illius hoc modo: *Faustus Episcopus sanctus in Epistola sua dixit: Perdet gratiam consecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti*. Hic igitur antiquissimus Scriptor in responsione de ratione Fidei ad obiecta quaedam sic loquitur de Beatissima Virgine; *Porta clausa, id est signaculum pudoris, immaculata carnis integritas. Non enim violata est partu, quae magis est sanctificata Conceptu, quae absque omni peccato concepta est in utero*. Nil euidentius; sed alibi plenius de hoc testimonio, quod inuenietur fol. 124. ex editione Parisiis factâ apud Sebastianum Niuellium anno 1586. *Veterum Gallia Theologorum*. Hic tantum obseruo duas Virginis sanctificationes cum Theologis supposuisse Faustum; vnam in Conceptione passiuâ Virginis; aliam in Conceptu actiuo in Incarnationis instanti; cumque maior sanctificatio hæc esset, quippe quæ fuerit supra primam; idem dixit, *Magis sanctificata in conceptu*, nimirum Christi, cum antea fuisset sanctificata, cum absque omni peccato concepta fuit in utero scilicet S. Annæ.

Antiochus
Episcopus
Ptolemaidis.

Antiochus Episcopus Ptolemaidis in Pascha aduersus Iudæos consonat sancto Gregorio Magno, ostendens supremam Virginis electionem, sanctitatem & puritatem super omnes Angelos, vocans propterea illam *Montem*. Idem in festo Natiuitatis etiam insinuat omnimodam Virginis puritatem, dicens, *Christum esse lucernam ex MARIA, quia assumptus ex terra, & ex puro luto factus est, lucernam hominem ignem habentem Deum*. Illud, *ex puro luto factus*, satis indicat puritatem carnis Virginæ, ex qua Christus fuit formatus, quæ dum dicitur merum lutum, notat solum naturam nullo modo commixtam culpæ. Idem in Sermone contra Hæreticos ait: *Noli confundere naturas, & circa dispensationem non contremiscas. Tene Deum da Deo decentia*, &c. Planè decuit Deum ex purissimâ & sanctissimâ, etiam in prima origine, Matre nasci; atque hinc tremor & admiratio tanti mysterij delinitur.

Gelasius
Cyziceus.

Gelasius Cyzicenus numerandus quoque est inter fautores purissimæ Conceptionis, qui prædictas auctoritates Antiochi Ptolemaidensis collegit in testimonijs Veterum de duabus naturis in Christo: quamuis id tribuant alij Gelasio Papæ; quod tamen non ita placet viris doctis, qui Cyziceno id adscribunt.

Ioannes II.
Pontifex.

Ioannes Secundus Pontifex in Epistolâ ad

Auienum & alios, de duabus naturis aduersus Eutychnianistas, fauet similiter omnimodæ Virginis puritati, approbans Concilia Ephesinum & Chalcedonense, quæ Conceptioni Virginæ fauere, ut diximus supra cap. 8. tum etiam Epistolas sancti Leonis Papæ, & specialiter affert fragmentum Epistolæ ad Flavianum, in quo iis elogijs repetitè loquitur de Sanctissimâ Virgine, quibus superstitè Ioanne vsus est Iustinianus Imperator, & statim eo defuncto quinta Synodus generalis vsa est ad explicandam excellentiam sanctitatis Virginis, etiam Originalis, prout iam notauimus, quam imitatum etiam est Concilium Arelatense sextum, celebratum anno 813. sub Leone III. in Canone 1. Verba, quæ affert Ioannes Papa, sunt hæc: *Gloriosam sanctam semper Virginem MARIAM, & propriè & veraciter Dei Genitricem, Matremque Dei Verbi ex ea incarnati, ab hominibus Catholicis confiteri rectè esse docemus propriè & veraciter, & idem ipse ultimis temporibus incarnatus, ex sancta & gloriosa Virgine Matre nasci dignatus est*. Vis horum elogiorum, & eorundem repetitionis ex dictis supra innotescet.

Metrophanes Smyrnæus Episcopus in triadico Canonibus sermo 1. ait: *Spiritus sanctus in Virgine sacram verbo carnem condidit*. Vbi in Conceptione suâ supponit Virginis carnem formatam Sacram, hoc est Sanctam.

Metrophanes
Smyrnæus.

Theodorus Ierosolymitanus Patriarcha in exemplari Synodicorum valde confirmat Immaculatam Conceptionem Virginis, eiusque omnimodam puritatem, cum locutus de Christo ait: *Non est designatus nasci ex Sancta & Intemerata Domina nostra Dei genitrice, carnem ex ea sumens animata anima rationabili & intelligibili, primitias massæ nostræ, non seminatum, sed conditum per Spiritum sanctum*. Vbi in Græco utitur nomine. *Panachratos*, pro quo interpres vertit *Intemeratam*, sed vox Græca amplius significat, nimirum, *ex omni parte, & super omnia Immaculatam*. Notandum quoque est vocasse carnem Virginis. *Primitias nostræ massæ*, ut sic indicaretur fuisse eiusdem conditionis & puritatis cum prima protoplasti carne in sua prima origine creati in gratia. Item ait: *Honoramus & adoramus etiam imaginem Intemeratæ sanctæ Dei Genitricis, & Immaculatæ Domine nostræ*. Vbi pro *Immaculata* Græca vox est *Panamemos*, quæ significat vndequaquæ & omnino sine vllâ maculâ Rursus locus de Concilio Ephesino, ait definisse, *Christum in nouissimis diebus de Intemerata Virgine, ac Dei Genitrice MARIA natum, tum Dei Genitricem propriè, ac per veritatem Sanctam MARIAM nominari legitime statuit*. In hac auctoritate plurimorum suffragia continentur; scilicet omnium Ecclesiarum Orientalium apud Græcos, Alexandrinæ, Antiochenæ, Ierosolymitanæ, quæ in testimonium & confirmationem suæ Fidei miserunt ad sanctum Tarasium confessionem Fidei Theodori Ierosolymitani: approbantes eius litteras.

Theodorus
Ierosolym.

Cosmas Alexandrinus etiam, & Theodorus Patriarcha Antiochiæ Theopoleos, in suis Synodicis fauere similiter Immaculatæ Conceptioni, dum litteris Theodori Ierosolymitani approbatis, cum illo conspirarunt, de quibus in Epistolâ Sacerdotij Orientalis ad sanctum Tarasium iuxta Græcum, & versionem Conciliorum Vinij in Act. 3. septimæ Synodi mentio fit.

Cosmas
Alexandri-
nus, &
Theodorus
Antiochen.

Agapius

Agapius
Cæsariensis.

Agapius Cæsariensis idem omnino confirmat in priuatâ sententiâ, cum dixit: *Litteris quæ ab Orientis Præsulibus sanctissimis missæ sunt ad Tarasium vniuersalem Patriarcham, veluti columnam Orthodoxæ Fidei, omnibus assentior.*

Ioannes
Ephesinus,
& alij.

Ioannes Ephesinus, Constantinus Episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, Basilus Ancyranus, Petrus Nicomediensis, Hypalcus Nicænus, Elias Cretensis, Nicephorus Dirrachiensis, Gregorius Iunior Neocæsariensis contestantur etiam omnimodam Virginis puritatem in specialibus approbationibus, quibus recipiunt & admittunt Epistolam Orientalium Ecclesiarum, simul cum confessione Theodori Ierosolymitani.

Nec dubito aliquos ex prædictis Patribus dedisse alia testimonia pro omnimodâ Deiparæ puritate, sicut fecit Elias Cretensis, cuius particularem sententiam supra dedimus circa eximiam Virginis munditiam, quam virtualiter postea confirmauit in secundâ Synodo Nycænâ Act. 3. dicens: *Litteris ab Oriente missis insisto, & eas approbo.*

Nicolaus
Cyzicenus,
& alij

Similiter Nicolaus Cyzicenus, Euthymius Sardenfis, Epiphanius Catanensis Diaconus, Leo Presbyter, Nicolaus Abbas Aprensis, Theodorus Episcopus Catanensis, Anastasius Nicopolitanus, Ioannes Tauromeniensis in singularibus testimoniis fauent etiam puritati Virgineæ, adhuc in suâ Conceptione, dum non solum probant & laudant litteras Orientalium ad sanctum Tarasium, & cum his Synodicas Theodori Ierosolymitani, sed etiam Epistolam sancti Tarasij ad Orientales. Nam absque dubio iste Sanctus benemeritus fuit de Immaculatâ Conceptione: nam præter ea, quæ superius de illo diximus, in hac Epistolâ ad Patriarcham Orientis vocat Sanctissimam Virginem *Panagiam*, hoc est vnde quaque & omnibus modis Sanctam. Tum etiam appellat *Achranton*, item *veraciter Sanctam*, prout clarè constat ex Græco, & exprimitur in versione Latinâ apud Concilia Vini, quod videtur non sine mysterio dictum, vt intelligeremus, in nullo existentia Marianæ momento posse dici falsò *Sanctam esse*, sed in omnibus instantibus fuisse verè Sanctam.

S. Tarasius
benemeritus
de Immaculata
Conceptione.

Petrus Archipresbyter,
& alij.

Accedunt ad dictos Petrus Archipresbyter Roma, item & Petrus Monachus vicem agentes, & Legati Adriani Papæ in secundâ Synodo Nicænâ, qui prædicta testimonia sancti Tarasij Constantinopolitani, Theodori Ierosolymitani, & Patriarchatum Orientalium, & consequenter in his dicta, quæ omnimodam Virginis puritatem iuuant, sic in Act. 3. confirmant: *Confidimus iuxta Fidem, quam rectè confessus est Tarasius sanctissimus Patriarcha Constantinopolitæ, & apud nos Apostolicus Papa Adrianus, sanctam hanc Synodum ambulaturam, utpote quæ iam consensit illis, quæ ipsi confessi sunt.*

Stauratius
Chalcedonensis.

Perspicuè etiam Stauratius, Chalcedonensis Episcopus, in speciali sententiâ penitus id confirmans dixit: *Cum videam litteras lectas, tum quæ sanctissimus & vniuersalis Patriarcha Tarasius ad Orientem direxit, tum quas ab Orientali Diocesi sanctissimi Archiepiscopi ad Tarasium rescripserunt, planè conuenire, & in nulla re dissonare, sed plena testimonia rectè fidei dare, ego quoque his assentior, eadem confiteor.*

Jonas Aurelianus.

Jonas Aurelianus. lib. 7. de Cultu Imaginum ait: *Sanctam Dei Genitricem congruo honore veneramur, eiusque intercessionem apud diuinam Maie-*

statem humiliter flagitamus. Nec immerito: quippe quoniam per eam Auctorem vita suscipere meruimus, & pro eo quòd eadem Sancta & Intemerata Virgo MARIA vtrique Deum & hominem nobis edidit, Dominum videlicet IESVM, à cunctis fidelibus pio colitur amore, & debito veneratur honore. Vocasse autem Virginem non solum Sanctam, sed Intemeratam, ob omnimodam puritatem eius, colligitur ex eo quòd id dixerit in sensu Concilij Francofordiensis, quod laudat ipse Ionas in principio eiusdem Operis de Cultu Imaginum.

Numerandus quoque est inter fautores omnimodæ puritatis Virginis magnus ille vir sanctus Adelhardus Ginesius, Abbas Corbeiensis, & postea Episcopus Vrcitanus, de quo testatur Beatus Paschasius in eius Vita: *Ab aliquibus, vt Epistola magistri Albini ferunt, Antonius vocabatur, à nonnullis verò vt supra dictum est, Aurelius Augustinus. Agebat namque istud Gregorij, aliud verò beati Syluestri.* Hic tantus tantus vir interfuit Concilio Francofordiensi, præcipualque in eo partes habuit, vbi supponitur à Patribus illius Concilij totalis Virginis puritas. Idem ipse Adelhardus commendauit Opuscula sancti Ildefonsi, vbi carentia peccati Originalis purissimæ Virgini sæpè tribuitur. Illud prius testatur Chronicon Diaconi Ticinensis ad annum 782. Hoc autem posterior ad annum 661,

S. Adelhardus.

Accensendus etiam est inter Immaculatæ Conceptionis assertores Carolus Magnus, qui in Epistolâ ad Elipandum, quæ extat in concilio Gallicanis Sirmondi, speciali elogio commendat Epistolam Synodicam Concilij Francofordiensis, in quâ continetur illa commendatio Immaculatæ carnis virgineæ, omnimodæque eius puritatis, quam supra dedimus; sicque laudat Carolus prædictam Epistolam, probans illius rationes ac responsiones, ac si ipse primus dixisset; de quâ hæc habet: *Tenet & tertius libellus Orthodoxam sanctorum Patrum Episcoporum, & virorum venerabilium Fidem, qui in Germaniæ, Gallia, Aquitania, & Britannia partibus dignis Deo deseruiunt Officiis, vestrisque obiectionibus sanctarum Scripturarum testimoniis roboratas obtinet responsiones. Dein quarto loco mea propria vnanimitatis cum his sanctissimis prædictorum Patrum Decretis & Catholicis institutis consensum subnexui.* Sic & Leo Tertius in Concilio Romano, celebrato anno 799 Act. 2. quod affert inter Concilia Gallicana noster Sirmundus, confirmat aduersus Felicem Vrgelitanum Acta Adriani Primi aduersus Elipandum.

Carolus Magnus.

Marcus Maximus in suo Hymno non solum comprobatur Immaculatam Virginis Conceptionem, sed eius festiuitatem tãquam antiquam commendat, eamque dixit *Ab omni labe liberam.*

Marcus Maximus.

Non possum omittere, quin aduocem pro omnimodâ Virginis puritate Paschasium Episcopum Lilybitanum, Lucensem Episcopum Asculanum, & Bonifacium Presbyterum, Vicarios sanctissimi Papæ Leonis in Oriente, qui in sententiâ suâ probant gesta Flauiani, & Concilium Ephesinum, vbi supposita fuit Immaculata Virginis Conceptio: quorum Legatorum sententiæ in Synodo Chalcedonensi latæ contra Dioscorum exemplar misit sanctus Leo ad Rusticum, Rauenium, Venerium, & alios Episcopos Gallia; & extat in primo Tomo Conciliorum Gallicanorum, estque ibi octaua in ordine.

Paschasius Lilybetanus & alii.

Vigilius

Vigilius Papa præter alia indicia sui in omnimodam Virginis munditiam assensus, quem alibi indicamus, plane in Epist. 7. ad Aurelianum Arelatensem Constantinopoli scriptâ, egregie probat Synodum Ephesinam, & Acta sancti Cyrilli atque Leonis Pontificis, in quibus puritas Virginis totalis supponitur. Item & Pelagius Pontifex in Epist. 3. ad Childebertum Regem commendat Acta Chalcedonensis Synodi, & sancti Leonis Primi: vtraque Epistola inuenietur in Tomo primo Conciliorum Gallicanorum Sirmondi.

Hincmarus
Remensis.

Hincmarus Remensis, imò & alij, qui adfuerunt Concilio Tullensi secundo apud Tusiacum sub Carolo Caluo & Lothario, celebrato anno 1860. anno 3. Nicolai Papæ, in Epistola Synodali ad rerum Ecclesiasticarum perualores, fauent Immaculatæ Virginis omnimodæ puritati; dum eam sic vocant *alibata*, vt eius puritatem comparent puritati aquæ, quæ ex latere Christi fluxit. Verba eorum sunt, dum sermo fit de Christo Domino: *Adificaturus erat Ecclesiam aperto lancea latere, de quo produxit aquam & sanguinem, quibus nunc lauacro rigatur & poculo, id est mundatur aqua baptismatis, & per fidem illi incorporatur potato sanguine redemptionis, iustificata Spiritu sanctificationis. Hoc Sacramentum magnum est in Christo, & in Ecclesia, que eodem Spiritu sancto ab Immaculato diuini fontis vtero suos regenerat natos, quo & de inlibata Virgine Christus est natus.* Paulò post inquit: *Primus homo, quia & Heua ipsa est Adam, conditus, vt dominaretur creatura, &c.* Dum his verbis eandem computat carnem Heuam cum Adamo; profectò etiam fauet Immaculatæ carni Virginis; etenim eadem quoque erit cum carne Christi, maiorem quippe nexum habet Christus cum MARIA, quam Heua habuit cum Adamo, & ius maternitatis maius est, quam simplicis productionis. Sed hoc constabit clariùs ex his, quæ paulò antè dicuntur in eadem Epistola: *Cui (id est Adamo) ex latere fabricauit mulierem, dum in somno corporis obdormiuit; unde & dixit: Erunt duo in carne vna; itaque tam non sunt duo, sed vna caro: secundum præsentiam suam, qua ponit omnia, etiam antequam fiant, vero demonstrans indicio, quoniam sine transfusione seminis viri ex femina ipse venturus esset in carnem, ad redimendum hominem, qui in carne condidit hominem, & qui eum fabricauit ex puluere, quo sine seminis transfusione hominem fecit ex homine.* Vbi maximam vnitatem tribuit origini sine virili semine, quam sortita est Heua & Christus Dominus. Cum igitur Christus ex virili femine non fuerit natus, & promiserit Deus Abraham, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes;* vsus est aliquibus Scholasticis antiquis connotare etiam semen Virginis, scilicet, ex quo formata fuit eius caro, quæ vna est cum carne Christi, ac proinde Immaculata, & benedictum eius semen, quod videtur etiam sensisse sanctus Damascenus, cum dixit: *Beatos Ioachim lumbos, ex quibus immaculatum semen profluxit.*

Gen. 11. v.
17.

Non leue est hoc indicium pro Immaculata Conceptione Virginis, quòd eius, & Christi carnem eandem dicant Sancti: cum semen benedictum Abraham, in quo benedicuntur omnes gentes, connotet etiam carnem Virginis. Quapropter Ecclesia in Salutatione Angelica, in qua cum sancta Elisabetha dixit fructum ventris Maria benedictum; pariter etiam & ipsam Virgi-

nem MARIAM cum Angelo dicit benedictam, quia caro Maria & Filij eius, quæ vna est, benedicta est, & est illa, in qua benedicuntur omnes gentes. Egregie hoc explicauit Ioannes Bachon in 4. dist. 2. quæst. 4. art. 1. vbi probans sanctitatem Deiparæ, etiam Originalem, ait: *Specialiter hoc accipitur ab Apostolo ad Rom. 1. Nam ibi loquens de Filio eius, dicit quod factus est ex semine David secundum carnem, & prædestinatus Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis; sed quod dicitur Factus est ex semine David, & quod dicitur Prædestinatus secundum spiritum sanctificationis, non verificantur, nisi intelligendo hoc de semine, de quo Mater Christi concipiebatur; quia Christus non fuit ex alio semine carnali; ergo Conceptio MARIE, vt ipsa erat prædestinata Mater Dei futura, fuit Sancta. Et quòd verba Apostoli intelligantur de Conceptione Matris, hoc satis declaratur per Glossam, §. Item. Si non intercessit semen hominis in Conceptione Virginis; rectè tamen Christus dicitur factus ex semine, quia eà in carne, scilicet Matris, Christus formatus est, quam constat esse ex semine. Item ad venerationem Conceptionis sufficit, quòd sanctitas talis Conceptionis sit per Scripturam Canonicam dignè præconiis laudata & testificata; Duodecima, quæstione secundâ; Quatuor, & de testibus; Venerabili, sed hoc singulariter est verum inter puras creaturas de Conceptione seminali Matris Dei. Igitur hæc singulariter est veneranda. Probatio minoris: Christi enim generatio siue Conceptio non dicitur benedicta vel sancta præcisè, sed simul connotando Conceptionem seminalem Matris, & hoc connotatione singulari. Verbi gratia; quòd dicitur Genesis duodecimo & decimo septimo Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ; exponit Apostolus ad Galatas 3. non præcisè de Christo, sic dicendo: In semine, quòd est Christus; benedicentur, &c. sed connotat, id est simul comprehendit seminalem Conceptionem, qua descendit de Abraham. Vnde ibi Abraham facta sunt promissiones, & semini eius. Apostolus ibi, In semine tuo, quòd est Christus. Nota ly tuo, quia connotat Conceptionem seminalem de Abraham, & etiam singularem. Et hoc est, quòd dicit Apostolus: non dicit. In seminibus, sed semini tuo, quòd est Christus. Sed seminalis Conceptio illa singularis non potest intelligi nisi de semine illo, de quo constat caro MARIA, de qua in singulari dicitur Rom. 1. Christus factus est ex semine David secundum carnem, &c. & sic exponit Glossa ibi: eius igitur Conceptio seminalis simul in ordine ad Christi Conceptionem laudatur benedicta, & sic veneranda.* Hactenus Ioannes Bachon. Et quidem ratiocinationem eius videtur approbasse Ecclesia, cum in die Conceptionis Virgineæ reciter Euangelium de Generatione Christi; quòd sanè non prætermisit notare ipse Ioannes Bachon, qui lib. 3. quodlibet. quæst. 14. ait: *Conceptio Beate MARIE non fuit absoluta, & aliena à Christi Conceptione, sed ad ipsam ordinata; & hoc testatur, quòd hoc Festum celebrantes Conceptionis legunt Euangelium carnalis generationis, sicut in die Natalis Domini.* Et fortasse aliquis suspicabitur hoc etiam respexisse sententia illa diuina: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Et quidem non videtur carere mysterio, quòd in Hebræo ambigua sit vox, pro feminâ vel pro viro æquè accommodanda, quæ respondet pronomini ipsa*

Ioannes
Bachon.

Gen 3. v. 15.

ipsa. Vnde sancti Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & alij legerant in feminino ipsa: in receptoribus septuaginta editionibus habetur masculinum ipse, supponitur filius mulieris, & huic fauet Arabicus & Chaldaeus, qui hoc adscribunt femini mulieris. Præter illum S. Ephræm antiquum, S. Basilij amicum, est alius S. Ephræm Theopolitanus, doctissimus vir, qui in Epist. ad Monachos, cuius meminit Photius Cod. 228. dixit hanc notandam sententiam: *Ad omnem pietatis plenitudinem sufficere, Deiparam credere, & appellare sanctissimam Virginem. Postquam enim quis dixerit, Deum incarnatum sanctissimam Virginem peperisse, Angelorum uti videtur Theologia.* Loquitur iuxta mentem Concilij Ephesini, præter quam quòd in Græco bis vitur nomine *Panagios*, perquod denotatur omnimoda, & vnde quaque totalis puritas SS. Virginis.

Ioannes Euchaita in Mæneis 30. Ian. od. 5. Canonis tertij. *Immortalem*, inquit, naturam immaculatissimam sanctitate mortalis præcurrens superavit, dum puella tenera carne liberos Angelos nitore intominatissimi laude post se reliquit, Quæ quis non videt vera esse non posse, si **MARIA** ex ortu iacuit in culpa; Cum Angeli creati sint in gratia: [sancto etiam Romano Diacono tribuitur sententia in Mæneis quæ Mariam agnoscit Angelos in puritates transcendisse.

In Cathemerino Græcanico sic nuncupatur Virgo: *Dei Parens Incontaminata, Impolluta, Immaculatissima, Sanctissima, Illibatissima, Venerandissima.* Supponitur hic antiquissimus Græcorum sensus circa puritatem Virgineæ Conceptionis, & encomiis superlatiuis commendatam.

Theostictus in Canone Conciliatorio vocavit Virginem *Fontem incorruptionis*; non igitur in seipso corrupta fuit, nec suum principium debuit à corruptelâ accipere. Ibidem appellat illam *Præsidem vitæ*; quare non decuit unquam esse subiectam morti spiritali.

Theodorus Abucara Opuscul. 1. in fine vocavit Virginem *Ianuam & aditum peregrinationis Verbi ad nos*: significans nullum obicem alicuius peccati habuisse, quoniam non decebat iuxta dictum Sapientia, ipsam diuinam Sapientiam habitare in corpore subdito peccatis; eumque nullum in Virgine nec Originale fuisset, per quod subditur caro nostra peccatis; idè sine vilo repagulo aut obice expeditum iter Verbum Dei inuenit, vt purissimam carnem allumeret.

Euthymius, qui clausit vndecimum sæculum, Oratione in Adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ, cap. 8. dixit: *Proprie verèque est Deipara, quæ est altior & superior quam re creatâ, tam quæ sub aspectum cadit, quam quæ non cadit, quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri nec comprehendi potest, ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima Sponsa; quæ est in omnibus gloriosa, & benedicta.* Quæ hic considerari possent, in aliis testimoniis expendimus.

Odo Cameracensis. Coenus Euthymio Odo Cameracensis, qui in Expositione Canonis dist. 3. hæc habet ad illa verba, *Hostiam immaculatam*, id est *Sine omni macula culpa, vipote concepta & nata sine peccato, & deinde sine culpâ vixit in mundo, idè immaculata. Nata quidem est de humanâ carne; sed sine conditione propagationis humane, idè immaculata. Est sine viro de Sancta Virgine concepta, idè immaculata. Est concepta sine humano opere,* Ioann. Euseb. Op. Parth.

sola virtute diuina, idè immaculata. Non enim potest initium habere culpabile, opus quod solum Deus fecit, & non alius, idè immaculata. Homines enim initium, qui sine humana administratione, solo Deo auctore creatus est (quamvis de mascula peccatrice) non possumus culpâ, nisi Deo peccatum velimus adscribere; idè immaculata; tamen de purâ ab omni peccato Virgine creditur conceptus & natus, idè immaculata. Postèa subdit: *Ab immaculatâ ergo sumpta est hæc Hostia, idè & ipsa immaculata.* Quid illustrius? cum postquam dixerit Christum Immaculatum, quia caruit peccato Originali & actuali, coniungat cum illo Deiparam in ratione & elogio nominis Immaculati. Ibidem dixit Spiritum sanctum custodem Virginis, vt ab omni peccato careret: supponens enim Virginem Immaculatam fuisse vique ad conceptum & partum Christi, aduertit insuper reliquum vitæ tempus licet longissimum fuerit, *Custode Spiritu sancto, sine omni culpâ vixisse.* Postem hic addere alios Auctores, qui in confinio sæculi vndecimi vixere; eos tamen in sæculo sequenti sancti Bernardi opportuniùs referemus, vt sunt Honorius Augustodunensis, Zacharias Chrysopolitanus, & alij.


His plures alij Patres adiungi possent, quos in huius Tractatus decursu ac progressu, ad munenda diuersa argumenta, passim retulimus: insuper quum plures auctoritates tam horum quam aliorum Patrum citare possem, quibus magis aut minus apertè loquuntur, puritatem Originalem supponentes; quam si non supposuissent, sine dubio permultæ illorum propositiones aut absurde, aut falsæ, aut impertinentes apparent; eâ tamen suppositâ prudentes, subtiles, ac planè admirabiles sunt iudicandæ. Præterèa, si sententia pia à primordio Ecclesiæ fuisset definita, nihil amplius desiderari posset quantum ad modum loquendi ac sentiendi de omnimodâ puritate, hoc est Originali & actuali Dei Genitricis.

Denique quamquam plura Sanctorum testimonia recensere prætermitto, propterèa quòd eorum Opera typis mandata non viderim, ex quibus consimilia depromuntur testimonia, nec tantæ satisfactionis esse videantur Auctores, qui eos citant: nihilominus adducere non desinam, quæ ipsa Ecclesia allegatum, quòd maioris auctoritatis sit Ecclesia, quam aliquis ex Doctoribus; tum etiam quòd eum totum hoc prosequar ad inuestigandam Traditionem demonstrandamque Patrum, quod ego intendo, nullum testimonium sit maiori auctoritate aut vigore suffultum, quam quæ ipsa Ecclesia in hac re admittit, ac in suis approbat Officiis, eis tantam fidem adhibendo, vt ea tamquam certa adducenda arbitretur: itaque ea pronam, quæ vel ob Patrum, vel ipsius Ecclesiæ, vim obtineant, in Officio Conceptionis, approbato à Sixto IV. ac aliis Pontificibus, quod in variis quoque Breuariis Romanis excusum fuit, sic legitur.

Hilarius: *O Virgo benedicta super omnes feminas, quæ Angelos vincis puritate, quæque omnes Sanctos superas pietate!* Cyprianus: *O Virgo iusta, & omni iustitiâ plenissima, cuius Conceptio fuit singularis!* Basilus: *O MARIA, Tu candoris & decoris forma, cui in terra non est equalis, nec in calis similis!* Augustinus: *O Mater Domini, sicut in prima femina abundavit delictum,*

ita & in Te superabundavit omnis plenitudo gratia; & ideo super omnes ignara delicti; fecit enim Deus ut MARIA non solum non peccaret; sed neque peccatum excogitare posset, & super cunctos ab omni labe preservata fuit. Origenes: Quae nec serpentis persuasione decepta, neque eius venenosis afflatibus est infecta. Ambrosius: Hac enim est Virgo, in qua nec nodus Originalis, nec cortex venialis culpe fuit. Anselmus: Si quid Originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit, illud propagatum, non propagata fuit; Deus enim castanea confert, ut inter spinas, & a spinis remota concipiatur, alatur & formetur; non potuit Filius hoc facere Matri? plane potuit, ac voluit; quod si voluit, & fecit; ideoque non puto verum esse amatorem Virginis, qui celebrare respuit Festum eius Immaculate Conceptionis. Cyrillus: Post Filium, temerarium est in MARIA Virgine ponere culpam aliquam, aut peccatum.

Ecce quam numerosum manipulum Patrum exhibuimus pro Immaculato Virginis Conceptu, ex priscis illis vndecim saeculorum temporibus; sed praeter illos, ratio habenda est eorum Pontificum, qui Concilia antiqua, commendantia omnimodam Virginis puritatem, approbarunt. Scilicet S. Caesarius I. & S. Sixtus III. qui approbarunt Concilium Ephesinum; Pelagius II. & Vigilius Pontifex, qui approbarunt quintum generale Concilium Constantinopolitanum, sicut & Adrianus I. qui etiam cooperatus est Concilio Francofordiensi, & confirmavit Nicenum secundum, simul cum Leone Pontifice: in horum numero est S. Agatho, sub cuius auspiciis celebrata est sexta Synodus generalis. De aliis Pontificibus non nihil iam diximus. Ratio quoque habenda est multitudinis Episcoporum, qui ad dicta Concilia convenire, cum solum ad Chalcedonense confluerint sexcenti & triginta Episcopi. Et in Concilio Francofordiensi continentur suffragia omnium Episcoporum Germaniae, Galliae & Aquitaniae, & totius Cleri. Quid dicendum de aliis Conciliis numerosissimis? Accedit ad haec non numerus Patrum, sed tota Ecclesia Graeca, quae in suis Liturgiis, Menaeis, & Euchologiis egregie, ut notaui, exultat omnimodam Virginis puritatem. Ex Auctoribus autem citatis fateor aliquos esse, sed paucos, quorum saeculum ignoratur; sed absque dubio paucissimi sunt, & vix excedent octo aut decem, qui inveniuntur fortasse infra saeculum vndecimum fuisse. Vt eumque tamen confirmant hanc antiquam Traditionem. Postea dabimus ex saeculo sancti Bernardi, nempe duodecimo, alios plures, & deinde ex saeculis sequentibus.



CAPVT XV.

Isdem argumentis ab auctoritatibus desumptis, quae contra opinionem ab Aduersariis obiiciuntur, equaliter comprobatur, unam & eandem Traditionem esse de puritate actuali, ac Originali.



NTEQVAM vltius prosequar huius Traditionis continuationem, a superioribus vndecim Ecclesiae saeculis ad haec usque tempora, quasi per manus traductae, me expediam a molestiis argumentorum oppositorum, haud quidquam aduersus meam assertionem minitantium, tum ut liberiores scripturientis calami cursum impedire non videantur; tum etiam ut ex iis solvendis, ac in ipsos Aduersarios retorquendis, huius nostrae Traditionis veritas elucescat magis, ac confirmetur.

Primum argumentum sic insurgit: Plerique Patres omni homini Originale peccatum attribuunt; igitur iuxta mentem illorum Beatissima Virgo peccatum Originale non declinavit. Respondeo instando argumentum: Plerique etiam omni adulto peccatum actuale concesserunt; hoc tamen non impedit, quod minus ex particulari privilegio vnus ex adultis in nullum, quamvis leuissimum, peccatum veniale incidit: pari igitur modo, non obstante veritate primae illius propositionis vniuersalis ac regulae, Beatissima Virgo potuit, sicut de facto contigit, singularis praerogativae beneficio a peccato Originali preservari: itaque dicendum, eam fuisse exemptam ab utraque propositione communi, ob specialitatem privilegij sibi concessi; vel si vna regula, utpote prima, hanc exemptionem non admittit, nec altera eam sustinebit; quod quam erroneum sit, singulis liquet.

Praeterea, loca sacrae Paginae maiorem vim habent, quam Patrum testimonia; nihilominus tamen, quae ex his euidenter, ac sine exceptione saltem expressa attribuunt omnibus hominibus peccatum Originale, non destruunt opinionem piam, ut ex Sixto IV. ac Concilio constat Tridentino: multo ergo minus Sanctorum auctoritates eam eneruabunt. Insuper, plura sunt loca in sacra Scriptura, quae omnibus attribuunt tam peccatum actuale quam Originale; atqui haec non sunt impedimento, quod minus vna persona particularis, nimirum Beatissima Virgo, a regula communi circa peccatum actuale excipitur: ergo nec loca pauciora eam euitare communem infelicitatem contrahendi peccatum Originale prohibebunt. Vltius: postquam Concilium Mileuitanum iam definiuit Can. 6. & 8. omnes posse vere orare pro consequenda venia suorum delictorum, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra*; Concilium tamen Tridentinum ab hac regula communi peccantium B. Virginem exclusit, cum nulla contraxerit debita, pro quibus dimittendis auxilium diuinum imploraret; & quod plus est, viam non omnino occlusit huic privilegio, ut etiam ad alios speciali Dei

Filius; ita in terra qualis Mater, talis Filius.
 S. Bernardus. S. Bernardus super *Missus est*, Homil. 3. postquam dixisset Deum esse cum omnibus Sanctis per concordiam voluntatis, subdit: *Specialiter tamen cum MARIA cum qua itaque tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret.* Eadem omnino habentur in Concilio Polonienfi cap. 59. Itaque dicendum meritò est, Patres repurasse CHRISTUM & MARIAM pro vnâ eademque carne, quando solum Christum à lege generali exemerunt, vel censuisse hunc Christi honorem fuisse illatiuè suæ Genitricis priuilegium; hoc namque illud sequitur quasi ex vi naturalis sequelæ modo dicto.

Tertiò responderi potest; Patres non tam locutos fuisse de peccato Originali, quàm de debito illius; cuius optimum indicium est, quòd plures hoc in Cõceptione materiali, quæ animæ infusionem antecedit, illud constituent debitum, in quâ nullum est subiectum capax peccati; sed tantum illius debiti: & quemadmodum debitum mortis in sacra Scripturâ mors etiam appellatur; ita & debitum peccati Originalis à quibusdam Sanctis peccatum Originale vocari consuevit: de quo celeberrimum testimonium est illud S. Anselmi lib. de Conceptione Virginis cap. 7. sed de hoc argumento infra sermo redibit; nam interest illud minutius examinare, ac præsupponere tamquam certum, ad facilius intelligenda ea, quæ in sequentibus tractanda sunt: tot modis responderi potest Aduersariorum obiectionibus, ut tantò imbecilliores innotescant, quantò multipliciores sunt solutiones, quibus dissoluuntur.

Obiiciunt rursum: quidam Patres vocant carnem Beatissimæ Virginis peccatricem, aut *carnem peccati*, non aliunde, nisi quia peccatum admisit, non aliud quàm Originale; ergo. Hoc certè argumentum resilit etiam in ipsos Aduersarios, nec minùs puritatem actualem infestat: sed assero testimonium Patrum nec vni nec alteri puritati aduersari: nam Patres carnem Virginis nuncuparunt peccatricem, aut *carnem peccati*, ob debitum tantum peccati, sicut iam dixi; non verò ob ipsum peccatum admissum. Hoc etiam testimonio ac solutione superior obiectio euanescit. Præterea opinor ego Patres sic eam vocasse, quòd carnem habuerit eiusdem speciei cum carne Adami, eamque ab Adamo per paternæ generationis descensum traxerit, quæ ex se peccatrix est, ac suoapte ingenio in peccatum inclinat; licet hæc propensitas, aut saltem peccati executio in B. Virgine cessauerit, ac planè fuerit extincta. Hoc confirmatur auctoritate Diui Ildesonsi, qui, etsi totis viribus purissimam Conceptionem Deiparæ in lib. de Parturit. B. Virginis defenderit; eam tamen ibidem vocat *carnem peccati*: quia licet secundum specificam rationem peccatrix fuit, quamuis secundum indiuidualem conditionem sancta fuerit; nam maculam generali naturæ iure contrahendam illa singulari priuilegio impediuit. Deinde dici potest, assumpsisse Christum carnem peccati, hoc est morituram, quasi diceretur carnem mortis; quoniam, ut norauit Claudius Taurinensis, mors dicitur aliquando in Scripturâ peccatum, cum effectus & pœna fuerit peccati, quod variis etiam exemplis comprobatur: eius verba sunt in Epist. ad Galat. cap. 3. ad illa verba, *Factus pro nobis*

Claudius
Taurinens.

maledictum. Mors hominis ex pœna peccati est, unde & ipsa peccatum dicitur: non quia peccat homo, dum moritur; sed quia ex peccato factum est, ut moriatur: sicut alio modo dicitur lingua proprie caro, quæ intra dentes sub palato mouetur; & alio modo dicitur lingua, quod per linguam fit: secundum quem modum dicitur lingua Græca, alia Latina. Et manus alio modo dicitur ipsum proprie corporis membrum, quod mouemus ad operandum; & alio modo manus dicitur scriptura, quæ fit per manum. Dicimus enim, Prolata est manus eius, Lecta est aduersus eum manus eius. Habeo manum tuam, manus utique proprie membrum est hominis: non autem opinor illam scripturam membrum esse hominis, & tamen dicitur manus, eò quòd manu facta fit. Sic & peccatum non tantum ipsum opus malum, quod pœna dignum est; sed etiam ipsa mors, quæ propter peccata est, peccatum appellatum est. Illud itaque peccatum, quo reus esset mortis, non commisit Christus, illud autem alterum, id est mortem, quæ peccato inflata est humana nature, suscepit pro nobis. Hoc suspendit in ligno, hoc maledictum est per Moysen: ibi mors damnata est, ne regnaret, & maledicta est, ut periret.

Tum etiam argumentantur sic: Aliqui Patres Virginem dicunt *Mundatam, Purgatam, & Sanctificatam*, quibus verbis supponitur peccatum, aut sordes, quæ extergatur, &c. Verum hoc etiam argumentum æquè impetit ac oppugnat puritatem actualem, nam illi termini non minùs respiciunt expiationem aut expurgationem culpæ actualis quàm Originalis. Sic Sophronius illis verbis, quando dixit quòd B. Virgo fuit *ab omni contagione liberata*, æqualiter peccatum actuale comprehendit: signum namque vniuersale *omnis*, multitudinem respicit: quapropter ineptè diceretur omnis Deus, cum vnus & idem sit. Porro peccatum Originale vnum est; peccatum verò actuale multiplex, aut multiplicari non repugnat: igitur ut significatio particule *omnis* locum obtineat, significantius forte, & expressius peccatum actuale, quod est capax pluralitatis, connotabit, quàm Originale, in vnâ personâ multiplicari nescium, vel ad minus postulabit, ut vnum cum altero numero componat. Similiter Diuus Bernardus Serm. de S. Ioanne Baptistâ, dicit *Virginem à peccatis ablutam*, loquens in numero plurali de peccatis. Præterea hoc modo loquendi Patres vtuntur tempore Annuntiationis, aut Incarnationis, Verbi, quando iam Virgo fuit adulta, nec Originalis peccati contagio fuit infecta, ut constat, cum tamen tunc plura actualia habere potuerat. Insuper Sanctus Ioannes Damascenus lib. 3. Fidei capite 2. dicit: *Spiritus Sanctus superuenit in Virginem, purgans ipsam.* Ex his omnibus planissimè deducitur, Virginis purgationem hæc non consistere in abluendis eius peccatis, cum nulla prorsus agnouerit, sed in maiori sanctificatione, ac vberioris gratiæ incremento, quod vel eo maxime constat, quòd Sancti, qui acrius ac aperto Marte Conceptionem Immaculatam propugnabant, hunc modum loquendi secuti sunt, ut sanctus Damascenus, & sanctus Ildesonsus libro de Parturit. Virginis, qui sic loquitur: *Si non eodem Spiritu sanctificata est & emundata, quomodo eius caro non caro peccati fuit?* Tum etiam atis verificari posset emundatio de debito culpæ, quod vocauit *Maculam* S. Thomas. Denique (quo funditus corruit hæc obiectio) pari modo etiam de Christo quidam

Mors peccati dicitur, quia ex peccato orta est.

Diuus Bernardus.

S. Ioannes Damascenus.


S. Ildesonsus.

S. Ambrosius.

quidam Sancti loquuntur, quorum vnus est S. Ambrosius, qui c. 8. ad Romanos dixit, quod fuit *Caro Christi à Spiritu sancto exspirata.*

Denique valida & vltima solutio est, quod prædictis omnibus obiectionibus non obstantibus, Concilium Tridentinum excepit Beatissimam Virginem à generali regulâ peccati Originalis; ac Sixtus IV. & alij multi Pontifices inexpugnabili patrocinijs sui ac fauoris præsidio opinionem piam ad eò muniant, vt à quorumcumque aduersariorum irruptione maneat defensa, & ab auctoritatum aut testimoniorum strepitu illæsa consistat; imò hæc eam fouent, ac præstant subsidium: quippe si quis sentiret oppositam constare ex Scripturâ aut Sanctis magnam inferret Concilio ac Summis Pontificibus iniuriam, eis leuitatis ac indeliberationis notam appingendo, quòd fauerint sententiæ, quæ pugnat cum Scripturâ & multitudine sanctorum Patrum.

Ex omnibus supradictis vnum colligitur argumentum, quo vnitas huius Traditionis probatur, quæ omnem puritatem Beatissimæ Virginis, tam actualem, quam Originalem indiscriminatim comprehendat; quod est tale: Omnia quæ in fauorem puritatis actualis inclinant, promouent etiam Originalem, ac ei suffragantur: vice versa: Omnia Aduersariorum argumenta, quæ quidquam moliri videntur contra puritatem Originalem, pari etiam gradu actuali aduersantur, sicut hoc capitulo iam visum est: hoc est magnum indicium, vnam & alteram pariles in stadio huius Traditionis concurrere.



CAPVT XV.

Eadem Traditio ex ipsis Ecclesijs inimicis confirmatur.



Hæc ipsa traditio Patrum, qui prioribus vndecim Ecclesiæ sæculis flourerunt, de Virginis totali puritate in eâ etiam comprehensâ munditiâ Originali, ex ipsis etiam Ecclesijs inimicis comprobari potest; quod facile liquet ex iis, quæ contra Ecclesiam meditati sunt, in eâ supponentes pro indubitata Traditionem de Originali iustitiâ Dei Genitricis. Et primò: nam Hæretici Collyridiani ob hanc suppositionem eò progressi sunt, vt in talem inciderint errorem, quòd minimè dubitauerint corpus Beatissimæ Virginis non fuisse ex nostrâ carne, nec originem traxisse ab Adamo; sed materiam, ac carnem sanctissimam, & planè diuinam. Et quemadmodum Pelagiani ex iis, quæ scripsit Augustinus contra Manichæos ad stabiendum liberum arbitrium, conformiter ad veritatem Catholicam ansam arripuerunt, vt gratiæ necessitatem è medio tollerent, in quo turpiter errarunt; ita hi Hæretici antiqui ex puritate Originali, quam Beatissimam Virginem in primâ sui formatione obtinuisse non dubitauit Ecclesijs sui erroris occasionem sumplerunt, asserentes propterea Virginem Sanctissimam non ex carne communi, nec Adam, sed ex quadam materiâ, quæ ex cælo descenderet, fuisse efformatam. Hæretici enim Iconomachi, propterea quod iam viderint plenariam

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Virginis puritatem, ac nulli labi indulgentem ab Ecclesia valde acceptatam, eam admiserunt, sic loquendo; *Iterum atque iterum Sanctissimam, & ter inculpata.* Elipandus quoque, cum hæreticus erat in Epistolâ, quam scripserat contra B. Alchuuinum, palam professus est puritatem Originariam Deiparæ, cum eam vocauit *Gloriosam Dei Virginem, adoptiuam Filiam genitam.* Quid clarius, cum idem sit dicere *Genitam, adoptiuam Dei Filiam*, ac confiteri conceptam in gratiâ?

Similiter Sarraceni opinionem negatiuam fatentur: nam suus falsus Propheta inter cetera; quæ à Christiana Religione iussuratus est, etiam Beatissimæ Virginis omnimodam puritatem, quam in illâ ætate vidit receptissimam, vsurpauit: itaque in suâ falsâ scripturâ, aut Alcoran, dixit: *Nullus de filiis Adam nascitur, quem non tangat Satan, & ideo plorat vociferans ex eius tactu, præter MARIAM & Filium eius.* Hæc continentur in Azuarâ 75. quod etiam confirmatur Azuara 5. vbi dicitur: *MARIA omnibus viris & mulieribus splendidior, & mundior, atque lotior, soli Deo perseueranter studens.* Hunc fuisse sensum Sarracenorum, constat ex illâ Historiâ quam refert Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus in Expositione Cantici *Magnificat* ad illa verba, *Qui fecit mihi magna,* & eius meminit Ambrosius Catherinus libr. 2. de Conceptione, Persuas. 19. de quodam filio Soldani Armenij, qui audiens Concionatorem, probantem Virginem contraxisse culpam Originalem, præsentem Pontifice Ioanne XXII. *Surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papa & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis, qui erant capita Christiana Religionis, vt talia tolerarent audire de Virgine MARIA. Vnde etiam dixit, quod si quis talia dixisset in conspectu Califæ, aut Soldani Aegypti, aut in conspectu aliorum Sarracenorum, nullo pacto posset euadere, quin ab omnibus lapidaretur, quantumcumque ille esset magnus.* Eadem de initiali puritate Deiparæ sententia infedit alteri Sarraceno Regis cuiusdam transmarini filio, ac Soldani nepoti, quem Ioannes de Capistrano testis omnis exceptione maior, Romæ apud Cardinalem Prænestinum, contra iniquationem Conceptionis B. Mariæ fortissimè agentem inducit Turcas, Persas, Arabes, Mauros, Tartaros, in suis Alcoranis, disertè affirmare B. Virginè (quippè futuram IESU Matrem) absque originarij peccati macula fuisse conceptam, Feuardentius notauit. Nec desunt, qui scribant in codice Legis Mahumeticæ, hæc legi exarata. [*Mater IESU, est amica Legis, quia tantum Prophetam portauit in vtero. Ideo si quis diceret, in ea fuisse peccatum, euelli debent ei illico dentes, secundum ipsam Legem.*]

Id ipsum confirmat lex illa Mahometanorum, quam refert tanquam testis oculatus Ioannes Cotouicus lib. 3. c. 3. Itinerarij Ierosolymitani. Huius legis verba ista sunt: *Si quis, siue Christianus, siue Turca, vel Maurus, vel Arabs, Christum illud Verbum Dei, quem virtute Spiritus sancti à MARIAM procreatum credimus; vel etiam ipsam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit & excellentiorem, blasphemauerit, præter multam pecuniariam, sexaginta fustuarij plagas sustinebit.* Cuius quidem legis, inquit, apud Turcas exactissima est obseruatio. Idem ait: *Mausoleum quoque Virginis Mahumetani crebro iniisunt, & preci-*

Iacobus de Valentia Episc. Christopolit.

bus honorant. In summa namque estimatione etiam Virginem MARIAM habent, quam & ante & post partum Virginem semper permansisse constanter credunt; eamque Alcorani testimonio tamquam à Deo electam, & summis virtutibus ornatam, cunctis mundi mulieribus anteponunt, atque omni laude dignissimam fatentur. Quòd autem in lege prædicta dicatur Virgo omnibus creaturis purior, supponit non habuisse spurcitiam Originalis culpæ, & eiusmodi intellecta fuisse à Mahometanis verba Alcorani. Ex quorum sensu Leonardus Nogarolis in Epist. ad Sixtum IV. dixit: *Inimicus Christiani nominis Mahomet in Alcorano Originalem maculam à Christi Matre excludit.* Idem confirmant alij Auctores. Et videndi quidem sunt Ioannes Serranus, Episcopus Acerentis lib. 2. cap. 34. §. 4. & Lazara in Apologetico cap. 23. Eius legis Mahometicæ circa cultum Virginis meminit Iacobus de Valentia super Canticum *Magnificat*, qui de hoc fuisse vniuersale inter Sarracenos Decretum factum his affirmat verbis: *Dicunt omnes Aphachini, id est Doctores Sarracenorum, quòd postquam Deus, & Angeli, & Mahometus appellant Virginem MARIAM Sanctam & Beatam, quòd sit anathema omnis ille, qui eam non fuerit neratus.*

Photius.

Ceterum postquam vidimus nec à Mahometanis, nec ab Hæreticis contradicendum fuisse primis illis sæculis puritati Conceptionis MARIANÆ, ostendamus etiam ab schismaticis fuisse etiam probatam prioribus illis sæculis. Photius enim, eminentis eruditionis vir, sed supereminens nequitia, Homil. de Natiuitate Virginis, supponit Immaculatam eius Conceptionem, alludens ad illud celebre dictum sancti Andreae, de nato Christo ex terrâ Virgine, & non maledictâ. *Erat itaque Fictoris præparanda Mater, quò sic resingeretur quòd confractum erat, eamque Virginem esse oportebat; ut sicut rimus homo è terra virgine fictus fuerat, sic ex vuluâ virgine noua iterum fictio ederetur, atque ut nulla prorsus voluptatis insinuatione, vel si ea legitima foret, in Creatoris partu intelligeretur. Quippe erat voluptatis captiuus, quem Dominus, ut liberaret, nasci voluerat. Enimuerò quenam mysterij digna sit esse ministra, quanam digna effici Dei Mater, ac ei commodare carnem, in cuius vniuersa censentur diuitiis. Postea subdit: Oportebat, ut qua noua ac insolita ratione ab infecundis lumbis nata prodisset, parentumque probrum absulisset, a norum quoque ruinam instauraret. Ibidem ait: Dominica Sedes in terra paratur, terrenaque sanctificatur, ac celestium Ordines nobiscum congregantur; illiusque nequam, ac qui nos primum decepit, fuitque auctor insidiarum humano positarum generi, dolis eius ac molitionibus euanescentibus potentia colliditur. Collectio similitum locutionum satis supponit, extinctum in Conceptione virgineâ maledictum antiquæ labis per gratiæ præseruationem. Non sum veritus schismaticum hominem allegare pro puritate virgineâ, cum constet Deiparam Virginem aded rem cunctis amabilem esse, ut eius honori & laudibus etiam impij faueant; & licet penè dedecus sit, ab homine malitioso laudari; tamen violenta lux illa veritatis numquam magis esse inuicta cognoscitur, quam cum oculis etiam impiorum perstringit. Ided quodammodò spectat ad Virginis honorem, quòd eas immunitatem omnes, siue boni siue mali sint, agnoscant & magnificent. Sunt etiam pro Deiparæ puritate manifesta verba*

Philothei Constantinopolitani, qui posterioribus sæculis etiam schismaticus fuit. Atque opportunè aut importunè placet hic appendere. Is in Menæis Græcis die 16. Iulij, Ode 8. Canonis primi, de SS. Patribus Conciliorum Oecumenicorum, in clausulâ hæc habet: *Tota pulchra es, ô Virgo! planè tota pulchra: tota nil nisi nitore & speciei lucis, tota item Phosphorus, seu diem ac Deum afferens stella. Quare lumina cordis mei illumina, ut qui tuam, ô Domina, gloriam instar æra exhalo, sumque vulneratus à singulari Te glorificandi amore.* Planè oportet censere Ecclesiam Græcam, quæ numquam hominibus sincerè Catholicis caruit, cum semel hæc Philothei verba in os suum accepit, meritò Auctoris mali infamiam sanctiori auctoritate suâ diluisse. Sunt etiâ ex posterioribus Hæreticis, qui puritati Marianæ non auersentur. Luterus serm. de Concept. ita dixit: *MARIÆ Conceptio pie creditur sine originali peccato facta esse; ut scilicet in ipsa anime infusione, una etiam ab originali peccato purificata, fuerit, diuinis dotibus rearmata, ad accipiendam sanctam animam, à Deo ipso infusam. Atque ita in primo momento cum viuere inciperet omnis peccati expers erat.* In Rituali Anglorum, Libro precum publicarum, & in Ministerio publicæ administrationis Ecclesiasticæ, Londini cuso cum priuilegio Elisabeth Reginæ, disertè præcipitur, ut pridie Conceptionis, & Natiuitatis B. VIRGINIS, seruetur ieiunium, eaque Festa iuxta antiquum morem celebrentur.


Quid restat, nisi quod de Iudæis dicamus idem? Sanè Galatinus lib. 7. multas antiquorum Rabinorum traditiones congerit, in quibus prisci Iudæi excipiebant Matrem Messiaë ab omni peccato etiam Originali: luculentum testimonium est Rabbi Haccados, qui libro Galeraccia, cum ad septimam Antonini Consulis Urbis Romæ petitionem inter cetera dixisset; propter Matrem verò eius, scilicet Messiaë, ait David Psalm. 80. secundum Hebræos, & 79. secundum Latinos, *Perfice eam, quam plantauit dextera tua*, legens ipse abacum, quam plantauit dextera tua: dixissetque ei Antoninus, cur Mater Dei comparatur abaco, curve dicit, eam à dexterâ Dei plantatam? Respondit sic ille: *Similis facta est abaco Mater Dei, quandoquidem sicut abacus est armarium, quod principes conficiunt ad collocanda vascula auri & argenti, ut gloriam suam atque opes omnibus ostendant: ita Mater Regis Messiaë erit armarium, quod Deus construxit, ut in eo sedeat ipse Messias ad ostendendam gloriam Maiestatis suæ cunctis mortalibus, per id autem quod ait plantatam esse à dextera Dei, ostendit eam primam esse creaturam Dei in genere humano: sicut dictum est Michæ 5. cap. Et egressus eius ab aternitate, & à diebus sæculi: dicit enim egressus numero multitudinis; quia sunt duo Messiaë egressus: vnus diuinitatis, quæ & aterna; ideoque dicit ab aternitate. Alter humanitatis, quæ in sue Matris extat substantia, quæ creata est ab horâ creationis mûdi.* Hæc ille: quem Iudæi Magistrû nostrum sanctum nuncupant, ad quorum declarationem notandum est, quòd opinio quorundam veterum Iudæorum fuit, Matrem Messiaë, non solùm in mente Dei ab initio & ante sæcula creatam fuisse, verùm etiam materiam eius in materiâ Adæ fuisse productam, ipsamque gloriosam Messiaë Matrem principalem existisse, cum eius amore mundus creatus sit. Legi potest citatus Galatinus cap. 2. & 3. & 4. eiusdem libri septimi de Arcanis. Ad illud Cantic.

Rabbi Haccados.

tic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: ex Rabbiorum aliquorum traditionibus legitur: *Et macula Originalis non est in Te, neque fuit*. Hæc confirmat, quod dixi Canisius lib. 1. de Beatissimâ Virgine cap. 1. *Hebræi inter arcana sua celeberrimum ducunt, unam inter creaturas omnes longè perfectissimam esse; ipsi Mitatron, hoc est Principem facierum appellant; quia semper stet ante faciem summi Imperatoris, & ius habeat ad ipsius presentiam benemeritos introducendi. Animaduersum est autem ab eruditis, MARIÆ nomen cum illo (Mitatron) haud perperam conuenire. Quod latè probat idem Canisius. Ex posterioribus quoque Iudæis veritati, pro quâ sagittamus, testimonium perhibuisse leguntur. Nam apud Cremam, Lombardiæ urbem Iudæus disputans cum fratribus impugnantibus Conceptionis immaculatæ, confudit illos; demonstrans, supposito quod IESVS MARIÆ Filius, verè fuerit Messias, negari non posse, quin Mater eius fuerit immunis à quouis peccato, & actuali, & originali. Quæ enim conuentio, MATRIS Dei, atque peccati? Ratiocinatio, gemina ei, quâ passim Patres ex illo B. VIRGINIS apud Matchæum elogio. *De qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS* inferunt immensitatem donorum, quibus B. VIRGINIS est honestata diuinitus; & nominatim exclusionem peccati. Itaque ne posteriores quidem Rabbini, tametsi plerumque fabulatores, ad euidenciam huius veritatis cæcutuerunt.*

Hæc testimonia tamquam certa veritatis argumenta non adduco; sed tantum occasionem, nimirum Ecclesiæ Christianæ consensum vniuersum, aut communem, tempore, quo (vt supra vidimus) celebrari incepit Festiuitas Conceptionis post Concilium Ephesinum, simul cum Natiuitate eiusdem Beatissimæ Virginis.

Denique maior inimicorum Ecclesiæ Satan non est inficiatus immunitatem Matris Dei, adiuratus qualis fuisset eius Conceptio, ter exclamauit *sine macula*. In idiotâ quoque energumenus rogatus idem, latinè respondit, interuenisse in eam manum Dei, a communi peccato præseruantem; idque multis & validis rationibus confirmauit. De qua Pietas Lugdunensis, puncto 14. & alij.



CAPVT XVI.

Vis huius Traditionis vndecim seculorum, eiusque continuatio vsque in hodiernum diem ostenditur, mens quoque sancti Bernardi circa Festiuitatem Conceptionis declaratur.



RIVSQVAM ad alia progrediamur, maxime notandum est, vnam Traditionem, quæ per vndecim secula durasset vniuersi ac vniuersali ferè omnium Patrum cõsensu, saltem refragante nullo, per consuetudinem quoque immemorabilem vsitata, ac ab ipso tempore Apostolorum deriuata, sufficiens præstare mo-

tiuam, vt ob eam Ecclesiæ sententiam ferat, ac aliquid determinatum decernat, non obstante quòd in sæculis postremis in aliquam vertatur à nonnullis controuersiam: incredibile etenim est, Deum permisisse Ecclesiæ per tot annos in errore perleuerasse. Hoc dico, ex eo quòd licet vicinis nostris temporibus circa mysterium Conceptionis contradictio incepisse videatur; talis tamen Traditionis tam antiquæ, ac tot Sanctorum munimentis suffulta, auctoritatem diminuere non valet; alias enim Traditiones leuioris ponderis, licet quibusdam Aduersariorum calumniis ac oppositionibus aliquando expositas, Ecclesiæ non desinit venerari. Verum in posterum de hac Traditione demonstrabo, eam semper in Ecclesiâ sine interruptione fuisse continuatam, nullam sustinuisse veram contradictionem, aut quæ alicuius sit momenti; sed tantum apparentem, ita quòd semper hanc veritatem obseruauit Ecclesiæ; illam namque in omni ætate maior ac principalior illius pars obnixè tuebatur, imò nullus hucusque extitit Sanctus, vt iam notaui, de quo dici possit contrarium asseueranter, & persëueranter aut fixè docuisse, sicut mox demonstrabimus, ac principaliores ex antiquis Scholasticis arbitrati sunt.

Nunc accedamus ad demonstrandum hanc Traditionem ac sensum Ecclesiæ, sine interuallo temporis admisso, semper fuisse continuatam ad hunc vsque diem, nec reuerà mysterium Conceptionis minori apud Ecclesiæ valuisse auctoritate aut valore, quando ab aliquot contradictionibus primâ facie fuit impetita.

Primus contra hoc mysterium suspicionem excitasse videtur sanctus Bernardus, initio sæculi duodecimi: nam quando in Ecclesiâ Lugdunensi in Franciâ Festiuitas Conceptionis celebrabatur, ad Canonicos illius Ecclesiæ quamdam scripsit Epistolam, quæ in ordine est 174. reprehendens eos, quòd propriâ auctoritate, ac præter vsum Ecclesiæ illam celebrassent Festiuitatem, dicendo Conceptionem Virginis sanctitatem eius præcessisse, postea eius verba ad integrum apponemus, & sic explanabimus, vt totum, quod egisse ac dixisse contra Conceptionem videbatur sanctus Bernardus, potius in eius fauorem ac maiorem applausum conuertatur. Sed prius noto, non proinde sequi Diuum Bernardum contradixisse veritati huius mysterij, ex eo quòd eius Festiuitatem sine auctoritate legitimâ celebrari prohibuerit, aut celebrantes reprehenderit, nã etiam Petrus Cellensis lib. 6. Epist. 22. quæ scripsit ad Nicolaum, Monachum sancti Albani in Angliâ, consuetudinem celebrandi Festiuitatem Conceptionis, sine auctoritate Papæ reprobauit, simulque oppugnavit, non tamen propterea censeri debet quidquam meditari contra veritatem huius mysterij, quam ipse palam admisit, concedendo Beatissimam Virginem fuisse conceptam sine peccato Originali, sicut censuit & defendit ipse Nicolaus in Epist. ad Petrum Cellensem, ac nos postea dicemus. Propterea idem Petrus in aliâ Epistolâ, quæ est 10. lib. 9. quam ad prædictum scripsit Nicolaum, sic ait: *Virginem laudas, & ego laudo; prædicas & sanctam, & ego; extollis super choros Angelorum, & ego; dicis immunem ab omni peccato, & ego.* Sunt verba valde peculiaris ac expressiuæ firmitatis ac constantiæ, quâ huic veritati adhæsit, quæ paulò antè in eadem Epistolâ scripsit: *Credo, dico, assero Beatissimam Virginem nostram in aternâ prædestinatione singulari privilegio munitam, nec à suâ*

Petrus Cellensis.

Conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse & permansisse illibatam, & sicut Beata ultra humanam, & ceterorum hominum naturam, sic secreta & incognita manet ultra omnium notionem. Et in cap. 12. de Panibus dicit: Privilegio tamen Filij sui supra totius creatura meritum Mater Dei asperione Spiritus sancti, tota Deitatis gratia est superfusa. Idem Cellensis cap. 21. d. Panibus, postquam dixisset: Clibanus, uteris est virginalis, ignis, gratia sancti Spiritus, panis incarnatio Filij Dei. Subiicit mox: Oportuit nempe, hanc prius clibanum, non vili siemmate, neque more consuetudinario fabricari, quatenus, in plenitudine temporis panis, qui dat vitam mundo, de celo descendens, pro dignitate sua congruum inueniret locum, ubi posset opportunè carnem assumendo decoqui. Satis clarè Immaculatam Virg. Formationem innuit, extra morem hominum. Subdit: Ignem enim vrentem nunquam admisit, que carnis concupiscentiam non sensit: ignem fumantem non suscepit, que non concepit iniquitatem, ignem consumentem non nouit, que rorem de celis in corde & in ventre plenissime accepit. Rursus inquit: Fœderis arca continens in se quidquid est sanctificationis, vel creature, vel creantis. Iterum fatur: Filius est Sanctorum, Mater est Sancta Sanctarum. Et addit paulò post: Filius est altare de terrâ sanctâ, quia corpus habet de Matre sine maculâ, in quo cremantur holocaustomat a dum condonantur peccata. Tandem locutus de Virgine ait: Quid amplius ei assignare possumus diuini muneris & honoris, quam (ut quod verum est fateamur) Genitricem eam Dei esse & hominis? Infrâ hoc dicitur, quidquid in eius commendatione offertur. Vnde sequitur, non perinde esse, contradicere Festiuitati celebrandæ, ac ipsius mysterij veritati.

Confirmatur autem hoc ipsum ex Photone Pruniensi in fine libri 3. de Statu domus Dei, qui coæuus fuit sancto Bernardo; & similiter sicut ille, reprehendit Monachos Benedictinos, quod introduxerint nouas Festiuitates, inter quas explicat Conceptionem B. MARIÆ Virginis, sed ex eius verbis euidenter colligitur non reprehendisse celebrari Conceptionem, quod putaret non fuisse Sanctam, & minimè cultu sacro dignam, cum pariter etiam reprehendat celebrari festum Sanctissimæ Trinitatis, & festum Transfigurationis: quæ quidem mysteria indubitatè sunt sancta dignissima cultu Ecclesiastico, quemadmodum & Ecclesia postea instituit celebrandam vtramque Festiuitatem. Causa igitur reprehendendi illas fuit, quod priuatâ & propriâ auctoritate fuissent introductæ. Atque idcirco non in spiritu humilitatis & obedientiæ, sed fortasse in aliquâ præsumptione proprii iudicij & libertatis. Verba eius sunt: *Ecce enim vita monastica, que erat columna & firmamentum religionis, in qua videlicet viguit disciplina censura, morum grauitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis Officiis repentinis visa est nouitatibus acquiescere, & quadam inueniendi passa est decolorari lenitate. Miramur ergo satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam Monasteriis mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Numquid Patribus doctiores aut deuotiores sumus? superbâ mente præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præteriuuit. Neque verò nos in huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod illorum quinerit diligentiam præterisse. Quæ igitur ratio hæc*

Festa celebranda nobis induxit? Festum videlicet sanctæ Trinitatis, Festum Transfigurationis Domini. Additur his à quibusdam, quod magis absurdum videtur, Festum quoque Conceptionis sanctæ MARIÆ. Nos in his omnibus deuotioni fidelium minimè derogamus, dum rationem querimus, quâ rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne forte à via recta deuiantes, præsumptionis spiritu seducamur. Non dixit erroris spiritu, sed præsumptionis, quia non errabant Monachi Benedictini in veritate sanctitatis Conceptionis, sed deuiabant in præsumptione & iudicio proprio.



CAPVT XVII.

Exponuntur termini & modi loquendi Antiquorum circa hanc materiam, per quos demonstratur eandem Traditionem vsque ad nostra hæc tempora continuatam fuisse.



PROPOSITIS prædictis, vt plenius perueniamus ad intelligendum verum sensum Diui Bernardi, de hac re quædam prænotanda sunt; ac vt omnia iaciamus fundamenta, & necessaria ad intelligendos alios Patres & Scholasticos, qui contra purissimam Conceptionem obiiciuntur, quamquam ei potius faueant, oportet modos loquendi Antiquorum in hac materiâ dilucidare, ac quorundam terminorum significationem examinare, ne ob illorum ignorantiam à sensu, quem illi habuerunt, aberrare contingat, quemadmodum enim in aliis rebus, nisi quis calleat significationem terminorum, frustraneum est ad altiora contendere, ita nec in hac materia, nisi sensu verborum instructus, ad vltiora sine notabili periculo erroris progredi valebit: ignoratis quippe terminis, magna æquiuocationis confusio in Operis decursu, ac huiusmodi occasio solet euenire.

Itaque dico magnam confusionem posse contingere in intelligendis his quatuor modis loquendi antiquorum Scriptorum, ac Primò circa modum aut sensum, in quo vsi sunt hoc nomine, *peccatum Originale*. Secundò circa acceptionem termini *Conceptio*. Tertio, circa intelligentiam huius propositionis, *Concepta in peccato Originali, aut culpâ*. Quarto, circa quartum & vltimum loquendi modum seu intellectum huius phrasos, *sanctificata post animationem*, à quibusdam vsitata: nam hi omnes modi loquendi, quamuis illis aliquis Auctor vtatur, non sufficiunt vt de eo iudicetur existimasse animam Beatissimæ Virginis fuisse creatam in peccato Originali, in quo consistit nodus quæstionis, quæ hodie agitur; cum omnibus etenim illis componi potest creatio in gratiâ & præseruatio à culpâ Originali, vt statim videbimus.

Quantum spectat ad primum modum loquendi, dicendum, quod inter Antiquos non solum culpa contracta significari consuevit per peccatum

S. Anselmus.

tum Originale; sed debitum ad culpam contrahendam antè etiam quàm contrahatur, sicut etiam in sacrâ Scripturâ mors dicitur etiam debitum mortis, quod sanctus Anselmus obseruauit, & illius reddit rationem lib. de Conceptu Virginali & Peccato Originali cap. 7. in cuius Titulo hanc proponit quæstionem: *Quod semen hominis dicatur immundum, & concipi in peccatis, quamuis in eo non sit peccatum.* Et in corpore Capituli dicit: *Videtur itaque sequi, quòd aut infans statim ab ipsa conceptione habeat animam rationalem, aut quòd in eo non est Originale peccatum, statim ac conceptus est. Quòd autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscepit sensus, &c.* Ad hanc quæstionem respondet: *Sepè utique diuina Scriptura asserit aliquid esse, quando non est; idcirco quia certum est futurum esse.* Sic secundum Anselmum, vnus concipi potest in peccato, etiam ante animæ rationalis infusionem, non propterea, quòd statim in tempore conceptionis contrahat peccatum; sed quòd illius debitum incurrat, quòd etiam peccatum appellatur. Hoc confirmat sanctus Anselmus, quando adiungit: *Simili modo de immundo semine in iniquitatibus & in peccatis concipi, potest homo intelligi; non quòd in semine sit immunditia peccati aut peccatum, seu iniquitas, sed quia ab ipso semine, & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* Hinc potest satisfieri nonnullis Patribus & Scholasticis, qui absque dubio in hoc sensu locuti sunt, non de peccato Originali à Virgine contracto, sed de debito illius; quippe isto modo loquendi vsi sunt ad ostendendam necessitatem redemptionis Christi, quâ indigebat etiam illa persona, cuius anima in gratiâ producta fuisset. Deipara namque meritis Passionis Christi, ac eius Sanguine à culpâ alioqui incurrendâ præseruata est.

Incognitus.

Idem confirmat Incognitus, qui floruit anno 1396. explicans illud Psalmi 29. *Domine in voluntate tua, prestitisti decori meo virtutem,* hæc pulcherrima ad propositum habet verba: *Et si quæras, numquid Christus habuit solus omnem decorem innocentie, ubi ergo est B. Virgo, ubi Ioannes Baptista, & alij Sancti? Responso, Notandum, quòd peccatum tollit plenum innocentie decorem (dixerat suprâ, decorem significare immunitatem ab Originali & actuali) peccatum autem duobus modis contrahitur, scilicet Originale, scilicet causaliter & formaliter. Causaliter, quando seminaliter quis concipitur, tunc in re concepta est quadam foeditas & pronitas ad malum, quæ est causa, quare anima creata, & illi corpori vnita, peccatum contrahit formaliter. Itaque peccatum Originale causaliter contrahitur in propagatione seminis, sed formaliter in conceptione hominis. Modò ad propositum, Non contraxit formaliter neque causaliter, quia non descendit ab Adam per seminalem propagationem, & sic habuit omnimodam innocentiam: Virgo autem MARIA contraxit causaliter, quia per seminalem propagationem concepta; sed non contraxit formaliter, quia antequam (illud antequam non intelligitur tempore, sed naturâ; quia supponit Incognitus Virginis carnem, vtpote ex concupiscentiâ parentum & seminali propagatione conceptam, ante animationem in sui coagulatione non fuisse sanctificatam, aliàs neque contraxisset causaliter peccatum, cuius contrarium*

docet) anima eius esset creata, illud semen fuit purificatum & sanctificatum, & sic anima illi vnita non fuit maculata. Ioannes autem Baptista & quilibet alius quicumque Sanctus, contraxit causaliter & formaliter; quamuis aliqui, antequam nascerentur, fuerint purgati & sanctificati. Ex prædictis apparet, quòd puritas Virginis MARIE tenet medium inter puritatem Christi & aliorum Sanctorum. Idem repetit Psalm. 50. ad illa verba, *in peccatis concepit, &c.* Vbi & Anselmum pro hac intelligentiâ citat, & se de hac re Tractatum edidisse testatur. Quid plus vltra quæris ad sanctorum Patrum sententias exponendas? Itaque quicumque Patres dicant solum Christum non contraxisse peccatum, intelliguntur, neque formaliter, neque causaliter, & in hoc sensu intelliguntur, qui dicunt non esse æquiparandam Virginem cum Christo in puritate. Quicumque dixerint Virginem in conceptione contraxisse, quia per seminalem propagationem descendit ab Adamo, intelligendi sunt de primâ conceptione, & ante animationem; in quo sensu intelligi debent omnes Scholastici antiqui, D. Thomas, Alensis, Albertus Magnus & sanctus Bonaventura, quia in eodem sensu intelligendum esse Bernardum, ipsimet docuerunt, quòd & Caietanus fatetur.

Præterea hoc idem confirmabo ex illâ auctoritate Augustini quam aduersus nos iaculantur aduersarij, præsertim Petrus Vincentia, eamque allegat ex lib. de nuptiis, & concup. scilicet *Christum, si ex concubitu Marie & Iosephi generalis esset, habiturum fuisse originale peccatum.* Admitto quidem Verba qualitercumquè in Augustino sint, vel non sint; planè eorum sensum videtur significare in lib. 1. cap. 12. vbi ait: *solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine vlla carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato: sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* In his Verbis virtualitèr apparet contineri sententia antecedentium, nimirum si ex concubitu nasceretur Christus, haberet Originale peccatum, sed hoc non est contra Immaculatam Virginis Conceptionem in primo suæ animationis instanti carentis peccato, & ornata gratiâ; Nam Augustinus in prædicto casu per peccatum nõ intellexit peccatum Originale actu contractum, quòd nullo modo potuit esse in Christo, quamuis communi modo nasceretur; nam Christus est compositum ex humanâ natura & substantia Diuini Verbi personam vnâ diuinam constituens, quam concipi auersam, & infensam Deo non minùs ad contradictionem implicatum est, quam esse Deum & non esse: voluntatem Diuinam amare aliquid, & non amare idem. Nouerat hæc Augustinus. Ergo cum is diceret Christum si ex concubitu conciperetur habiturum Originale peccatum, peccati Originalis nomine veram, & propriam animæ maculam cum defectu iustificantis gratiæ coniunctam nullo modo potuit intelligere: sed moralem duntaxat deformitatem quandam, quæ ex contagione libidinosi concubitus in foetum nondum animatum æstimatione vulgari deriuari censeatur, siuè debitum culpæ quantum ad communem generationem.

Quantum

Quantum attinet ad secundum, licet hoc Tempore omnes Conceptionis nomine animationem Virginis intelligant, antea tamen Conceptionis nomen carnalem generantium actum significabat, ut patet ex iis, qui cum Innocentio III. lib. 1. de Contempt. mundi cap. 3. & 4. Conceptionem, quæ fit in usu coniugij parentum vocant Conceptionem primam, seu feminum; Conceptionem verò, quæ in animatione corporis consistit, vocant Conceptionem secundam, seu naturarum. Quapropter dicendum, (ut facile liquet ex loco S. Anselmi supra citato) nomen Conceptionis duobus modis sumi consueuisse, vno modo pro infusione animæ in corpus, alio modo pro receptione materiæ seminalis in matrice; hæc illam duratione temporis antecedit, hæc appellatur Conceptio materialis, illa Conceptio formalis, seu animalis, ista humanæ formæ infusio, hæc feminis Conceptio; ista hominis perfecti, aut consummati, hæc hominis inchoati dici potest; illa carnis, hæc personæ; illa prima, hæc secunda, vnde Innocentius III. dixit in Contemp. mun. lib. 1. cap. 13. *Est duplex Conceptio, vna feminum, altera naturarum: Prima fit in commissis, secunda in contractis*, quod statim explicat: Similiter S. Anselmus Hom. de Concep. *Quod duæ sunt Conceptiones hominis, omnibus notur est peritis; Vna scilicet spiritualis & alia carnalis; vna quæ carnalis copulatio viri, & mulieris; alia quæ spiritualis anima noua, & pura, Domino operante, corpori diuinitus datur, & coadunatur.* De primâ alibi dixit Anselmus: *Ab ipso semine, & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habeat animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* Et S. Bernardus in lib. de Anima c. 2. inquit. *Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata modicum crescendo, caro facta est, &c.* Sine dubio de hac conceptione locutus est S. Bernardus in Epistolâ ad Canonicos Lugdunenses; non verò de personali.

Tertium modum loquendi amplexi sunt quidam Patres, non tam referentes culpam in prolem, quam in ipsos parentes eam inferentes, iuxta illud Dauid: *Et in peccatis concepit me mater mea*, de quibus regulariter præsumitur in copulâ carnali peccati labem non declinare, et si etiam legitime coniugati, sint; qui, iuxta sanctum Fulgentium; lib. 6. de Fide ad Petrum, cap. 3. venialiter peccant in excessu libidinis. Idem innuisse videtur sanctus Bernardus, loquens de Conceptione Beatissimæ Virginis in Epistolâ 174. quando inquit: *Peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit?* Et Fulbertus Carnotensis Sermone in Ortu alinæ Virginis, de ipsâ Conceptione loquens: *Felix enim culpa, sed sancta coniugalis societas, quæ tale ac tantum, specialè que, vel singulare docus profudit in orbe, de concessu nuptiali contubernio.* In hoc quoque sensu de peccato parentum exponunt aliqui illud dictum Innocentij III. in Sermone 2. de Assumptione Virginis, quando Heuam Dei Genitrici contraponens, sic ait: *Illa [Heua] fuit sine culpâ producta; sed produxit in culpam: Hec autem [MARIA] fuit in culpâ producta, sed sine culpâ produxit.* Vbi notandum est, non dixisse, *Fuit cum culpâ producta sed in culpa*: ut intelligatur subiectum huius culpæ non esse ipsam Virginem, sed eius parentes, qui illam producerunt in culpâ, licet illa non fuisset producta cum culpâ. Itaque ex his vel similibus ver-

bis colligi nequit, infusionem animæ Beatissimæ Virginis admisisse consortium peccati Originalis; quòd verò dicatur illam fuisse conceptam in culpâ, referendum est in culpam parentum; quæ quidem in parentibus Virginis sanctissimæ fuit præsumpta ac imaginaria tantum, non realis aut vera, vel alio modo dicendum interuenisse debitum culpæ, saltem remotum, non ipsam. Hoc ex eo confirmatur, quòd Fulbertus euidenter asseruerit, animam Beatissimæ Virginis à principio suæ creationis gratiam obtinuisse, ac numquam contraxisse peccatum Originale. Idem quoque Fulbertus parentibus Beatissimæ Virginis in illius Conceptione magnam puritatem attribuit. Videri de hoc potest Petrus Possinus aduersus Vincentiam c. 9. Vbi ista concludit. *Ideo solum Bernardus peccato infectam B. Maria Conceptionem dixit, quia inseparabile à coniugij usu peccatum credidit: ergo peccatum quo infectam conceptionem Virginis Bernardus putauit, non fuit peccatum animam Virginis inficiens, sed tantum carnem eius antequam esset animata, concupiscentia quodam contagio, maculans.* Est paulò post: *quodnam ex Bernardo Conceptioni Virginis peccatum inerat? Profecto non aliud, quam illud, quòd inseparabile putauit S. ille Pater ab usu quamuis legitimo coniugij, iuxta illa prius relata eius verba, peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit: ac consequenter illud peccatum quo sanctus Bernardus inquinatam B. Maria Conceptionem credidit non animam Virginis ipsius, sed solum corpus maculauit: nec Originale, sed Parentum ipsius actuale fuit.*

Vt quartum modum loquendi satis intelligamus, animaduertendum est, varias quæstiones antiquitus proponi consueuisse de primâ sanctificatione Beatissimæ Virginis. Prima fuit, An Beatissima Virgo fuerit sanctificata ante conceptionem materialem, hoc est in lumbis parentum. Secunda, An in ipsâ conceptione, nimirum in receptione materiæ seminalis. Tertia, An post conceptionem, ante tamen infusionem animæ. Quarta denique, Si fuit sanctificata post animæ infusionem. Omnes has quæstiones distincte proposuit Alexander Alensis in 3. dist. 3. art. 4. vbi dicit: *Consequenter quaritur de sanctificatione Beatissimæ MARIE Virginis, in quo statu potuerit sanctificari; & circa hoc queruntur plura: Primum est, An ante conceptionem fuerit sanctificata; secundum, An in ipsa conceptione; tertium, An post conceptionem ante infusionem animæ; quartum, An post animæ infusionem.* Simili modo loquuntur Albertus Magnus, sanctus Bonauentura, ac sanctus Thomas in 3. Sentent. distinct. 3. Ex hoc confirmatur, & planè explicatum manet, quòd in tribus notis antecedentibus iam adnotauimus: nam idè mouerunt quidam quæstionem de sanctificatione Virginis ante conceptionem, vel ipsa conceptione, ob dubium quòd agitari potuit de actu coniugali parentum, An fuerit consummatus in peccato per excessum vel cum omni puritate lumborum: nam si peccatum fuisset annexum actui, diceretur proles concepta in peccato, iuxta tertium loquendi modum. Propterea dixit sanctus Damascenus: *O beati Ioaachim lumbi, iterum, Semen immaculatum.* Rursus eo ipso, quòd agebatur an Virgo fuerit sanctificata post conceptionem ante infusionem animæ, liquidò supponitur, non semper Antiquos sumpsisse nomen *conceptionis* pro animatione pro-

Alexander Alensis.

D. Anselmus.

D. Bernardus.

Psalm 50.

S. Fulgentius.

S. Bernardus.

Fulbertus Carnotensis.

Innocentius III. Pont. Max.

his; sed etiam regulariter pro receptione seminis, ut supra dictum est in secundâ notatione, aut modo loquendi Patrum. Vltimò denique eodem ipso supponitur, quòd Patres non solum pro ipso peccato iam contracto, sed etiam pro debito idem contrahendi, culpæ Originalis nomen usurpabant; sed quod nobis maiorem fecisset difficultatem, est, quòd quæsierint de sanctificatione Beatissimæ Virginis *post animationem*, supponentes, ut primâ fronte videtur, illam non fuisse sanctificatam in ipso suæ animationis instanti, de quo agitari debuisset: itaque ut processissent iusto ordine ac integrâ methodo, proculdubio per præpositionem *post* intellexerunt posterioritatem naturæ, non temporis, ac si dixissent sanctificationem Beatissimæ Virginis supposuisse animæ infusionem, aut existentiam subiecti animati accapacis, modo iam dicto: quippe sicut in aliis accidentibus componi potest similtas temporis ac comproductionis in eodem instanti reali cum posterioritate naturæ, quam omnes formæ accidentales exigunt in ordine ad sua subiecta, quæ supponunt; ita similiter nihil aduersatur comproductioni sanctitatis Beatissimæ Virginis (quæ est accidens) in eodem instanti reali cum eius animâ, quòd ea fuerit posterior, eamque naturâ præsupposuerit. Hoc confirmat sanctus Vincentius Ferrer. qui Sermone 2. Natiuitatis, expendendo illa verba Genesis, eaque Beatissimæ Virgini adaptando, *Fiat lux, & facta est lux*, sic inquit: *Non credatis quòd fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed statim postquam corpus formatum, atque anima ipsius fuit creata, tunc fuit sanctificata, & statim Angeli in celo Festum Conceptionis fecerunt.* Et paulò inferiori: *Lux dicitur benedicta generatio Virginis MARIÆ: quia sine tenebra culpa facta est.* Statim addit: *Sed generatio fuit lux.* Et paulò post: *Sic ista coniunctio Ioachim & Anna luminosa fuit.* Ita quod eodem ipso loco, quo sanctus ait Virginem non fuisse conceptam in peccato, sicut nos alios dicit, quòd fuit sanctificata post animationem subiectiuè, non successiuè; sed in eodem instanti, sicut in aliis locis expressit, ac nos declarabimus amplius. Neque hîc prætereundum est, quod Caietanus dixit 3. part. q. 27. art. 2. *Ex eo quòd B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, non sequitur quòd sanctificatio eius fuerit post animationem: stat enim, quòd nec ante nec post, sed in ipso instanti infusionis animæ fuerit sanctificata; ut multi Moderni tenent.*

His præsuppositis, ac explicatione istorum quatuor terminorum euidenter innotescet, nequè Albertum Magnum, nequè sanctum Thomam in 3. part. nequè plerisque etiam alios Auctores, qui citantur pro sententiâ contrariâ, quidquam dixisse, quòd sanctissimæ Virginis puritati, aut peccati Originalis carentiæ in primo instanti infusionis suæ animæ opponatur: nam licet dicant eam fuisse sanctificatam *post animationem*, dummodò nil amplius addant, hoc intelligendum est subiectiuè, non successiuè, naturâ, & non tempore: ex quo nil inferitur, quòd piæ opinioni aduersetur.


Iuxta dicta etiam ad maiorem antiquorum Auctorum lucem, obseruo duas esse rationes contrahendi peccatum Originale; in conceptione item & duas ratione illud purgandi aut vitandi; utraque autem dicitur *Sanctificatio*. Vtriusque meminit S. Thomas quæst. 27. art. 2. & 1. 2. quæst. 81. art. 3. & quoties dicit MARIAM in peccato conceptam. Vtriusque meminit Caietanus, & de

utraq; fecit non pauca verba. Item S. Bonaventura in 3. dist. 3. 1. part. quæst. 1. ad 3. carnem ante animationem vocat *Vitiosam*. In primâ conceptione non est peccatum Originale formaliter: quia ibi non est anima rationalis, quæ sola est capax peccati in compositis naturalibus, & homo ratione illius; est tamen peccatum Originale in potentia proxima, siue in reatu debito & obligatione. Quia dicunt Doctores, primam factus conceptionem esse à naturâ corruptâ peccato; hæc autem corruptio est vis seminis ab Adamo tracti, & ordine naturali mixti cum femineâ materiâ ad factum, cum extrinsecâ denominatione à primo Adamo peccato, & Lege de priuatione iustitiæ, & peccato Originali. Hanc rationem maculæ Doctores inueniunt in illâ primâ conceptione; quam maculam seminis egregiè Anselmus exponit lib. de Conceptu virginali cap. 7. & ostendit hominem tunc concipi in peccato Originali, antequam anima creetur; quia ab ipso semine & conceptione habemus necessitatem labendi in peccatum Originale, quando generamur; in secundâ verò conceptione reperitur formaliter, & in se peccatum cum carentiâ gratiæ.

Sanctificatio formaliter & propria gratiæ habitualis non requiritur nisi in secundâ conceptione, sicut nec peccatum. Hæc sanctificatio potest esse aut remissio peccati prius tempore existentis; aut præuentio per infusionem gratiæ eo instanti, quo peccatum erat in se & formaliter contrahendum; si verò peccatum esset auferendum aut impediendum sine gratiâ sanctificante, esset remissio peccati; non verò sanctificatio. Hoc genus sanctificationis est clarum, quòd rectè negauit sanctus Thomas ante animationem: quia nullum tunc est subiectum eius capax; idemque doctuerat Bernardus in Epist. 174.

Secunda sanctificatio est minùs propria; quæ contingere potest in primâ conceptione; nempe, ut in eo coagulo non esset corruptio & infectio naturæ, id est, ne esset tunc ius, ut ita dicam, nec necessitas aut potentia prima ad inficiendâ prole peccato Originali: quòd Maior in 3. dist. 3. q. 1. explicauit, nempe esse hanc sanctitatem quamdam dedicationem rei inanimis, & separationem à profanis: ut vasa sunt sancta, quia Deo dicantur, & separantur ab usu profano. Amplius alij explicant, cum munditiâ simul, cuius est capax res. Hoc potest concipi intellectu, & potuit realiter esse, si aut non peccasset Adamus, aut non fuisset lex de transfusione peccati, aut si Deus aliquem eâ lege non concludisset, aut in ea dispensasset. Huius sanctitatis meminit S. Thomas q. 27. art. 2. Quod etiam Caietanus obseruat. S. Bonaventura in 3. dist. 3. 1. part. art. 1. quæst. 1. negat huic carni sanctificationem, intellige propriam; ait tamen eam potuisse purificari ante animationem; hoc autem est minus propriè sanctificari, quòd non ita parum est, cum hanc sanctificationem in primâ conceptione, Antiquos celebrare Officio & Missâ, putarunt aliqui; & colligi videtur ex Doctoribus Scholasticis, maximè Bonaventurâ, quæst. 1. nunc allegatâ ad 4. his verbis: *Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animæ infusionem, non videtur usquequaque securum; Conceptionis illius etiam solemnitatem celebrare.* Quòd clariùs dixit Maior in 3. dist. 3. q. 1. quòd etiam colligitur ex S. Thomâ q. 27. art. 2. ad 3. sed in Tractatu de Perpetuo obiecto Festi Conceptionis pleniùs de hoc agimus, & veritatem examinamus.

S. Bonaventura.
Sanctitas
prima conceptionis.



CAPVT XVIII.

Declaratur, sanctum Bernardum nihil asseruisse contra sanctificationem Beatissimæ Virginis in primo instanti suæ Conceptionis, imò huic mysterio patenter fauisse.



S. Bernardus.

VNC accedamus ad examinanda verba vrgentiora sancti Bernardi, quæ ab Aduersariis tanquam ineluctabilia aduersus purissimam Conceptionem obiiciuntur: verum, vt statim videbimus, minimè attingunt creationem animæ purissimæ Beatissimæ Virginis; sed tantum conceptionem seminalem. In Epistolâ 174. quæ est ea quæ fuit scripta contra Canonicos Lugdunenses, dicit: *Vnde enim Conceptionis sanctitas venit, quam Natiuitati secutura transmitteret? An non potius, quia præcessit absque sanctitate conceptus, oportuit sanctificari conceptam, vt sancta sequeretur Natiuitas? potuit sanè illa, quæ in iam conceptâ facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur, transire natalem: redire verò retrorsum ad conceptum, qui præcesserat, omnino non potuit.* Et paulò inferiùs: *Quomodo namque sanctitas sine Spiritu sancto sanctificante? An sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut cerè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit? Nisi fortè quis dicat, de Spiritu sancto eam, & non de viro conceptam fuisse; sed id hætenus inaudium: & si licet loqui, quod Ecclesia tenet, dico Gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem conceptam esse.* Ac denique: *Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quia nondum erat; sed neque in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat. Restat, vt post conceptum, in vtero iam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ, excluso peccato, sanctam fecit Natiuitatem, non autem & Conceptionem.* Quis hîc non videat duas rationes, quibus vtitur sanctus Bernardus, procedere de primâ seminis conceptione tantum, non verò de secundâ, aut animæ infusione? Prima ratio his verbis comprehenditur: *Quomodo potuit peccatum deesse, vbi libido non defuit?* Et paulò post: *Nunquid potuit maritalibus osculis & amplexibus sanctitas admisceri, vt simul & concepta esset, & sancta?* Euidens est hanc rationem nihil probare, quod ad animæ infusionem atineat, quæ decursu plurium dierum est actu coniugali posterior, quando parentes longè fortè absunt à deliciis conjugatorum, imò possunt in ære affici, aut forsitan alter illorum è vitâ decessit.

Nec secunda ratio minùs clara est, nec segniùs pro nostro militat intento; quæ talis est, quòd B. Virgo non fuit concepta de Spiritu sancto, sed naturaliter copulæ coniugalis interuentu; quapropter eius corpusculum in vno instanti organizari nequiuuit, vt ei eodem temporis momento anima infundatur: hoc namque singulare communem naturæ ordinem excedens, in conceptione Christi vnice recognoscit Ecclesia. Itaque

cùm hoc corpusculum B. Virginis, aut illa massa sanguinea, aut quocumque nomine significetur, in instanti conceptionis seminalis non fuerit debito dispositionum aut organorum apparatu instructum, nec ei anima infundi potuerit; æquè minùs sanctificari potuit ab initio: subiectum etenim capax gratiæ sanctificantis non est semen, nec caro, sed anima. Vnde constat, verba Bernardi nullam vim obtinere contra animationem B. Virginis, vel iustificationem ei annexam, sed tantum contra conceptionem seminalem, de de quâ solum locutus est, ac de debito peccati Originalis, non autem de ipso peccato iam contracto; nam hoc contrahi nequit, nisi anima iam existente ac infusâ. Itaque concedendum omnino est, S. Bernardum nec vel vno apice dissensisse ab eo quod modò tractamus; nimirum animam B. Virginis fuisse in gratiâ creatam, & consequenter ipsam conceptam fuisse in conceptione personæ humanæ sine maculâ peccati Originalis contracti.

Hoc ipsum confirmatur indicio clarissimo, quod in eo consistit, quòd Scholastici viciniore temporibus S. Bernardi, qui varias de conceptione quæstiones agitarunt, eum de hac materiâ censuisse modo dicto intellexerunt: quapropter in nullo puncto, quod ad animationem spectat, illum allegant, sed tantum in quæstione illâ, quâ inquirebatur, An B. Virgo fuerit sanctificata ante conceptionem, vel in ipsâ conceptione ante animæ infusionem.

Alexander Aletius cum in art. 1. ac 2. determinasset B. Virginem nec ante conceptionem, nec in ipsâ conceptione, nimirum seminali, fuisse sanctificatam, vnum & alterum probat auctoritate S. Bernardi in Epistolâ citatâ, ac primum suadet illa sententia: *Quia nequaquam potuit ante sancta esse, quam esse.* Secundum etiam istis verbis: *Quia sanctitas non potuit admisceri conceptui inter oscula & amplexus maritales, vt simul & concepta esset & sancta.* Cæterum postquam iam peruenit ad discutiendum, si Virgo post conceptionem fuerit sanctificata, ad nullum Diui Bernardi testimonium recurrit, nec eum citat, quòd minùs eum allegaret, loquendo de animatione eiusdem; siquidem non audebat adducere eum ad denegandum gratiam embryoni, ante animæ rationalis aduentum. At verò in art. 4. rediens ad tractandum, si Virgo ante Natiuitatem fuerit sanctificata, reuertitur ad patrocinium verborum S. Bernardi, quæ in eadem Epistolâ reperiuntur; ita quòd nec minimum omiserit, quo eius auctoritate suam sententiam stabilire posset; verum & eam in prædictis duabus quæstionibus non muniuit; nam opinatus est S. Bernardum iis non aded fauisse.

Eodem modo S. Bonaventura in 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. cum dixisset B. Virginem non potuisse sanctificari ante animæ infusionem, id probat ex contextu eiusdem Epistolæ, cuius verba expendit; sed postea hanc quæstionem examinans, *An anima B. Virginis fuerit sanctificata ante peccati Originalis contractionem.* minime allegat Diuum Bernardum in dictâ Epistolâ, nec pro illâ, nec contra illam: propterea quòd arbitratus est S. Bernardum huic puncto decidendo se non immiscuisse, sed tantum primo.

Sanctus Thomas similiter in 3. Sentent. quæst. 1. art. 1. de his quæstionibus differens, vna, Si Virgo fuerit sanctificata in conceptione, vel ante conceptio

conceptionem ; alia , An fuerit sanctificata ante animationem , post tamen conceptionem , ad vnam & alteram negatiuè respondet , priorem confirmando solùm verbis ex eadem Bernardi Epistolâ depromptis ; secundam verò suadendo nullâ mentione factâ de verbo quantumuis modico , quod ex eadem decerpi possêt , non aliam ob causam , nisi ex eo quòd recognouerit Bernardum primam tractasse ; non tamen tetigisse secundam.

Maiori claritudine nobis idem intelligendum tradit Albertus Magnus in 3. Sentent. dist. 3. art. 4. qui mentem Diui Bernardi in illâ Epistolâ dilucidauit , sic scribendo : *Dicimus , quòd Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem , & oppositum dicere est heresis damnata à beato Bernardo in Epistola ad Lugdunenses , & à Magistris omnibus Parisiensibus.* Hoc modo nos docet Albertus Magnus Epistolam Diui Bernardi fuisse tantæ auctoritatis , vt Theologi Vniuersitatis Parisiensis eam tam firmiter , ac cum tanto acceptauerint applausu , vt oppositum condemnauerint erroris ; ex quo euenit , vt Mauritius Episcopus Parisiensis Decretum ediderit (de quo scripserit Altissiodorensis) in quo præcepit ac prohibuit , vt nemo opinetur B. Virginem fuisse sanctificatam in conceptione ; rediens verò ad punctum sententiæ Diui Bernardi in hac Epistolâ satis securus ipsiusmet verbis acquiescit , ac intelligentiâ Scholasticorum antiquorum , quod in nullo oppugnauit sanctificationem animæ Dei Genitricis in primo instanti suæ creationis.

Vnam addo considerationem , quâ prædicta corroborantur , ac in eo maximè sita est , quòd in nullo ex vetustioribus sæculis Ecclesiæ adeò recepta , indubitata ac celebrata fuerit puritas Originalis Virginis Sanctissimæ , ac in sæculo duodecimo , in terris , quibus diutius immoratus est Diuus Bernardus , ac communicauit in Burgundiâ , nimirum Brabantia & Gallia ; nam complurimi Auctores , qui in illâ ætate scripserunt , eam pro viribus propugnarunt , iique conterranei , amici , ac familiarissimi ipsius sancti Bernardi , videlicet Hugo Victorinus , Richardus etiam Victorinus , Petrus Cellensis , Gilbertus Pictauensis , Petrus Rhenensis , beatus Petrus Mauritius , Arnoldus Carnotensis , Adamus Victorinus , Petrus Comestor , Honorius Augustodunensis , venerabilis Odo Cameracensis , Hildebertus Turonensis , Petrus Lombardus , Galfredus Altissiodorensis , Guericus Igniacensis , Arnulphus Lexouiensis , Gofridus Abbas , qui illis temporibus doctrinæ splendore Franciam illustrarunt , ac hoc celebrarunt mysterium ; quibus etiam adhæsit Petrus Abailardus ; omnes Burgundi aut Franci , sicut fuit sanctus Bernardus . Nec sanè credibile videtur sanctum Patrem , qui se tam visceratè deuotionis obsequio Beatissimæ Virginis mancipauit , contraxisse quod reliqui omnes in illius honorem vniuersim adstruxerunt : postea apponemus testimonia omnium horum Auctorum , ex Francia , Brabantia , Burgundiâ , ac aliorum ex Germania , Italia & Angliâ , qui temporibus Diui Bernardi Sanctissimæ Virginis puritatem Originalem stabilierunt ; vt sunt præter memoratos , Ekebertus Abbas , S. Norbertus , B. Iosephus Hermannus , Rupertus , Photo Prumiensis , Franco Abbas , Petrus Blesensis , Guilielmus Paruus , Nicolaus de Sancto Albano , Adrianus V. Gratianus Clusinus , Ioannes Lotharius , Alexander III. atque ex Græciâ Ioan-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

nes Zonaras , Zacharias Chrysolopolitanus , Theodorus Antiochenus , Michaël Glycas , Manuel Comnenus , ne quibus infra.

Computatis Auctorebus Gallicis modò relatis ex duodecimo sæculo , & comparatis cum Auctorebus antecedentium sæculorum , experiemur certè plures extitisse fauores Immaculatæ Conceptionis in Francia tempore sancti Bernardi , quàm in reliquis omnibus ætatibus , quæ eoufque effluerunt ; quod maximè indicat quàm indubitatum , ac in quantâ veneratione hoc mysterium fuerit tunc in Regno Gallia ; nec sanè verosimile est Diuum Bernardum solùm euertere contendisse dogma communi ceterorum omnium applausu receptissimum .

Porro insuper ostenditur Diuum Bernardum non solùm huic mysterio non occurrisse ; verùm & ei positiuè aliis in locis fauisse , quod etiam in hac ipsa Epistola per illa verba satis significauit : *Resat , vt post conceptum , in vtero iam existens , sanctificationem accepisse credatur ; qua , excluso peccato sanctam fecit Natiuitatem , non autem & Conceptionem.* Dixit , *in vtero iam existens* , innuens hoc , solùm expectasse gratiam & sanctitatem , quæ Virgini fuit communicanda : ac si dixisset (vt fortè explicatiùs loquar) necessarium fuisse ad sanctificationem Beatæ Virginis , Quod esse completum ex corpore & anima obtineret , & ex eo præcisè gratiam non fuisse ante collatam , quod nullum præfuerit ante esse animatum B. Virginis , subiectum aptum in quo recipiatur , quod post adiunxit , *excluso peccato , &c.* manifestum est referri debere ad debitum peccati , sicut iam animaduersum est . Sed clariùs huic veritati patrocinator Sermone 13. de Cæna Domini , qui videri potest in editione Parisiensis , anni 1609. vbi dicit : *Non est in filiis hominum magnus vel paruus tanta præditus sanctitate , qui non in peccatis fuerit conceptus , præter Matrem Immaculatam , peccatum non facientis.* Et in Sermone super Antiphonam *Salve Regina* , loquitur sic : *Innocens fuisti ab Originalibus & actualibus peccatis : nemo ita præter te.* Sermone etiam de Assumptione dicit : *Que enim vel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari , que digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri , & habitaculum Filij Dei ?* His significat S. Bernardus , puritatem Angelorum , in instanti suæ creationis fuisse inferiorem ac imparem puritati Virgineæ , in instanti suæ animationis . Et in Sermone de Natiuitate , qui incipit , *De gaudiis ad gaudia* , &c. dixit : *Caro MARIÆ ex Adam assumpta , maculam Adæ non admisit.* Hæc auctoritas eo maiorem habet efficaciam , quòd in Officio Diuino approbato per Sixtum IV. apponatur , ac in pluribus Breuiariis Romanis repetatur . Eundem Sermonem citat Frater Bernardinus de Busto in Lectiōne prima quintæ diei . Insuper inuenio quamdam Orationem , positam in principio Breuiarij antiqui Ordinis Immaculatæ Conceptionis , quæ refertur reuelata fuisse sancto Bernardo per vnum Angelum , ab his verbis incipientem : *Aue ancilla Trinitatis , aue Filia sempiterni Patris , aue sponsa Spiritus sancti , aue Mater Domini nostri IESU CHRISTI , aue soror Angelorum.* Quòd dicatur soror Angelorū , modicè extollitur B. Virgo , imò deprimi videtur impari , ac humiliori quàm vt æquum est laudū præconio , si ad eius dignitatem ac honorem attēdamus ; cum & Angelorum Regina acclametur . Verū si ad eius puritatem

Q Origina


Originalem, quam illa verba vere insinuant, respiciamus, denominatio sororis optime congruit, sine præiudicio suæ Maiestatis: nam numquam fuit destituta favore diuino aut sanctitate, incidendo in seruitutem dæmonis, sicut nec Angeli; numquam desit esse Filia æterni Patris, qui quemadmodum Angelis vt Pater in primâ creatione contulit esse naturale coniunctum cum gratiâ; ita & illi in primo instanti suæ productionis esse naturæ humanæ abundantia gratiæ accumulatum, quæ est filiatio Dei adoptiua, impertiuuit: quapropter rectè vocatur Soror Angelorum ob hanc rationem, aliter verò minimè; nam si præcise consideremus naturam physicam B. Virginis, seiunctam à gratiâ in primo instanti suæ generationis, ac eam comparemus cum naturâ Angelorum, nulla sororis affinitas elucebit, cum ambæ naturæ longè à se inuicem distent; si verò reliqua priuilegia ac collectio dignitatum supernaturalium, quæ adepta est, spectentur, iam non soror, sed Regina Angelorum vocari debet: relinquatur ergo, approximitatem sororis collocandam esse in communi gratiæ ac filiationis Dei, in primo instanti, quo producti sunt. Addo, sanctum Bernadum non occlusisse aditum suæ sententiæ, nec ei obicem apposuisse in Epistolâ 174. iam citatâ, quò minus Ecclesia aliud decernere posset, quantum attinet ad B. Virginem, nimirum fuisse liberam à peccato in conceptione suâ materiali; atque ex eo colligeretur, eam non solum infortunium peccati Originalis contracti euasisse; verum nec debitum illius incurrisse; quod & sanctus Pater his verbis significat: *Quæ dixi, absque præiudicio sanè dicta sunt sanus sapientis. Romana præsertim Ecclesia auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ eiusmodi sunt vniuersa reseruo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.*

Nec prædictis aduersatur, quod refert Nicolaus Monachus in Epistolâ ad Petrum Cellensem, his verbis: *Audi quid ab ipsis Cisterciensibus, verâ religione præditi, & Virginem in veritate diligentibus acceperim de sancto Bernardo, quorum nomina abscondo sub modio, ne odiosos faciam Patrum suorum Collegio. In Clarauallesi Collegio quidam conuersus, benè Religiosus, in visu noctis vidit Abbatem Bernardum nuceis indutum vestibus, quasi ad mamillam pectoris fuluam habere maculam, quem ex admiratione tristior alloquens, Quid est, inquit, Pater, quòd nigram in te maculam video? Et ille: Quia de Domina nostræ Conceptione scripsi non scribenda, signum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater visa Conuentui innotuit, & aliquis fratrum in scriptum redegit. Relatum est in generali Cisterciensi Capitulo, & de communi consilio scriptum perit incendio, maluitque Abbatum vniuersitas Virginis periclitari gloriam, quàm sancti Bernardi opinionem.* Huic historiæ nequaquam refragatur Petrus Cellensis, cum in cæteris impugnet Epistolam Nicolai. Haud rectè tamen locutus est Nicolaus de Religiosis sancti Bernardi; nam tam prudenter ac religiose in hac re processerunt, vt opinionem piam libentissimè sequantur, ac defendant; feliciter quoque Bernardum explicauerint; ita quòd nequaquam dici potest, eos cogitasse aut dixisse aliquid contra puritatem animæ B. Virginis, creatæ sine peccato Originali: in principio tamen arbitrati sunt, ac prudenter & cautè, non statim fuisse propalandam rem tanti momenti sine maturâ

deliberatione, consultatione, & meliori iudicio de eiusmodi visione reuelanda: quod est attribuendum eorum prudentiæ; non verò defectui debitiæ deuotionis erga MARIAM Sanctissimam, nec indiscreto affectui, aut inordinato, erga sanctum Bernardum; imò possunt aliis esse exemplaria præferendi gloriam Virginis, ac Filij eius Sanctissimi omni alij considerationi humanæ. Sed vt redeamus ad prædictam historiam, non dixit S. Bernardus, *Quia scripsi contra Conceptionem*: nam non scripsit contra eam modo quo sumitur in his temporibus; sed tantum, *Scripsi non scribenda*. Quod benè verificari potuit, eò quòd vehementius reprehenderit eos in suis scriptis, qui festiuitatem Conceptionis celebrarunt: illi etenim occasionem excusantem & exempla acceperunt à plerisque aliis Ecclesiis, sicut diximus, ac nouissimè à sancto Anselmo, qui festiuitatem Conceptionis celebrari curauit in Angliâ, & deinde in aliis Prouinciis Septemtrionalibus. Porro, de Prælo Ecclesiæ tam celebri, ac S. Anselmo, miræ eruditionis ac sanctitatis laude conspicuo, minimè suppetiit fundamentum præsumendi, quòd quidquam tam solemne egisset, nisi cum debitis circumstantiis ac auctoritate ordinatum. His fortè accedere potest, quòd S. Bernardus interpretatus est obiectum celebritatis Lugdunensis de conceptione fœtus, aut feminis, ac circumstantiâ illius, quæ parum cessit in gloriam sancti Ioachim & Annæ; quos Sanctus in hoc casu reliquis coniugatis assimilauit, cum fuerint non pauci Sancti, qui singularissimâ puritate iis antecellant, etiam in actu ab ipsâ puritate remotiori. Verumtamen totum hoc potuit dici à sancto Bernardo sine culpâ etiam veniali, licet inaduertentia sufficisset, vt in personâ ad eò illustri aliqualis macula appareret.

Ex dictis omnibus sequitur hanc contradictionem, quæ sancto Bernardo imputatur, nequaquam nobis officere; sicque reputandam esse ac si numquam fuisset; fuit enim apparens tantum, ac reuera nulla, nam sanctus Pater nullo modo attigit punctum essentialis mysterij in illâ contradictione; imò ex eo quòd illud non reprobauit expressè, in hac Epistolâ implicite approbavit, ac in aliis locis expressè declarauit affirmando almam Dei Genitricem peccatum Originale non contraxisse.

Prætereà euanescit contradictio Bernardi, in ordine ad festiuitatem huius mysterij; nullo enim nititur fundamento subsistente, quod ex eo maximè patet, quòd sanctus Abbas putauerit Canonicos Lugdunenses celebrasse conceptionem feminalem, ac sine auctoritate Ecclesiæ, cum illi potius celebrauerint Conceptionem completam, ac perfectam naturæ humanæ ex animâ & corpore coalescentis, aut quod perinde est, infusionem animæ in gratiâ, iuxta mentem sancti Anselmi, cum auctoritate quoque eiusdem, ac Ecclesiæ; quæ in pluribus iam locis eam celebrauit cum facultate aut consensu Summi Pontificis, si non expresso saltem virtuali.



CAPVT XIX.

Contradictio quæ adducitur ex Scholasticis antiquis euanescit, & apparens dumtaxat fuit.



Ecce minus ruit contradictio, quam quidam allegant ex præcipuis Scholasticis contra hoc mysterium, nimirum Alexandro Alensi, Alberto Magno, S. Thoma, & S. Bonauentura nec sanè ego summopere mirari desino, quod in mentem cuiuspiam venerit hos opponere Auctores puritati creationis animæ Virginis sanctissimæ, cum eam potius firmiori præsidio tutati sint: nam quamquam omnes eam opposuissent lib. 3. Sentent. omnes tamen sententiam affirmatiuam postea retractarunt saltem, ac piam promouerunt opinionem; sicut & etiam fecerunt Richardus de Mediauilla, & Herueus: ille in Expositione Saluationis Angelicæ, hic super Epistolas Diui Pauli; quamuis super 3. Sentent. diuerso modo locuti sint. Similiter etiam Paludanus in suis Sermonibus reuocauit quod antè dixit. Idem dicunt aliqui de Ægidio Romano, nimirum retractasse priorem sententiam maculatæ Conceptionis. Ego id affirmo in Comment. super Salut. Angelicam vocari ab Ægidio beatissimam Virginem *Reginam cælorum ab omni peccato mundam*. Item: *Lucem omni alia digniorem, puriorem, pulchriorem, & abundantiore, ipsi summa, & æterna luci immediatam: Mare amarum, sine peccati, austeritatis, & terroris amaritudine, nostrasque auferens amaritudines*; quippe firmitus, ac maioris auctoritatis est testimonium retractæ sententiæ, quàm aliud simplicis assertionis; supponit enim accuratiorem examinationem, plenior aduertentiam, ac maturiorem iudicij deliberationem, vt constat in iis, quæ sanctus Augustinus consultò retractauit, quibus & ipse Sanctus solidius ac asseuerantius, adhæsit, & omnes potius amplecti debemus, quàm primas sententias, quas non adeò examinatas & perspectas asseruit; sic inter omnia Scholasticorum testimonia, quæ piæ opinioni suffragantur, magis firma censeri videntur, quæ ex retractionibus desumuntur; & quamquam omnes sententiam in hac re non retraxerint, id accidit, quoniam contrarium numquam sincerè pronuntiauerint, vt mox patebit. Porro vt multis placet, nemo abiit in sententiam contrariam, quæ retractione egeat; licet plerique eam simulauerint ad Mauritij Episcopi Parisiensis indignationem declinandam, vel vt non viderentur tanti Prælati Decreto obiuare, quod promulgari curauit anno salutis M. C. LXXV. (de quo facit mentionem Altifiodorensis lib. 3. Summæ Tract. 1. c. 3.) præcipiendo, ne in Vniuersitate Parisiensi defendatur Conceptio Virginis sine peccato Originali; eò tantùm ductus auctoritate & sensu Sancti Bernardi in Epistola prædictâ ad Canonicos Lugdunenses, ubi solum conceptioni seminali gratiæ sanctitas denegatur.

Et licet hoc Decretum, utpote consentaneum sententiæ S. Bernardi, carentiam peccati Originalis

Ioann. Euseb. Op. Parth.

lis in animâ B. Virginis non infestauerit, eò tamen quòd non fuerit satis expressum, aut à diuersorum sensuum æquiocatione expurgatum, Scholastici locuti sunt cum circumspectione formidolosâ, ac parcius, quamdiu valorem retinuit, accommodando se eius sensui laxiori, ac à prohibitione magis remoto; imò etiam qui firmiter opinionem piam amplexi sunt, aliquantulum trepidè, temperatè ac subobscurè loquebantur: verum existentes extra territoria iurisdictionis Episcopi Parisiësis, ac iam egressi è finibus Galliæ, suam propriam ac veram sententiam manifestarunt, ac publicæ luci exposuerunt. Sic egit S. Bonauentura, qui in 3. dist. 3. in opinionem affirmatiuam inclinasse videtur; nihilominus iam residens in Italiâ, contrarium liberri- mè asseruit, vt constat ex his eius dictis, Sermon. 2. de Natiuitate Virginis ad fin. Tom. 3. *Domina nostra fuit plena gratia, præueniente in suâ sanctificatione: gratia scilicet præseruatiua contra scditatem Originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione nature, nisi speciali gratia præuenta præseruataque fuisset: solus enim Filius Virginis fuit ab Originali culpa immunis, & ipsa Mater eius Virgo. Creandum est enim, quòd nouo sanctificationis genere, in eius conceptionis primordio Spiritus sanctus eam à peccato Originali, non quòd infuit, sed quòd infuisset, redemit, atque singularis gratia præseruauit.* Simili modo loquitur in Sermone primo ac tertio, & in vltimo allegantur duo priores cum quibusdam verbis suis, quæ immunitatè Virginis à peccato Originali concernunt. Vnde constat, quàm friuola fuerit coniectura Angeli Roca, dicentis sanctum Bonauenturam non fuisse Auctorem illius secundi Sermonis, eò tantùm quòd cum iis, quæ dixit in Sententiis, non quadrauerit, cum in aliis Sermonibus id ipsum confirmet, & hoc solum intendimus, quòd Sanctus Doctor opinionem illam retractauerit.

Expressius Alexander Alensis rem declarauit, nec locum reliquit alicui effugio, aut violentæ interpretationi, aut inutili coniecturæ, quâ eius sententiam quis obliquare contendat; hanc enim veritatem non obiter asseruit, sed ex proposito Tractatum integrum de B. Virginis purissimâ Conceptione composuit super illa verba Cantor. 4. *Tota pulchra es amica mea.* Porro occasionem edendi hunc librum in lucem sumpsit ex quodam miraculo, quòd in eo operatus est Deus: nam semel applicaturus se ad dictandum opinionem affirmatiuam, in morbum incidit repentinum; ob quem casum subitaneum opinionem mutauit: ac denuò votum emittendo de defendendâ purissimâ Dei Genitricis Conceptione, valetudinem amissam miraculoso modo recuperauit. De hoc miraculo, ac libro composito per Alexandrum Alensem in defensionem Immaculatæ Conceptionis, quidam Scholastici scripserunt, vt Guiljelmus Borrillonus in 3. Sentent. dist. 3. Dionysius Carthusianus ibidem; etiam Ioannes de Zelaya in eadem dist. ac præter hos Pelbartus lib. 4. Stellarij, Mauritius de Villaprobata, lib. de Coronâ Virginis, Sermone 5. S. Antonius Cucarus in 2. parte, Elucidarij, Busto Sermon. 4. de Concept. in 3. part. Sermonis, qui dicit, quòd suâ ætate vnus ex originalibus huius libri Tolosæ seruabatur in choro Ecclesiæ Cathedralis. Idem quoque Busto de miraculo mentionem facit in Officio quòd de Conceptione composuit, die octauâ, Læctione quartâ; quòd totum in notitiam sancti Bonauenturæ peruenit, quem propterea exemplo ac successu

fui magistri supponendum est in pia opinione magis conualuisse: præterea in Commentariis super Apocalypsim in illis verbis Capituli octaui: *Stetit Angelus ante altare, habens thuribulum.* Egregium testimonium præbet Alexander de Immunitate B. Virginis à peccato Originalis his verbis: *Fecit Salomon de auro purissimo thuribulum: corpus enim Christi fuit aurum purum tempore innocentie in Adam, quia peccatum non habebat: fuit enim innocentissimum & purissimum in Beata Virgine, quæ peccatum non habuit, nec habere voluit, licet peccare potnerit, purissimum in vnione, quia peccatum non habuit, nec habere voluit, nec potuit.* Proverbiorum vigesimo quinto, *Anser rubiginem de argento, id est de Beata Virgine, id est peccati fomitem, & egredietur vas purissimum.* Hic comprehendit Alexander triplicem puritatem: vnam Adami tempore innocentie, qui in gratiâ fuit creatus sine peccati Originalis turpitudine; postea tamen peccati actualis oblectamento voluit implicari: alteram B. Virginis, quæ nec peccatum Originale habuit, nec peccatum actuale, quod quamuis potuit, committere noluit: tertiam Christi, ac maximam omnium, qui nec peccatum Originale contraxit, nec postea voluit, aut potuit actualiter peccare. Itaque, quando Alexander dixit de B. Virgine quod *peccatum non habuit*, intelligi debet de peccato Originali, quod habere non stetit in eius voluntate aut desiderio idem contrahendi: nam ad remouendum ab ea solummodo peccatum actuale, sufficiebat apponere illa verba, *nec habere voluit*: hoc etenim semper est voluntarium, ac propria peccatoris sponte incurritur; portò in postremis verbis idem luculenter insinuat; nam peccatum Originale est omnis peccati fomes.

Mirificè quoque commendat idem Alexander puritatem Virginis immunem à culpâ Originali, Commentariis in Lucam ad Euangelium super *Missus est*, prout extat in Bibliotheca virginali, cuius verba integra placet referre, quamuis videat prolixus. hæc sunt: *Aue gratia plena: Dominus tecum. In hac Salutatione commendat Angelus quatuor in Diua Virgine: Primò, vniuersalem culpæ carentiam, cum dicit, Aue. Secundo, redundantem abundantiam gratiæ, cum subdit, Gratia plena. Tertio, specialem Dei præsentiam, cum addit, Dominus tecum. Quarto, singularem super mulieres prærogatiuam, cum addit, Benedicte tu in mulieribus. Ibidem: O gloriosa Domina, quæ & culpa caruit vniuersaliter, & gratia nituit abundanter, & Deum habuit specialiter, & mulieres præcelluit singulariter. Dicit ergo Aue, quod dicitur ab A, quod est sine va, quia sine ve, prima enim mulier genuit nos cum multiplici ve: facta est enim nobis mater militia, mater discordia, mater ignorantia, mater miseria: ideo Ierem. 15. *Va mihi mater mea, quare genuisti me virum rixa, virum discordia in vniuersa terra: non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam, omnes maledicunt mihi. Sed Beata Virgo facta est Mater dilectionis, contra ve malitiæ; Mater timoris, contra ve discordia, Mater cognitionis, contra ve ignorantia, Mater spei sanctæ, contra ve miseria: Eccles. 24. Ego Mater pulchra dilectionis, &c. Bene ergo dicitur ei Aue, id est sine va: transmutato prima mulieris nomine. Bernardus: Redditur femina pro femina, hamilis pro superba, prudens pro furua, qua pro ligno mortis gustum tibi porrigit ligni vite. Quid luculentius cum dicat Virginem ab**

vniuersâ culpâ fuisse immunem, & sine vilo *ve*? At si peccatum Originale illam contaminauisset, maximum *ve*, & commune nocumentum filiorum Adam habuisset. Idem super illud Cantici *Magnificat, Quia fecit mihi magna*, dixit: *Tria magna fecit ei Dominus: fecit enim eam triumphare de Principe demonum, Genesis 3. Ipsa conteret caput tuum: fecit eam Reginam Angelorum: fecit eam habere Deum Filium, cum hoc seruans ei decus virginieum.* Quomodo triumphasset de diabolo, si ab ipso diabolo fuisset supplantata per peccatum Originale?

Quid minus censendum de Alberto Magno, qui palam confessus sit in lib. de Laudibus *MARIE*, eius Immaculatam Conceptionem, sic dicendo: *Hæc enim Virgo sola à communi illa regula excipitur: omnes in Adam peccauerunt.* Hoc vnicum testimonium sufficeret, vt fateri cogamur hunc Auctorem retraxisse sententiam, quam antea in sententiis cõtra nostrum intentum protulisset: quamuis nec ex ipsis etiam verbis Alberti, etiam adulteratis, quæ contra Conceptionem ex eo citantur, quid colligi potest, quod cedat in præiudicium sanctificationis B. Virginis in primo instanti suæ animationis: verba ex eo adduci solita sunt hæc sequentia: *Dicimus B. Virginem contraxisse Originale peccatum, nec fuisse sanctificatam ante conceptionem, nec in conceptione, sed post conceptionem; dicere autem oppositum, est heresis condemnata à beato Bernardo, & ab omnibus Magistris Parisiensibus.* Hæc sanè non sunt verba legitima huius Doctoris, sed quæ superius retulimus: admissio tamen quod sint eius propriissima, ac minimè deprauata, nihil moliantur contra Conceptionem Immaculatam, quod nobis curam facessat; imò per hæc minus videtur dixisse, quàm per verba capite antecedenti relata Nam in his conformiter ad mentem sancti Bernardi de conceptione feminali ante animæ rationalis infusionem locutus est, iuxta quem sensum, ac nominis acceptionem, nec potuit B. Virgo sanctificari gratiâ habituali ante conceptionem, nec in ipsâ conceptione, nec etiam proximè post conceptionem, quoad vsque in illius corporis domicilium anima rationalis subintrasset, ad quod necesse fuit plures dies naturaliter effluxisse post conceptionem feminalem modo iam dicto sumptam. Itaque quod B. Virgo simul ac conflata fuit ex corpore & anima, in momento suæ animationis peccato Originali caruerit, rectè coherere potest cum eo, quod post conceptionem materialem sit sanctificata. Vterius dico, quod quamuis Albertus Magnus dixisset Virginem fuisse sanctificatam *post animationem*, non tamen exinde colligi posse eum fauisse opinioni affirmatiuæ: nam iuxta significationem terminorum, quàm supra tradidimus, nihil amplius requirit veritas illorum verborum, quàm quod sanctificatio & sanctitas exigant subiectum capax, quod prioritate tantum naturæ, seu subiectiue præsupponant: non verò temporis, aut successiue (prout superius admonuimus) quale in primo instanti introductionis animæ in corpus Virginis Sanctissimæ non defuit, vt notum est. Propter eam forsitan sanctus Bonaventura nihil amplius addere voluit, quando dixit Virginem fuisse sanctificatam *citò post animationem*: ac Valtricus quando dixit *subitò post animationem*: per has enim phrasas significatur B. Virginem fuisse sanctificatam quamprimùm fuit animata; quod perinde est ac eius sanctitatem extitisse statim post subiectum capax,


capax, aut animam introductam posterioritate tantum subiecti aut naturæ, ut sæpe dictum est, quo non excluditur simultas productionis in eodem instanti reali temporis, ut patet in subiecto & suis passionibus, ac plerisque aliis, quæ interim admisso hoc consecutionis & posterioritatis genere, in eodem instanti reali comproduci non desinunt. Hoc sanè est testimonium vrgentius, quod ex sancto Bonauenturâ huic mysterio obici potest: nam licet verum sit eum proposuisse vnâ quæstionem, in quâ inquiritur, *An anima Beata Virginis fuerit sanctificata ante peccati Originalis contractionem*; in resolutione tamen ac decisione illius quæstionis non vtitur dictione *anima*; sed hoc nomine, *MARIA*; quod de vnâ parte suâ verificari potuit, nimirum carne, quæ antequam fuit animata, debitum peccati Originalis contrahere potuit. Porro haud incongruenter hæc expositio exhiberi potest ei, qui in Sermonibus piâ opinionem clarissimè diuulgauit; vtitatum quippe in sacrâ Scripturâ, ac dictis Sanctorum est, ut vnus locus, putâ obscurior ac magis reconditus, per alium explicetur clariorem.

Extat quoque in Opusculo de Ecclesiasticâ Hierarchiâ 4. par. cap. 7. locus celebris, in quo videtur S. Bonauentura suam mentem declarasse circa immunitatem Deiparæ; nimirum, quod caruerit peccato Originali actualiter contracto, quamuis habuerit debitum illius, & non caruerit in foetu nondum animato, peccato causaliter contrahendo. Hic enim est idoneus sensus illorum verborum: *Dicitur ergo Virgo esse quasi aurora consurgens, per gratiam ipsam sanctificantem à corruptione spiritualis & corporalis culpæ se erigens, quia non iacuit inclinata ex toto per culpam Originalem, sicut iacent non renati nec secti, partim erecta, partim prostrata, habens pronitatem concupiscentiæ, sicut habent baptizati, sed dicitur consurgens, id est ex toto ad caelestia se erigens & extendens, quia nullum in ipsa remansit inclinatum vel motuum ad peccandum: Bernardus: Copiosissima sanctificationis gratia descendit in MARIAM Dei Matrem, quæ non solum sanctificauit eius ortum, sed à peccato eam custodiuit immunem. Dixerat superius: Per sanctificationis gratiam in utero materno extitit ab omni Originalis culpæ scditate depurata, & ad susceptionem Verbi vita, antequam nasceretur, disposita & præordinata, iuxta illud Psalm. Parata est sedes tua ex tunc, &c. Nam quæ ab eterno præelecta est, & prædestinata in Dei scientia, ut ad tantam gloriam assumeretur, in materno utero spiritu sanctificante præuenta est & sanctificata, ut in tempore à Patre luminum præfixo Mater Dei fieri mereretur, sicut dicit in Proverbiis: Ab eterno ordinata sum, &c. Et in Ecclesiastico: Ab initio, & ante secula creata sum, id est, quodam priuilegiato modo creari præuisa, ut perficeret calum, in quo Deus nouo modo resideret, sicut dicit Psalm. Dominus in celo parauit sedem suam. Ibi maximè notanda sunt illa verba; *Quodam priuilegiato modo creari præuisa*. Hoc priuilegium creationis est propter immunitatem à peccato.*

Postea coacernabo classẽ Scholasticorum, qui constanter ac euidentissimè sententiam negatiuam attestati sunt, quam & ipsa Vniuersitas Parisiensis eorundem Emporium longè promouit, prohibendo ne quis opinionem contrariam defendisset, & reuocato etiam decreto Mauritiij. Vlti-

Ioann. Euseb. Op. Parih.

mò animaduerto, nonnullos Scholasticos antiquos, qui hoc mysterium in difficultatem reuocarunt, non proinde se ei opposuisse, ex eo quod non iudicauerunt fuisse congruum, ut Deus B. Virginem à peccato Originali præseruasset; sed dumtaxat quod non intellexerint quo modo aut quando fuisset redempta per Christum, quod omnes suæ rationes tendebant; ex quo inferitur quod nostras agerent partes, si modum intellexissent quo fuit redempta. Concedendum itaque, eos asserturos quod nos concludimus, ac dixerunt etiam ij, qui tunc se emendarunt seu retractarunt, si modum ac modum, qui verè datur, ac sufficientissimus est, excogitassent, quo redemptionem *MARIÆ* per *CHRISTVM* saluarent; supposito, quod ob defectum aut ignorantiam illius (pace saluâ) in suis rationibus mouebantur ad negandum præseruationem Dei Genitricis.



CAPVT XX.

Sanctus Bonauentura ubique sentit formaliter in fauorem sententia piæ; idemque dicendum de sancto Bernardo, sancto Thomâ, & alijs Scholasticis.



AN iam ex dictis constat S. Bonauenturam fauisse in suis Sermonibus sententiæ negatiuæ; addimus, quod licet id non præstitisset, nihilominus ex libris Sententiarum eum omnino patrocinatum illi fuisse, quod dicendum prorsus est, imò ex suppositione, quod in 3. Sentent. expressis verbis, & interpretationis incapacibus, dixisset Virginem in peccato conceptam, atque hanc sententiam nullibi palam retractasset, asserendum est cum magno quodam Theologo, Bonauenturam materialiter solum esse ab opinione non piâ; formaliter autem à piâ: quia conclusionem solum tenet contra (quæ est obiectum materiale) præcipua tamen ratio quæ mouetur (quæ est obiectum formale) est omnino nostra, & à nobis; quia in quæst. 1. ad 4. ait: *Statuta etiam vniuersalis Ecclesie de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt supra sanctitatem, ut nullo die pro aliquo Sancto solemnizet, in quo, vel pro quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur. Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animationem, non videretur vsquequaque securum Conceptionis illius etiam solemnitatem celebrare.* Cùm igitur Ecclesia vniuersalis celebret Conceptionem *MARIÆ*, id est animationem, concluditur ex beato Bonauenturâ, *MARIAM* pro illo instanti fuisse sanctam. Cùm etiam Sixtus IV. & Gregorius XV. explicuerint celebrari non solam conceptionem spiritualem separatam à corporeâ, & vtendam verbo *Conceptio*, non verò aliâ voce, & illa significet primum instans animationis, concludere possumus ex Bonauenturâ consequentiam, qui quæst. 3. hæc ait: *Dicendum, quod pro indubitanti habet hoc Ecclesia, videlicet, quod Beata Virgo fuerit in utero sanctificata.*

Et illud ex hoc patet, quod eius Natiuitatem tota Ecclesia celebrat, quod non faceret, nisi sancta esset.

Hinc arguo: Sanctus Bonauentura censet indubitam sanctitatem rei pro instanti, pro quo celebratur, vt constat saltem ex hoc argumento pro sanctitate *MARIE* in ipsa Natiuitate celebrata. Sed indubitatum est in tota Ecclesia celebrari Conceptionem *MARIE*, ergo ex Bonauentura indubitata est sanctitas *MARIE* pro instanti Conceptionis. Quæ argumentatio est euidens; quia maior propositio est Bonauentura, minor est Sixti IV. & Gregorij XV. & totius Ecclesie. De consequentia quis dubitet? De multis dicitur, eos nobiscum consensuros hac in parte, si in hæc tempora incurrissent. De S. Bonauentura non est consequentia, sed euidencia: ipse enim carentiam celebritatis obiicit ad negandum Immaculatam Conceptionem; item celebritatem ad habendam pro indubitata sanctitatem Natiuitatis; sed nunc iam non est carentia celebritatis: imò celebritas à tota Ecclesia: ergo ex principiis Bonauenturae sanctitas Conceptionis est indubitata.

Sic enim argumentor ex Bonauentura: *Indubitata est sanctitas eius rei, qua celebratur*; quæ propositione continentur hæc: *Indubitata est sanctitas Natiuitatis, si celebratur: Indubitata est sanctitas Conceptionis, si celebratur.* Item & hæc absoluta: *Indubitata est sanctitas Natiuitatis, & Conceptionis, & Assumptionis.* Ratio est, quia celebratur. Etenim propositio vniuersalis continet formaliter omnes singulares. Quòd si aliquando excluditur aliquod singulare, est, quia non cognoscitur contineri sub vniuersali, vt, *Omnis homo currit*; continet Petrum: quòd si negetur cursus Petro, est, quia ignoratur, an sit homo. Ita Bonauenturae doctrina continet Conceptionem, quia celebratur; illa enim propositio est, *Omne quod celebratur, est sanctum.* Quòd si exclusa est Conceptio à sanctitate, non est quod reuocetur in dubium maior propositio: sed quia de eius celebritate non constabat; at nunc constat: ergo Conceptio continetur in doctrinâ S. Bonauenturae.

Est autem diligenter obseruandum, posse negari propositionem singularem contentam in vniuersali; vel quia eius probatio pendet ex Metaphysicis principiis, obscuris quidem, & minimè euidentibus: tunc non sequitur à Doctore sentiri conclusionem deductam ex singulari propositione. Exemplum huius est: censet aliquis manere in Eucharistiâ quantitatem panis hoc argumento: *Omnia accidentia panis manent in Eucharistiâ, quantitas est accidens panis.* Si aliquis probet, quantitatem non esse accidens, non infert à me sentiri eam non esse in Eucharistiâ, quia censo non esse satis probatum quantitatem non esse accidens; at quando probatio non pendet ex argumentis, sed ex euidencia facti, quod factum ignorabatur; iam ego censo propositionem singularem. Exemplum est: *Ego affirmo omnem hostiam consecratam esse adorandam.* ibi affirmo idem in singulari de singulis consecratis, nego tamen hanc in singulari esse adorandam, quia censo eam non esse consecratam. Deinde aut consecratur me conscio, aut mihi certò constet de eius consecratione, non sum existimandus ei negare, sed concedere adorationem: quia semper retineo propositionem vniuersalem, adorandam omnem hostiam

consecratam, & mihi iam constat de consecratione. Quòd si ego essem mortuus, possem adduci pro opinione alligente hanc esse adorandam: quia censui omnem hostiam consecratam esse adorandam.

Idem hic omnino contingit: Bonauentura censet omne Festum esse sanctum indubitanter, negauit autem conceptionem fuisse sanctam, quia ignorauit futurum factum Ecclesie de festo Conceptionis: ergo quando factum est euidens, potest & debet Bonauentura afferri pro opinione sanctæ Conceptionis, quia est Festum: & stat propositio Bonauenturae de sanctitate omnis Festi. Nec censendus est mutasse sententiam formaliter de sanctitate Conceptionis, quando in Sermonibus eam asseruit sanctam; sed mutauit opinionem formaliter de celebritate, quam postea sibi persuasit. Vt ego negans hanc hostiam esse adorandam, quia censo eam non esse consecratam; deinde eam adoro, non muto formaliter sententiam de adoratione: stat enim mea vniuersalis propositio de adoratione omnis hostiæ consecratæ, sed formaliter opinionem muto de consecratione. Huc facit illud: *Ignoratio facti, non iuris excusat.* Rectè igitur Bonauentura ab ea opinione excusatur, & adducitur pro nostrâ: quia solum fuit motus ignorantia facti, non iuris: at de facto constat euidenter.

Vnde ex quæst. 1. & 3. Bonauenturae probo Immaculatam Conceptionem, mutatâ voce *Natiuitas* in vocem *Conceptio*. *Statuta Ecclesia vniuersalis de celebritate alicuius Festi probat indubitanter eius sanctitatem; sed Conceptio est Festum ex vniuersalis Ecclesie statuto: ergo Conceptio est indubitanter sancta.* Maior propositio est in q. 1. & 3. minor est in 3. voce *Natiuitas*, pro quâ subrogo *Conceptio*, quæ est tam per se nota nunc, quam tunc *Natiuitas*. Et quemadmodum Ecclesia celebrat Conceptionem Officio Natiuitatis, commutatâ voce *Natiuitas* pro *Conceptio*: ita ex Bonauentura aperte probatur sanctitas Conceptionis vnius voculæ mutatione, ad quam mutandam mouemur ex facto vniuersalis Ecclesie, quod Bonauentura non negaret, nec ex Virginis eximio Capellano potuit absolutè contra eam aliquid inferri; sed pro illa.

Idem dici potest de S. Bernardo, quantumuis opinionem affirmatiuam pronuntiauisset: quod minimè fecit, vt iam demonstrauius; sed dato quòd eam fuisset tutatus, nostram, id est negatiuam, omnino sequitur: nam in eadem Epistola ad Lugdunenses dixit prope finem: *Nam si videbatur, consulenda erat prius Apostolica Sedis auctoritas, & non ita precipitater atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* At his temporibus non consulitur Apostolica auctoritas de celebrando Festo; sed obeditur eius legibus de eodem celebrando. Cur autem esset consulenda? Quia ad medium Epistolæ hæc dixerat: *Nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuersa terra votina celebritate suscipiens.* Hinc summo argumentum: Ecclesia in celebritate Natiuitatis non fallitur, nec celebrat peccatum, nec inducit sanctitatem effectam, sed veram; at nunc celebrat Conceptionem, eam appellans *Sanctam*, sicut & Natiuitatem: quod hac in parte canit Ecclesia tenendum est, & tradendum securè. Hæc est doctrina Bernardi in ea Epistola: ergo Conceptionem esse sanctam, tenendum


tenendum est securè, atque tradendum. Quod si Bernardo vnicum fundamentum sanctitatis in Natiuitate est eius festiua in Ecclesiis celebrata; & in eâ re standum est Ecclesiæ Apostolicæ vsui, cum iam sit idem omnino fundamentum in Conceptione: fatendum est ex Bernardo Conceptionem esse sanctam (quod negant Aduersarij) aut Ecclesiam falli celebrantem peccatum, aut falsam inducentem sanctitatem (quod Bernardus negat.) Miror Auctores oppositos gladium ex hac Epistolâ arripuisse, cum eo trucidetur apertè Originale in MARIA peccatum, cum omnia fundamenta Bernardi æquè militent in Conceptione & Natiuitate. Factum Ecclesiæ negauit Bernardus; quia tunc nondum erat; ius autem nostrum dicit Bernardus ipse.

Paritas ab exemplo deducta.

Finge nunc esse controuersiam de sanctitate Baptistæ in eius ortu, & Bernardum à nobis consuli, & ab eo ipso responderi: *Consulite Romanos Pontifices, & uniuersam Ecclesiam, si ab ipsis celebretur festum Natiuitatis Baptista, securè tene, & tradite eam esse sanctam; quia Ecclesia non fallitur in celebrandis Festis; quia nec celebrat peccatum, nec falsam infert sanctitatem. Quia verò nunc ea Festiuitas non est, idè interim censeo Natiuitatem non esse sanctam.* His auditis, consulimus Pontifices, ipsique præcipiunt celebrari Natiuitatem Ioannis: interim Bernardus vitâ fungitur; quis dubitaret ex sententiâ Bernardi natiuitatem Ioannis fuisse immunem à peccato? Hæc omnino nunc in Conceptione contingunt. Regulas enim dignoscendi sanctitatem conceptionis accipimus à Bernardo; ipse censuit eam non fuisse sanctam, interim, dum non celebratur ab Ecclesiâ; eo autem mortuo celebratur. Quis neget ex his regulis conceptionem esse sanctam? Hæc accipe ex Petro Cellensi, propugnatore Bernardi, contra Nicolaum de Sancto Albano, lib. 9. Epistolarum, Epist. 10. (quæ est 167.) his verbis: *Credo, & confiteor plura esse apud nos ignota de Virgine sacrosanctâ, quàm nota; confortata est & gratia, & gloria & non possumus ad eam. Euangelio, non in somniis de illa credo, & si aliter sapio, & hoc ipsum reuelabit Deus quando voluerit, & quomodo voluerit; interim autem dum sit vox super firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum, pennas submitto, & meâ ignorantia caliginem non à te, sed à Patre luminum illustrandam imploro.* Quæ verba & probant quæ in efficto casu dixit, & ostendunt posse rem hanc à Deo reuelari, & ab Ecclesiâ definiti. Eodem modo possemus de sensu sancti Thomæ philosophari, & de aliis Doctoribus. Sed dicta satis sunt.

Obiicies: Eadem ratione posse probari à Bernardo, Thomâ, & Bonauenturâ sentiri omnia dogmata, quæ post obitum ipsorum fuere ab Ecclesiâ decreta. Fateor ab illis ea omnia virtualiter censa; quia Fides est de omnibus ab Ecclesiâ definitis, quibus hi Sancti nequaquam repugnant. Est tamen hic specialis ratio, ob quam eos nobis accensimus: est controuersia, quantum valeat celebrata Festorum, ad eorum sanctitatem asserendam. Nos asserimus eam plurimum valere, nec debere negari eorum sanctitatem. Alij minùs asserunt celebrati, ij ipsi armantur contra Immaculatam MARIE Conceptionem Bernardo, & Bonauenturâ; nos contra: eos exarmamus; quia hi Sancti censent esse indubitam sanctitatem rei ab Ecclesiâ celebratæ; qui si viderent celebritatem

Conceptionis, eam minimè possent negare sanctam ex suamet ipsorum doctrinâ de certitudine sanctitatis rerum, quas Ecclesia celebrat.



CAPVT XXI.

Sanctus Thomas neuiquam aduersabatur puritati Originali personæ Mariæ sanctissimæ, sed potius eam clarissime affirmavit.



QVOD attinet ad Angelicum Doctorem, nemo ex Auctoribus est, qui eum dicat in omnibus suis operibus fixè & immobiliter adhæsisse opinioni affirmatiuæ: euidens enim est eum locutum fuisse, saltem diuersimodè, nisi dicamus semper fuisse firmum in sententiâ piâ, nec quidquam aduersus eam in sententiis aut partibus dixisse; porro hæc varietas, si quæ fuit, non processit ex leuitate aut fluctuatione animi vacillantis, nec ob perplexitatem aut difficultatem huius mysterij, quæ eum de illius veritate pendulum fecissent; sed dumtaxat ex eo euenit, quod voluit se accommodare Doctoribus Parisiensibus, qui tenore Decreti Mauritiij, Episcopi Pariensis, suum sensum palam non expromebant: quapropter in occasionibus, quæ se obtulerunt, locutus est quod suæ prudentiæ visum est, iuxta exigentiam illius temporis ac loci. Dixi certum esse, quod *Diuus Thomas locutus est diuersimodè*, ac quod idem est, se monstrauit variū: *nisi dicendum sit, eum fuisse fixum ac firmum in sententiâ magis piâ, ac nihil dixisse contra illam in sententiis aut partibus*: nam quicumque hoc dixerit, de eo argumentum certissimum ac testimoniū inueniet apud S. Thomam: nec difficili negotio omnibus argumentis ac locis, quæ in contrarium citantur, respondere ac plenè satisfacere poterit, iuxta doctrinam superius datam, de explicatione terminorum; ac postea dicendâ. Itaque nullum extat testimoniū expressum aut clarum Diui Thomæ; quod militet profus in contrarium: quocirca non est necessarium dicere, eum aut mutasse sententiam, aut vario modo & inconsequenter locutum fuisse. Cæterum, qui diceret sanctum Doctorem amplexum fuisse sententiam affirmatiuam, eo ipso cogeretur in illo varietatem opinionum admittere: nam manifestum est eum secutum fuisse opinionem negatiuam in 1. dist. 44. art. 3. ad 3. vbi sic ait: *Dicendum, quod puritas attenditur penes recessum à contrario: & idè potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beata Virginis, quæ à peccato Originali & actuali immunis fuit: tamen sub Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Idem confirmat distinctione 17. quæst. 2. art. 4. vbi addit discrimen inter creatam & incretam puritatem, quod creata, qualis fuit Beata Virginis, secum inuehat immunitatem à culpâ, potentiam tamen admittat incidendi in illam: increta verò etiam ipsam delinquendi

Petrus Cellensis,

potentiam profus excludat. Alia loca S. Thomæ, quæ puritatem Originalem B. Virginis affirmant, citat Peccus Canisius lib. de B. Virgine cap. 6. Salmeron in Epist. ad Roman. disp. 5 1. & Henric. in Summâ lib. 3. de Sacramentis cap. 11. Verum est, locum super Salutationem Angelicam, quem aliqui citant, iam esse mutatum siue ablatum in editione Antuerpiæ, de Opusculis S. Thomæ, anno 1612. sed locum citari fidelissimè certum est, & quidem vt Ferdinandus de Salazar annotat, Bernardinus de Busto in Offic. de Conceptione, octauâ die Lect. 1. ex Opuscul. 8. S. Thomæ de Exposit. Angelicæ Salutationis hæc verba producit: *MARIA purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec Originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Eundem locum citat Canisius noster lib. 1. de MARIA Deiparâ cap. 6. Salmeron in Epist. ad Rom. disp. 5 1. qui affirmat Cardinalem Ioannem à Turrecrematâ nobilem satis Thomistam verba ista agnoscere, & D. Thomæ propria esse, calculo suo confirmare. Quapropter putandum est Opusculum illud ab his postea vitiatum, qui agrè ferebant D. Thomam piæ sententiæ toties adfauere. Nam codices illi, quibus hodiè vtimur, peccatum Originale Virgini potius asingere videntur. Illud nihilominus inuenio in Expositione, licet adulterata, quam vidi, etiam ex ipsâ immunitatem à peccato Originis posse defendi: nam S. Thomas post alias excellentias Matris Dei supra cælestes Spiritus, dixit: *Excedit Angelos, quantum ad puritatem.* Quod non esset verum, si Originariam impuritatem habuisset, ea quoque quibus inclinatur in culpam Originalem, imputandam Virgini, commodâ interpretatione intelligi possunt de debito, non de culpa contractâ. Alia loca Diui Thomæ referre omitto, quæ sunt deprauata in hac materia, an ex industria, aut errore, Deus nouit. Similiter in Commentario super Epistolas S. Pauli (quem certum est scripsisse Diuum Thomam post Summam) & in Epistola ad Galatas lectione 6. sic dicitur: *Virum de nullo unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis esset; ad minus Originale vel veniale, excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo MARIA.* Hæc verba inueniri possunt in impressionibus horum Commentariorum, quæ factæ sunt Parisiis anno salutis 1529. & 1532. ac Venetiis anno 1555. ac denique in impressionibus, quæ post annum 1590. in lucem emerferunt. Remigius tamen Florentinus illa verba obliterauit, *Excipiuntur purissima & omni laude dignissima Virgo MARIA.* Hoc quidem confirmat testimonium, quod mihi ostendit Eminentissimus Cardinalis Sandoual, Archiepiscopus Toletanus, ad tanti Principis instantiam exhibitum, & placet hic transcribere.

Ego Don Ferdinandus Gueuara & Adorno, Natione Siculus ex fidelissima ciuitate Casaraugustana, iam incorporatus, & vt ita dicam, naturalizatus, ac omnium priuilegiarum in Regno Castellæ capax, eò quod in dicto Regno Castellæ fuerim Cappellanus Regiæ Maiestatis viginti tribus annis in suo regio Senatu Castellæ, Canonicus & Dignitas Ecclesiæ Asturicensis, & Abbas sancti Iacobi de Penaluæ, testificor, ac fidem facio, quod dum Romæ vixi, anno Redemptionis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, in domo Eminentissimi Domini Cardinalis de Trexo, sua Eminentia Theologi & Confessoris munus subiens, omnes explorari Biblio-

thecas, vt aliquem librum inuenirem, qui mihi conducatur ad explanandam pyramidem in platea sanctæ MARIE de Populo sitam, mihi que vberior lucem & notitiam aperiret de re tam antiqua, obscura, ac panè inexplicabili ob hieroglyphicorum characterum varietatem; postquam vero intraui Bibliothecam Eminentissimi Domini Cardinalis Sforza, quemdam librum inueni fortuito, ex Operibus sancti Thomæ, super Epistolas sancti Pauli, ad magnitudinem vnus Missalis, ex littera perantiqua, tabulis coopertum: ego quippe singulari deuotione permotus, illum textum exquisiui: Omnes in Adam peccauerunt, &c. Super quem textum asserit Sanctus (vt patenter vidi) Vnâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculâ Originale peccati. Quamobrem obnixè supplicabam Eminentissimo Domino Cardinali Sforza, vt mihi faceret copiam ferendi mecum dictum Commentarium sancti Thomæ per dimidium horam, mox utique in suum proprium locum restituendum: ceterum, quia hic Tomus fuit ex Bibliotheca, secreta, sua Eminentia in principio fortiter reluctabatur, donec tandem erudenti meo desiderio, vrgentioribus precibus & instantiis acquieuit; ego confestim hunc librum ostendi Eminentissimo Domino ac Domino meo Cardinali de Trexo, qui magna lætitia affectus, quod viderit rem tam antiquam, ac Doctorem Angelicum excipientem ad litteram illius textus, Omnes peccauerunt in Adam, Virginem Beatissimam, absque mora decreuit adire Summum Pontificem Urbanum VIII. felicitis memoria, eumque de hac re admonere, verum ego replicabam dicendo, congruum fuisse, antequam ad suam Sanctitatem accederet, vt experiretur si fortè alie editiones moderne super prædictas Epistolas sancti Pauli, quæ fuissent eiusdem Auctoris Diui Thomæ cum illa antiqua concordassent, quod ita effectum est: nam adhibita diligentia tres Tomos inuenimus ac inspicimus nouæ editionis, ac eiusdem sancti Thomæ, super relatas Epistolas Pauli, quorum vnus fuit excusus Romæ, alter Mediolani, & tertius Neapoli, in nullo tamen inuenimus verba Doctoris Angelici super textum illum sancti Pauli, Omnes in Adam peccauerunt, &c. quæ in Tomo illo antiquo ipsius Sancti manifestè vidimus. Vnde prædictus Dominus Cardinalis de Trexo, cum maiore animi determinatione ac proposito præcepit statim sibi adduci lecticam, licet pluuia instar torrentis cecidisset, adiitque continuo suam Sanctitatem, secum ferens librum antiquum, & tres nouiores iam relatos, rogauitque cum magna animi teneritudine, reuerentia & humilitate, vt sua Sanctitas veritatem cernere dignaretur, ac iudicare quam opinionem aut mentem habuerit sanctus Thomas: qui sine equiuocatione, aut plurium verborum ambage, illa iam supra relata clarissimè asseruit: Vnâ exceptâ Beatâ Virgine, quæ nullam contraxit maculam Originale peccati. Quæ omnia verba modernis desuerunt impressionibus; quemadmodum sua Sanctitas luculenter videbat, qui propterea demiratus, muniendo se sapiens signo sanctæ Crucis dixit Rem esse magni momenti, ac consideratione dignam, sibi que magnam nouitatem ac admirationem attulisse, scribereque voluit vbinam fuit inuentus prædictus liber, qui sive eum Domino Cardinali tradiderit. Respondit sua Eminentia: Suum proprium Confessorè ac Theologum, Dominum Ferdinandum Gueuara & Adorno ei monstrasse ac dedisse librum hunc sub conditione tamen, quod illico proprio suo Domino restitatur. Hactenus testimonium.

Accedendo


Accedendo ad exponendam mentem Diui Thomæ, ac plenius eius sensum dilucidandum, noto etiam in ipsâ Religione S. Dominici attestatum esse, eum nunquam fuisse contrarium puritati Originali personæ Beatissimæ Virginis: nam Pater Magister Frater Ioannes de Sancto Thomâ, Thomista nobilis ac apprime doctus, disput. 2. super primam partem in proœm. art. 2. docet, sanctum Thomam nullibi dixisse aut censuisse B. Virginem fuisse conceptam in culpâ Originali, nec etiam negasse eandem ab eâ fuisse præseruatam; sed dumtaxat statuisse principia communia, ex quibus inferri posset, parentes, priuilegio non supposito, deriuaturos & transmissuros peccatum Originale in prolem, minimè determinando, an de facto illud transmiserint in B. Virginem, vel eam præseruauerit priuilegium. Illustrissimus Dominus Frater Franciscus de Arauio, Episcopus Segouienfis, congerit omnia loca S. Thomæ, quibus disputat in Partibus hanc controuersiam, ac idem quod Frater Ioannes de Sancto Thomâ affirmat; & licet mox adducat quædam loca ex quodlibetis ac Commentariis Psalmorum, quæ in fauorem opinionis affirmatiuæ propendere videntur; eandem tamen expositionem recipiunt, quam ea quæ ex Partibus desumuntur: & sic fatetur ipse Frater Ioannes de Sancto Thomâ, in hoc sequendum esse Seraphinum Potrecta.

Verùm his non acquiesco sine appositione propriorum verborum Patris Magistri Ioannis de Sancto Thomâ, quibus succinctè mentem Diui Thomæ complectitur in hac materiâ; nam eius doctrina, tamquam regula & exemplar, inferuire potest ad explicandos alios etiam Scriptores, eius verba sunt hæc: *Fuit sollicitus Diuus Thomas excludere non tam ipsam præseruationem personæ Virginis, in instanti reali suæ productionis, quam præseruationem carnis, vel anime; ita quòd ex vi Conceptionis actiuæ seu generationis, redderetur sancta illa persona; in se autem, in quantum persona singularis & producta non egiisset gratiâ liberationis, nec debitum haberet incurrendi; sed tota gratia fieret vel parentibus, vel actioni, seu principiis ipsis, unde persona illa resultare debebat, id est carni vel anime ante animationem: hoc fuit intentum Diui Thomæ, & ideo semper inquisiuit, an fuerit ante animationem sanctificata. Quòd verò ipsa persona iam producta, quæ ex vi & modo suæ conceptionis habebat debitum incurrendi, de facto non incurrerit peccatum; Diuus Thomas non fuit multum sollicitus; sed vtrique sententiæ dedit locum Ecclesiæ, ad quam solum pertinet iudicare hanc questionem de facto. Hoc autem euidenter fit ex ipsis locis Diui Thomæ, ubi ex professo hanc questionem tractat, in quibus videbimus eum agnouisse etiam præseruariuam redemptionem, & præcipuè intendisse negare, quòd gratia ista non fieret parentibus, vel nature; sed si fieret, deberet fieri personæ ipsi Virginis in singulari; in ipsa verò persona producta requirit solum vel debitum, vel peccatum, vt dicatur redimi, vel liberari; non verò solum peccatum. Ex his depromitur vna distinctio utilis, si non necessaria ad explicandum sensum, quem Diuus Thomas ac alij Auctores habuerunt, quando locuti sunt de Virginis sanctificatione; nam non negabant eam fuisse sanctificatam in primo instanti in sua persona, de facto, aut ex priuilegio; sed tantum negabant ipsam fuisse sanctificatam in sua natura, iure aut lege communi, seu attentò debito generationis; quòd*

ad pluriū locorum explicationem valdè notandum est.

Sed descendendo in particulari ad loca Diui Thomæ, quæ maiorem difficultatem inuoluunt; aduerto locum illum, quem quidam allegant, in 3. part. quæst. 27. art. 2. non fuisse vltimam voluntatem, aut quali testamentum Sancti; nam ibi solummodò tractat sanctus Thomas, An Virgo fuerit sanctificata ante animationem, quod tantum probant rationes, quas ibi adducit, ac ipse titulus articuli attestatur, in quo nihil amplius inquiritur, quàm, *Virum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem. Et quamuis in conclusione dicat: Cum Beata Virgo redemptione & salute, quæ per Christum est, indiguerit, non nisi post animationem sanctificata fuit; ibi tamen præpositio intelligi debet subiectiuè, & non successiuè, & vbi S. Doctor nominat peccatum, illud de peccati debito conformiter ad supra notata intelligit.*

In 3. Sententiarum dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. dicit: *Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem anime; quia gratia capax nondum erat; sed neque etiam in ipso instanti infusionis, vt scilicet per gratiam tunc sibi infusam conseruaretur, ne culpam Originalem incurreret.* Atque minùs impetit S. Thomas per hæc verba opinionem piam; nam sanctificationem Virginis purissimæ in primò instanti suæ generationis absolutè non negat; sed tantum modum talis sanctificationis, hoc est, dumtaxat negat eam fuisse sanctificatam per gratiam tunc infusam, quæ debitum culpæ Originalis extinxisset, quod nomine ipsius culpæ vlturpauit, iuxta doctrinam superius præscriptam de significatione terminorum; neque in iis, quæ scripsit ad Annibaldum in 3. dist. 3. quæst. 3. art. 1. negat B. Virginem fuisse sanctificatam in persona sua, de facto, & ex priuilegio; sed tantum in primo instanti non fuisse sanctificatam in natura, aut ex iure communi. Confirmatur denique, S. Thomam amplexum fuisse opinionem negatiuam, ex eo quòd omnes rationes, quibus vsus est ad probandum B. Virginem fuisse immunem à peccato actuali, æquali aut maiori etiam efficaciam suadent, eam caruisse culpâ Originali, sicut iam partim admonuimus, ac probat Canisius lib. 1. de B. Virgine. Præterea, si Angelicus Doctor locum non dedisset vt Virgo à peccato Originali eximeretur, iam dudum fuisset condemnata à Sixto IV. illa eius propositio 1. 2. quæst. 8. art. 3. in corp. *Secundum Fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines (præter solum Christum) ex Adam deriuati, peccatum Originale ex Adam contrahunt.* Verùm quia illi generalitati Dei Genitricem non admiscuit, nihil contra eum in hac parte definitum est.



CAPVT XXII.

Hoc mysterium in veritate & simpliciter non oppugnatum per Religionem sancti Domini, sed solum accidentarie, & specie tenuis.



X hoc sequitur, neque etiam contradictionem quorundam Thomistarum esse alicuius vigoris, ad debellandum hoc mysterium: tum Primò quòd certum sit non esse simpliciter aut reuera talem, nec per se; sed tantum apparentem, & per accidens, non tam ab improbabilitate rei, aut dictamine rationis propria, quam à studio obtemperandi alienæ voluntati prouenientem; planè etenim contingens ac accidentarium fuit, quòd se mancipauerint sententiæ Diui Thomæ tuendæ, aut quam eius esse supponunt, in hac materiâ: quo sanè obsequio caluali, aut quasi obligatione remotis, minimè huic veritati contradixissent. Secundò, quia Diuus Thomas sententiæ negatiuæ non contradixit; sed potius ei consensit. Igitur non sunt censendi reuera ei contradixisse, quantum ad substantiam, qui eum sequuntur, ac illius opinionem diuersimode intellectam, pro ratâ habent, licet præiudicè deauerint in applicandâ Diuo Thomæ sententiâ, quam non asseuerant, ac in sua interpretatione, quæ scopum non attingit. Tertio, ex suppositione quòd S. Thomas piæ opinioni contradixisset, illi tamen nequaquam obfuisent, cum vnum solummodò votum conficerent, nec maiorem auctoritatem quam vnius Doctõris, licet insignis, obtinerent, quem mordicus assequuntur, ac eius dictum, tanquam oraculum admittunt, non tam rei veritate aut rationum momentis (quæ plurimæ extant in contrarium) conuicti, quam allecti auctoritate & affectu. Sed votum vnius contra refertum agmen, ac cœtum tot Patrum & Doctõrum communi Traditioni præiudicare nequit. Verùm missâ suppositione nuperrimè positâ, cum Diuus Thomas nostram sententiâ fulserit, ac reuera professus sit, minùs concedendum est his Thomistis, quam votum vnius, qui per transuersos calles, ac longè à vestigiis & sincerâ doctrinâ sui Magistri abierant, persuadendo sibi eum dixisse quòd non censuit; ædificando suam contradictionem aut votum supra falsum fundamentum & auctoritatem apparentem. Vnde constat, illorum votum esse reuera nullum, sed tantum apparens. Rueret quidem auctoritas huius voti, si fundaretur supra fundamentum quòd foret incertum ob varietatem, quam necesse est admittere in locis S. Doctõris, nisi dicatur amplexum fuisse opinionem magis piam, quantò magis supra fundamentum falsum fabricatum, sicut modò diximus, euanesceat.

Confirmatur, hoc votum esse fundatum supra falsum suppositum ex alio fundamento, quo hi Thomistæ innituntur; nimirum ex eo, quòd arbitrentur Ecclesiam non celebrare Conceptionem B. Virginis, sed eius sanctificationem tempore immediatè sequenti instans generationis & infu-

sionis animæ: quòd sanè est falsum præsuppositum, vt modò videbimus, nam certè negari nequit, Ecclesiam colere cum festiuitate Conceptionem Immaculatam, ac sanctificationem Virginis Sanctissimæ in primo instanti: clarius Sole est hunc semper fuisse eius sensum, nec ad id probandum opus est alijs argumentis, præter verba Summi Pontificis, qui eandem Festiuitatem instituit. Sixtus IV. in secundâ Extrauagante *Grane nimis*, quâ excommunicationis censurâ plectit eos, qui dicere audebant, non licuisse sine peccato mortali recitare Officium Immaculatæ Conceptionis *MARIÆ* Dominæ nostræ, nec sine hæresi potuisse affirmari B. Virginem euitasse peccatum Originale, sic inquit: *Cum Sancta Romana Ecclesia de Intemerata, semperque Virginis MARIÆ Conceptione publicè Festum celebret sollemniter, & speciale super hoc Officium ac Proprium ordinauerit. Examinemus nunc quid celebratur per hoc Officiu: in versiculo ad primas Vesperas eius ponuntur hæc verba: Immaculata Conceptio est hodie sancta MARIÆ Virginis. in vnâ Oratione: Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c. in aliâ: Concede quesumus, vt sicut eam ab omni labe præseruasti; &c. Consimilibus clausulis abundat: dicant nunc Festum non esse institutum de Conceptione Virginis in primo instanti Immaculatæ: Pontifex fateatur se illud Officiu ordinasse ad celebrandam Conceptionem. Quam quæso Conceptionem? An eam, de quâ in Officio recitatur; aut illam quam fingunt Aduersarij: Fortè Officiu alligatur primo instanti, ac illud determinatè respicit, festiuitas verò manet indifferens ad hoc vel illud tempus? minimè gentium.*

Secundò conuincitur hæc diuinitoria, ac planè violenta expositio ex primâ Extrauagante *Grane nimis*, in quâ dolet Sixtus IV. quòd postquam iam notum sit Ecclesiam instituisse Festum ac speciale Officiu Conceptionis, quidam Prædicatores audacter præsumperint peccati mortalis reatu condemnare dicentes B. Virginem non admisisse culpam Originalem, ac immeritò exprobrare recitantibus Officiu Immaculatæ Conceptionis hæresis ignominiam: prædicarunt enim hæreticū fuisse recitare idem Officiu. Igitur festiuitas & Officiu Ecclesiæ sunt instituta in veneratione immunitatis B. Virginis à peccato Originale. Quòd hi Prædicatores damnabant, fuit Officiu, quòd ipse Pontifex approbavit, ac propositio, quâ affirmetur B. Virginè fuisse expertem culpæ Originalis; hoc oppugnat Pontifex, ac illorum euertit molimina, adducendo pro argumèto irrefragabili Festum ac Officiu Conceptionis ab Ecclesia celebrata. Ergo de iis, quæ illi oppugnarūt, si non vnice, fuit Officiu & celebritas Ecclesiæ. Rogo enim, An censuris molestando opinionem piam, ac recitationem Officij Conceptionis Immaculatæ, se opponebant celebritati Ecclesiasticæ, vel non? Si non, quid ad illorum intentum attinebat, aut in quo eos offendere poterat, quòd Ecclesia festiuitatem illam celebrasset; si se opponebant; igitur celebritas Ecclesiastica fuit instituta de carentia maculæ Originalis, in Conceptione B. Virginis.

Tertio; Summis Pontificibus manifestissimè constat, quòd hanc celebritatem, ex quo incepit esse, Prædicatores pro rostris, Magistri in Cathedris, ac denique Doctõrum volumina explicant, & proponunt omni fidelium cœtui, tanquam certissimum argumentum, quo adducantur ad intelli

intelligendum, quantum Ecclesia veneretur præseruationem B. Virginis à culpâ Originali: hanc magnificentiam populi, communi iubilo applaudunt, flagranti desiderio audire desiderant de hoc mysterio, de tali institutione, ac intento huius solemnitate sæpius fideles commonentur; omnes vnanimiter sibi persuadent Ecclesiam celebrare festum sanctificatæ B. Virginis in primo instanti suæ conceptionis, cui Summi Pontifices minime contradicunt, nec in eo vllum detegunt errorem, sed potius sensum huius festiuitatis esse, quem nos assignamus.

Quartò; Fideles Summo Pontifici supplicarunt vt in pluribus locis obseruari præcipiat festiuitatem, ac diem Conceptionis; per suam tamen petitionem intelligentes, non sanctificationem vticumque, aut spiritualementem Conceptionem B. Virginis; sed quòd eius anima in primo instanti sui esse cum gratiâ fuerit infusa ab omni culpâ Originali remota, Summus Pontifex eorum voto & precibus annuit, petita concedendo, & sine dubio iuxta mentem & sensum supplicantium; non verò alium sensum; alioquin eos euidenter deciperet, dando illis vnum pro alio, concedendo festiuitatem sanctificationis longè diuersam à festiuitate Conceptionis in primo instanti, quam obnixè Fideles rogabant, nihil eis amplius dicendo, nullatenus designando latum discrimen, quod inter vtramque intercedit, aut æquiuocationem, quæ illos decipere possit. Quid enim aliud est decipere manifestius, quàm quòd quis alteri conferat vnã rem pro aliã, interim relinquendo recipientem securum, ac certum in suã opinionem de acceptione eius, quam minime obtinuit, aut accepit; sed aliam, quam si cognouisset se recepisse, consternatus animo, & minime contentus eaaderet? Sed hoc præsumi nequit de veritate Vicarij Christi, & columnæ Ecclesiæ: igitur minus admittendum vnde hoc sequitur.

Quintò; Nam Ecclesia, celebrando Conceptionem, soli sanctificationi aut Conceptioni spirituali B. Virginis Festum non facit: sic definit Sixtus IV. in primâ Extrauagante *Grane nimis*, post elapsum annum 1482. contra quosdam Prædicatores de Lombardiã, affirmantes sensum tantummodò festiuitatis Romanæ fuisse venerari Conceptionem spiritualementem & sanctificationem B. Virginis; quod Pontifex erroris condemnat: igitur, quòd pro sancto celebratur, est ipsa conceptio naturalis, quæ in primo instanti sui esse absoluta est. Igitur in isto primo instanti sanctitatem colit Ecclesia, vel conceptionis naturalis gratiam non commendat.

Sextò; Si Ecclesia quando celebrat Conceptionem, sanctitatem in primo instanti B. Virginis determinatè non celebraret; vel hoc contingeret ex eo quòd *esse*, quòd in primo illo instanti obtinuit B. Virgo, colere aut celebrare non intendit; vel quòd ad id celebrandum non sufficeret, vt tunc gratia inexistere, aut in aliquo instanti ex subsequentibus futura sit; sed neutrum est possibile: non primum; Nam si Ecclesia suã celebrationem primum instans non complectitur, nec in eo veneratur *esse* Virginis sanctissimæ, minime facit festum conceptionis naturalis; sed tantum Conceptionis spiritualis, ac vitæ supernaturalis illius, qui est error damnatus à Sixto IV. Non secundum: Dicere enim, quòd ad venerandum primum instans, aut conceptionem naturalem, quæ in eo perficitur, non est necessarium quòd tunc

gratia inexistisset determinatè; falsissimum est: patet Primò; Nam gratia nondum existens, nequaquam potuit reddere conceptionem in primo instanti veneratione dignam: & sanè semel negato B. Virginem in illo instanti gratiam obtinuisse, incertum est, an aliquot horæ vel dies ante eius sanctificationem effluerint, sicut nec gratia immediatè post hoc instans extitura potest efficere animam Petri, nunc existentis in peccato mortali, aut gratiam, aut amicam Deo, nec laude nec amore dignam. Secundò: Nam inde omnino eneruaretur consequentia S. Bernardi, S. Ildefonsi, S. Bonaventuræ, ac denique Doctoris Angelici; suppositâ etiam ab Aduersariis pro legitimâ, quâ vsi sunt in festo Natiuitatis B. Virginis, inferentes ipsam fuisse natam in gratiâ, ex eo quòd Ecclesia cum festiuitate colat illius Natiuitatem. Quam elumbis foret ista consequentia, si conceptio culpæ annexa, ac in culpâ consummata, ob gratiam in horis aut instantibus subsequentibus futuram ab Ecclesiâ Catholicâ celebraretur: & sic rectè componi poterit cum solemnitate Natiuitatis, quòd neque B. Virgo, neque Ioannes Baptista sancti nascebantur; sed quòd tunc, vel paulò post sanctitatem adepti sunt. Tertio constat: Nam si foret licitum partiri instantiâ, ac diuidere in hac festiuitate, ac propter gratiam futuram venerari conceptionem in hoc instanti existentem, vel instans, aut *nunc* huius conceptionis; inde sequeretur, quòd Ecclesia non solum posset celebrare festum conceptionis S. Ioannis Baptistæ, aut Ieremiæ Prophetæ, qui creduntur sanctificati in utero materno. Verum & festum conceptionis aliorum Sanctorum, qui longè post natiuitatem sunt sanctificati; ad eò enim definit esse gratia conceptionis, quæ ab eo instanti abest biduo, ac ea, quæ post biennium accessura est: si igitur vna potest refundere retrò in conceptionem, à quâ est aliena, & nequaquam illius venerabilitatem aut dignitatem venerationis, cur non & alia? licet sit remotior, quòd nihil refert formaliter, cum magis & minus sint accidentia minime speciem variantia, & ex quibus differentia materialis tantum resultare potest: quippe, si Ecclesia nullam conceptionem aliorum Sanctam appellat aut veneratur, sicut obseruauit Bernardus, aliqua specialitas, quæ maiorem meruit reuerentiam, fuit inuenta in B. Virgine ex acceptione gratiæ in primo instanti suæ conceptionis determinatè. Alias euasiones ac subtilitates metaphysicas Aduersarij excogitarunt, quibus comminisci studuerunt aliud obiectum ab eo, quòd est vtitatum ab Ecclesiâ, omnes longè declinantes à stylo, veritate ac sinceritate ipsius Ecclesiæ: nam præterquam quòd Ecclesia in aliis festiuitatibus consimilia obiecta non agnoscit, æquè minus simplicitati ac ruditati vulgi proponenda sunt. Porro, si quâ vi pollent istæ euasiones, ex æquo reliquas impetunt festiuitates, ac earam obiecta recepta ab Ecclesiâ, ac à populo sic intellecta in terram præcipitant.

Præter dicta etiam notari debet quòd post Officium, quòd Sixtus IV. pluresque alij Summi Pontifices approbarunt, quòdque in hunc vsque diem in Religione sancti Francisci vsitari solet, aliud in reformatione Breuarij recitari mandauit Pius V. in quo eodem modo de ipsâ Conceptione celebratur; nam in primo Responsorio dicitur: *Hodie cõcepta est B. Virgo ex progenie David. in quarto: Conceptio gloriosa Virginis MARIÆ ex semine Abrahæ*

Abraha, in primâ Antiphonâ: *Conceptio gloriosa Virginis MARIÆ ex semine Abraha, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe David*. Hæc verba euidenter conceptionem naturalem significant; & sic manifestum manet obiectum, quod venerationi exponitur, esse conceptionem naturalem MARIÆ; & hanc coli tanquam sanctam, constat ex Responsorio octauo: *Sentiant omnes tuum inuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem*. Iam verò concurrunt iterum omnes rationes, quibus supra probatum est, sanctitatem, quæ venerabilem reddit conceptionem naturalem, esse necessariò sanctitatem ipsarum. B. Virgo in illo instanti prædita fuit; ergo madmo, dum certum est, ante Pium celebratam fuisse ab Ecclesiâ gratiam in primo instanti; ita perspicuum est, ab ætate Pij eandem Ecclesiâ continuare in eadem gratiâ celebrandâ. E quibus omnibus manifestè colligitur, negare quòd Ecclesiâ festum Conceptionis virginæ sine peccato Originali celebret, idem esse, ac negare rem omnino euidentem. Vnde, qui contrario fundamento inniuntur, repugnantes veritati huius mysterij, non possunt valide contradixisse, sed apparenter tantum. De obiecto porrò huius festiuitatis alibi fusiùs: illic fundamenta adhuc firmiora refero in peculiari Tractatu.



CAPVT XXIII.

Quantus fuerit sacri Ordinis beati Dominici erga presens mysterium sauar ac studium.



ONTRADICTIONEM hanc esse solùm apparentem, imaginariam, & minimè solido inniti fundamento, confirmatur inde, quòd Religiosi complures ex disciplina sancti Dominici variis temporibus venerati & cultu singulari prosecuti sunt festum diem purissimæ Conceptionis, eo modo, quo Romana Ecclesiâ hoc tempore eundem celebrat; idque ab initio nascentis Dominicanæ Religionis. Probat vberimè P. Ojeda, qui quæ ipsam postea secuti fuerunt eruditi cum primis viri, sanctum Dominicum & primos illius discipulos annuam & festiuam Conceptionis memoriam celebrasse, superest vestigium huius rei in Martyrologio Ordinis Prædicatorum, anni 1254. tribus videlicet annis supra triginta post obitum sancti Dominici, & in eo octauo die Decembris Conceptio exprimitur, tamquam Festum Ordinis in hunc modum: *Octauo Decembris Conceptio sancta MARIÆ Virginis, Festum duplex*. Idem planè extat in altero Martyrologio, edito in lucem de Seraphini Caualli Generalis Ordinis sancti Dominici iussu in gratiam totius Ordinis, & cura Patris Ioannis de Palentia, anno 1579. vbi notandum in proemio ab isto tradi, secutum se fuisse ad huius emendationem prædictum alterum anni 1254. in reformatione Missalium & Breuiariorum, quæ ex Decreto Capituli Generalis Salmantice celebrati, anno 1551. sub Generali R. P. Francisco Romero, Salmantice octauo Decembris, anno, qui secutus est, prodiit, hic titulus occurrit:

Conceptio Sanctæ MARIÆ totum duplex. Varij Scriptores, tamquam oculati testes auctoritatem variorum Breuiariorum venerandæ antiquitatis implorant, in quibus reperitur idem Conceptionis Festum ad octauum diem Decembris; & ego met vidi libellum, cui titulus, *Hora Beata Maria Virginis ad usum Fratrum Prædicatorum Ordinis sancti Dominici*, typis datum Parisiis, anno 1529. vbi tam perspicuè recitatur præseruatio Virginis à peccato Originali, vt nullibi eam magis expressam videre mihi contigerit. Quocirca clausulas aliquot ex eo, lubens hic apponam. Oratio in hunc modum concepta est: *Deus, qui pro salute humani generis carnem gloriosa Virginis Maria assumere dignatus es, & ipsam sine macula concipiendam ante secula in Matrem præelegisti, concede propitiis, vt qui de eius Conceptione, quæ fuit nostra redemptionis, nec non temporum plenitudinis exordium, latamur, eius pijs intercessionibus ab instantibus periculis, & à morte perpetuâ præseruemur*. Hymnus verò ad Tertiam: *Conceptio laudabilis ab Angelo nunciata Maria, tam amabilis in conceptu præseruata*. Ad Sextam: *Quæ concepta vitiorum sine labe purissima*. Ad Nonam: *Vnum corpus, & viscera, quæ Dominum portauerunt, virginalia vbera, quæ ipsum lætauerunt, beata sint & opera tua, & qui crediderunt, quæ sine labe concepta post & ante remanserunt*. Ad Vesperas in Hymno similiter: *Salua quæ stella maris es, sine labe concepta*. Verùm prædicta omnia superat Hymnus ad Completorium, his verbis: *Mater Dei Conceptio est nostra Redemptionis potissima inceptio, atque reparationis, & non mirum, exemptio antiqua contagionis. Fuit & in principio ipsius creationis perpetua saluatio*.

Celebrasse per Galliam Festum hoc sub annum 1250. Patres huius Ordinis, ex Raymundo Lullo colligitur, in Prologo Tractatus de Conceptione: *Contigit (inquit) quòd sedens in choro Fratrum Prædicatorum Auenione septimo mensis Decembris secularis quidam & pauper Canonius, dum Vesperas Conceptionis Virginis Maria Fratres solemniter celebrarent, &c*. Et quæ sequuntur. Quâ de causâ Patres Dominicani Reipublicæ Senensis voto publico se obstrinxerunt eam celebrandi: ac præterea Conuentus Germaniæ omnes, qui intra Alpes degunt, eam celebrare solitos fuisse, testis est Catharinus, Auctor eiusdem Ordinis, in Tractatu de Conceptione, & in Controuersijs. Magister Iustinianus Antist, pariter Dominicanus, in Additionibus idem scribit, in plurimis Conuentibus Ordinis sui obtinere ad octauum diem Decembris, cum titulo Conceptionis, Sanctificationis non item.

Ad hæc magnus est Doctorum ex Ordine sancti Dominici numerus, qui piam hanc sententiam propugnarunt, & præcipuus quidem sanctus Patriarcha Dominicus iis exemplo suo præluxit; vt affirmant Auctores varij, & Breuiaria antiqua in quadam lectione contestantur. In Officio Conceptionis, scripto à Fratre Bernardino de Busto, & approbato per Sixtum IV. Papam, quarto die Octobris, anni 1480. occurret prædicta lectio, Officium, & Missa in Mariali Serm. 9. fol. 52. de Conceptione. Huius item sanctissimi Patriarchæ plurimi ferunt auctoritatem sequentem esse: *Sicut primus Adam fuit ex terrâ Virgine, & numquam maledictâ formatus, ita de cuius*

deicit in secundo Adam fieri. Et Conceptioni purissimæ Virginis adscribunt Leonardus Nogarolus, in Officio per Sixtum IV. approbato, anno 1477. Bernardinus de Busto in altero Officio anno 1480. tum Abulense Officium eiusdem temporis, Compostellanum similiter Officium anno 1480. Placentinum 1480. quia idem est cum cæteris. Pari modo meminit huius rei Officium Carmelitici Ordinis, quod rursus typis vulgatum fuit anno 1575. S. Raymondū de Peña-forti, qui anno 1230. erat in viuis, scribunt Palaus & Aluarius Pizarrus, & alij multi in suggestis Conceptione purissimā prædicasse, ac præsertim in Ecclesiâ Hispalensi, anno 1265. Idem censendum est de S. Hyacintho, & S. Petro Martyre, qui etiam ante sanctum Thomam vixere, & proximiores fuerunt S. Dominico, cum scilicet ex sanctissimo Patriarchâ haustâ deuotione per omnem Ordinem, vt dixi, purissima Virginis Conceptio celebrabatur, nullaque contraria doctrina fuisset introducta, siue occasione scriptorum Alberti Magni, siue sancti Thomæ, in sacrum Dominicanorum Ordinem. Sanctus Vincentius Ferrarius in Serm. de Concept. & Serm. de Natiuit. 2. negatiuam sententiam tenet. Adde & partes Summæ Theologicæ sancti Thomæ, quibus vtebatur idem sanctus Vincentius, seruari hodie in Conuentu sancti Dominici, Ciuitatis de Alcaniz Diocesis Cæsaraugustanæ, quibus ipse Sanctus nonnullas annotationes, & glossas adiecit, in iisque etiam nunc in 3. p. q. 27. art. 2. circa resp. ad 3. scripta esse eiusdem sancti Vincentij manu, de B. Virgine hæc verba: *Fuit immunus à peccato Originali.* Huius rei certiores me fecerunt, velut oculati testes Comes de Montoro Regis à Concilio Coronæ Aragoniæ, & Doctor D. Petrus Zamudio, sancti Petri in hac regiâ Matritensi vrbe Parochus, qui ad maiorem fidem chirographum adiecit. Postea iterum de hoc agemus, & producemus instrumentum publicum trium Notariorum testimonio obfirmatum. De sancto Thomâ supra iam vidimus, quàm perspicuè fauit opinioni piæ, vt & beatus Ludouicus Bertranus, quemadmodum testatur in eius Vitâ, laudatus iam Magister Iustinianus Antist.

Imò & Pater Petrus de Aluâ in sua Propositione sanctum quoque Antoninum Florentinum in gratiam huius opinionis piæ citare non veretur: multi enim dicunt priorem retractasse sententiam; de quo etiam videri potest Ferdinandus Salazar. Similiter & Balthasar Porrenus in lib. de Concept. cap. 2. citat pro eius immunitate Diuum Antoninum in 4. part. qui dixit: *Cum Dominus in priuilegio suo, quo ei mittit per Angelum, dicat, Gratia plena, nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum.* Et quidem alibi clariùs pro puritate Virginis loquitur, vt nesciam quomodo componi possint, quæ contra illam citantur ex eodem Sancto. Siquidem in quartâ parte tit. 14. cap. 4. sic loquitur de Conceptione Virginis: *Dixit verò Deus (Dicere Dei est facere) Fiat lux. Vbi successinè narrantur opera sex dierum in principio facta designantia opera sex mirabilia Dei, facta successinè in Virgine MARIA tibi figuratâ. Et sic in capite libri scriptum est de me, &c. primum opus est Conceptio, ibi dicens, Fiat lux: in hoc præfigurans, & præordinans Conceptum Virginis, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo. Et facta est lux.* Ignoro prorsus, quomodo

Ioann. Euseb. Op. Parth.

do postea inuenerit S. Antoninus tenebras peccatis in hac luce Marianæ Conceptionis, maxime cum dixerit fuisse vnum ex sex operibus mirabilibus, quæ Deus fecit in Sacratissima Virgine. Quomodo ergo Cõceptio in peccato poterit esse opus tam magnum, & mirabile, vt numerari possit in miraculo maternitatis Diuinæ, & Virginitatis immaculatæ, atque collectione, & cumulo omnium gratiarū, quæ in illam solam confluerunt? Hæc enim & similia sunt ea mirabilia Virginis, de quibus postea loquitur S. Antoninus, in quorum classe nequaquam videtur locum habere Conceptio, si fuisset cum peccato originali contracto. Cumque Conceptionem passiuam Virginis in classem eminentium illarum gratiarum, & priuilegiorum admiserit, miror profectò, quomodo eam potuerit cogitare sordidam cum horrore & fœditate peccati. Quare facile credam in negantē sententiam tãdem venisse, sicut alij Doctores scholastici fecerunt. Ita vt, qui ex sacro Ordine S. Dominici in Beatorum numerum relati sunt, huic opinioni piæ adhæserint. Placet etiam sanctissimis viris appendere sanctissimum Pontificem Pium V. etiam ex Dominicanæ familia, qui festum Conceptionis præcepit, & sanctam acclamari voluit per vniuersam Ecclesiam multisque modis fauit immaculato Deiparæ Conceptui vt postea videbimus, cum de Pontificibus Romanis agemus.

Cæterum antequam vltiùs procedamus, quia omnibus prædictis præluxerit auctoritas S. Dominici citata, oportebit eam maiori otio roborare. Nec enim tolerandi sunt nonnulli, qui nimirum aut per ignorantiam criticantes negant librum de Sacramento corporis Christi esse S. Dominici Patriarchæ, sed alterius, scilicet, Fratris Dominici Pantaleonis, qui floruit anno 1262. Infirmum planè argumentū, cum de eodem argumēto possint scribi à diuersis distincta volumina. Sed quidquid sit, de Dominico Pantaleone, scriptum fuisse à S. Dominico Patriarcha libellum quemdam aduersus Albigenes, vbi erat prædicta sententia, de Immaculata Virginis Conceptione, testantur Vicentius Beluacensis lib. 29. Spec. Histor. cap. 96. qui Vicentius obiit 35. annis post S. Dominicum: quare plenam veritatis notitiam absque dubio habuit, id testatur, sicut & Theodoricus de Apoldia lib. 1. de vita S. Dominici c. 6. S. Antoninus 3. p. tit. 19. vbi ait: *Libellus verò serui Dei Dominici, non solum ab igne non leditur, verum ab igne profiliit in longinquum, secundoque eiectus, ac tertio, æquè prodit incombustus: vnde canit Ecclesia ter in ignem libellus traditus, ter exiuit illæsus penitus, nec parui momenti est, quod dicat ab Ecclesia cani illius libelli miraculum, & verè quidem, nam in multis Breuariis antiquis, in 3. lectione primi nocturni in Festo S. Dominici, vt testis oculatus Antonius Palaus c. 1. defen. contestatur; hæc leguntur.*

*Verbum Dei dum palam promitur,
Surgunt hostes, liber conscribitur,
Sic error vincitur, fides extollitur,
Ter in flammis libellus traditus
Ter exiuit illæsus penitus.*

Id ipsum confirmant Iacobus Genuensis de legendis Sanctorum c. 108. Ioan. Gauzon in vita S. Dominici relatus à Lipomano p. 2. Ferdinandus de Castillo, lib. 1. cap. 8. Æquilimus, lib. 2. Catalogi Sanctorum c. 22. Pelbartus lib. 4. Stellarij p. 5. art. vit. & innumeri alij etiam ex Dominicanæ familia, quales fuerunt multi nuper allegati. Opportunè autē in eodē libello cõiunxit S. Dominicus sanctissimū

sacramentum, & immaculatam Mariæ sine labe Conceptæ puritatem quasi prælagium eius ceremoniæ, & moris miraculo celebrandi, qui in tot Ecclesiis introductus est, collaudando simul utrūque, Causa autem eius scriptio fuit, quia ut scribit Guilelmus Nangiacus negabant Albigenes præsentiam Christi in sacramento, & etiam puritatem vitæ in B. Virgine, in quam blasphemantes multa impura obgerebant, & tribuebant, quare oportebat, ut sanctus Dominicus eius puritatem defenderet immunem non solum à peccato actuali, sed Originali.

Idem etiam Testatur Baronius tom. 12. ad annum 1199. num. 33, & 34. ex Petro Cisterciensi Monacho Vallis Samensis Monasterij, qui hos errores recenset in historia Albigenum, quam oculatus testis scripsit cap. 5. & ex aliis authoribus sparsim. *Albigenes Mariam Virginem, voce impurissima meretricem appellabant &c.* Et postea ait de eisdem *hostiam sacrosancti corporis Christi in nullo differre à pane laicorum dicebant.* Clarius explicat Gotthalcus olim quomodo negabant prædicti hæretici Immaculatam Conceptionem, ut necesse fuerit sanctum Dominicum eam defendere aduersus illos in Festo de Conceptione Virginis, sermone qui incipit *Nec dum erant abyssi* ubi comprobans immunitatem B. Virginis, quinque approbatis testibus, *Tertius* (ait:) *Est ille famosus Prædicator Dominicus in quoddam libello. Qui eum erat in quodam Archiepiscopatu, & contra aliquos Hæreticos ibidem existentes prædicaret, qui asserebant Tres conclusiones falsas, & hæreticas. Prima quod Christus non erat Deus: Secunda quod in Sacramento Altaris non erat corpus Christi. Tertia, quod Beata Virgo non erat Mater Dei, quia fuerat Concepta in peccato Originali. Sed S. Dominicus oppositum defendebat, & facta prolixâ disputatione cum hæreticis fuerunt cõcordes in hoc, quod omnes eicerent suas conclusiones in igne, & illa, quæ non essent combusta, tenerentur pro veritate, &c.* ita ex Editione Agenauiensi anni 1520. scripsit autem saltem ante Sixtum IV. ut patet ipso sermone vide Tabulam Barchionensem. §. 9. n. 4.

Cæterum, quia Hæretici Albigenes non admitterent vetus testamentum, nisi solum ea testimonia, quæ allegata sunt à Christo, & suis Apostolis, prout notauit Baronius ad annum 1176. Ideo cum S. Dominicus non poterat conuincere illos ex Prophetis, vel alia Scriptura Veteris Testamenti, vltus est testimonio S. Andræ Apostoli.

Tandem aduertendum est; authores, plurimos quidem, qui meminerunt libri S. Dominici, non exprimeret habuisse titulum, de Sacramento corporis Christi, sed quod in suo libro scripsit de hoc Sacramento, & Conceptione Mariæ. Vnde sine designatione tituli, vocant illum dütaxat, alij *Libellum*; alij *Conclusiones*, ut fecit Bernardinus de Busto in suo officio lect. 4. tertiæ diei infra octauam. Quare, & si mille scripsissent, cum hoc titulo de Sacramento, non tollit, quod S. Dominici fuerit ille Tractatus, de quo loquitur Vicentius Belluacensis sup. qui obiit antequam florisset Dominicus Pantaleo, quod si hic Pantaleo in suo libro de sacramento scripsit illud de Puritate Conceptionis Marianæ, nouus fautor addendus est negatiuæ sententiæ, siue id præstiterit propriam, siue allegans Testimonium S. Dominici.

§ I.

Præter tot Sanctos Ordinis Dominicani, alij innumeri Doctores eiusdem Religionis sequuntur opinionem magis piam; imò & Capitulum ipsius Ordinis.

Eodem modo ac sancti Dominicani, fauere Conceptioni Immaculatæ Scriptores ex eodem religioso cœtu illustriores, quorum indicem hic atteximus. Vincentius Cassali, Cœnobita Dominicanus, qui sub annum 1217. floruit, nonnullos Tractatus Panegyricos de hoc ipso Festo conscripsit, quos deinde collegit in vnum: probat in illis, & acutè propugnat mysterium præsens, uti testantur Philippus Bergomensis in Supplemento Chronic. lib. 13. ann. 1417. fol. 128. & Antonius Senensis in Bibliothecâ Dominicanâ, fol. 265.

Vicentius Belluacensis, ex eadem beati Dominici disciplinâ, scripsit anno 1244. Speculum suum historicum, vastum opus, & in eo lib. 7. cap. 121. affert & laudat verba S. Ildefonsi Toletani, quibus Immaculatam Virginis Conceptionem affirmat. Hugo de Montecaro, quem per antonomasiam Cardinalem simpliciter nuncupant, ex Ordine itidem sancti Dominici, sententiam hanc probauit in cap. 1. & 10. Luca: vixit sub annum 1250. Albertus item Magnus in Tractatu de Laudibus Mariae, quem Canisius citauit, idem sentit omnino; claruit anno 1265. & illi succenturiantur ex eadem Dominicanâ Familiâ Amandus de Voluuisu, Magister Sacri Palatij, Serm. de Concept. anno 1296. Frater Iacobus de Voragine, Serm. 6. & 7. de Annunt. anno 1296. Frater Iacobus de Voragine, Serm. 6. & 7. de Annunt. anno 1298. Paludanus in tribus Sermonibus de Concept. anno 1320. secundum calculum Antonij Senensis: Herueus, Generalis anno 1325. in Comment. Epist. 25. ad Cor. Frater Bartholomæus de Pila, Tract. de Virgin. fruct. 3. anno 1335. Olchot in Sapient. vers. 160. anno 1349. Frater Ioannes Taulerus in Fest. Purificat. Serm. 1. anno 1350. Frater Sanctius de la Puente, Magister Sacri Palatij, in Mariali, Serm. de Concept. de quo memorat Palaus, ob concionem de Immaculatâ Virginis Conceptione feliciter in Capellâ Pontificia habitam, Magistratum collatum; floruit autem sub annum 1429. uti Senensis refert, non verò anno 1500. quemadmodum, alij retulere: Frater Leonardus de Vtino, in Sanctoralis, Serm. 12. anno 1445. Frater Petrus Dore, in lib. de Ideâ virtutum, cap. 1. & 20. anno 1500. Frater Iacobus Aufratus lib. 3. Moralium, cap. vltimo, anno 1522. Frater Claudius de Rotâ, Opere aureo, fol. 185. anno 1519. Frater Albertus de las Casas, Generalis Ordinis, & cum illo Capitulum Prouinciale Andalusæ, anno 1523. Frater Ioannes de Sancto Geminiano, in lib. Sermonum, anno 1529. Hugo de Prato, Serm. de Annunt. anno 1540. (nisi tamen idem sit cum Hugone Pratenfi, qui claruit anno 1322.) Frater Balthasar Sorio in Mariali, anno 1540. Sorio de Naturâ & Gratiâ cap. 7. & ad Roman. cap. 5. anno 1550. Catharinus in Tractat. de Cõcept. & aliis tribus Tractatibus, anno 1552. Frater Ioannes Fenarius, Generalis, in Tract. de Conceptione cap. 6. anno 1552. Magister Mancius, Salmanticensis Academiae Professor, uti & Magister Penna, citatus ab Henriquez, lib. 3. de Confirmatione, anno 1560.

Frater

Frater Ludouicus Granatensis anno 1570. Frater Balthasar Arias, Frater Stephanus Mendez, à P. Oieda, aliisque allati. Magister Iustinianus Antist. in Additionibus; Frater Raymundus Pasqual, in Comment. Epist. ad Romanos, anno 1595. Almonacid, qui sub idem tempus vixit, in Cant. Frater Alphonfus de Cabrera, Philippi II. & III. Regum Concionator, Tom. 1. fol. 79. ann. 1596. ab anno 1600. P. Manuel de Vargas, Serm. de Incarnat. fol. 7. Magister Antonius Nauarrus, tribus in concionibus; Venerabilis P. Hieronymus Baptista Lanuza, de quo tradit Magister Tuser in eius vitâ; aded constans defensor huius prærogatiuæ B. Virginis fuit; vt hic Scriptor ducentos & quinquaginta Sermones pro piâ opinione habuerit; de quo infra plura alia dicemus. Præter istos, varij Auctores ingentem numerum referunt, vt Magistros Sacri Palatij, qui sequuntur: Nicolaum Riccardum, Serm. supra Litanias, fol. 212. Ægidium Fufcauum, Paulum Comestabilem, Thomam de Espina, Thomam Manrique, & Bartholomæum de Miranda, vt sic vnâ cum sancto Dominico, Alberto Magno, Amando de Voluuisu, Sanctio de Porta, iam citatis, duodecim omnino Magistri Sacri Palatij recenseantur, qui piam hanc sententiam secuti fuerint. Vadingus quoque memorat in Legatione, Illustrissimum Episcopum Trexo, Philippi III. Regis ad Pontificem Paulum V. Legatum, promouendæ huic causæ plurimas Epistolas grauium è Dominicano cœtu Religiosorum fecum tulisse, in quibus protestabantur sese illi adherere, & progressum causæ optabant. Palau, & cum eo alij multi adiiciunt Ioannem Eroidum Generalem totius Ordinis, & sic quinque Generales fuere hanc ipsam sententiam secuti. Pater Petrus de Alua, in suâ ad Castellæ Regnum Propositione, centum circiter Doctores ex Religione sancti Dominici enumerat, qui piam sententiam affirmarunt; neque dubium est missos ab illo plures, qualis fuit Andreas Coppenstein in Clauis prædicandi Rosarium lib. 1. cap. 12. num. 3. vbi refellit Sarcerium hæreticum, Guilielmum Rosingum, Hieronymum Vueller, aliosq; Centuriatores, qui Virgini peccatum Originale tribuerunt, & speciatim reprobant dictum illud Caluini: *De speciali Virginis MARIÆ priuilegio, cum caeleste diploma protulerint, credemus quod iactant.* Ac demum aduersus hæreticorum illorum colluuiem concludit in hunc modum: *At contra discipulos Magister Lutherus sentit, prædicat, scribit. Itemque Erasmus. Vide Canisij Mariæ lib. 1. cap. 8. Contra eosdem stant Turca in Alcorano; vbi sic Azara: Nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangant Satan, præter MARIAM & eius Filium.* Hactenus ille. In eodem Catalogo Petri de Alua non inuenitur Magister Marcus de Serra, Alcodianus, Ordinis Prædicatorum, qui in Commentariis in 1. 2. D. Thomæ, quæst. 81. art. 3. de beatâ Virgine ait: *Speciali priuilegio exempta fuit à lege communi, secundum quam omnes, solo Christo excepto, peccatum Originale contrahunt. Quod explicari potest exemplo sumpto ex Genes. 7. ex quo constat, aquis diluuij opertos fuisse omnes montes, & vniuersos homines mortuos, excepto Noë, & qui cum eo erant in arca; quo tamen non obstante, probabile est, Paradisum terrestrem adhuc stare, & ibi seruatum fuisse, & non fuisse mortuum Henoch. Quid ergo mirum, si B. Virginem, quam sanctus Damascenus Orat. de Dormit. Beate MARIÆ appellat Noui Adam paradisum animatum, exci-*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

pianus ab vniuersali inundatione peccati Originælis. non obstante exceptione illa; Omnes præter solum Christum: similiter omisit Petrus Alua Ioannem Bromiardum, Petrum Hieremiam, antiquissima Dominicani Ordinis lumina, Stephanum Aurelianensem & Ioannem de Viterbio; de quo memorabo solū, quæ (Auctor Pietatis Lugdunensis refert huiusmodi. (Ioanes de Viterbio opus integrum pro immaculata Conceptione composuit. Probat Auctor, quod Virginis Conceptus fuit immaculatus, eò quod summa animæ infamia est, concipi in irâ Dei, in caligine & tenebris culpæ, ac in iniquitatibus. Quod B. Thomæ, ac veri ordinis Prædicatorum propria est opinio, B. Virginem ne pro instanti quidem, subiacuisset iræ Dei. Quod cum Christus maluerit, homines de suo ortu dubitare, quàm de formâ matris suæ, eligens nasci ex coniugata, vt dixit S. Ambrosius in institut. Virgin. Contra eius voluntatem facere qui pertinaciter & adhibitis falsiloquiis, maculatam Conceptionem astruere conantur. Quod nemo debeat talia effluentibus assentiri, aut fauorem præstare, tanquam inimicis matris Christi; quodque grauius peccet qui eis suffragatur; vtique immodeste, & peruicaciter, ac contra quam fert Sixti IV. determinatio (quam sibi innotuisse significat,) in festa aliter sese gerentibus, damnado erroris vel hæreseos piam sententiam. Egerat primùm hic Auctor contentissimè aduersus Conceptionem immaculatam: sed vexatio dedit intellectum, nam cum infirmaretur ad mortem, recordatus recuperatæ per Alexandrum Alessem sanitatis, post emissum votum de propugnandâ Conceptione immaculata, emisit ipse quoque votum in hæc verba. [O Beata Virgo Maria, si verum est, quod sine peccati maculâ concepta fuisti, rogo mihi sanitatem donare digneris, in signum tuæ puritatis. Et ego voueo & promitto, toto tempore vitæ meæ, celebrare festum Conceptionis; & prædicare, atque annunciare populis innocentiam, & retractate quidquid aliàs in contrarium prædicauit.] Dixit, & illicò sanatus, dato campanæ signo, populum ad concionem euocari curauit, narraturus Magnalia Deiparæ, & ueritissimam eius Conceptionem, validissimè (propterea) confirmaturus, stupentibus medicis, qui deploratum viderant, & subito regressum ad plenam sanitatem conspiciantur & quamuis nonnulli, mutatam eius mentem ferrent grauissimè, imò maledictus furor eorum, quia pertinax, pium immaculati Virginei Conceptus assertorem, trussisset in carcerem, (e quo per multos Virgineis honoribus addictos, extractus est,) persistit tamen semper in sententiâ, nec vllis vel precibus, vel minis, ac persecutionibus actus est in transuersum, confortante cor eius piâ matre, quam serò abs se celebratam in Conceptione sua purâ & immaculatâ, deplorabat, & conclamata sanitatis instauratricem gratis recolebat: Hunc esse Ioannem illum Viterbensem, cui cognomen Anno, est mihi admodum Verisimile: Nam tempora consentiunt. Quod autem opus pro Conceptione immaculatâ, in Indice librorum ab eo conscriptorum, nō compareat, apud Antonium Senensem; potuit contingere, quia opus illud erat parum gratum conficiantibus eum indicem; vel quia fugit eorum memoriam opus aliquibus inuisum, nam ea ipsa ex causa, ipse Antonius Senensis librorum Ordinis collector oblitus est & primi nominis sui, quod erat Antonius à Cœdatione. Hæcille. P. Vincentius Iustinianus, vt alij Doctores ex beati Dominici

Ordine, in suo Tractatu de Immaculata Conceptione, in Additionibus ad caput vltimum Vitæ Patris Ludouici Bertrani, §. 18. ait: Viros insignes, & in paucis doctos, & numero complures, nullam vim Scripturæ inferendo, neque Doctorem auctoritates fingendo, nec denique miracula adinueniendo, mirabili ratione declarasse, quomodo Virgo Sanctissima esse potuit, & fuit ab Originali peccato præseruata, virtute copiosa & excessiua redemptionis Filij Dei, qui non solum nos sciuit, potuit, & voluit ab omnibus peccatis redimere; sed Matrem insuper suam præseruare, ne Originale peccatum incurreret, aut in actuale aliquod incideret; additque hoc ipsum valde receptum esse in suo Ordine; quod vtique negari minimè potest: quandoquidem Doctores ex suo cœtu, vt sunt illi, quos enumerat, piam hanc sententiam timentur, & tales esse debent, quoniam Cathedras primarias, & vespertinas Salmanticæ, & Compluti occupant, vnam item Vallisoleti, & quartam Limæ in Peruano Regno; neque ad eiusmodi manus capessendum admittuntur quiquam, nisi præuio iuramento tuendi piam (de quâ modo) sententiam. Prætereâ multi quoque sunt, qui gradus Facultatum assumunt in Academicis, quæ honorem hunc minimè conferunt, nisi post præstitum idem iuramentum. Quis iam dubitet à viris hisce doctissimis in discipulorum animos eandem sententiam instillare? Certè cum copiosissimus sit eorum numerus, reliquum est asserere oppositionem non esse propriam totius Religionis, quin potius selectissimos ex eâ viros cum plausu in eam sententiam piam manibus pedibusque currere, aduersantibus dumtaxat priuatis quibusdam, & quidem ex corde non omnibus. Dicam amplius; Etsi verum esset totam Religionem oppositam sententiam sectari ex hypothesi; maius multò esset argumentum quod inde posset elici, dicendo viros insignis obseruantia regularis, & doctrina, quales sunt omnes supra memorati, ad eò certum mysterium hoc existimasse, vt quantum ad hoc attinet, Religioni suæ deesse maluerint, quàm veritati.

Celebratur appositè decretum Capituli Prouincialis in Baticâ, cui præfuit Reuerendissimus Pater Albertus de las Casas, postmodum Generalis Ordinis meritissimus, & tunc Vicarius generalis Conuentuum strictioris obseruantia eiusdem Prouinciæ: quod hæc profert in Manuali Fratrum Prædicatorum per Capitulum ordinato, & Hispali typis vulgato anno 1524. *Quia Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quod beata Virgo fuit concepta in Originali; sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius utilitatis, & valde scandalosa, præsertim cum tota ferè Ecclesia (cuius vsus & auctoritas secundum D. Thomam 2.2. quest. 10. art. 12. & 3. part. quest. 68. art. 10. præualeat dictis Hieronymi, & cuiuscumque alterius Doctores) iam asserat, quod fuit præseruata. Nec mirum, quia tempore Augustini tanta questio erat de Assumptione Beatissima Virginis, unde dicit; Homo non fingat mendaciter apertum, quod Deus manere voluit occultum, & tamen iam vniuersaliter tenet Ecclesia, quod sit assumpta in corpore & animâ, & oppositum nullus audeat iam opinari.* Repertum fuit hoc Manuale in Regio sancti Dominici Conuentu Toletano, cum per antiquæ turris pars superstes deiiceretur, in visceribus quippe illius, vel odium sepelire hoc opus voluerat, vel quod certius videtur, illud ipsum propagandæ memoriæ seruauit ipsa deu-

tio. Postea deinde occurrit alter Tomus eiusdem Manualis in Bibliothecâ magnæ Hispalensis Carthusiæ, quem protulerunt cum aliis antiquitatis monumentis D. Matthæus Valquez Archidiaconus Carmonæ, Hispalensis Canonicus, & Bernardus de Toro, Ciuitatis Procuratores, & Syndici, in promotione huius purissimi mysterij, coram Paulo V. Cæterum in eò Decreto, consideratione in primis dignum est, Auctores illius fuisse viros illos Religiosissimos, qui represâ Ciaustri licentiâ pristinum tenorem sacra Religionis professi sunt, & reuocarunt. Vnde & ab illo tempore copiosa nobis exempla suppetunt primitiua beati Dominici Religionis. In quam rem subit animum, exemplum Theologi, & Oratoris sacri, ex Ordine Prædicatorum, qui Romæ anno piaculari proximè præterito, in æde S. Iacobi in foro Agonali, gentis Hispanicæ, per Dominicas & festa Aduentus, concionabatur. Cum illum viri graues Hispani, sacra illius ædis gentilitia Curatores, veriti personæ conditionem, prohibuissent concionem habere die sacra Conceptionis B. VIRGINIS; ne genti in Conceptionem immaculatam propensissimæ, molestiam crearet, abstinuit eâ die, concione: sed conscendens suggestum proximè sequenti Dominica, prætermilla concione de eius Dominicæ Euangelio, disseruit de Deiparâ Concepta, quam procul fuisse in Conceptionis momento à labe culpæ Originalis, tam validè, & copiosè confirmauit, vt omnes in stuporem adduxerit. Obsignauit autem tractationem vniuersam, eâ ad Curatores allocationem. *Falsi eratis, rati quod essem contra immaculatam Conceptionem dicturus, quia ex ordine Prædicatorum sum. At ego à Regis mei liberalitate habeo, unde Fratribus meis non sum obnoxius.*

Constat ex prædictis omnibus, sacrum hunc Ordine potius adhæsisse opinioni negatiua, quâ ipsi contradixisse: verè quippe illi fauit; et si aliqui contradixerunt, per errorem id fuit; ita vt fauor verus, & oppositio dumtaxat apparens fuerit; & sic inferre licet, Patres Dominicanos non dissentire ab hoc mysterio; quin potius si modum, quo sese opponendi vtuntur, attendere liceat; palam fiet ipsos assentiri puritati MARIÆ in sua Conceptione; quia quandoquidem fundandæ contrariæ sententiæ auctoritatem sancti Thomæ implorarunt, & in eo quod Ecclesia non celebret illius festum diem, fatentur, si hunc Ecclesia celebraret in gratiam Conceptionis Immaculatæ, certam fore, & veram opinionem piam, sequitur, si absolutè ab eâ dissentiant, eos supposito falso inniti, nempe quod Ecclesia Festum Immaculatæ Conceptionis determinatè non celebrat. Si ergo certum fuerit, Festum hoc ab Ecclesiâ celebrari, absolutè assentientur veritati, quæ celebratur. Ratio est; quia assensus conditionatus purificatâ conditione est absolutus; ergo si assentientur Aduersarij, casu, quò Ecclesia Festum celebret, cum euident sit eam celebrare, absolutè assentientur; quia iam purificata est conditio. Ratio hæc tanti momenti est, vt secundum eam beatus Augustinus iudicauerit, sanctum Cyprianum, qui publicum Anabaptismi defenforem se gerebat, veritati Catholicae cum suâ auctoritate absolutè fauere; quia nempe sententiam illam habuit sub conditione, *quod alicui melius non fuerit reuelatum.* Et quoniam reuelata fuit veritas Ecclesiæ per definitionem, quâ mediante purificata est conditio, quam apposuit Cyprianus, visum fuit Augustino fauere suffragium Cypriani

Cypriani ; ita vt absolutè teneri deberet pro ad-
hærente. Idem feruatur in contractibus omni-
bus, quibus apponitur conditio ; in Sacramentis
item , in vltimis Voluntatibus , & Legatis , quæ
omnia & singula à statu conditionato transeunt
in absolutum , si vel purificetur conditio. Quæ
veritas adèd perspecta est , vt vel idcirco maiori
elucidatione non indigeat. Igitur si Patres Do-
minicani fateantur certam fore sententiam piam,
casu quo Festum eius celebraretur ; quoniam
euidens est celebrari , & sic conditionem purifi-
cari , non poterunt non assentiri : præterquam
quòd etiam si negarent dissensus illorum , quia
in falsâ suppositione fundatur ; nempe Festum
minimè celebrari , non potest aduersari piæ huic
opinionii.

§. II.

*Nonnulli Dominicani etiamsi sceleretur affir-
matiuam opinionem , fauent tamen ne-
gatiuæ sententiæ.*

PRæter antè dicta omnia,erit etiam operapre-
tium monere, Thomistas ipsos, qui affirmati-
uam opinionem secuti sunt , non idèd à negati-
uâ fuisse multum alienos, quin potius illi fauisse.
Ita Caietanus in 1. 2. quæst. 81. art. 3. *Ad Fidem
Catholicam* (inquit) *spectat, quòd omnes præter
solum Christum contrahant peccatum Originale,*
*quòd dictum non intelligendum est aliter, quàm
de morte, quæ est pœna peccati Originalis: ita quòd
sicut omnes incurrunt mortem, id est necessitatem
moriendi; ita omnes incurrunt peccatum Origina-
le, id est necessitatem habendi peccatum Origina-
le. Et sicut non spectat ad Fidem, an singuli mori-
antur actualiter, an diuinâ dispositione aliquis
non moriatur; ita non spectat ad Fidem, an aliquis
ex speciali prerogatiuâ gratia non incurrat actua-
liter Originale peccatum: de utroque enim simul
inquit Apostolus ad Romanos quinto: Per unum
hominem peccatum introiuit in mundum, & per
peccatum mors. Est igitur necessarium secundum
Fidem Catholicam credere, quòd omnis virisque
sexus ab Adam secundum rationem seminalem
proueniens, ex ipsa sui generatione sit obnoxius pec-
cato Originali; & contra Pelagianos, dicentes op-
positum, Augustinus disserit & definit. De solo
autem IESU CHRISTO verum est, quòd
ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato; iux-
ta verbum Angeli ad B. Virginem ante Filij Con-
ceptionem (quæ vocatur Nativitas in utero) dicen-
tis: Quòd ex te nascetur, Sanctum: & iuxta hunc
sensum militat ratio Auctoris, scilicet quia aliter
non indigerent redemptione, quæ per IESUM
CHRISTUM facta est. Si enim peccatum Origina-
le, vel in actu, vel in necessitate habendi illud,
quis non incurreret, non egeret redemptione; quòd
hereticum esset dicere. Sed si omnes obnoxij sunt
peccato Originali, sufficit ad indigentiam redem-
ptionis. Neque enim solum redemptione eget actua-
liter captiuus; sed etiam obnoxius captiuitati. Et
hæc bene notabis tu, Thomista, ne nimio zelo, non
secundum scientiam accensus, erronea dicas, quæ er-
ronea non sunt, cum de Beatissima Virginis Con-
ceptione disputas ant prædicas. Et in 3. part. q. 27. art.
2. Neutra siquidè pars Fidei documētis aduersatur.
Nam si tenetur B. Virginem contraxisse Originale
peccatum (vt sancti & antiqui Doctores tenent) stat
omnia consona inueniri: si autem tenetur beatam
Ioann. Euseb. Op. Parth.*

*Virginem non ex vi Conceptionis, sed ex gratiâ
singularissima in ipso instanti infusionis animæ, in-
fusa illi anime præseruatam ab Originali peccato,*
*quòd tunc incurrisset, nisi illa gratia affuisset, nihil
contra Fidem tenetur; sed specialis modus redi-
mendi ac saluandi à peccato Originali, Christo
attribuitur respectu sue Matris. Sic enim ipsa bea-
ta Virgo indignit redimi, & saluari à peccato per
Christum; quoniam ipsa tunc incurrisset peccatum,
nisi manus gratiæ præuenientis non tempore, sed
naturâ affuisset. Et ita puritas eius fuit mæxima
sub Christo, qui nullo modo indignit redimi, qui
ex vi sue Conceptionis fuit Sanctus. Fuitque in bea-
tâ Virgine, quòd animale est prius natura, non
tempore, quàm quòd quòd spirituale est; quoniam
infusio gratiæ in ipsius anima supponit productio-
nem gratiæ: quamuis, vt dictum est, præueniat
peccati maculam, quæ tunc incurrenda erat, nisi
gratia illam impedisset; probabilis profectò opinio.
De cetero, quòd addit probabiliorem esse sen-
tentiam affirmatiuam, propter auctoritatem San-
ctorum, manifestè in eo fallitur, quandoquidem
vti mox visuri sumus, nullus sit sanctus, qui cla-
rè & constanter eam certò tenuerit. Mirificè con-
sonat, quòd dixit idem Caietanus in Opusculo
de Conceptione cap. 3. his verbis: *Nec putet
quisquam de me à hac phantasia me proferre; sed vi-
deat (D. Thomam 1. 2. quæst. 81. art. 3. (ubi in-
ter alia tractat etiam illud ad Rom. 5. Per unum
hominem peccatum transiit in omnes, & per pecca-
tum mors) sustinentem, quòd per mortem sufficit
intelligere debitum, seu reatum in propria perso-
na mortis; quamuis numquam actualiter aliquis
moreretur. Ex quo habetur, quòd cum Aposto-
lus duo simul dicat, scilicet, quòd in omnes per-
uenit peccatum, & mors sicut secundum, scilicet
mors, sufficienter saluatur, exponendo mortem,
vel in actu, vel in debito in propria persona,
ita & primum, scilicet peccatum, saluatur, ex-
ponendo peccatum in actu, vel in debito in propria
persona.**

Bartholomæus quoque de Medinâ 1. 2. quæst.
81. art. 3. sic ait: *Obseruet Theologus, quòd sicut
non est dogma hæreticum asserere, quòd aliqui ex
particulari priuilegio non morientur, sicut de Elia
& Henoch, & quidam Doctores docti & pij asse-
runt, quòd illi, qui viui in die iudicij reperientur,
non morientur; cui priuilegio non derogat Lex il-
la generalis, Statutum est hominibus semel mori;
ad hunc modum non est hæreticum dogma asse-
rere, quòd aliquis ex peculiari priuilegio liber fue-
rit ab Originali delicto. Quòdque istud dogma sit
probabile, piæque de diuina Virgine, patet ex
Ex:traneante Graue nimis; in qua Sixtus Quar-
tus anathematizat eum, qui dixerit alterutram
opinionem errorem continere. Eamdem Constitutio-
nem inuouit Concilium Tridentinum. Illud etiam
obseruandum, quòd etiam si quis concedat aliquem
hominem ab Adam descendentem, ex priuilegio
peccatum Originale non contrahere, fateri necesse
est hæc dogmata, quæ sequuntur: Primum, Christum
esse omnium Redemptorem; non enim solum redimit,
qui datis pecuniis eripit aliquem à vinculis; sed
etiam qui datis pecuniis est in causa, ne in carcerem
detrudatur. Sed & illud dogma Catholicum est,
Christum Dominum pro omnibus esse mor-
tuum; in eoque omnes homines fuisse concilia-
tos. Tum etiam omnem hominem egere gratia
& gloria Dei, vt salutem consequatur. Non
enim est aliud nomen sub celo, in quo oporteat*

nos saluos fieri, nisi in nomine IESU. Ex iis & illud dogma subsequitur, quod omnes eramus captiui & mortui. Itaque, quod sicut in sacrâ Scripturâ habetur, quod omnes in Adam peccauerunt, sic habetur, quod mors in omnes pertransiit, & quod est statutum hominibus semel mori: ideoque utrumque est aequaliter de Fide. Fides ergo docet, quod est necessitas, & obligatio, ut omnes descendentes ab Adam contrahant peccatum Originis, sicut est Lex imposita, & necessitas moriendi. Sed quia non est abbreviata manus Domini, sicut non spectat ad Fidem asserere, quod Deus aliquos à morte seruari; ita nec spectat ad Fidem asserere, Deum aliquos à peccato Originali preseruasse, sicut aliqui de Sanctissimâ eius Matre arbitrantur.

Caeteranum & Medinam præcessit Durandus, qui in 3. dist. 3. q. 1. dicit: *Quod etiam, si beata Virgo peccatum Originale non contraxisset, posset tamen verè dici redempta à Deo, pro eo, quod in radice sua ex natura sua conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à Deo preseruata.* Addo quod Dominicus Sotus, & Melchior Canus, cum sint Dominicani, iudicant oppositam opinionem sic esse piarum atrium offensiuam, ut neque posset absque odio & inuidiâ, etiam apud doctissimos viros, proponi. Non enim sunt omitenda illa verba Soti super Epist. ad Rom. cap. 5. declarâtis illa verba Apostoli *In quo omnes peccauerunt*, dicit: *Absit ut vllum hîc verbum de sacratissima Virgine Dei Genitrice faciam, verum videlicet hac sententia concludatur nec ne; nam est Concilium Tridentinum Decretum Sixti innouando libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem; est tamen exceptio beata Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli vsque ad eò celebris non modò inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipuè sunt Illustrissimi Parisienses; ut si qui hanc exceptionem sibi persuadere non possunt, ut cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere disputationem; ad eò ut id absque odio & inuidia nequirent facere.*

§. III.

Non solum ratione. sed miraculorum commendatione fauere Dominicani Patres Immaculatæ Conceptioni.

Verum Dominicani Doctores non solum rationis pondere, & pietatis deuotione, sed etiam miraculorum promulgatione opitulati sunt sententiæ neganti.

Ambrosius Catharinus, Episcopus Minorienfis, deinde Archiepiscopus Complanus, ex Prædicatorum Ordine assumptus, in Opusculo Romæ edito pro Immaculatâ Conceptione, scribit se fuisse ab eâ ipsâ Virgine miraculosè ereptum à latronibus. *Intelligendum* (inquit) *est B. Virginem à captiuitate redemptam, eam, inquam, captiuitatem, quam ex naturâ rei erat incursum: istud autem redemptionis genus maius est omnino. Ego autem (gratia sit beata Virgini) expertus sum. Qui cum essem à latronibus in itinere cum tribus comitibus circumuallatus, solus miro modo captiuitatem de facto euasi, tamen si comites capti & spoliati, postmodum dimissi fuerunt, & propterea deteriori modo liberati. Hoc verò factum erga me gratia ipsius Dina Virginis adscripsi, cuius tunc nomen deuotè in corde meo, ab vrgenti periculo excitatus innocui, ut me ita eo discrimine redimeret,*

sicut ego illam redemptam credidi. Gausus itaque sum vehementer, me aliâ protectione quam comites à manu latronum liberatum. Hæc ille. Eadem referunt Benedictus Gononus in Chronic. ad annum 1553. & Mauritius Hilaretus in Sermonè Conceptionis.

Iacobus de Voragine, ex Dominicanâ Familiâ, Archiepiscopus Genuensis, in Histor. Lombard. hanc historiam refert. Magister Ioannes Bireli, Canonicus Aniciensis, in Sermonè ab eo factò de celebritate Immaculatæ Conceptionis, coram Synodo Basileensi, anno Domini 1435. inter alia miracula retulit de domino Eliâ de Lestrangiis, Episcopo dictæ Ecclesiæ, proximè defuncto, quod cum dictus R. Pater in Vniuersitate Tolosanâ, in die celebritatis Conceptionis B. MARIÆ, contra hanc sanctam Conceptionem prædicare decreuisset; priusquam ascenderet ambonem, & solito more funderet orationem ante altare ad Virginem, & ibi existens, omnes rationes & puncta, quæ contra Immaculatam conceperat, subito de suâ memoriâ euauerint: oppositis & contrariis in eadem fixè permanentibus. Coactusque, ad confusionem vitandam, oppositum sui prioris propositi prædicare. Quem casum ut sibi contigerat, quamdiu vixit, ad exaltationem Virginis priuatim & publicè frequentius enarrauit.

Sequens similiter testimonium eiusdem Ioannis de Voragine est in eadem Historiâ. Retulit anno Domini 1436. die Sabbati 21. Aprilis, R. in Christo Pater, Dominus Bernardus, Episcopus Montis Albani, in Concilio Basileensi, quando prius fuit facta allegatio publicè de materiâ Immaculatæ Conceptionis, qualiter eo equitante super pontem fluuij, qui est super ciuitatem Ebreundensem, & oppidum Sancti Crispini, ipse pons erat ruptus in medio, & à loco super flumen, vbi erat maius periculum, habens vnum magnum foramen, & eo inaduertente, equus, quem equitabat, transiens ex illâ parte, vbi pons ruptus erat, posuit duos pedes anteriores super dictum foramen vacuum. Cumque rueret in præceps ad aquam, & iam caput equi esset quasi infra pontem, concussus pauore magno, inuocauit Beatissimam Virginem MARIAM in auxilium suum, vouens celebrare annuatim Festum de suâ Conceptione. Et nesciebat referre qualiter exiuit; sed statim absque læsione aliquâ sui, & equi, vidit se positum in securo ab alterâ parte foraminis. Vnde ex tunc maiori semper cum deuotione continuauit celebritatem dictæ solemnitis.

Vincentius Iustinianus Antist, ex Ordine Prædicatorum in Additionibus ad Vitam B. Ludouici Bertran, commendat miraculum sancti Dominici, pro puritate Conceptionis virginæ, dicens in Lectionibus Breuiariorum antiquorum neminem ex Religiosis mendicantibus allegari, qui Immaculatam Conceptionem adstrueret, nisi sanctum Dominicum. Quæ autem in his allegantur, opere pretium erit hic memorare. Ex Officio Bernardini de Busto, approbato à Sixto IV. vbi in tertio Octauæ die Lect. 4. sic recitatur: *Legitur in quodam B. Dominici Opusculo, quod cum Regularis esset Canonicus in Episcopatu Tolosano, contra hereticos quosdam disputando contendit. Qui multas veritati contrarias conclusiones assercbant. Inter alias autem opiniones hanc populis prædicabant; Beatam scilicet Virginem non fuisse ab Originali vitio preseruata. Cum verò beatus Dominicus se non posse illis veritatem persuadere conspiceret, taliter*

taliter cum eis conuenit : ut suas pariter conclusio-
nes in ardenti fornace deponerent ; que autem ignis
ardore non deficerent , veridice putarentur. De-
posuere igitur heretici suas in medio ignis conclu-
siones, inter alia multa dicentes : Originali macu-
la contaminata fuit virgo MARIA : in contrarium
verò beatus Dominicus affirmavit. Statim verò
falsas hereticorum conclusiones vorax flamma con-
sumpsit : beati verò Dominici verissima dicta in
medio ardenti flammæ , sine vlla penitus læsione,
nulloque in eis ignis apparente indicio, per tres con-
tinuos dies perfitere. Hanc eandem historiam,
præter Breuiaria antiqua , contestantur Pelbertus
Themes in Stellarjo lib.4. part.1. Antonius Cu-
carus in Elucidar. edito Lutetiæ, anno 1507. Pe-
trus Larnensis in Hist. Albigenf. cap.7. quamvis
in nouis editionibus abrafata sit; tum alij plures Au-
ctores. Idem Vincentius Iustinianus expulsionem
Maurorum ab Hispaniâ, & oppugnationem Re-
gni Granatenfis attribuit deuotioni Catholico-
rum Regum erga Immaculatam Conceptionem;
quam victoriam inter mirabilia eiusdem deuotio-
nis recenset Bernardinus de Busto , insignis illius
temporis Scriptor , Serm.9. part.3. fol.48. col.2.
his verbis : Nam cum Serenissimus Rex Hispania-
rum per multos annos elaborasset pro captione inely-
ta & inexpugnabilis vrbis Granata ; tandem ad
Purissimam Virginis adiutorium confugiens , deuote
vovit cum Serenissima consorte sua Regina ; quòd si
eis de prædicta vrbe victoriam præstaret, Templum
ipsius Vrbs primum ad honorem sua Immaculate
Conceptionis dedicari facerent , atque consecrari;
quo factò voto, gloriosam de ipsa Ciuitate victoriam
Virgo illis intemerata concessit. Idem confirmant
Cartagena & Lezana in Tractatibus de Concept.
& hic in Apolog. c.15. fol.70. Ioannes Tamaius
in Vitâ.Episcopij, cap.5. in Chronol. ad ann.1492.
Miranda quæst. 22. fol.581.

§. IV.

Commendatione quoque diuinarum reuelationum fauere multi Dominicani Immaculate Conceptioni.

VT caeleste testimonium concilient Immacu-
latæ Conceptioni aliqui ex Dominicanis Pa-
tribus, viri sanè doctissimi ; non modò miracula
congerunt , sed diuinas etiam reuelationes alle-
gant. Et quidem celebrem illam, cuius occasione
festiuitatem Conceptionis introduxit sanctus An-
selmus , præter Paludanum probat Catherinus
Opusc. de Immaculatâ Conceptione, fol.85. Ioan-
nes Herolph Sermon. de Concept. & quod pluris
imò maximi est , Breuiarium perantiquum, quo
vtebantur Dominici , Sanctorum suorum Fe-
sta continens ; quod extat in Bibliothecâ Regiâ
Escorialensi.

Reuelationem quoque , quæ tempore Caroli
Magni accidit, in quâ Sanctissima Deipara quem-
dam Sacerdotem iussit diem Conceptionis cele-
brare , ipsumque Festum propagare , non pau-
ci ex Prædicatoribus Patribus probauerunt , &
memorandam fecere , vt sunt Iacobus de Vora-
gine , in Legendâ Sanctorum , cap. 187. Clau-
dius de Rotâ , qui eandem Legendam locu-
pletavit , & edidit anno 1536. Ioannes Sanchez,
& Petrus de Legizamo , qui Florem Sanctorem
Doctorem Æmiliani correxere , & excudere an-
no 1578.

Egregiè quoque Religiosi Prædicatores fauè-
re reuelationibus sanctæ Brigittæ, in quibus per-
spicue Conceptio Virginis Immaculata repetitis
testimoniis acclamatur. In primis , præcipua ra-
tio habenda est insignis earundem defensoris
Cardinalis à Turrecremata, ex illustrissimâ Domi-
nicanorum Familiâ, tempore Concilij Basileensis,
Sacri Palatij Apostolici Magistri , testis omni ex-
ceptione maioris, morum integritate , & latè pa-
tenti doctrinâ præcis Patribus comparandi. Is er-
go ab ipso Concilio adhuc legitimo , & sub obe-
dientiâ Eugenij IV. continuato, anno scilicet 1435.
(cùm litteræ Eugenij de Concilij suspensione an-
no 1639. die Ianuarij 24. datæ noscantur) cum
aliis Theologis ad examen prædictarum reuela-
tionum , contra earum obtrectatores deputatus,
non solum eas approbavit, sed celebre pro illis de-
fensorium Concilio obtulit ; quòd postea Cardi-
nalis publicauit. Præterea easdem approbarunt,
& collaudant Vincentius Iustinianus. §.9. fol.12.
Ambrosius Catharinus in 2. Opusc. de Concept.
apud Biblioth. Virginal. fol.42. In his reuelationi-
bus (vt dixi) sæpè adstruitur puritas Conceptionis
Virginis. Prima habetur lib.1. c.9. n.5. pag.14.
col.2. vbi Beata Virgo affirmat de se : *Animam
cum corpore in ipsa Conceptione fuisse sanctificatam.*
Et lib.5. in fine, pag.409. Deus Pater affirmat :
*MARIAM ex peccatoribus quidem natam , at-
amen sine peccato conceptam.* Lib.6. cap.9. pag.470.
ipsa B. Virgo hæc profert verba : *Veritas est, quod
ego concepta fui sine peccato Originali , & non in
peccato.* Quæ verba omnem profus tollunt dubi-
tationem. Nolo hinc recedere prius quàm non-
nihil indicem , cur cùm circumferatur Turrecre-
mata scripsisse contra Immaculatam Conceptionem,
approbauerit reuelationes S. Brigittæ, in qui-
bus ipsa immaculata Conceptio sæpius approba-
tur , Anne quia mutauit sententiam ? & potuit
quidem exemplo Doctissimorum virorum , præ-
terea vt annotauit Hypolitus Marracius in Pur-
pura Mariana. Neque ideò, quia de veritate Con-
ceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ opus scri-
psisse dicitur Turrecremata , cenferi ex eo debet
contrarius purissimæ eiusdem B. Virginis Mariæ
conceptioni , quam reuelationes D. Brigittæ ap-
probant, approbavit, & veram agnouit, opus enim
illud de Conceptionis veritate, (vt potè viri inte-
gerrimi , & latè patenti doctrina præcis Patribus
componendi) summa cum veneratione excipere-
mus, ac deoscularemur, si incorruptum , & vt ab
authore scriptum est ad nos peruenisset, sed cum
post centum ; & amplius annos, à F. Bartholomæo
Spina in multis auctum, inuersum, immutatam-
que , editum fuerit Romæ apud Antonium Bla-
dum anno 1547. nullam iam opus Turrecremata,
quòd modo circumfertur , auctoritatem obtinet,
nec conceptionis veritas, quam Titulus splendide
pollicetur, nunc ex illo hauriri potest. Certè vir
doctissimus Ambrosius Catharinus, Minorenfis,
Primum Episcopus , ac postea Compæ Archi-
episcopus prudentissimo iudicio statuit : opus de
veritate Conceptionis, sub nomine Turrecrema-
tæ à Spina productum, non tam esse Turrecrema-
tæ quam Spinæ. En eius verba in præfatione di-
sputationis de Conceptione B. Virginis ad Syno-
dum Tridentinam. *Hæc igitur in Synoda cum tra-
ctarentur* (intererat Catharinus Synodo Tridenti-
næ anno Domini 1546. Quando sessione 5. de
præseruatione B. Virginis ab originali macula
actum fuit. *Ecce nouus liber, immo verus, à situ, &*


carie iam semelus eripitur, qui non multo post typis excusus in lucem prodiit. Libri eius argumentum erat contra immaculatam B. Virginis Conceptionem, cuius author inscribitur Cardinalis de Turrecremata. Cum nondum tamen esset Cardinalis, sed frater sub Ordine Prædicatorum constitutus. Editionis tamen eius libri promotor, F. Bartholomæus Spina, eiusdem Ordinis, & Sacri Palatii Magister, & nescio quis eius discipulus (fuit hic Albertus Duimius de Catharo) idem enim Spina eodem discipulo teste, qui epistolam præfatoriam ad eum librum adscripsit, zelo fidei totus incensus, magno labore, librum ab erroribus expurgari, & publicari curavit, quem extrema aegritudine præuentus, vix perficere valuit, quod totus liber ita vitio scriptoris erat corruptus, vt alicubi minus intelligibilis videretur. Horum igitur hoc est Spina, & discipuli summa diligentia, & solerti opera tandem, est candori pristino restitutus: quin etiam tot in super eodem discipulo teste adiecta, & mutata, vt iam queat homo medicæ prudentia præditus olfacere eum librum, non tam esse Turrecremata, quam Spina. Sic Catharinus cui subscibunt viri doctissimi, atque integerrimi, Lucas Wadingus in legat. pro Conceptione pag. 121. & 150. Gaspard de la Fuente, Petrus de Valuas, Petrus de Alua, & Astorga, Ioannes Gutierrez in Armamentario Seraphico fol. 423. Antonius Calderon cap. 5. §. 31. & alij plures.

Et quidem Spina solus, & non Turrecremata (quem modestissime de pia opinione loquutum, suadet approbatio ab ipso facta reuelationum S. Brigittæ, quibus, vt supra vidimus gloriosissimæ Virginis à peccato originali præseruatio tanta claritate adstruitur: solus inquam Spina subnotare potuit in calce illius operis quinquaginta & octo errores, & eos quidem, non quoslibet, sed errores in fide, ab hac conclusione exorientes videlicet: *Beatam Virginem absque originali peccato conceptam*, ac per hoc quinquages, & octies hæreticos nos, qui eam conclusionem sequimur declarare. Hactenus Marracius.

Illud saltem habemus indubitatum ex sententiâ Ioânis Turrecremata, quod sententiâ de Immaculata Virginis Conceptione non est contra scripturam, neque Sanctos Patres, nam in epistola eius ad omnes Christi fideles, satis id affirmat cum reuelationes S. Brigittæ approbauerit aduersus illos, qui illas calumniabatur, quod essent contra SS. Patres & scripturam; Idem rursus confirmat in epistola ad fratres Sancti Saluatoris, & tandem in censura sua ait: *Omnibus consideratis, & conformiter ad dicta sacra Scriptura, & Sanctorum Doctorum, & etiam Scholæ bonorum Theologorum intellectus, non apparet mihi, quod liber iste, aut doctrina eius sit suspecta habenda nec in qualitate, nec in figura, nec in pondere, vt verbis utar aduersarij. Non in qualitate, siue in specie, cum in ea sit aurum verum doctrina sana. Non in figura quia conformis est tam Sacra Scriptura, quam Sanctorum Doctorum, sicut patet ex supra positis. Tertio, neque in pondere grauitatis, cum tota referatur ad gloriam Dei, & reformationem populi Christiani.* Certè cum, ex commissione Sedis Apostolicæ, has S. Brigittæ reuelationes studiosè, & diligenter legisset Turrecremata, affirmavit, omnes à diuino Spiritu veraciter emanasse, omnesque fidei Catholicæ veritate salua, & absque doctrinæ Doctorum Sanctorum iniuria sustineri posse, pronuntiauitque in testimonium veritatis Sermonum,

quos S. Brigitta diuini luminis gratia illustrata, & inspirata, locuta fuisse creditur, posse ei conuenientissime, secundum allegoricam intelligentiam, adaptari illa verba, quæ olim illi Sancta, & famosissima viduæ Iudith ab Ozia Principe, & Præbyteris populi Israhel (Iudith. cap. 8.) dicta leguntur: *Omnia quæ locuta es vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.* Id ex dictis omnino colligitur, retractasse Turrecremata, quidquid contra Immaculatam Virginis Conceptionem disputauit, & potuit disputare, allegatis contra piam sententiam scripturæ auctoritatibus & doctrina Patrum, cum ipse potuisset sententiam, quod non fuerint contra scripturam, & Patres reuelationes in quibus asseritur conceptam sine labe originali Matrem Dei esse.

Post hæc omnia pronum esset suspicari Turrecremata secutum Scholasticos antiquos, peccatum Originale retulisse solum ad Conceptionem feminalem non autem ad animationem Virginis. Cùmque S. Brigitta non loquatur nisi de animatione eius in Conceptione personæ, & non in Conceptione fœtus, seu seminis nequaquam sibi contrariam inuenit Turrecremata, atque adeo non reprobauerit, imò approbavit eius reuelationem cum ipse non negauerit puritatem animæ Virgineæ sed solum imputauit peccatum Conceptioni primæ, & seminali; per peccatum intelligens non ipsum peccatum formaliter contractum, sed debitum contrahendi ex vi eiusdem Conceptionis seminalis, relinquens intactam animationem, & compatibilem cum gratiâ in primo eius instanti.



CAPUT XXIV.

Appendix ad Caput antecedens.

Testimoniis originalibus & instrumentis publicis ostenditur, religiosissimos & sanctissimos viros ex Dominicanis iuramentum de sequendo S. Thomâ obseruasse, affirmantes Conceptionem Virginis Immaculatam & immunem à peccato Originali.



ON satis adhuc explicauimus quantum Religio Dominicana præstiterit in honorem Immaculæ Conceptionis; & lubet non tantum generaliter, sed singillatim producere testimonia, & firmamenta illius, quæ nonnulli Patres Prædicatores plurima sanctæ & religiosæ vitæ famâ illustres dedere; quorum duo sacro cultu coluntur; & obiter aduertere, quam vim habeat iuramentum præstitum de sequendo S. Thomâ apud sanctissimos viros Prædicatoriæ Familiæ; & quidem ex dictis mihi constans est, teneri potius ex eo ad sequendam opinionem negatiuam, & affirmatiuam Immaculæ Virginis

Virginis

Virginis Conceptionem, cum S. Thomas hanc prætulerit sententiam. Afferam quidem certissima testimonia. Vidi quidem duo originalia, vnum Illustrissimi & Religiosissimi P. Gasparis Catalan, electi Episcopi Ilerdensis, viri litteris, & virtutibus, & exemplo vitæ venerandi: alterum, Beati Ludouici Bertran, sacro cultu decorati, cuius Sermonem de Conceptione propria eius sancta manu exaratum Hispanico idiomate ego ipse vidi & legi. Scio etiam, quamuis non viderim, sententiam piam ipso calamo & manu S. Vincentij Ferrerij approbatam, atque idcirco, præter superius dicta, testium oculatorum authenticum proferam testimonium ipsissimæ eius manu contestatum Immaculatam Deiparæ Conceptionem. Producam etiam quæ in suis aduersariis, & propriâ manu reliquit scripta, ad persuadendam Immaculatam Deiparæ Conceptionem, Illustrissimus D. Hieronymus Lanuza, ex Dominicana Familia, Episcopus Albarracensis, quæ publica fecit, & legitima attestatur Auctor suæ Vitæ, etiam ex Prædicatorum Ordine, Frater Hieronymus Fuser. Tandem præsentabo Epistolam præcipuorum Patrum Dominicanorum in Hispania, quam scripserunt ad Paulum V. in fauorem Immaculatæ Conceptionis, ex Archiuus Regis, de qua dedit fidem Regij Patronatus Secretarius de Thobar.

§ I.

Exemplar cuiusdam Epistola, quàm Illustrissimus Pater Magister Gaspard Catalan de Monzonis, Ordinis Prædicatorum, electus Episcopus Ilerdensis, scripsit ad Dominum Michaëlem Baptistam de Lanuza, Equitem Ordinis Dini Iacobi, à Concilio Regiæ Catholica Majestatis, suumque Protonotarium in Aragonia Regno.

ME percunctatur tua Dominatio, An sanctus Thomas in aliqua parte sui Operis docuit Beatissimam MARIAM semper Virginem, Dei Genitricem, ac Aduocatam nostram, fuisse præseruatam à peccato Originali; respondeo, Quòd sic; ac primò in libro primo Sentent. dist. 44. quæst. vnic. art. 3. cuius articuli resolutio ac decisio est: quòd Deus nullam creaturam adedò perfectam creauit, quâ perfectiorem eius Omnipotentia producere non posset. Contra hanc conclusionem sanctus Doctor proposuit hoc argumentum, quod est tertium in numero argumentum.

Sanctus Anselmus dicit: *Decuit, vt Virgo, quam Deus Vnigenito Filio suo preparauit in Matrem, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi: ergo videtur, quòd nihil melius B. Virgine facere possit.* Ad hoc argumentum respondet S. Doctor his terminis formalibus: *Puritas intenditur per recessum à contrario; & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato Originali & actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in quantum fuit in ea potentia ad peccandum; sed bonitas intenditur per accessum ad summum bonum, quod in infinitum*

distat, vnde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri.

Talis fuit solutio Doctoris Angelici, in quâ expressè ac euidenter affirmat B. Virginem fuisse præseruatam à peccato Originali, his verbis: *A peccato Originali & actuali immunis fuit; nam vox immunis, illam fuisse exemptam ac præseruatam ex speciali priuilegio significat: porrò quemadmodum D. Thomas per illud, Immunis à peccato actuali denotauit, quòd Deus sic B. Virginem à peccato actuali, tam mortali, quàm veniali ex peculiari priuilegio præseruauit, vt nec per vnicum temporis momentum eius labem admiserit: ita æquè minùs dubitandum est sanctum Doctorem per illa verba immunis fuit à peccato Originali, etiam affirmasse Dei Genitricem, nec per vnum instans maculæ Originalis sordem agnouisse, ob specialem Dei manutenentiam ac prærogatiuam, quâ ab eadem fuit præseruata; alioqui Angelicus Doctor non loqueretur prudenter, aut tanquam Theologus, vtendo in vnâ ac eadem propositione verbo immunis cum tantâ æquiocatione ac varietate significationum; nec meritò dixisset, Deum præseruasse aut exemisse dilectissimam suam Matrem à maculâ Originali; sed tantum extersisse iam contractam.*

Præterea, vt euidentiùs constet mentem Diui Thomæ in verbis relatis fuisse, affirmare quòd Virgo à peccati Originalis maculâ fuit præseruata; aduertat Theologus in verbis prædictis tres implicari propositiones, quarum prima est hæc: *Puritas intenditur, & augetur per recessum à suo contrario, quod est culpa.* Cuius legitimus ac genuinus sensus est, quòd eò purior est aliqua persona, quò magis remota & exempta est ab omni maculâ culpæ.

Secunda conclusio est: *Puritas Beatæ Virginis est tam eximia & excessiua, vt nulla eâ superior in aliquâ personâ creatâ excogitari possit.* Vbi fatetur sanctus Doctor, Deum non posse producere creaturam suâ Matre puriorem: eam etenim produxit exemptam, & prorsus immunem ab omni culpa Originali & actuali, addit tamen, Deum potuisse producere creaturam meliorem ac perfectiorem Beatâ Virgine, cum bonitas crescat ex accessu ad summum & infinitum bonum, quod est Deus, seu ex maiori diuinæ bonitatis participatione, quæ est magis & magis communicabilis ac participabilis in infinitum sine termino.

Tertia propositio est: *Quòd puritas Beatæ Virginis fuit inferior diuina, nam relicta sibi ipsi, & fragilibus naturæ humanæ præsiidiis, speciali gratia Dei, & manutenentia destituta, potuit peccare.*

Has ipsas propositiones reperio apud D. Thomam, in tribus aliis suæ doctrinæ locis, vnus est in eodem libro primo Sentent. dist. 17. quæst. 2. art. 4. vbi hanc statuit conclusionem: *Charitas nullum agnoscit terminum in suo augmento: nam qualibet charitate data, potest Deus infundere aliam maiorem ex vi suæ omnipotentia: contra quam conclusionem opposuit Doctor Angelicus idem argumentum superius adductum, ac nunc repetitur: Puritas Beatæ Virginis secundum Anselmum est adedò magna, vt non sit perceptibilis alia maior, præter puritatem diuinam: igitur, nec excogitari potest intensior charitas creata, quàm ea quam habuit B. Virgo. Respondet sanctus Doctor negando consequentiam: nam puritas incrementum*



mentum sumit ex recessu, iuxta quem metiri debet, & exemptione à macula culpæ, quæ est suum contrarium: *Et quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato: ideo peruenit ad summum puritatis: sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi.* Charitas autem crescit aut decrescit ex maiori vel minori accessu & appropinquatione ad bonitatem & amorem diuinum quæ semper participari possunt amplius sine fine: *Et ideo non habuit B. Virgo summam charitatem, quàm maior non possit intelligi.*

Alius locus inuenitur in primo Sententiarum, ad Cardinalem Annibaldum ex nostra Religione dist. 44. quæst. vnic. art. 2. ad 2. vbi repetit idem, licet compendiosius, ac maiori cum breuitate, quod primo loco supra citato asseruit.

Tertius denique locus est Opusculum 61. in paruo quodam Tractatu, quem ibi de decem gradibus Charitatis iuxta mentem diui Bernardi composuit, vbi postquam dixit Deum effecisse Angelos *Speculum puritatis immaculatum, incoinquinatum*, adiungit, quòd ad maiorem suæ infinitæ potentia ostensionem, aliud elaborauit; *terfius, & purius Seraphim, ac tantæ puritatis, vt purius intelligi non possit nisi Deus sit*: ac hoc Speculum asserit esse beatissimam Virginem, Dei Genitricem, *de quâ Anselmus*, &c. citat quoque locum iam supra relatum.

Ex hac doctrinâ sancti Thomæ, ac propositionibus, quas ex eâ paulò antè desumpsimus, vna ratio efformatur, quæ euidenter concludit eum censuisse in tribus his locis proximè relatis, Beatissimam Virginem fuisse præseruatam ab Originali culpâ, nec vquam eius maculâ inforduisse.

Ratio est hæc: Eò maior est puritas, quò distantior est à culpa, quæ est suum contrarium; aut quod perinde est, puritas crescit ex maiori recessu, immunitate & exemptione à maculâ: sed puritas Beatissimæ Virginis est tanta, vt nulla alia infra puritatem diuinam sit excogitabilis maior: igitur nulla distantior à maculâ, & consequenter nulla creatura remotior à culpa quàm Beatissima Virgo.

Vudè à primo ad vltimum sequitur, B. Virginem nullam habuisse maculam aut actualis aut Originalis culpæ; nam si in aliquo instanti labe Originali fœdaretur, non foret eius puritas maior quacumque imaginabili creatâ, nec esset superior puritate Seraphim, qui sordè Originali nunquam sunt conspurcati; nec denique negandum fuisset Deum posse producere creaturam B. Virgine puriorem; plerasque enim creaturas rationales producere posset, & de facto produxit, quas præseruet ab hac, & omni macula.

Porrò nemo mihi negabit, quòd si B. Virgo vnum commisisset peccatum veniale, non foret purior quàm Seraphim, nec tantâ puritate conspicua, quâ nulla maior intelligi possit sub Deo; immunis etenim à maculâ veniali foret purior, quæ sanè eius nitorem offuscaret aliquantulum, ac ipsam indignam redderet, vt sit Mater Dei, sicut fatetur sanctus Thomas 3. par. quæst. 27. art. 4. Igitur S. Thomas minùs affirmare posset B. Virginem esse puriorem Seraphim, aut tali præditam puritate, quàm maior excogitari nequeat præter diuinam, si eam in peccato Originali conceptam fuisse credidisset: hoc namque cum sit macula mortalis, longè maiorem habet repugnantiam cum puritate, quàm peccatum veniale; quod vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 99. art. 1. non

causat in animâ veram maculam, sicut nec illam priuat gratiâ Dei.

Vltimò denique vigilantius ponderari debet, quòd S. Thomas constituit rationem, ob quam asseruit Virginem in puritate fuisse inferiorem Deo, in defectibilitate naturali, ac potentiâ peccandi, quam, quantum ex se fuit B. Virgo, habuit; egregium certè argumentum, quòd Angelicus Doctor arbitratus est B. Virginem de factò nullâ maculâ culpæ fuisse deturpatam; alioqui illud discrimen puritatis, aut inferioritatem in ordine ad diuinam, ad possibilitatem tantum delinquendi non reduceret.

Addo superioribus valdè consentaneum esse doctrinæ sancti Thomæ, quòd anima felicissima Sanctissimæ MARIÆ fuerit creata in gratiâ ex speciali priuilegio: nam doctrina expressa sancti Thomæ est, Angelos in gratiâ fuisse creatos, etiam malos, qui cum Lucifero peccarunt. Sic docet 1. part. quæst. 62. art. 3. cum S. Augustino, lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 9. vbi dicit, Deum tamquam Creatorem vnâ manu eis contulisse esse naturale; alterâ verò tamquam Saluatorem gratiam infudisse: nec solummodò Angeli tanto fauore gauisi sunt, verum & animæ primorum parentum Adami & Heuæ in gratiâ creatæ sunt; sicut ipse Angelicus Doctor asserit 1. part. quæst. 95. art. 1. & quæst. 100. art. 1. in solutione ad 1. Igitur hoc priuilegium B. Virgini non est denegandum. Sanctus enim Thomas affirmat 3. part. quæst. 27. art. 1. quod *rationabiliter creditur*, quòd illa, *quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratia & veritatis, maiora priuilegia gratia acceperit præ omnibus aliis.* Ex quo infert, B. Virginem fuisse sanctam antequam nasceretur, cum tales fuerint Ieremias, & Ioannes Baptista: Beatæ enim Virgini non fuit negandum priuilegium, quod his concessum fuit. Igitur conforme est D. Thomæ, eius dictis ac rationi, quòd B. Virgini non denegetur priuilegium Adæ & Heuæ collatum; nam sicut dicit sanctus Bernardus Epist. 174. *Quod paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tanta Virgini fuisse negatum.* Fatendum itaque, felicissimam animam B. Virginis fuisse in gratia creatam, ac liberalem omnipotentiam Dèi, tamquam Creatoris, ei elargitam fuisse esse naturale vna manu; altera verò, tamquam Saluatoris, in eodem ipso primo instanti, quo esse naturale accepit, gratiam sanctificantem infudisse: & sic licet in eodem instanti reali, quo creabatur, fuit vnita corpusculo iam efformato, ac organizato in vtero nimis felici ac ter beato sanctæ Annæ, ordine tamen naturæ prius fuit sanctificata, quàm vnita, aut communicata corpori.

Ex hoc priuilegio per euidentem consequentiam infertur præseruatam fuisse à culpâ Originali; hæc enim in corpore non subiectatur; sed in animâ: porrò anima, secundum ordinem naturæ, prius vnitur corpori, quàm Originalis culpæ maculetur contagio; nam quæuis anima, in quantum ab Omnipotentis Dei manu per creationem procedit, munda, & sine omni prorsus labe infunditur: ex vnione autem eius cum corpore, ex seminali commixtione, aut virili semine cõcepto, in eâ macula Originalis culpæ resultat. Igitur si felicissima Mariæ anima fuit in gratiâ creata, prius fuit ordine naturæ sanctificata, quàm corpori vnita, ac consequenter iam minimè possibile fuit, quòd in eam subintraret culpa Originalis, prius

prius utique possessam possessam à Spiritu sancto per gratiam, ac ab omni malignitate peccati defensam.

Admisso quippe, quòd in aliis suæ doctrinæ locis dixerit S. Thomas, Virginem contraxisse culpam Originalem; hisce tamen diebus, iuxta admonitionem ac doctrinam ipsius Sancti, tenentur eius discipuli sequi opinionem piam, quæ stabilitur ab eadem fuisse præservatam: nam Doctor Angelicus in Opusculo 71. monet, ac consulit, quòd si quis inuenerit in suis scriptis asserta contraria, aut opiniones sibi inuicem obuiantes, sequatur *quod magis veritati consonum iudicauerit*. Propterea auctoritas Ecclesiæ aded inualuit, ac se declarauit in pia opinionis fauorem vniuersali consuetudine celebrandi festiuitatem purissimæ Conceptionis, aut puritatis B. Virginis in suâ Conceptione, vt nullus iam dubitandi locus relinqui videatur, quòd opinio pia sit veritati conformior, quam opposita. Igitur opinio pia iuxta consilium S. Thomæ eligenda est, præterquam, quòd etiam ipsulmet Sancti sententia fuit, sicut iam probatum est. Insuper S. Thomas docet 2. 2. quæst. 10. art. 12. quòd *Consuetudo Ecclesiæ maximam habet auctoritatem, quæ semper est in omnibus amulanda; vnde magis est standum auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati Augustini, & Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris Ecclesiæ*. Ex quo infertur, sanctum Thomam, si vidisset consuetudinem communem, quæ iam viget in Ecclesiâ, de solemnizandâ Festiuitate puritatis Virginis Sanctissimæ in suâ Conceptione, per tot Breuia Pontificia confirmata, ex ea desumpturum argumentum validissimum, de eaque sibi valiturum, ad probandum, quòd Beatissima Virgo fuit sancta in suâ Conceptione, sicut vsus fuit consimili Ecclesiæ consuetudine ad probandum, quòd fuit sancta in suâ Natiuitate, his verbis: *Ecclesiæ celebrat Natiuitatem B. Virginis; ergo in ipsa sua Natiuitate fuit Sancta: quia Ecclesiæ non celebrat Festum nisi de aliquo Sancto*. 3. part. quæst. 27. art. 1.

Ego Domine opinor, quòd his rationibus, & hoc meo discursu nitebatur patrus tuæ Dominationis, meus pater ac Dominus, Illustrissimus ac venerabilis Dominus Frater Hieronymus Baptista de Lanuza, qui, sine præiudicio iuramenti, quod assumunt, aut violatione voti, quod emittunt omnes Magistri Religionis de defendendâ ac sequendâ opinione S. Thomæ, tantò se potuit manifestare pro tuendâ & amplectendâ opinione de purissimâ Conceptione B. Virginis, in suis Sermonibus ac scriptis eruditissimis, quibus Ecclesiam Catholicam aded illustrauit. Deus præseruet ad votum meum tuam Dominationem diu incolumem, accumulèque multiplici donorum spiritualium incremento. Dat. Valentia v. Septembris anno salutis 1651.

*Capellanus ac seruus tuæ Dominationis,
Frater Gaspar Catalan de Monzonis,
designatus Episcopus Ilerdensis.*

§. II.

Exemplar cuiusdam Sermonis de purissima Conceptione Dominae nostræ, quem Valentia prædicauit gloriosus Pater beatus Ludovicus Bertran.

HOc exemplar desumptum est ex Originali Hispanico ipsius sancti viri propriâ manu conscripto, inter multa alia manuscripta sua, quæ venerabilis Episcopus de Albarrazin, suus discipulus Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Frater Hieronymus Baptista de Lanuza, in nouitiatu possedit, ac postea transtulit in nepotem suum, quem illorum constituit hæredem, Dominum Michaëlem Baptistam de Lanuza, Ordinis Diui Iacobi, ex Supremo & sanctiori Regiæ Catholicæ Maiestatis Consilio Aragoniæ, Regiisque Protonotarius in illo Regno; quem mil i comprobandum tradidit Matri xii. Ianuarij, anno 1658.

SERMO B. LVDOVICI

De Conceptione Beatissimæ Virginis,

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. 1.

IN hoc Sermone sunt quatuor partes. Prima; Quare Euangelista proponit genealogiam Christi; an vt manifestaretur nobilitas generationis Christi: haud sanè abs re quis admirabitur, quòd Euangelista sanctus Matthæus tantâ sollicitudine ac curâ genealogiam, ac carnalem Christi generationem toties repetendo suos auos, proauos, abauos, ac protauos vsque ad primam stirpem, ac reliquorum coryphæum, vnde Profapia Nobilitas duxit originem, longiùs contexerit: an fortè Christus ambit honorem, aut gloriam ex Progenitorum claritudine suo nomini reconciliari tantoperè desiderauit (de quo admirari quispiam possit) morè hominum mundanorum, qui laudum præconiis mulcentur, encomiis oblectantur; ac denique potissimam suæ gloriæ partem in natalium splendore reponunt? Absit, nec Euangelistæ hoc intenderunt; nec quidquam tale, vel minimè cogitauere. Christus etenim à suis Maioribus nobilitatem non accepit; sed potiùs eos in Patres eligendo, ad æternæ memoriæ & nobilitatis fastigium euexit. Sicut quando aliquis Rex humili ortus familiâ (vt succedere contingit) ad Imperij culmen, ac ad moderandas Reipublicæ habenas ascendit, ab antecessoribus celesbritatem aut honorem transmissum minimè sortitur; sed potiùs vice versâ paterni laris obscuritatem depellit, apprimè illustrat, & in Maiores, quos & ipse maiores facit, nobilitatem, & eximium refundit decorem. Sic tota nobilitas aut bonitas arboris non tam ex trunco, radicibus, aut ramis, quàm ex fructu, quem producit oriri ac commendari solet. Id ipse Dominus testatur Ioan. 5. *Ego ab homine claritatem non accipio, sed præsto*. Et quamquam prædecesores Christo Domino aliquem generis iam dederint splendorem; nunquam tamen sua Diuina Maiestas illustra Maiorum

Maiorum nomina recenferi, aut Annalibus infcribi optauit, vt ex eorum nobilitate, aut amplitudine geftorum, fuo nomini vberiozem gloriam acquirat; quemadmodum ipfe fatetur Ioan. 17. *Clarifica me in Pater apud te meipsum: nam minime æftimationem aucupor humanam.*

Quâ ratione, nullam inuenies ex illuſtrioribus matronis, de quâ in generatione Chriſti mentionem faciat ſacra Scriptura; ſed tantum in eâ feminæ modici vel nullius ſplendoris, ac abiectioris vitæ recenſentur, vt Rahab, & Berſabee, cum quâ Dauid adulterium commiſit, ac Thamar, cum quâ ſuus ſocer Iudas adulterauit: porro nihil tantum valet ad exponendam vnâ familiam opprobrio & contumeliæ, ad obnubilandam eius conſpicuitatem, quantum mulier proſtigatæ vitæ, morum corruptelæ, ac ignominie notis dehoneſtata. Examinemus itaque quid tam laborioſâ indagine Euangeliftæ venati ſunt: dicendum breuiter Euangeliftas hanc contexuiſſe generationem ob tria motiua, quæ eis Chriſtus inſpirauit: Primum, vt ex narratione Progenitorum nobis patefaciant, quam fidelis & verax ſit Deus in omnibus ſuis promiſſis, qui in Chriſto compleuit, quod Patribus antiquis promiſit, quibus eum aut quod perinde Meſſiam ex eorū poſteris, ac ſemine naſciturum iurauit; ſicut B. Virgo in ſuo Cantico affirmauit: *Suſcepit Iſraël puerum ſuum, &c. uſque in ſecula.* Secundum: ad muniendam noſtram fidem, hoc eſt, vt conſtet eum, quem nos tanto obſequio ac adoratione veneramus, quemque pro vero Meſſiâ incunctanter acceptamus, ex ſtirpe Abrabæ deſcendiſſe, ſicut illum ex eâdem oriturum de longè Prophetæ prædixerunt. Tertium: vt perſpicuè intelligamus eius Genitricem non ſolum ſuperaiſſe reliquas feminas, imò omnes creaturas amplitudine meritorum, cumulatiffimis virtutum ornamentis, ſanctitatis denique vbertate, in quibus animæ nobilitas conſiſtit; verum & eas generis claritate ac nobilitate ſecundum carnem longè exceſſiſſe: quæ etenim mulier tantâ multitudine potentiffimorum Regum, Sereniſſimorum Principum, Dynaſtarum, ac Procerum Illuſtrium ſplendore, fuit vniquam euecta ad tam exceſſum nobilitatis culmen ſicut Virgo MARIA? Voluit quippe Deus B. Virginem proſapia inſignibus ſpectabiliſſimâ fuiſſe, vt ex cellitudine nobilitatis, ac honoris magnificentiâ, facile humilitatis profunditas innotefcat; cum enim auitæ nobilitatis iure maxima euaferrit, ſe minimam effecit, ac in Regiæ ſublimitatis choro, & ſupremæ honorificentie ſaſtigio collocata ad ima deſcendit humilitatis obſequio. Porro nobilitas eſt fundamentum & radix virtutis, quod conſtat iuductione factâ de ſingulis rebus naturalibus, quæ quò aliæ inter alias magis nobilitate eminent, eò maiori virtutis & actiuitatis laude commendantur, vt patet in calo & igne; eoque laudatior excellentiorque eſt humilitas, quò perſona, quæ laudem eius ſibi vendicat, proſapia nobilioris floret encomio; & vel hinc nemo ambigat Deiparam ſummâ virtute & humilitate præditam eſſe debuiffiſſe; virtute quidem, cum Saluatori animæ ornamentis, corporiſque ſpecie affimilari debuerit; quò enim vegetior & efficacior eſt virtus procreatrix, eò ſimilior animæ & corporis qualitatibus partus euadit: ex quo pronum quid ſtatuendum de Chriſto, cuius Matrem, dum illum conciperet, non alia quàm ipſius Spiritus ſancti immenſa atque illimitata virtus obumbr-

uerat. Verum huius Virginis virtus non ſolum indagatur, aut oſtenditur ex ſuorum aſcendentium, puta parentum, auorum, proauorum, abauorum, &c. ſplendore ac nobilitate; ſed & potiſſimum ex eminentiâ deſcendentium, nimirum Chriſti Domini nobilitate, ac virtutis eius fulgore, quo reliquis omnibus MARIE antecelloribus afulſit; quocirca Euangelifta dixit: *De quâ natus eſt IESVS, &c.*

Secunda pars. Quare Euangeliftæ nihil ſcripſerunt de B. Virgine, de eius vitâ & moribus; non ſemel intenſiſſimâ conſideratione oportet perpendi; quam ob cauſam Euangeliftæ de Chriſti vitâ & geſtis in ſuis Euangelis diſerentes, raro locuti ſunt de hac B. Virgine cum Chriſto ſuo Filio ſummâ neceſſitudine, propinquitate ac amoris vinculo coniunctiſſimâ; & vel inde admiratio augetur, quod de Ioanne Baptiſtâ, Apoſtoliſ, eorumque actibus, aliſque perſonis minoris notæ agentes, parum de beatâ Virgine ſcripſerint: an non operæ pretium ac congruum videretur, ſi Euangeliftæ verbo ſcripto hominum memoriæ & deuotioni commendaiſſent, quatenus, & quando in maternis viſceribus concepta fuerit, quando in lucem edita, ſubindeque educata, quibus vitæ ornamentis ac conſuetudine præluxerit, quæque virtutes in ea præcipuè floruerint; quomodo etiam cum Filio ſe geſſerit, dum illum ſuis vberibus alebat, quomodo à morte eius cum Apoſtoliſ conuerſari ſolebat, quomodo denique extremum diem vitæ clauſerit. Sanè hæc omnia digna videntur omnino, quæ ab Euangeliftis diligentius memorarentur; vtpote quorum notitia fidelium mentibus plurimum voluptatis & delectationis fuit allatura; cum interim nihil ex his in Euangelis reperiamus. Verum quidem eſt in libello quodam, quem ex Hebraicâ linguâ in Latinam tranſtulit diuus Hieronymus, plurima reperiri ad B. Virginis vitam & geſta pertinentia; ſed nec illi libello, cum apocryphus ſit, eiufdem diui Hieronymi teſtimonio fides tanta adhibere debet. Quid igitur? dicendumne Euangeliftas fuiſſe negligentes, aut paruipendiſſe: abſurdum planè hoc eſſet.

Nec exiſtimandum eſt Euangeliftas hoc tamquam rem nullius momenti neglexiſſe: quam itaque reddemus ratione omiſſionis ac ſilentij Euangeliftarum in hoc puncto? Reſpondeo, & aſſero diuinâ prouidentiâ effectum fuiſſe, quòd Euangeliftæ vitam & acta celeberrima Domine noſtræ præterierint; idque ob duas rationes, alteram quòd illius vita tantæ ac tam ſublimis fuerit perfectio- nis, vt videatur ratione potiùs complectenda, quàm exponenda ſermone; alteram, ſecundum Anſelmum, *Solum MARIA dicere, quòd Mater Dei eſt, ſupra totum eſt, quòd ſub Deo dici poteſt.* Nã vniuerſum encomium, laus & applauſus; quæ de MARIA prædicari poſſent, in vnico Matris Dei elogio, ac prærogatiuâ clauduntur, ſeu quod perinde eſt, in eo, quod nos eam dicamus fuiſſe Dei Genitricem, ſicut illa verba Euangelij atteſtantur: *De qua natus eſt IESVS.*

Tertia pars. Quomodo antiqui Chriſtiani dubitarunt, An B. Virgo eſſet dicenda Mater Dei, an Mater humanitatis Chriſti, & ad hoc confirmandum, quòd debeat dici Mater Dei, dicitur *De qua natus eſt.* Inter Orthodoxos olim ſuborta eſt controuerſia, An B. Virgo Dei Mater appellari debuerit, vel tantum Chriſti, in quantum Hominis; cum humanitatem & carnem dumtaxat de eius ſubſtan-

substantiâ & visceribus traxerit ; adeò , vt eiusmodi dubitationis tollendæ ac decidendæ gratiâ conuocatum fuerit , ac sederit Concilium generale , in quo sancitum fuit *Theotocon* , quod perinde Latine est , ac Dei Matrem , pleno ore vocari debere. Denique huic sententiæ ac decreto conformatur quod nunc dicit Euangelista : *De quonatus est Iesus*.

Quarta pars. De huius Virginis Conceptione hodie Festiuitas celebratur ; de quâ dicenda tria. Primum , quid sit Conceptio , de quâ agimus Festum. Secundum , quæ incommoda incurrimus in nostrâ conceptione. Tertium , quomodo B. Virgo ab illis fuerit liberata. Quod ad primum attinet : hodie nostra mater Ecclesia festiuitatem Conceptionis Virginis Sanctissimæ multiplici colit applausu , tempore scilicet , quo sacratissima illius anima , e manu Omnipotentis egressa , corpori iam operâ parentum genito infundebatur , post transactos octoginta dies , quos effingendo , & apparando corpori , debitisque vitæ vtensilibus , ac organis instruendo tanquam animæ domicilio futuro natura impendere consuevit : naturalis enim Philosophiæ periti nos docent naturam immorari in disponendo ac organizando fœtu iam concepto , conferendo illi varia instrumenta , diuersis vtique officiis ac functionibus vitæ deseruientia , quæ ab animâ corporis interuentu solent exerceri ; & quidem si masculus sit conceptus , in huiusmodi corporis opificio , ac fabrica perficiendis , quadraginta dies expendi connumerant ; si verò femella , octoginta ante animæ infusionem , cuius discriminis ea naturalis ratio & causa designatur , quod virtus generatiua masculi robustior sit & efficacior , femina verò imbecillior : vnde , vt opinor ego , innascebatur , ac relicta fuit mulieribus fastidiosa illa prolixitas ac consuetudo planè molesta , quâ vtuntur in se , suisque vestimentis componendis , aliisque apparatibus , in quibus longius , quàm vt æquum est , immorantur. Ratio verò Theologica ea est ; quod cū mulier duplo magis deliquerit quàm vir contra legem Dei , ita eam oportuit in vtero matris duplicata pœna puniri : hæc enim duobus delictis ; nimirum gulæ & superbiæ , Dei meruit indignationem , eumque ad vindictâ prouocauit ; ille verò gulæ commissione à suo Conditor recessit. Itaque , vt hic excessus iniuriæ , quo femina diuinam Majestatem offendit , planius intelligatur , geminatio quadragenario dierum numero eius corpus animæ latitua depriuat , cū viri ab eiusdem consortio quadraginta tantum diebus detineatur. Proinde Deus in Lege veteri præcepit , ne masculus in templo Domino sistetur vsque dum abortu quadraginta dies effluxissent , quod totidem diebus illius animæ in templum corporis introire non permittebatur ; nec femina omnino ante octoginta dies in templo præsentaretur , cū & eius anima pari temporis decursu à corporis etiam domicilio abfuerit. Vnde minimè existimandum est , Conceptionem Dominae nostræ in generatione aut organizatione corporis ; sed in infusione , ac vnione animæ ad idem consistere , per quam integra eius persona , ac suppositum ex animâ & corpore conflatum conceptum euadit. Quoniam autem in hac infusione , quando anima corporis possessionem primùm adiuuit , nullius peccati Originalis sorde fuit conspurcata , cui reliquorum animæ in primo momento , quo corporis contubernium agnoscunt , infeliciter subiiciuntur : idè iure optimo de Beatissimæ Virginis

Joann. Euseb. Op. Parth.

Conceptione Festum celebramus ; hæc sanè Domina singulares prærogatiuas , ac cumulatissima priuilegia in die suæ Conceptionis recepit : quorum primum est maximum gratiæ beneficium , quâ in suâ conceptione ab Originali labe præseruata fuit. Hæc est itaque rubus ille Moylis , qui ardebat , & non consumebatur , ardebat hæc ; nam more reliquorum ab Adamo descendentium ex femine virili , & ardore concupiscentiæ fuit concepta ; verum incombusta , ac à communi peccati Originalis incendio remansit illæsa. Secundum est , quod Deus in eâ carnis rebellionem , ac sensualitatis corruptelam repressit , quæ alio nomine vocari solet *fomes* , quod est idem ac igniarium ; sensualitas vtique est esca , quâ consuetudo peccandi nutritur , titio , qui facillè accenditur ad concipiendum ignem peccatorum : hæc sensualitas , corruptela , ac praua inclinatio in nobis relinquitur , ac reuera innascitur ex peccato Originali , nosque continuò stimulat ad malum , torpere facit a bono , ad vitium procliues ; ad virtutem verò legnes ac imparatos reddit. Cæterum in B. Virgine Deus , vt iam dixi , hanc sensualitatis corruptelam , morbos ac insolentias carnis remedij appositione præuenit , aut ad minus curauit : nam , vt quidam opinantur , sicut Deus à B. Virgine ipsum peccatum Originale remouit ; ita & hanc corruptelam aut fomitem , qui illius comes esse videtur. Vel , vt alij , præcipuè S. Thomas 3. par. q. 27. art. 3. arbitrantur , licet hunc fomitem non expulerit , aut omnino exterminauerit , eum tamen in puncto conceptionis ligauit , & repressit vt minimè nocere posset , aut propriam exercere violentiam ; idque in diem incarnationis Verbi Diuini : tunc enim eum deleuit , ac penitus extinxit , tanquam si numquam extitisset. Ad pleniorē huius doctrinæ intelligentiam pono exemplum : Illud interest inter brachium ligatum , & brachium mutilatum , aut suis viribus destitutum ; quod illud vi polleat , ac potentia ad impingendam alapam , cū tamen nullum instet periculum , vt eam impingat ; ligatum siquidē supponimus ; hoc verò nec habeat alapam impingendi vires , nec vllam impinget : quantum itaque ad vsum & exercitium spectat , nullum inter vtrumque cernitur discrimen , cū neutro quis vtatur , nec minùs sit sperandum exercitium vnus quàm alterius : eodem modo asserit Doctor Angelicus , Deum in Conceptione Beatissimæ Virginis Dominae nostræ fomitem hunc constrinxisse , tanquam manicis & pedicis iniectis , insuperabili suæ prouidentie ligamento , vt deinceps nil subiiciat , aut intentare posset , quod priuatis susurris , vehementibus stimulis , aut solita malignitate rectissimæ morum consonantiæ aduersetur , nil moliat , quod vel minimè contra vitam spiritualem machinetur excubias ; verum in die Incarnationis Filij sui vincula cessarunt , non quidem ad libertatem ; sed quia hic fomes penitus extinctus est , ac mortem subiit. Quod si inquiratur , quamobrem Deus hunc fomitem ab ipsa Conceptione , seu principio vitæ B. Virginis maturius non deleuerit , aut radicitus auulserit ; respondet Angelicus Doctor , Congruum fuisse , vt quemadmodum Christus ob summam eius dignitatem primus omnium carnis immortalitatem fuit adeptus , ita & fomitis respueret commercium , ab eoque tanti priuilegij prærogatiua ordiretur. Cæterum , tempore Incarnationis quamprimùm caro Christi ab istiusmodi naturæ corruptelâ letabatur immunitate siue potius negatione , illius Mater Sanctissima eiusdem

S dem

dem beneficij participatione continuò donabatur. Tertium beneficium, quod hodie B. Virgo recepit, est quòd euasit libera & immunis ab illà mutuà discordià ac colluctatione intestinà, quà se inuicem spiritus & caro lacessunt indefesse, quam nos notabiliter experimur, quæque representatur per illam rixam ac altercationem, quà Iacob & Esau in angustissimà palæstrà, puta matris ergastulo, se mutuò defatigarunt; item per illud luctamen ac prælium Dalila contra Samsonem, cui hic tandem illecebris illaqueatus, ac blandimentis deceptus obtemperauit. Eodem sanè modo sensualitas dimicat aduersus spiritum, armis instructa nocentissimis; nimirum escis deceptoris, sub quibus hami absconduntur, multisque oblectationibus vtique noxiis; nam etsi pacem & delicias polliceantur, subitò ruinam inducunt, ac de spiritu victoriam reportant, sanctarum eius cogitationum, affectionumque piarum flores exiufflando, crinesque, è quibus fortitudinis laurea dependet, tondendo: hoc est bellum, de quo summè conquirebatur familiarissimus ille Christi amicus sanctus Paulus, sic exclamando: *Caro concupiscit aduersus spiritum*, &c. ab huiusmodi belli molestiis ac discordiæ comminationibus manet hodie defensa tempore suæ Conceptionis, ac simpliciter immunis, illo iuxta rectissimam rationis normam regente; hac verò ad nutum obtemperante, in nullo vel leuissimè renitente, cum in nobis semper mediteretur, quòd spiritus ex suo throno præcipitetur; ratio à debito centro exorbitet, ac denique morum compositio, & rectitudo vitæ ex proprio alueo & articulis ad maximam naturæ rationalis ruinam exagitentur: talis fuit summa harmonia, & felicissima pax inter carnem & spiritum, sensitiuam & rationalem in Virgine Sanctissimà; in quo adimpletur illud Isaia 11. *Lupus & agnus pascentur, similiter leo & bos comedens paleas, non nocebit, neque occident in omni monte sancto meo.* In arcà Noë omnia animantia, adeòque ea, quæ naturæ impulsu inter se maximè inimica sunt, quasi percussò nouo amicitia & pacis foedere pacatissimè cohabitauerunt; hanc verò arcam, quam furibundi diluuij fluctus numquam ingurgitarunt, **MARIAM** esse non ineptè arbitramur, ab aquis vtpote Originalis diluuij semper immunem, in cuius animæ claustra sacratissima vtraque portio, rationalis nimirum & sensitiuæ, perennim inuolabilemque pacem retinuerunt quæ in nobis incessabili odio & discordià perpetuà se inuicem prosequuntur.

Quartum beneficium hodie Beatissimæ Virgini collatum in eo maximè elucet, quòd supremus ille Legislator Deus eam liberauerit à tyrannicà lege peccati, quam nos alij molestè regnantem in nostris membris experimur; de quà etiam locutus est S. Paulus ad Corinth. *Sentio legem in membris meis.* Hæc sanè lex sita est in illa promptitudine ac facilitate, quà omnia membra remis ac velis sensualitati & carni succurrunt, in peccati fauorem inuigilant, ac denique occultis insidiis, aut aperto Marte aduersus rationem vnanimiter conspirant; sic oculorum ad videndum, aurium ad audiendum, &c. ea, quæ nec licita nec honesta sunt inordinatam propensitatem quotidiano experimento condiscimus. Ab hac inquam lege tyrannicà planè, cui cæteri subiiciuntur, B. Virgo fuit exempta in die sacratissimæ suæ Conceptionis: sicut etenim fomes, aut incentiuum

sensualitatis, ex quo tamquam ex proprio fonte hæc iniqua & maledicta peccati lex dimanat, per diuinam prouidentiam in B. Virgine, tamquam manibus & pedibus, si non penitus extinguatur, fuit insuperabiliter deuinctus, ne vel minimum damnum minaretur, ita & ipsa penitus suspensa, ne in tam sanctâ creaturâ impium suæ iurisdictionis rigorem exerceret. Videtis, auditores deuotissimi, videtis quot & quantis privilegiis hodierna die hanc creaturam diuina liberalitas accumulauerit; meritò admirari possumus, imò ignorare videmur quænam sit ista, quamue tam eximiam obtinuerit dignitatem, ob quam tot prærogatiuis, iisque singularissimis meruit adornari; hodie tollat nostram ignorantiam, nostram admirationem cessare faciat sanctus Euangelista, enarretque in hoc Euangelio, ac verbis nostri textus hanc proinde longè supergressam esse reliquas omnes feminas, tantoque beneficiorum cumulo locupletatam, quòd sit illa, *Ex qua natus est Iesus*, &c. Notate hic vnum quod dicimus, attentius animaduertite quòd prædicamus, ex hac natum fuisse **IESUM**, qui est fons & origo salutis, interpretatur enim **Iesus** Latine Saluator, aut ipsa salus. Ex hoc quippe nostra salus & remedium effluerunt, ex hoc nostris languoribus medelam, nostris infirmitatibus robur, ac nostris necessitatibus opem expectamus: quapropter hanc Saluatoris Genitricem Deus gratiâ repleuit, sicut Gabriel Archangelus in suâ expressit Salutatione, *Aue gratia plena*: futura namque fuit Virgo fons, ex quo nostræ inopiæ subsidium prouideri debebat; egredietur flumen, quo nostra lauentur crimina, arida corda rigentur. Accedamus itaque, & alacriter festinemus, fratres charissimi ad hunc fontem, deuotionis aqualem, cum funiculo calculorum Rosarij in manibus gestantes, ac proculdubiò hauriemus aquam salutis & remedij, quam exploramus, gratiamque Dei in hac vitâ acquiramus, ac in futurâ gloriam.

§. III.

Instrumentum publicum relationis, ac testimonij de affirmata Immaculata Virginis Conceptione, manu propria sancti Vincentij Ferrerij.

IN Dei Nomine. Amen. Notum sit omnibus, quòd anno Natiuitatis Domini nostri **IESU CHRISTI** millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, die vigesimo primo mensis Nouembris, in Ciuitate Alcaniensi, Regni Aragoniæ, in meâ præsentia, & coram me Hieronymo Sanz Notario publico, ac testibus infra scriptis, apparuit in propria personâ Illustrissimus Dominus Vincētius Ram de Montoro, Comes de Montoro, à Sanctiori ac Supremo Aragonum Consilio, in dictâ Ciuitate Alcaniensi domicilium habens, dixitque, Quòd ob certos fines & effectus, loco & tempore opportuno in lucem prodituros, ob nimium quoque deuotionis feruorem ac fidem, quam Immaculatæ Virginis **MARIÆ**, Matris ac Dominae nostræ Sanctissimæ adhibet Conceptioni, eum oportuit infra scriptum fide munire, ac verissimo testimonio firmare. Quomobrem mihi ostendit maximum quendam librum peruetustum, in membranâ ac folio patenti ex litterâ antiquissimâ conscriptum, tabulis coopertum ligneis; cuius primus titulus sic incipit:

*Istum librum dedit Conuentui Alcagnitij Venerabilis Pater Frater Vincentius Ferrerij, Sacra Theologia Magister, & Confessor Dni Papæ Benedicti Decimi tertij. Qui quidem liber, iuxta Notas, quæ ad finem illius, & ante indicem alphabeticum quæstionum apponuntur, est vltima pars Summæ Theologiæ sancti Thomæ, in quo me petiit dictum, scilicet Notarium, vt viderem ac recognoscerem quæstionem vigesimam septimam, articulo secundo ad tertium; animaduertentem quoque attentissimè Commentarios, notationes & glossemata, quæ in dicti libri margine, super relatum articulum secundum, ad tertium adiiciuntur, ex iisque benè perspectis, translatis ac scripto mandatis, publicum actum efficerem, iisque, quæ prædicta glossa ac Commentarij continebant, publico instrumento & testimonio fidem facerem. Porro, ego prædictus ac infrascriptus Notarius postulatis consentiendo, voto ac rogatui relati Comitis satisfaciendo, totum executus sum coram testibus infra nominatis; vidi que patenter, ac recognoui prædictum librum, in eoque inueni titulum (de quo supra facta est mentio) in primo etiam folio eiusdem libri cooperimentis alligato: eodem quippe modo mihi constitit euidenter & oculariter, ac inueni hunc librum fuisse vetustum literæ antiquissimæ, in foliis membranæ scriptum, tabulis opertum ligneis, notatum denique ac explanatum compluribus & diuersis Notis, Commentariis, & glossis politis in variis partibus, & marginibus libri prædicti; quæ omnia, videlicet Commentarij, glossæ, &c. scripta fuerunt propriâ manu, & litterâ Patris gloriosi sancti Vincentij Ferrerij, sicut ego audiui & intellexi à venerandis & antiquis senibus Christianis, ac fide dignis, qui hoc ipsum affirmabant, ac ratum habebant per traditionem antiquam, ac aliorum relationem, à quibus id acceperunt. Itaque, ob dictam rationem ac testimonium credo, ac intelligo dicta glossemata, Commentarios, ac notationes scripta fuisse propriâ manu, ac litterâ sancti Vincentij Ferrerij; & postquam accuratè, diligenter, summâ curâ & attentione vidi ac recognoui dictam notationem, glossam, & Commentarium eadem manu & litterâ, quâ reliqua modo dicto sunt apposita, in margine conscripta, super prædictam quæstionem vigesimam septimam, articulum secundum ad tertium; in eâ inter cætera quæ vidi, sequentia verba reperi: *Beata Virgo à peccato Originali & actuali immunis fuit.* In reliquâ interim parte glossæ prædictæ, ac marginis, specialibus locis citatis, ad maiorem huius sententiæ certitudinem ac approbationem facientibus: quam phrasim, ac verba prædicta inueni, ac meis oculis manifestissimè vidi; eaque ex dictâ glossa transcripsi in præsentia, & coram prædicto Illustrissimo Domino D. Vincentio Ram de Montoro, ac dictis testibus infra nominatis, vtque de hac re vbique, & quouis tempore constet, ego prædictus Hieronymus Sanz, Notarius, rogatu ac persuasionibus suæ Dominationis, totum testimonium, & hunc præsentem actum publicum redegi in dictâ ciuitate Alcaniensi, suprascriptis in principio huius Actus ac Instrumenti recitatis & specificatis die, mense, ac anno, existentibus & præsentibus pro testibus vocatis, & rogatis, Iaime Coll adolescente, & Francisco Roque Notario, in dictâ ciuitate residentibus.*

Sig † num meum, scilicet Hieronymi Sanz, Ioann. Euseb. Op. Parth.

in ciuitate Alcaniensi residentis, ac per auctoritatem Regiam in omnibus terris, Regnis, ac Dominis Domini nostri Regis, publici Notarij, qui suprascriptis interfui, ac subsignaui.

Nos Notarij, ac Regij Tabelliones Regni Aragonia, qui infra assignamus, fidem facimus, ac verum exhibemus testimonium, quod Hieronymus Sanz, cuius manu & signo suprascriptum instrumentum publicum signatur in publicâ formâ extractum & effectum, tempore, quo illud instrumentum extraxit, ac hunc præsentem actum effecit, & pluribus annis antè est, ac continuo fuit Notarius publicus & Regius, ac talis auctoritatis, quam in suâ signatione declarat, ac sibi assumit, fidelis, legalis, ac talis, cuius actibus & scripturis ab eo assignatis, testificatis, ac in publicâ formâ & iuridicâ compositis, sicut supra scriptum instrumentum, iuxta modum à iure præscriptum, effectum est, integra fides adhiberi potest, ac verum testimonium nostrum signum apponimus in ciuitate Alcaniensi, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, die vigesimo primo Novembris.

Sig † num meum, scilicet Iosephi Sunir, domicilium habentis in ciuitate Alcaniensi, Regiâ auctoritate per totum Regnum Aragonie Notarij publici, ac primæ classis, seu ex Notariis ex numero prædictæ ciuitatis, qui testificor suprascripta modo, quo superius apponuntur, esse vera. In cuius rei fidem ac testimonium his soluto signaculo subsignaui.

Sig † num meum, scilicet Hiacynti Gomez, incola ciuitatis Alcaniensis, auctoritate Regiâ Notarij publici per omnes terras, Regna, ac Dominia Philippi Regis, ac Domini nostri, & Confessus prædictæ Ciuitatis, ratum facio ac testificor, quod suprascripta sunt vera eo modo, quo superius inferuntur. In cuius rei fidem ac testimonium hæc signo consueto munivi.

§. IV.

Verba Magistri Hieronymi Fuser in Vita Venerabilis Hieronymi Baptista de Lanuza, Ordinis Prædicatorum, Episcopi Balbastrensis & Albarracini, lib. 3. cap. 12.

PRæ cæteris mysteriis sanctissimæ vitæ Beatissimæ Virginis, quæ celebri & solemni deuotione recolere solitus erat, haud sine magno animi solatio, hic seruus illius, fuit Conceptionis ipsius puritas: amplexus quippe est semper studio veneratione plenissimo, indultum à Sede Apostolicâ, vt fauerè, & piè existimare pronum sit, Conceptionem illius à peccato Originali fuisse immunem. Memini ipsum sæpè narrantem quandiu in Conuentu Valentino vitam egit, vix hebdomadam vllam effluxisse, quin de hoc mysterio è suggestu verba faceret. Imò in aliis Ecclesiis Catholicæ Coronæ conciones habuisse de eo ducentas quinquaginta & ampliùs; & certè in aduersariis illius tam multa de hac ipsa solemnitate conscripta & obseruata ipsius manu repetiuntur, vt numerus, quem ipse narrabat, inferior videatur. Similiter, quando propter religiosum habitum sancti Dominici, quem gestabat, aduersæ sententiæ propugnatorem ipsum existimabant (perinde quasi in Ecclesiâ Catholicâ aliqua alia Reli-

gio fuerit B. Virgini **MARIAE** Dominae nostrae magis addicta, magisve obstricta priuilegiis illius, & iupremis excellentiis publice defendendis, quam sit nostra à glorioso nostro Domino instituta) memini, inquam, tristitia insolita affligi, quod velut per vim minus deuotum huic singulari Reginae caeli praerogatiuae, vellent efficere; cum è contrario is ipse sublimi sua sapientia & quaerere & inuenire in sacris Textibus eas auctoritates in mysterij fauorem nouerit, quas nemo alius. Non erit ab instituto alieno, neque mihi parum obstrictus erit doctus ac pius Lector, si hic è manuscriptis illius praecipuas quasdam rationes, quas in singularem quaternionem collegit aliquando sententiae suae stabiliendae, ad fauorem huic opinioni conciliandum representem: has itaque referam, nedum vt illarum ope, id quod in praesenti capite demonstrandum suscepimus, confirmemus; verum etiam quia, cum in ipsius operibus impressis non extent, visum mihi fuit ad commune beneficium eas typis committere. Sic igitur inquit:

Rationes Venerabilis Hieronymi Lanuza, Episcopi Dominican, pro Immaculata Conceptione.

Primò infertur puritas Conceptionis virginæ; Quia sicuti in modo, qui seruatus est in generatione naturali hominum, Dominus noster Deus dedit naturam humanam initium, mulierem de costâ hominis formando: *Tulit unum de costis eius, & edificauit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Et per Heuam sic formatam, naturale esse humanum omnibus hominibus filiis Adam communicauit; sic per **MARIAM** Sanctissimam ex osse virtutis Christi formatam Deus communicauit hominibus esse supernaturale gratiae, & ipso mediante fecit illos omnes filios adoptiuos Dei. In Christo, & caro & os habetur; caro est infirmitas naturae humanae: *Mortuus est ex infirmitate.* Similiter os habetur, quod est virtus diuina: *Viuu ex virtute Dei.* Deus minimè fundauit **MARIAM** super carnem, id est super infirmitatem, & opera peccati; verum super os diuinæ suae veritatis. Principium nostrum, nostra conceptio est: fundatur in peccato Originali, quod est infirmitas carnis: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Principium Virginis (quod est ipsius Conceptio) fundatum est super os virtutis Dei, quod est ipsius gratia: ergo affirmare debemus in illâ conceptam fuisse Virginem; non autem in peccato Originali.

Secundò; Quia quemadmodum praedixit Dauid Propheta, loquens in persona Virginis, creauit eam Deus, & circumdedit totam diuina sua virtute: *Deus, qui praecinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, & vsque super excelsa stauens me.* Ab ipsius Conceptione vsque ad illius mortem & gloriosam assumptionem, tota fuit circumdata & oblecta diuina virtute; vt numquam satanae patuerit ad illam ingressus, id est, Deum ipsam illustrasse dono Iustitiae Originalis, quo mediante circumdata fuit natura humana in primis nostris parentibus; ita vt pars inferior subiecta esset superiori, & ista Deo, qui locum

non dabat vlli motui inordinato: hæc Iustitia Originalis est costa ipsa, super quam ante diximus Virginem in ipsius Conceptione fuisse fundatam.

Tertiò; Quia Deus fecit illam velut coadiutricem Christo in generatione spiritali similem, eo modo, quo in naturali fecit Heuam Adamo similem. Et quemadmodum Christus fuit liber à peccato; sic Virgo per gratiam ab Originali, ceterisque actualibus fuit immunis.

Quartò, Quia Deus faudauit illam in virtute passionis, Crucis, mortis, & meritorum Christi, quae sunt virtus Dei; Christus crucifixus Dei virtus, & Dei sapientia, qui in sua morte applicuit Matri valorem crucis suae, sanguinis & redemptionis suae, etiam pro instante, quo concepta fuit, ex morte Christi praeruisa. Neque intelligi debet, culpam Originalem fuisse in ipsius Matre, ex eo quod ipsi redemptionem suam applicuerit; quia quamuis dixit sanctus Gregorius, ignorari nomen istud ab eo, qui illud applicat, vbi nulla culpa vel captiuitas est; applicata est Virgini, licet ipsa captiua non fuerit eo modo, vt obseruauit Augustinus, quo dixit Scriptura, loquens de Samgar duce, liberasse Israël ab Antiocho: *Saluauit Israël post Antiochum;* cum illius tempore Israël non fuerit captiuus Antiochi; & nihilominus dicat libertatem ab eodem impetrasse; quia nempe non dedit locum hostibus, vt aggredierentur Israël: *Quomodo saluauit, si tunc Israël suo tempore non fuit iugo seruitutis subiectus?* Et respondet Sanctus: *Quia non permisit inimicis, vt nocerent Israël, cui nocere volebant, & desiderabant.* Sic si Samgar imminetia ista Israël damna non auertisset, captiuus fuisset. Et in Genesi dicitur, cum Iacob Iosepho benediceret verbis hisce vsus fuisse: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Quando videlicet nondum terra illa in manus Amorrhæorum peruenerat: *Sed quia nisi Iacob succurrisset, peruenisset ad manus Amorrhæi.* Similiter de Virgine dicitur Christum eandem redemisse, non de captiuitate, in qua iam posita esset, verum ipsam praue-niendo virtute suae redemptionis, eo modo, quo Dauid dixit: *Eruiisti me ex inferno inferiori.* Quia si Deus protector eius non fuisset, eò delapsus sine dubio fuisset. Quod si Virginem diuinâ gratiâ per Christi redemptionem minimè praue-nisset, in peccatum Originale incidere debuisset.

Quintò, Quia Christus ipsi applicuit redemptionem suam in instanti purissimæ suae Conceptionis, etiam cum non esset ipsius Mater, propter id, quod in Euangelio expressum est: *Liber generationis IESU CHRISTI filij Dauid, filij Abraham.* Ibi enim vocatur Christus filius Dauid, & Abraham; & illi patres Christi vocantur, licet ex iis nasci minimè deberet, nisi post elapsos bis mille annos; quia Christus etiam tanto temporis interuallo priusquam nascatur, nouit beneficiis locupletare parentes suos, profitens se filium erga illos: *Abraham pater vester vidit diem meum, vidit & gauisus est.* Imò ipsi Adamo tot antè millibus annorum profuit, vt è peccato euaderet: *Hic enim, qui primò formatus est, liberauit & eduxit à delicto suo.* Noëmo deinde: *Custodiuit istum per contempribile lignum;* quia illum per mortem crucis saluauit, quâ etiâ de causâ vocatus fuit Christus Agnus, qui occisus est ab origine mundi; & per illum saluati

saluati sunt Patres, omnes antiqui: *Per sapientiam enim saluati sunt omnes, qui tibi placuerunt*; idque, quia Patres ipsius futuri erant etiam tam remotè. Quæ cum ita sint, quantò maiorem erga MARIAM futuram ipsius Matrem, *De quâ natus est Iesus*, liberalitatem profiteri debebat.

Sextò; Quia Deus Matri suæ Sanctissimæ titubationis occasionem abstulit, ita vt nec cadere, neque titubare, neque sordibus se commaculare in villo gressu vitæ suæ posset: *Posuit immaculatam viam meam*. Obseruauit sanctus Thomas, populo antiquo Deum abstulisse casuum & peccatorum occasiones, vt essent sancti; quia nasci ex illis Sanctus Sanctorum debebat: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. Et pedum, quibus gradiebantur curam gessisse, ne in culpæ vacuum inciderent: *Pedes sanctorum suorum seruaui*. Si ergo priscis illis, ne pedes illorum sordem contraherent, præibat ipse mundando iter, & obuias offensiones seponendo, ob eam tantum causam, quòd ex illis nasci debebat Christus, quantò magis Matri titubandi occasiones auferret, eamque præseruaret à sordibus, vt in omnibus vitæ suæ passibus sancta foret? *Pes tuus non impinget. Dominus*, &c. Vnde cum Deus iam ipsi vicinus esset, minimè dubium fit, quin eam puram & sanctam in primo Conceptionis suæ gressu conseruaret.

Septimò, Quia Deus pedes ipsius multò velociore, quam vllorum ceruorum reddidit, ne culpa æquè eandem consequi posset ac gratia... pedes animi illius, qui sunt eiusdem potentia: *Perfecit pedes meos tamquam ceruorum*; quales sunt damæ caelestes, videlicet Angeli. Pariter quippe in illâ, atque in istis formandis processit, quando illos creauit. Erat Deus simul condens naturam, & largiens gratiam. Perfecit intellectum & voluntatem eius, vt & Angelorum, ne in illam Satanæ ingressus pateret; atque id ipsum est, quòd promissit Deus in veteri illâ promissione, quam in eius Conceptione impleuit: *Tu insidiaberis calcaneo illius, & ipsa conteret caput tuum*. Dæmon pedibus insidiatur, & per illos nostra conceptio intelligitur, quia super illam vita tota nostra fundatur, vt corpus totum pedibus innititur, & facillè eidem videtur destructo penitus fundamento reliqua deiicere. Rupertus tradit inimicitiam mulierem inter & serpentem naturaliter esse eiusmodi, vt si hic mordere illius pedem possit ob ingens frigus, illam occidet mediante veneno, quòd iniicit vbi morsum figit: planè si mulier possit pede serpentis caput calcare, quamuis tantillum hunc tangat; tamen eum viribus priuare. Dæmon est serpens (sic eum vocat Isaias & Ioannes) & vt animam perdat, pedes aggreditur, id est conceptionem illius: si succedat, certa illi est victoria. At quia Virgini Deus, mediante auxilio gratiæ suæ succurrit; *Perfecit pedes meos*; hæc dæmonis caput priùs fregit, quam mordere pedem ipsius posset.

Octauò; Quia Deus Virginem extulit supra omne, quòd in Ecclesiâ excelsum est: *Super excelsa statuens me* id est, supra maximos Sanctos. Probat istud egregiè sancti Alberti Magni regula, à sancto Thomâ approbata; dixit Sanctus excellentias omnes à Deo Sanctis communicatas debere nos in Virgine multò eminentiùs agnoscere: quosdam in ipso ortu magnos effecit, velut Baptistam & Ieremiam; sic & Virginem sanctificauit in Natiuitate ipsius; & quidem ampliùs. Alios

Ioann. Euseb. Op. Parth.

magnificauit in pueritiâ, velut Innocentes; at Virginem similiter, & ampliùs. Alios in vitâ, velut Apostolos; sic & Virginem in vitâ, & ampliùs. Quid ergo de Virgine dicemus, nisi quòd eam Deus sanctam effecerit in Conceptione, vt maximos quosque Sanctos superet; quia in peccato existere, vel vno instanti non esset eam sanctiorem omnibus reddere? Probauit beatus Thomas ad martyrium infantis minimè necessarium illi esse vsum rationis: sufficit quippe vt eundem vitâ priuent; quia Christianorum sit proles, & speretur eum fore aliquando Christianum; ergo si hæreticus vel infidelis mulierem Catholicam grauidam idcirco interficeret quòd Christiana sit; fœtum verò in vtero latentem ne Christianus sit; is ipse infantulus martyr & sanctus esset, licet non natus, baptizatus autem baptismo sanguinis, quem in matris vtero consequeretur. Potest contingere, vt hostis aliquis Christi fœtum eiusmodi occidat, quòd Christianus sit in vtero matris in ipso instanti, vel immediatè postquam fuerit animatus (id quòd fortasse contigerit inter innumeros, qui martyrio coronati sunt, vel aliquando poterit contingere) puellus iste, de quo sermo, posset Virgini obicere sese perinde ac illam leuiter peccato Originali laborasse; quandoquidem in illo detentus fuit æquè exiguo tempore, vt de eâ dicitur. Proinde, vt verificetur supremam Dominam hanc ceteros omnes sanctitate superasse: *Super excelsa statuens me*; par est asserere eam priuilegio singulari in gratiâ & sine peccato conceptam fuisse.

Nonò; Quia Virgo adumbrata fuit insigni illo Templo per Zorobabel ædificato, cuius ore Spiritus sanctus edixit: *Manus Zorobabel cæperunt ædificare domum istam*. Beatus Hieronymus tradit Zorobabelis nomen significare *Magistrum insignem in Babel*: & ad Christum referri: *Vos vocatis me Magister, & benè dicitis*. Manus illius duæ in efformandâ Virgine, quando concepta fuit, operam dederunt; non ait manus in singulari; quia ambas ad hanc ædificationem adhibuit, non solum manum, cuius ope esse naturale concedit; sed etiam alteram, quæ confert esse gratiæ. In efformatione nostrâ manum primò adhibet, cuius ope confert esse naturale, quòd operatur in conceptione nostrâ: alteram deinde manum, quâ esse spirituale, & sic in illam facilis patet dæmonis ingressus; quia tunc temporis, vnica tantum Dei manus adhibetur; verum in Conceptione Virginis duabua simul manibus vsus est Deus, illâ quâ confert esse naturæ humanæ; istâ, quâ esse supernaturale gratiæ: *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Sinistra, respectu bonorum naturalium, dextera respectu bonorum gratiæ, quibus Virginem circumdedit, quemadmodum agere solet, qui alium complectitur, & manu vtrâque extensâ constringit.

Decimò; Quamuis multi Sanctorum vetustiorum clarè de hoc mysterio non meminerint, causa fuit; quia fidei peccati Originalis adstruendæ aduersus quosdam hæreticos, qui illud negarunt, incumbabant, atque ita dum de eo scriplerunt, de omnibus sine exceptione Virginis meminerunt. Exempli causâ: Arbor quædam tenera est, & vnâ partem versus inclinata; quid consilij, vt recta sit, & eo modo, quo oportet? agricola in alteram partem eandem inflectit. Sanctus Gregorius Thaumaturgus, Neocæsaræ Episcopus,

articulum de Diuinitate admodum inclinatum reperit : quia gentiles Cæſarienſes plura numina colebant. Itaque vt articulum loco ſuo reſtitueret ad eò in alteram partem deſlexit , vbi de Vnitae Dei ageret , vt vnicum illum eſſe probauerit : indeque Sabellius , & ſequaces occaſionem ſumpſerunt aſſerendi , docendique plura ſuppoſita in Deo non eſſe , neque multas perſonas inter ſe realiter diſtinctas : vſque ad eò vt etiam neceſſe fuerit ſanctum Baſilium litteras ad Neocaſarienſes mittere , vt Gregorium extra culpam fuiſſe doceret , ſenſumque verborum illius legitime interpretaretur. Sanctus Dionyſius Alexandrinus naſtus eſt quoque cognitionem diuinarum Perſonarum , ad eò inclinatum , vt nonnulli ipſius æuo aſſerent Perſonas Trinitatis minime inter ſe eſſe diſtinctas ; proindeque hanc arborem in contrariam partem ad eò deſlexit , aſſertã earum diſtinctione , vt inde Arius occaſionem arripuerit credendi diſtinctas eſſe eaſdem perſonas diuinas , etiam in ſubſtantiã , eſſentiãque , & coactus fuit idem Dionyſius doctrinam ſuam declarare , & apologiam contra Arianos ſenſu legitimo ſcribere. Beatus Hieronymus obuios habuit quosdam hæreticos ſtatum Virginitatis damnantes , & matrimonij ſtatum præferentes : quid agit Hieronymus vt inclinatum in vitium arborem erigeret : ad eò fuit ipſe contrarius matrimonio , vt ſtatum illius damnare pænẽ viſus ſit ; coactis Eccleſiæ Doctõribus , qui eum deinceps ſecuti ſunt , lucem adferre illius ſententiã , legitime eamdem interpretando. Doctrina peccati Originalis ad eò deciderat , vt hæretici permulti , neque eſſe in rerum naturã eiufmodi peccatum crediderint. Fuit is Pelagij error , cui vt remedium adferrent , & arborem loco ſuo reſtituerent , eamdem vehementer ad eò in partem oppoſitam impulerunt , vt omnes omnino , præter vnum Chriſtum , peccato Originali obnoxios aſſeruerint priſci Eccleſiæ Doctõres ; & hæc fuit cauſa cur tam pauci de priuilegio Virginitatis meminerint , vt eam ex infectorum numero ſubtraherent. Quin & Paulus Apoſtolus vniuerſim ad eò locutus eſt , vt omnes ſententiã ſuã inuoluerit : *Omnes in Adam peccauerunt*. Omnes , qui generatione ſeminali ex Adamo ſuam originem trahunt , in ipſo , quando peccauit , peccauerunt ; ergo : *In quo omnes peccauerunt* ; in aliã deinde propoſitione : *Omnes peccauerunt , & egent gratia Dei*. Pelagij error durauit aduſque Angelici noſtri Magiſtri tempora. Itaque , vt eundem deſtrueret , ac deciſum eſſe oſtenderet , nos omnes in inſtanti conceptionis peccatum Originale contrahere , ab eo ſolum Chriſtum exceperit. Verùm ſatis firmatã iam peccati Originalis veritate ab eo ſubducunt Catholici pique Doctõres Virginitatem ſanctiſſimam ex ſingulari priuilegio diuinitatis ipſi conſeſſo ; & pro fundamento adferunt Feſtum illius ab Eccleſiã celebrari. Imò ſeptem Pontifices , & plures , deuotionem hanc approbaſſe , & huius myſterij cultoribus indulgentiam conſeſſiſſe.

Postremò ; Quia debet excipi Virgo à propoſitione illã generali S. Pauli ; *In quo omnes peccauerunt*. Eſt quippe indefinita ; & S. Chryſoſtomus , Origenes , Euthymius , & Theophylaſtus dixerunt propoſitionem indefinitam ſumendam non eſſe in ſenſu vniuerſali. Imò , vt vniuerſalis propoſitio vera ſit , ſufficiet pro maiori parte veram eſſe. Idem Apoſtolus dixit : *Hi omnes mortui ſunt* ; tamen inter eoſdem Henoch retulit , qui mortuus non eſt.

Idem quoque alibi : *Omnes , quæ ſua ſunt quarunt , & ſubintelligitur , ſerè omnes*. Ipſemet Chriſtus dixit : *Omnes , quot quot venerant , fures ſunt & latrones*. Tamen Dauid , Iſaias & Ezechias fures minime fuerunt : Ezechias quippe Domino ſic locutus eſt : *Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate , & in corde perfecto , & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim*. Idem Dominus ad diſcipulos ſuos : *Omnes vos ſcandalum patiemini in me* , &c. Et egrediens illic Petrus , ſic ait : *Eſi omnes ſcandalizati fuerint in te , ego nunquam ſcandalizabor* , &c. reuera non omnes paſſi ſunt ſcandalum. In Geneſi quoque dicitur : *Omnis caro corruerat viam ſuam*. Nihilominus in eodem capite Noë vocatur vir iuſtus , & gratiam coram Deo inueniſſe memoratur. Sic in iſto argumento verba *omnes peccauerunt* , ita intelliguntur , vt excepta ſit MARIA puriſſima , de quã verè dicere licet : *Tu inueni iuſtam* , & à peccato omni immunem.

Longe plura ſuppetebant illi ad ſententiam piam ſtabiliendam , vt ad eam inclinaret , quæ in Operibus illius impreſſis ſacrarum Litterarum auctoritatibus freta , perſpicuè reperiuntur. Conſulatur Hqmiliarum , quæ auctæ fuerunt , Tomus quintus ; in tertio indice planè admirando , vt pote pretioſis conceptibus reſerto , quos formauit , & ex omnibus Euangeliiſ , quibus Eccleſia per annum vtitur , eduxit. Ibi inter varias clauſulas capituli primi S. Matthæi de generatione Chriſti , in gratiam feſtiuitatis Beatiffimæ Virginitatis , explanationem ſuam incipit his verbis : *Liber generationis IESVS CHRISTI*. Matthæi i. *Multa ad eò , tamque excellentes fuerunt res , quas Dei iuſſu Tabernaculum illud antiquum comprehendebat , vt qui ad illud idem per deſertum circumferendum deſtinati erant vt facilius exequerentur , neceſſarium fuerit in partes diuidere : ſic de Virgine licet idem loqui ; ipſa quippe cum diuinum Tabernaculum ſit , ad eò multa ſunt ipſius excellentia in diuerſis ipſius actibus , vt neceſſarium ſit illas ſimiliter partiri ; atque ita vnus dies eiufdem Natiuitati tractanda deſtinetur , alius eius Preſentationi . &c. hodiernus puriſſima ipſius Conceptioni ſacer : quia ab omni peccato fuit immunis , plurimum habet quod exponatur . Et pergens pretioſas margaritas è ſacro illo Textu exprimere ad verba , *De qua natus eſt IESVS*. Probat Conceptionem ipſius Immaculatam tredecim numeris differentibus. Cæterum , exquisitas auctoritates , quas adfert ſententiæ ſuæ comprobandæ non referam : quoniam qui eaſdem videre voluerit , in citato Tomo , & poſitis ad marginem numeris reperiet.*

At non poſſum non referre ; quia non alienũ eſt ab argumento præſentis Capituli , minùs æſtimari multos , qui moti zelo , bono quidẽ , ſed indiſcretis , ita ſe habent in concionatorio ſuggeſtu , ac ſi in ſcholã de eodem argumento diſceptarent : erãtque dicere ſolitus ſanctè ſubiraſcens ; Cupere ſe admodũ audire feſtum hunc è ſuperiori loco , perinde atque alios dies , Virgini ſacratos celebrari , atque in iſto quemadmodum in illis ſine controuerſiã myſterium tractari. *Quid ſit* , inquit , vt facultate Sedis Apoſtolicæ muniti ad dicendum in fauorem illius ; imò conſeſſis indulgentiis iis , qui purã & immaculatam Conceptionem laudauerint ; nihilominus nobis prodire in arenam opus ſit : num poſſemus modo concionari , vt poſſumus pacificè de hoc myſterio , ſepoſitã tantiſper argumentorum tractatione ,

tione, donec de ipsius definitione agatur: Graui-
ter ferebat quoque, in re tam graui, cum mo-
dica admodum ueneratione de Sanctis, qui par-
tem negatiuam tenuere, fieri sermonem; & tunc
patientiæ limites prætergressus, impudentiæ eos
damnabat, atque vituperio & censura seueriore
dignos existimabat. Malè quoque sentiebat de
iis, qui titulo deuotionis eò prorumpabant, ut dif-
ficulter ad eam animi demissionem descenderent,
quæ necessaria est Decretis Apostolicis expectan-
dis, nisi postmodum opinioni suæ ac desiderio
consentirent.

§. V.

*Epistola Patrum Dominicanorum ad Paulum
V. pro Immaculata Conceptione.*

BEatissime Pater, Iussu sacræ Catholicæ Maie-
statis, Regis Domini Nostri, quem Deus in-
columem seruet, eiusdem Confessarius, nos in-
frascripti Pater Prouincialis, & Magistri huius
Prouinciæ Hispaniæ, Ordinis Prædicatorum
conuenimus, & ad hunc cœtum contulit se Car-
dinalis Dux Lemæ, qui nobis tradidit Epistolam
Regis Domini Nostri; in quâ Sua Maiestas ex-
ponit magnam æstimationem & amorem, quo
sacram nostram Religionem prosequitur, & vehe-
mens desiderium, quo seruet, ut in Regnis suis
videat uniformitatem, siue in sensu, siue in ser-
mone, circa Conceptionem purissimæ Virginis
Dominae Nostræ; & ad id consequendum, prin-
cipalia duo puncta proposuit. Primum, ut hæc
Prouincia Hispaniæ supplex à Vestra Sanctitate
exposcat, ut dignetur ipsi iniungere recitationem
Officij, & celebrationem Festi purissimæ Con-
ceptionis Matris Dei in eâ formâ, quâ de eâ re-
citant, & eam celebrant cæteri Ecclesiæ filij. Al-
terum, ut Vestra Sanctitas imperet Religiosis
prædictæ Prouinciæ, ut è suggestu prædicent opi-
nionem, quæ tenet Virginem fuisse sine peccato
Originali conceptam. Quibus punctis perpensis,
& perspectâ eorum iustificatione, quia admodum
conformia sunt Decreto à Vestra Sanctitate no-
uissimè expedito, visum fuit nobis infrascriptis,
ex eorum numero, qui prædicto cœtui interfue-
runt, supplicare Vestræ Sanctitati, ut paci &
quieti Regnorum istorum procurandæ, multif-
que & grauibus inconuenientibus vitandis, quæ
possunt resurgere, non tantum in Ecclesiâ Dei;
verum etiam in sacrâ nostrâ Religione, dignetur
prouidere & iubere, quæ in dictis duobus punctis
continentur; quia parati sumus humiliter & prom-
ptè obedire & admittere, quidquid à Sanctâ Se-
de circa hoc ipsum ad nos peruenerit, & quan-
tum ad istam materiam, quemadmodum, & quan-
tum ad alias, siue antè dicta, siue quamlibet aliam
rem, quæ Vestræ Sanctitati conuenientior vide-
bitur. Cælestis Maiestas prosperos ac felices an-
nos vitæ Sanctitatis Vestræ superaddat, uti Ec-
clesia sancta iis indiget; nosque humillimi ipsius
filij perpetuò ipsi uouemus. Matrivi xxiv. Junii,
M. DC. xviii.

BEATISSIME PATER, osculamur pedes
Vestree Sanctitatis, humiles ipsius & obedientes
filij,

Frater Ludouicus de Aliaga, Sua Maiestati à
Confessionibus-

M. Fr. Ioannes Gonzales, Professor Primarius
Academia Complutensis.

M. Fr. Laurentius Gutierrez, Professor Vesperti-
nus Complutensis, & Consultor Supremi Consi-
lij Generalis Inquisitionis.


Frater Antonius de Sotomaior, Prouincialis.

M. Fr. Thomas Gonzalez, Professor Primarius, &
Consultor Inquisitionis.

M. Fr. Ioannes de la Fuente, Historiographus Suae
Maiestatis, & Consultor Supremi Consilij Ge-
neralis Inquisitionis.

M. Fr. Alphonsus Barrantes, Prior Regij Con-
uentus Sancti Petri Martyris Toleti, & Con-
sultor Sancti Officij Inquisitionis Vallisoletanae,
& Toletanae.

Presentatus Fr. Petrus Venerus, Rector Collegij
Sancti Thome Complutensis, & Consultor Su-
premi Consilij Generalis Inquisitionis.



CAPVT XXV.

*Licet contradictiones supra me-
morata essent vera, uberrimum
præstiterunt earundem supple-
mentum Romanorum Ponti-
ficum auctoritates.*



EMVS iam nonnullas ex supradi-
ctis contradictionibus veras fuisse
aduertus sententiam negantium,
certum est non sine admirando
Diuinæ Prouidentie exemplo, fuisse
aliunde abundantissimo supplemento in con-
trarium iussus; quia post Sanctorum Bernardi
ac Thomæ sæculum vsque adhuc creuit erga præ-
sens mysterium Christiana deuotio, tamque firmas
adedo radices egit, ut non possit nisi singula-
ri Dei voluntati adscribi, qui sic maternos hono-
res augere voluerit: atqui ita si sanctus Bernardus
festiue solemnitati aduersatus est, voluntas Dei
fuit, hanc ipsam multò maiori deinceps, & ge-
neraliori plausu peragi, etiam magna, multaque
priuilegia Summis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus
huic minime denegantibus. Enimuerò Indulgentiis
eam locupletarunt, & quam celeberrimo fieri
posset cultu à fidelibus transigi optarunt: imò &
in suspensione interdicti, nec non à cessatione à
diuinis per Hispaniam, non tantum ipso Festo
die, sed per Octauam eam æquarunt Festiuitati
Corporis Christi, concedendo præterea singula-
rium Officiorum recitationem, & eorundem
Octauas multis in locis, & Religiosos Ordines
in illius honorem instituendo: quæ quidem nulli
alij Beatissimæ Virginis Festiuitati concessa reperiuntur,
vbi neque suspensio interdicti per eius
Octauam, quia licet Assumptionis Mariana die
ab interdicto sit immunis, tamen de illius Octauâ
aliud dicendum est.

Insuper ante beati Bernardi æuum, Pontificem
aliquem Romanum fuisse non liquet, qui specia-
lis alicuius erga mysterium præsens deuotionis
auctor fuerit, quique illi directè, & datâ operâ
fauerit. Hoc dico, propter sanctum Gregorium,
& sanctum Leonem, vtrumque Magnum, Hono-
rium

rium Primum, Adrianum etiam Primum, & sanctum Gregorium Septimum; qui obuiio de illâ sermone potius supponunt certam immunitatem Virginis à labe Originariâ, quàm suis fauoribus intendunt certam suadere, cum illis temporibus opus non esset, quandoquidem nullam contradictionem habuisset. In horum etiam numero adscribendus est Alexander Secundus, qui in Concilio Mantuano anno 1064. approbavit libros Ecclesiasticos, & Missale Hispanorum Mixto-Arabicum, in quo Missâ purissimæ Conceptionis extabat. Item & ante illum Ioannes Decimus; qui eisdem libros approbavit; vt constat ex Historiâ Compostellanâ: quod alibi plenius explico. Tum Pelagius Secundus, Vigilius, Agatho, Leo Secundus, Cælestinus Primus, Sixtus Tertius, qui approbarunt, inter alia multa, in fauorem omnimodæ puritatis virginæ, pronuntiat, vt supra notauimus. At illicò, circa eiuſdem Bernardi obitum cœperunt Summi Pontifices modis compluribus, & specialius huic mysterio fauere; vnde facile est vni aut alteri contradictioni, dico etiam pluribus, supremorum Ecclesiæ Pastorum auctoritatem opponere; etiam tunc temporis dignitatem Apostolicam in Actibus istis exercentium: quia reuerâ Beatissimæ Virginis Conceptioni, cum eiuſmodi circumstantiis plurimum fauere sese contestati sunt; vti mox dicemus.

Eiuſdem Bernardi æuo Calixtus Papa Secundus sacrum Ordinem Præmonstratensem confirmavit in gratiam & honorem purissimæ Conceptionis Beatissimæ Virginis; quemadmodum durat hodie hac de re in eo Ordine vniuersalis Traditio, præter Auctorum fidem amplissimam, qui & hoc ipsum memoriæ prodiderunt: adeoque Ludouicus XI. Rex Francorum, meminit in quodam Priuilegio; cuius verba nonnulla sequenti Capite scripturi sumus.

Tum etiam Bernardo superstite, Nicolaus Angelus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, librum edidit in gratiam purissimæ Conceptionis: vix annus ab obitu beati Bernardi effluerat, cum velut conciliandæ maiori scriptis ipsius auctoritati, ad supremum Ecclesiæ apicem euectus est, & Adriani Quarti nomine deinceps celebris, vti Possëuinus meminit, & nos pariter postea memorabimus.

Alexander Tertius in Epistola ad Soldanum Iconij, mirè fuit purissimæ Conceptioni, eam omnino supponens in Instructione Fidei, quam misit ad illum Principem, & eius verba Capite sequenti exhibebimus.

Innocentius Tertius, quamuis non vt Pontifex, at vt Doctor, in suis scriptis fuit puritati Conceptionis Virginæ; vt ex Sermone secundo de Assumptione infra proferemus, nihilque contra eam dixisse, opportuno loco declarauimus supra.

Similiter Nicolaus Tertius, Martinus Secundus, dictus Quartus, Honorius Quintus, Nicolaus Quartus, Cælestinus Quintus, alio nomine Sanctus Petrus Moron, & Bonifacius Octauus; vt omittam Innocentium Quintum, & Adrianum Quintum; qui breuissimo tempore Pontificatu sunt functi, satis fauere Conceptioni Immaculatæ Virginis, & eiuſdem Festiuitati condescendentes eam in Calendariis Ecclesiasticis assignarunt, vt constat ex Historiâ beati Petri Conuersi, qui eorundem temporibus floruit; quam refert Benedictus Gononus in suo Chronico ad annum 1291.

vbi dicitur in Calendariis Festum Conceptionis Virginis conscriptum.

Nobile pari modo fuit Bonifacij Noni Papæ erga Conceptionem Virginis studium, & cum Ecclesiam regeret, Romæ templum, quod hisce temporibus beato Martino sacra ades est, in Campo Floræ ad Theatrum Pompeij, huic mysterio consecratum fuit; testibus Octauio, & Belinghenio post eum, illo in Tractatu de Ecclesiis Urbis, & hoc in Calendario Mariano, fol. 673. Apud quos Auctores fertur, cum Ara summa Ecclesiæ huius antiquæ forte instauraretur, inuentam hanc inscriptionem fuisse intra ipsum Altare, pergameno exaratam hisce verbi: ANNO M.CCCC.III. IND.II. DIE MARTIS VIII. DEC. TEMP. BONIF. IX. *Consecratum anno suo VI. Hoc Altare cum Ecclesia in honor. Concept. beatiss. Mariæ Virg.* Illud Virginis Elogium: VIRGO REGIA *venustissima à Domino conseruata Domino conseruata flos sanctitatis: vas celestis gratia mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* Quod protulit Bonifacius Nonus in Constitutione, quæ incipit, *Superni benignitas*, vsurpant aliqui viri doctissimi ad comprobendam veritatem Virginis MARIÆ conseruata à Deo semper venustissimæ decore gratiæ: inter quos est doctissimus Angelus Manrique, Episcopus Pacensis, in Memoriali ad Pontificem.

De Innocentio Papâ Septimo id constat, huius mysterij causam propugnasse, quando Ioannes de Montefono, Theologus Parisiensis, eiuſdem Academiæ Decreto aduersatus, palam contra præsens mysterium è suggestu diceret, & concionaretur; cum enim gremium Academiæ aduersus Montefonum insisteret, eundem Romam euocauit, & postquam illic acriter obiurgauit, iussit Palinodiam canere: vti tradunt Robertus Gaguinus Histor. Franc. in Carol. VI. Luceus lib. 1. de Conceptione, Lezana in Apolog. cap. 13.

Alexander V. Pontifex Maximus anno 1409. priusquam ad eam dignitatem eueheretur, summo studio præsentis mysterij causam propugnauit, & postmodum (quemadmodum ait Busto in Rosario Mariano Serm. 14. & in Tract. de Concept. Serm. 9.) in Concilio quodam Pisæ coacto, decreuit, iussitque Festum illius celebrare; huius Auctoris verba sunt. *Petrus (inquit) de Candia, ex Ordine Minorum ad Pontificatum Summum euectus, & Alexander Quintus denominatus, Immaculatam Virginis Conceptionem approbavit in 3. Sent. dist. 3. & existens in Pontificatu, hanc opinionem dicitur determinasse in ciuitate Pisarum, anno 1411. atque statuisse, vt ab omnibus teneri deberet. Vnde Magister Ioannes Varzo in 3. Sent. dist. 3. inquit: S. D. PP. Alexander Quintus approbavit opinionem Minorum, quoad Immaculatam opinionem attinet.* Hactenus Busto. Verum non absurde existimat Ferdinandus Chirino de Salazar, Regius in Supremâ Inquisitione Consiliarius, definitionem non fuisse; sed mysterij, & Officij approbationem: quantum ad hæc attinet, plura suppeditabunt Episcopus Serranus de in Conceptione lib. 2. c. 8. & Hippolytus Marrac. Pontificibus Marianis cap. 69.

Ioannes Vigésimus secundus propensus quoque erga præsens mysterium fuit, vtpote qui festum illius diem præsentiam suam, & Cardinalium condecorare solitus erat, ita scribente Iacobo de Valentia,

Valentia, Episcopo Christopolitano, in Expositione Cantici Magnificat, & præter ipsum aliis multis Auctoribus.

Martinus Quintus sub annum 1419. testis fuit memorandi miraculi, quod Romæ contigit aduersus quemdam Rectorem Tolosanæ Academiæ in Franciâ; qui fortè, cum eo processisset audaciæ, vt publicaret & prædicaret sententiam Conceptioni contrariam, populi furorem repente expertus est tam vehementem, vt aufugere è Tolosanâ ciuitate & se subducere turpiter ipsi necessarium fuerit, indèque Romam Summum Pontificem accedere, vbi cum Sanctitati ipsius querelam suam exposuisset, & quæ successerunt narraffet, diem ab eo petiit, in quâ disputare, & sententiam suam tueri liceret: impetrauit itaque; at iam elapso designato ad disputationem termino, magnâ populi multitudine congregatâ, cum ipse in propugnationis thesım minimè prodiret, ad hospitium illius missus fuit, qui euocaret; verum extinctum illum inuenire iam cadauerosum; & quemadmodum ait Marracius, *interiora ventris non habentem*. lib. supra citato c. 70. fol. 142. Qui funestus pro eo contentionis exitus populum miraculo exhilaratum, euidem erga præsens mysterium propensionem auxit. Idem contestantur Bernardinus de Busto in Mariali, 1. part. in Lect. Officij Conception. Benedictus Gononius in Chronic. ad annum 1419. & alij

Quapropter non mirum, si iste Pontifex in conuocatione Concilij Basileensis iusserit Legatum Apostolicum, quem constat fuisse Iulianum Cæsarinum, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, in instructione secretâ, vt curaret Immaculatam Virginis Conceptionem definiri. Id ipsum confirmauit Eugenius Quartus, post mortem Martini, qui Concilium Basileense sub eodem Legato Iuliano Cæsarino Cardinali promouit. Constat autem Legatos Apostolicos in Concilio Basileensi per definitionem secretam habuisse commendatam instructionem huius mysterij ex testimonio Gabrielis in 3. distinct. 3. quare Eugenius Quartus accensendus est inter eos Pontifices, qui Immaculatæ Conceptioni maximè adhæserunt. Et quamuis alleget Caietanus Concilium Florentinum sub eodem Eugenio statuisse aliud contra Immaculatam Conceptionem, in oñium Concilij Basileensis, ea verba Concilij Florentini, quæ citat Caietanus, nequaquam in Florentinâ Synodo reperiuntur, neque in Decreto, neque in definitione. Præterea, quamquam reperirentur in Concilio, minimè aliquid statuunt contra Immaculatam Conceptionem, vt benè aduertit doctissimus & Illustrissimus Episcopus Oriolensis, D. Ludouicus Crespi, in suo Propugnaculo aduersus Arpalegum. Addo, in eius potiùs fauorem esse Decretum Eugenij, de Concordiâ Iacobitarum; quod extat in Bullario: vbi inuenientur legitime recitata verba, quæ ex Florentino citant Aduersarij alterata; de quo supra egimus.

De Nicolao Quinto, Pater Ojeda memorat, illum Breue Apostolicum de hoc ipso Festo scripsisse, cuius exemplar asserit extare inter statuta Ordinis Carmelitani, à Patre Augustino Suarez, eiusdem Religionis Scriptore, & Hispali anno 1573. typis vulgata.

Calixtus Papa Tertius, Legatos binos Auenionem destinauit, qui eius nomine Concilio illic celebrato sub annum 1457. interfuere: illie por-

rò Decretum singulare conceptum fuit in gratiam Conceptionis, confirmando, quæ circa idem mysterium à Concilio Basileensi constituta fuerant.

Sixtus Quartus, ann. 1476. vt varias opiniones quæ de hoc ipso argumento emerferant, sedaret, Extrauagantem edidit, quæ incipit: *Cum præexcellsa*; in gratiam piæ sententiæ. Cúmque ea minimè iufficeret, addidit & alias duas, quarum initium est, *Graue nimis*. Quin etiam roborauit auctoritatè suâ Officium integrum & Octauam illius de Festo Conceptionis Beatissimæ Virginis, Breui ad hoc Apostolico Romæ impresso, vnâ cum officio, typis Vdalrici Galli, natione Germani, Decembris die x. anno 1477. quod Officij genus idem planè est cum eo, quod in Breuiario Compostellano, Placentino, Abulensi, Cordubensi, Segouienti, Carmelitano obuium est. Idem Pontifex approbavit Breuiarium sanctæ Ecclesiæ, & Episcopatus Placentini, quemadmodum & Officium Conceptionis Beatissimæ Virginis, secundum vsus sanctæ Ecclesiæ Compostellanæ, damnauitque illos, qui Festiuitatem hanc impugnabant; quique existimabant Ecclesiam celebrare Festum Conceptionis spiritualis, seu sanctificationis, concessis insuper hoc Festum peragentibus iisdem Indulgentiis, quæ in sanctissimi Sacramenti Festo dudum concessæ fuere Fidelibus. Subnectere libet ex Ioanne Baptista Grimaldo in Man. Mar. 2. Maij, & Hippolyto Marracio in Pontific. cap. 76. Orationem in laudem Beatissimæ Virginis, ab eodem Sixto compositam, vt in Horis antiquis Parisiensibus apparet, quam deuotè recitantibus ipse Pontifex vndecim millium annorum Indulgentiam concessit. Est autem huiusmodi: *Aue Sanctissima MARIA, Mater Dei, Regina Cali, Porta Paradisi, Domina mundi; Tu es singularis Virgo purissima, Tu concepta sine peccato Originali, & ideo Immaculatissima; Tu sine macula concepisti IESVM Saluatorem; Tu fuisti verissime ante partum, in partu & post partum inuiolata & illabata: fac me tuis sanctis precibus pure, piè & sanctè viuere; & ora pro nobis IESVM Filium tuum dilectum, & post mortem me suscipe; ab omnibus malis mentis & corporis libera me, & alios fac me liberare, opera misericordia acquirere, & in gloria Paradisi in aeternum tecum gaudere. Amen.*

Innocentius Papa Octauus confirmauit Ordinem Domnæ Beatricis de Syluâ, in honorem Conceptionis Beatissimæ Virginis, cuius institutionem præcesserant reuelationes & miracula, quæ in euidem seruæ Dei Vitâ referuntur: designauit autem ipse Pontifex vestem Religiosam Monialibus, & Officium proprium illis attribuit, referente Biuar in Vitâ Domnæ Beatricis prædictæ §. 3.

Alexander Papa Sextus tam procliuus erga præsens mysterium & memoratam Religionem fuit, vt extrauagantem Sixti Quarti ad Ecclesiam vniuersalem extendèrit, & nouas Religiones in Sedis Apostolicæ patrocinium admiserit; vti refert Trejo in Oratione ad Paulum Quintum, super isto negotio, octauâ.

Iulius Secundus Pontifex Maximus, anno 1511. Breue Apostolicum dedit in gratiam Ordinis Religiosi purissimæ Conceptionis, in quo voti, vestitus formam, & causam, quin & Officium expressit, sancti Francisci Religioni eundem subordinat, atque Indulgentias tribuit Festum ipsius

ipſius celebraturis, & qui inſigne Conceptionis geſſerint: quæ fuſius videre licet apud Ægidium Luſitanum de Conceptione quaſt. 6. art. 2. num. 3.

Leo Decimus tam addiſtus præſentis myſterij celebrationi fuit, vt non illud ſolum approbaue- rit; ſed multa indulta & priuilegia conceſſerit Or- dini ſancti Franciſci, & Religioni Conceptionis, propter ſtudium ſingulare, quo myſterium hoc venerabantur, eaque poſtmodum communicauit Ordini ſancti Benediſti, Bullâ ſingulari, quæ incipit: *Sanè Religionis ſinceritas*. Statuit autem in illâ, vt in eiufdem Religionis Conuentibus, ipſo die Feſto, & Octauâ durante, minimè teneantur ad obſeruationem interdiſti, ſiue à iure, ſiue ab homine: quod indultam deinde extendit ad vni- uerſas Hiſpaniarum Eccleſias. Reſtaurauit quoque Romæ ſacram Ædem ſanctæ MARIÆ de Monte-Sancto, à Leone Quarto olim ædificatam, & in honorem Conceptionis Sanctiſſimæ conſecra- uit. Breue conceſſit Parochis, & Beneficiatis Mo- linæ in Hiſpaniâ; quo iis permittit, vt nocte, quæ feſtum hunc diem antecedit, poſt Laudes liceat illis celebrare Miſſam cum Diacono & Subdia- cono, Officio conformem, & pari ſolemnitate cum eâ, quæ celebratur ipſâ nocte Natiuitatis Domini noſtri IESU CHRISTI. Sic Antonius Treio Orat. 8. & Marracius de Pontificibus Mar- ianſis cap. 80. in Leonem X. De hoc locupletius agimus in Tractatu de Perpetuo obieſto Feſti Conceptionis. Hic tamen prætere nolo, quod Patres Prædicatores, qui in vrbē Senenſi, & toto eius dominio degebant, iam diu ante Catharinum celebrabant Feſtum ſub nomine Conceptionis. Cum enim ea vrbē anno 1520. vouiſſet Feſtum Conceptionis ab omnibus in ſuâ ditione degen- tibus celebrandum, remuebant Dominicani; or- tumque eſt diſſidium inter eos & Senenſes. Res delata eſt ad Summum Pontificem, nempe Leonem Decimum, qui, expedito Diplomate, iuſſit vt Dominicani Senenſibus conformarentur, celebra- rentque Feſtum Conceptionis, vt illi vouerant. Quod ipſi fecerunt, Pontifici obſequentes. Ita refert oculatus teſtis Ambroſius Catharinus, in Præfatione ad Capitulum generale ſui Ordinis, & in libro de hac controuerſiâ.

Clemens Septimus auctoritate Apoſtolicâ mu- niuit Officium Conceptionis, ab Eminentiffimo Cardinale Domino Franciſco de Quiñones diſ- poſitum, & recitari ſolitum ad vſque tempora Pij Quinti; qui reformationem eiufmodi Officiorum ſuſcepit. Confirmauitque idem Clemens omnia indulta, & gratias huic Feſtiuitati ab Antecelſo- ribus conceſſas. Marracius in Clementem Septi- mum, cap. 83.

Adrianus Sextus eminuit quoque plurimum in colendo præſente myſterio; approbauit quippe Sodalitium Conceptionis, à Cardinale Franciſco Ximeno fundatum, & vnâ illius conſtitutiones; quibus quidem in conſtitutionibus reperitur sæ- piſſimè Virginem MARIAM præſeruatam fuiſſe, & conceptam ſine peccato Originali: faculta- tem quoque tribuit Sodalitium hoc inſtituendi in omnibus Regnis Caroli Quinti, qui piſſimis ver- bis ad Episcopos & Eccleſias reſcripſit, vt eiuf- modi Confraternitatem publicarent, Sodalſ nomen non dedignatus.

Paulus Tertius confirmauit omnia priuilegia & gratias Ordini Beatæ Conceptionis conceſſas, addiditque Indulgentias in eorum gratiam, qui Feſtum ipſius deuotè celebrarent: quemadmo-

dum ſcribit Treio Orat. 2. de Conceptione.

Iulius Tertius nonnullis priuilegiis auctori- tatem ſuam denuò impertiuit, quæ ad puriſſimam Virginis Conceptionem ſpectabant; confirmauit ſimiliter in Breuiario Patrum Dominicanorum Officium Conceptionis, non autem ſanctifica- tionis: vt monent Marcus Antonius Palauſ, in Deſenſione Dominicanâ cap. 9. & illuſtris deſen- ſor Immaculatæ Conceptionis. D. Antonius Cal- deron, in Opere Pro Titulo Immaculatæ, cap. 14. num. 3. ſequenti.

Paulus Papa Quartus vt ſcribunt Treio Orat. 8. de Conceptione, & Marracius de Pontificibus Marianſis, in eiufdem elogio cap. 86. procliuſ aded erga myſterium hoc & celebrationem Feſti illius fuit, vt varias elargitus ſit per ſpecialia Di- plomata Indulgentias, & gratias Sanctimoniali- bus Conceptionis: declarauitque cum Patribus ſancti Concilij Tridentini, ſuæ non eſſe intentio- nis, MARIAM Virginem ſub communi regulâ de peccati Originalis contractione comprehen- dere.

De Pio Quinto memorat Pater Lucas Wadin- gus in Legatione ſuâ pro Conceptione Orat. 8. confirmatſe Decretum Concilij Tridentini circa Virginis Conceptionem, & nouas Indulgentias conceſſiſſe iis, qui benè erga illam affecti eſſent, & Iubilea in eiufdem Feſtiuitatibus; Indulto, quantum ad interdiſtum attinet, ad Ordinem ſan- cti Hieronymi extenſo.

Cumque idem Pontifex anno 1568. Miſſale, Breuiarium, & ceteros ad vſum Romanæ Eccleſiæ Catholiçæ libros reformaret, reduceretque om- nes ad vnum Romanæ proprium, ſublatis com- pluribus Feſtis; nihilominus aded deuotum ſe erga hoc myſterium exhibuit, vt nedum illud minimè reformauerit; ſed è contrario, per *Vniuerſam Ec- cleſiam celebrari præcepit, Miſſaliſque Breuiario, & Calendario Romanis à ſe publicatis, & obſerua- ri præceptis inſeruerit, ſolemnitatemque iſtam ſa- cram, & Conceptionem Beatæ MARIÆ Virginis digniſſimam in Eccleſiaſtico Officio acclamari vo- luerit*. Ordini porò beati Franciſci priſtinum Officium reliquit eo modo, quo illud hodieque obſeruant & celebrant.

Gregorius Decimus tertius Breuia particularia Feſtiuitatem Feſtorum Conceptionis ſpectantia conceſſit, & ſpecialim Fidelibus permittit ædifi- cationem Templorum, Monafteriorum, Alta- rium, Eremitiorum, & Sodalitiorum, ſeu Con- fraternitatum, in præſentis myſterij laudem, per Orientales & Occidentales Indias, benefactori- buſtali caſu collatis Indulgentiis. Marracius in Greg. cap. 89.

Sixtus Papa Quintus, anno 1586. conſtitutione ſingulari, quæ incipit: *Expoſitum nobis*, Iubileo perpetuo donauit Fideles omnes, qui ſacras Ædes Conuentuum Conceptionis viſitarent in Feſto myſterij illius, & magnas gratias contulit Sodali- tiis, quæ virtute Breuis Apoſtoliçæ Gregoriani, ſu- præ immediatè memorati, in Indiis erecta eſſent. Wadingus in Legatione Concept. Orat. 8. Marra- cius in Sixtum Quintum cap. 90.

Similiter Clemens Octauus promouit deu- otionem erga Conceptionem Deiparæ, ratum habens, quod circa eius cultum diſpoſuit Pius Quintus, illudque prouexit, dum ſolemnius reddi- dit in recognito à ſe Breuiario Romano, con- ſtituens Feſtum Conceptionis Duplex maius, vt notat Gauantus Tom. 2. Theſauri ſect. 7. cap. 2.

Præterea,

Præterea, in Catechismo Romano Clementis Octavi, quem eiusdem iussu composuit, & edidit Cardinalis Bellarminus, expressè inter alia mysteria, quæ declarantur, extat in cap. 5. assertio Immaculatæ Conceptionis, quod sanè magnæ considerationis est; cum ille Catechismus fuerit examinatus, reuisus & laudatus à Congregatione Reformationis, & auctoritate Summi Pontificis sparsus, vt per illum docerentur populi doctrinam Christianam; vt sublatâ modorum docendi varietate, vniforme instruendi Fideles de rebus Fidei exercitium redderetur. Itaque Clemens VIII. voluit institui fideles in hac piâ sententiâ de gratiâ Originali Virginis.

De Paulo Quinto id constat anno 1616. concessisse Indulgentias subditis Ordinibus Minorum, qui singulis diebus Sabbatinis aliquo alio Festo non impeditis legerent Officia, & celebrarent Sacrificium Missæ de Conceptione; quantum verò ad reliquos Fideles eas elargitus est, si Antiphonam, *Hæc est virga, in quâ nec nodus Originalis, nec cortex actualis culpæ fuit*; Orationem verò communem, *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem*, recitent. Confirmavit item, grauioribus pœnis adiectis, Extrauagantes Sixti Papæ Quarti; ac denique prohibuit, ne quis è suggestu contrariam Conceptioni opinionem prædicaret, doceret, vel publicè tueretur. Wadingus d. Orat. 8. Lezan. cap. 3. Marracius cap. 93. Collaudauit deuotionem Philippi Tertij, Hispaniarum Regis, erga Immaculatam Conceptionem. De quo agemus in Tractatu de Perpetuo obiecto Festi.

Gregorius Decimusquintus anno 1622. Breue Apostolicum, & quidem vniuersale edidit in gratiam purissimæ Conceptionis, Festique illius, Officij, & solemnitatis; in quo nedum confirmat priora Pauli Quinti Prædecessoris; *Sed addit, & ampliat etiam ad priuata colloquia & scripta*. Facultatem quoque impertitur, vt per vniuersam Ecclesiam legatur Officium, & Missa celebretur de Conceptione, & adiicit; *Vt non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant*. Iniungit similiter & Inquisitoribus, vt aduersus transgressores procedant, Marracius in Gregorium cap. 99. fol. 228.

Amplius dicam: Sub exitum sui Pontificatus, anno videlicet 1623. Religionem Militarem instituit, Titulo Conceptionis illustrem, quam spiritualibus thesauris Indulgentiarum, gratiarumque locupletauit; quemadmodum testatur Seranus de Conceptione libr. 2. cap. 8. & Salmaticæ eodem Titulo condecoratum Collegium habetur.

De Urbano Octaui, hæc inuenio in Manuscriptis doctissimi Petri Hurtado: *Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. noluit in MARIAM non esse Urbanus, vno facto plus conferens in honorem MARIÆ, quàm alij pluribus verbis. Accepi à viris fide dignissimis, & maximè pijs, anno superiori 1626. aut inchoante hoc 1627. (non enim satis memini temporis circumstantiarum) dicatum MARIÆ templum Patrum Capucinorum. Affixa sunt scheda per vniuersam Urbem, quibus monebantur Romani Sanctissimum Pontificem tali die dicaturum Templum Patrum Capucinorum, in honorem Immaculatæ Conceptionis MARIÆ absque peccato Originali. Turbauit edictum Auctores partis aduersæ, quòd videretur desiniri sententia piâ. Confugerunt ad eos, per quos remedium adhi-*

beri posse credebant. Capucini verò ad suam Sanctitatem, rimentes aliquid extorqueri à viris potentissimis Urbis: Sua Sanctitas, auditis virisque schedas reliquit intactas, quin de eis aliquid deleteretur: fuit ergo ea sententia in foro contentioso de Immunitate MARIÆ à peccato Originali. Quid inde coniciendum discamus ex diligentia, qua ij impugnavere schedas, ij verò propugnauerunt: nullam ergo litem in hac causa non timeamus: sed demus operam diligentissimè, vt hæc totius firmè Ecclesia sententia definiatur: quamuis, vt verum fatear, iam est tam fixa, vt parum ei desit ad statum, quem obtinet sententia de Assumptione: eas enim comparat Manuale Prædicatorum. Singuli ergo cum MARIAM videamus, se sterisse ante tot Tribunalia, dicturam per suos Procuratores causam de sua Conceptione, & iam in nullo damnatam, rogemus: Nemo Te damnauit Mulier? Respondit: Nemo. Nec ego Te damnabo: dicamus. Hactenus præsignis illè Theologus.

Præterea, Urbanus institutum à Gregorio Militarem Conceptionis Ordinem confirmavit anno 1624. eique haud paucas Indulgentias & gratias communicauit, vti constat ex Fragmento Breuis ipsius apud Marracium in Urbanum, cap. 95.

Imò, anno 1625. Habitum eiusdem Ordinis ad Inelytam Reginam nostram Isabellam Borbonianam vna cum Breui Apostolico misit.

Charissima in Christo Filia nostra Isabellæ, Hispaniarum Regina Catholicæ.

Charissima in Christo Filia nostra, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quia pietati Imperatricis Angelorum Maiestas Tua Regales Imperij fasces submittat: iam diu Fame Tibi plaudentis vox testatur: nuper autem nobilis viri Ducis de Alcada declarauit Oratio. Cum autem cupias tuam erga Immaculatam Deiparam illustri aliquo documento Religionem significari, mittimus Maiestati Tue, munitum Apostolica Benedictione, Habitum militia Christianæ que ab eiusdem Virginis Conceptione petiit sacrum Equestris Familia nomen, & auspiciu: sic quod insigne, Catholica Regina, condis in corde, idem in regali pectore gestabis. Videmus, quàm felix sumere possit in Austriacis Regnis incrementum nona hæc militia: cuius vota & instituta saluberrimos fructus quarunt Christianitatis. Dat. Roma apud sanctam MARIAM Maiorem, die 20. Septembris, anno M. DC. XXV. Pontificatus nostri anno secundo.

Pater Habitum Maiestati suæ transmissum, adiecit & Indulgentias vniuersas, quæ sancti Caroli Borromæi, quæque item Sanctorum Ignatij, Xauerij, Nerij, Isidori & Theresiæ nomine insignes sunt; & quas vocant Comitibus Montis Regij, D. Manuelis de Fonseca & Zufuga; & post diuturnos annos in ipso mortis articulo plenissimam Indulgentiam, & omnium peccatorum veniam.

Quod utique nemini mirum videatur, quandoquidem hic ipse Pontifex in Hymno de Beatâ Virgine: Italici quidem idiomatis; sed in ipso Pontificatu illius impresso, sic ait Strophe 2.

*Fosti ab aeterno electa,
E senza machia Original concesta.*

Innocen

Petrus Hurtado de Mendoza.

Innocentius denique Decimus, Sanctissimus Pater, qui hodie clauum nauis beati Petri moderatur, statim atque eò culminis peruenit, adeoque primo Pontificatus anno, singulare suum erga purissimam Virginis Conceptionem studium testatus est, expedita precibus Magni nostri Regis Philippi Quarti Bulla, quæ in restrictione Festorum, quæ deinceps seruari debent, ex Canonici Iuris præscripto non comprehendit Festum purissimæ Conceptionis indulsit. Sed intra vastos Regnorum Hispaniæ limites seruari deinceps ex præcepto posse. Incipit autem hæc Bulla his verbis, pietate utique plenissimis: *In his, quibus Beatissima Virginis Mariæ cultus & veneratio promouetur in terris, auctoritatis nostræ partes propensius studiis interponimus, & piorum Regum id exponendum acta libenter exaudimus* tum addit: *Nos dicti Philippi Regis erga eandem Beatissimam Virginem deuotionis affectum summopere in Domino commendare, ac eius desiderio huiusmodi fauorabiliter annuere volentes, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum Consilio quoad Festum Conceptionis prædictæ Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantum, obstaculum dictæ Constitutionis nostri Prædecessoris Apostolicæ auctoritate, tenore presentium remouemus.*


Fauit etiam Innocentius Immaculatæ Conceptioni, dum fauit declarationi doctrinæ Christianæ, editæ prius à Cardinali Bellarmino, iussu Clementis Octauus, in quâ cap. 5. hæc dicuntur de Beatissima Virgine: *Nullius peccati macula, nec Originalis, aut actualis, nec mortalis, aut venialis infecta fuit.* Probatum fuit ab Innocentio, quod circa instructionem fidelium per hunc Bellarmini Catechismum (in quo asseritur Immaculata Virginis Conceptio) præceperat Clemens Octauus. Idcirco Innocentius specialiter fauit Archiconfraternitati doctrinæ Christianæ, quæ illam curam habebat, vt constat ex Pontificio Diplomate, quod incipit: *Cum sicut exponi, expedito ab Innocentio die quarto Maij anno 1651.*

Tandem non desinam memorare multos Pontifices condemnasse inter alias illam propositionem Michaëlis Baij, quæ est 73. *Nemo præter Christum est absque peccato Originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vitâ sicut & aliorum infistorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel Originalis.* Censura Pij V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. (quoniam ad minus auctoritas horum trium Pontificum conuenit in definiendâ illâ Bullâ aduersus Michaëlem Baium) post relatas illius propositiones, hæc est: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent: in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectiue, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, presentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus.* Quanam censuræ qualitas competat illi propositioni, non explicatur, saltem tamen à minori non videtur excusari: ceterum & Sanctissimus Dominus Innocentius Decimus, quamuis non edidit prædictam Bullam, eam confirmauit, obseruari præscribens.

Quæ cum ita sint, ferine modò poterit, vt vel minima dubitationis umbra in hac piâ sententiâ stabiliendâ superfit, quæ tantis Bullis, Priuilegiis

& Gratiis, tantorum, atque adeò tam multorum Summorum Pontificum, quibus adest Spiritus sanctus, ne in argumentis adeò grauibus hallucinari possint, fulcitur? Moris est vel vnus Bullæ Pontificæ auctoritate controuersias sedari nemine reclamante; & ecce nequidquam operantur tantæ Bullæ, tamque multorum Pontificum approbationes, vt mirari nemo non possit, Aduersarios non quiescere, sed obloqui. Neque par est credere Fidelibus Gratiis à Summo Pontifice vno sensu petentibus, ipsis concedi in alio plurimum diuerso solitas; quia reuera consultò deciperentur, vel in errore suo relinquerentur: quæ res planè bono Pastore Vicario Christi, qui ouibus salutarem cibum præstare debet, esset indignum.

At ex tot tantisque Sedis Apostolicæ fauoribus quinam effectus circa sententiam negatiuam? Planè inde colligi habendam sententiam piam, non solum vt veriorem probabilioremque; sed etiam absolute veram & certam; ita vt falsa omnino esse non possit. Ita Franciscus Suarez Tom. 2. in 3. p. disp. 3. Egidius Lusitanus lib. 3. quæst. 6. art. 1. §. 4. Ferdinandus Salazar cap. 43. §. penult. & plures alij. Sed demus solum probabiliorem declarasse cum ipsis factis id demonstrarunt, ac si expressis verbis declarauissent. Hinc etiam sequitur, certam habendam esse; nam rectè dixit Ludouicus Turrianus in Selectis part. 1. disp. 20. dub. 3. pag. 149. *Nihilominus existimo, non posse Pontificem errare circa veritatem propositionis, quam declarat esse probabiliorem: loquimur enim semper de materia, quæ possit ad mores vel fidem pertinere, licet res non sit de fide: nam si in hoc posset Pontifex errare, magnum detrimentum posset sequi in Ecclesia; omnes enim amplecterentur & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & eius probabilitas indies cresceret, ac proinde tota Ecclesia falleretur; quod nulla ratione admittendum est.*



CAPVT XXVI.

Quâ ratione continuata fuerit hæc Traditio, creueritque à temporibus S. Bernardi.



VPRA vidimus, vt i negatiue continuata fuerit hæc traditio à sæculo diui Bernardi ad vsque nostra tempora; quoniam nulla in contrarium fuit vera oppositio; superest itaque, vt videamus, quomodo positiue fuit continuata, vsuri ad hæc illustribus veritatis testimoniis. Licet quippe asserere eiusmodi auctoritates in præcipuis Ecclesiæ Prouinciis, etiam beati Bernardi æuo nobis suffragari. In Germaniâ, Rupertus Abbas, Bernardo æqualis, hanc sententiam auctoritate suâ fulciuit; cum explicat hæc verba: *Duo vbera tua, quæ habentur lib. 6. illius, sup. Cant. ait enim ibidem de Virgine: Tu (inquam) ô dilecta singularis, libera es ab omni iugo peccati.* Et alio loco, cap. nimirum sequenti, dum illustrat locum hunc: *Quam pulchri sunt gressus tui, Filia Principis!* Posteaquam exposuit Heuam, & vniuersas illius filias nudis pedibus processisse ad obsequium dæmonis; de iis, & Beatissimâ Virgine addit in hunc modum: *Idcirco ancilla (sic Heuam nuncupat)*

Rupertus
Abbas.

nuncupat) ca'ccamentum serpens momordit; quia disscalceata erat: ô Filia Principis, benè calceata, caput serpentis contriuisisti. Tu maximè, ô Princeps, & Domina singularis dilecta, & (sicut iam dixi) vna columba mea, vna Genitricis sue, videlicet generationis libera, generationis non carnis, sed fidei; quæ me virum non de carne viri, sed Spiritu Dei concepisti & peperisti Patrem non carnis, sed fidei, vel repromissionis habuisti.

Superfite adhuc sancto Bernardo, floruit in Germania Ekebertus secundus Abbas monasterij sancti Florini, Ordinis diui Patris Benedicti, Treurenensis Diocesis, natione Teutonicus, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, & non minùs conuersatione quàm scientiâ venerabilis; frater beatæ Elizabeth Virginis, Abbatissæ Scho-naugienensis fuit. Hic magnus vir in Deprecat. ad Beatam Virginem, illam vocat *Areolam aromatatum Sanctorum à celesti consitam pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernantem*. Non ergo in illâ permilla est graueolens aliqua stirps, & pestilens radix, qualis est culpa Originalis. Idem etiam Ekebertus commendat illud, quod de Beatâ Virgine olim concinebatur: *Aurora solis prauia, & dies noctis nescia*. Ab eodem etiam Deipara vocatur *Lampas luculentissima, quæ splendore Dei illius piata, desideratum illud lumen, quo inuenta est drachma perditâ, sedentibus in vmbra mortis protulit*. Planè & ipsam non decebat iacuisse sub pondere mortis Originalis, sed innocentia, quam amisit Adam, exaltatam esse.

S. Norbertus.

Beatus Norbertus Magdeburgensis Archiepiscopus, qui per idem tempus floruit, & anno 1134. in cælum euolauit; is inquam, qui festum hunc diem eximie coluit, & à Beatissimâ Virgine candidam vestem accepit, in memoriam sacræ ipsius Conceptionis, vt referunt Augustinus Wich in Sabbatino Mariano, cap. 7. & Marracius in Fundatoribus Marianis cap. 13. cuius verba sunt: *Nec tantum candidissimum insuper Habitum, & id quidem, vt Hispanorum habet traditio, in testimonium Immaculatæ Conceptionis, vti olim sancto Ildesonso Toletano, in premium defensæ perpetuæ virginitatis, Angelorum manibus eidem tradidit*. Approbavit, introduxitque Officium Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, eoque vsus est: at ecce in illo habentur verba hæc: *Aue Virgo Spiritu sancto preseruante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphasti innoxia*. Accedit, vniuersam eiusdem Patriarchæ Religionem solitam fuisse à primo sui exordio celebrare hoc ipsum Festum cum adiecto epitheto *pura & munda Conceptionis*; quemadmodum constat ex Missalibus & Breuariis, quæ ab ordine inchoato in vsu fuere, & intueri licet apud Magistrum Bernardum Legionensem, Vitis Abbatem, in Prologo primæ partis Opusculorum suorum.

Ludouicus XI.

In quodam priuilegio Ludouici Vndecimi Francorum Regis, anni 1145. de sacro eodem beati Norberti Ordine meminit his verbis: *Mystico spiramine, ac Beatissima & gloriosissima Virgine MARIA, Christi Redemptoris nostri Matre reuelante, per pium illius Ordinis Patrem, primumque institutorem Norbertum virum quidem vitæ sanctimoniam, multisque coruscantem clarescentemque miraculis noscitur institutus, atque illi candidus dicti Ordinis habitus in honorem suæ purissime Conceptionis pariter, atque locus in pago* Ioann. Euseb. Op. Parth.

Laudensi per eandem Beatissimam & gloriosissimam Virginem MARIAM, vbi Præmonstratense monasterium præfati Ordinis caput & fundamentum constitui deberet, præmonstratus; vnde Præmonstratensem Ordinem sibi nomen sumpsisse, multis authenticis documentis Historiisque probatissimis compertum est.

B. Iosephus Hermannus.

Ad finem sæculi sancti Bernardi refert Abbas Bernardus Leoninus, Opusc. 10. Beatum Iosephum Hermannum, qui Expositione in Canticâ Canticorum, quam iussu Deiparæ scripsit, in personâ *Rosæ speciosæ, Columbæ formosæ (Rosæ sine spina, Columbæ sine felle)* mirè fauit purissimæ Conceptioni, prout testantur Philippus Quintanilla in Epistolâ ad Philippum Regem; & Bernardus Leoninus Opusc. 10. Et quidem in eiusdem beati Iosephi Opusculis, quæ extant, satis commendat omnimodam Virginis etiam in Cõceptione munditiem, & perpetuam eius puritatem: in Opusculo 3. ait:

*Gaude Rosa speciosa,
Super rosam tu formosa:
Tu es Rosa singularis,
Sola Rosa Tu vocaris;
Tu Liliu, & Viola.*

postmodum addit:

*Gaude summa creatura;
Mater Dei, Virgo pura;
Pulchra nimis intus, foris.*

mox subdit:

*Gaude laude infinita
Redimita Margarita.*

ibidem:

Gaude Virga numquam arens.

& paulò post:

*Gaude clara Stella maris,
Mater magni Luminaris:
Rotam Solis speculari,
Trinum Deum contemplare
In sua pulchritudine.*

*Tu in eo verè tota
Fixa manens & immota.*

tum etiam ait:

*Gaude Lux indefectiua,
Tenebrarum expulsiua.*

item:

*Nusquam absque pia
Trinitate es MARIA.*

Satis in his clausulis insinuauit, numquam diuinam gratiam Virgini defecisse, & singularitatem in hoc Sanctissimæ Deiparæ, quam sæpiùs notat, maximè his verbis:

*Gaude mea speciosa:
Tibi clamo: Rosa, rosa
Pulchra nimis & formosa.
Super omnes amoroza;
Tu sola sine compare.*

postea subdit:

*Gaude felix & decora,
Gaude, gaude omni hora,
Cuius amor est vt mel,
Cuius sapor nescit fel.*

Dixit omni hora; quia semper habuit Virgo vnde letaretur, nimirum gratiam Dei. Tandem ait:

*Tu imago Dei viua,
Sanctitatis expressiua.*

Planè, vel cum minimâ culpâ, nec pro minimo instanti sanctitatem exprimeret eius, qui ab æterno ter Sanctus est.

In hoc quoque sæculo, in Imperio scilicet T Henrici

Franco
Abbas Af-
figemienfis.

Hentici Quinti Cæsaris, eo ipso tempore sancti Bernardi floruit in Brabantia disertissimus Franco, Abbas Affligemienfis, cui peregrinatio in Angliam nihil nocuit, ut in Conceptionem Dei-paræ propensus fuisset; cuius puritatem sæpè significat in Tom. 6. libri de Gratiâ, loquens de Sapienciâ Dei, ait: *Ipsa MARIAM sibi in Sponsam ab æterno ordinavit; ipsa in plenitudine temporis castissimum MARIÆ uterum in tabernaculum sibi sanctificavit; ipsa templum suum in MARIÆ omni gloria, & super omnium creaturarum visibilibus pulchritudinem adornavit, quantum voluit, & quantum nasciturum de ea decuit.* Cum dicat adornasse MARIÆ pulchritudinem super omnium creaturarum etiam invisibilibus, quantum decuit nasciturum de eâ; apertè significat pulchritudinem eius non habuisse maculam, quæ carent Angeli, qui sine maculâ peccati creati fuerunt: alioqui pulchritudo Virginis fuisset infra Angelicam. Commendatio quoque decoris materni idipsum confirmat. Consonant iis, quæ paulò antè dixerat: *Diu quæsitâ, multis Sanctorum votis expectata, tandem inuenta est specialis illa specialiter digna, singulariter pulchra Virgo MARIÆ. Sed à quo inuenta? Numquid ab homine? Numquid ab aliquo, vel celestis exercitus Principe? Inò ab ipso Angelorum & hominum Conditorè, ab ipsa Sapienciâ Dei.* Singularitas huius pulchritudinis inter homines solum in hoc stat, quòd Sanctissima Virgo sola ex filiis Adam careat maculâ peccati Originalis, sicut carent Angeli. Idem Franco postea subdit: *Benedicta tu. O quanta gratia, quanta MARIÆ benedictio, per quam sanata est Heuæ maledictio! Dominus tecum. Mirro ac stupendo modo idem cum Sponsa Sponsus, idem ex Matre Filius. Cum Sponsa Sponsus, novum creando hominem, ex Matre Filius, novum seipsum exhibendo hominem. Dominus tecum. Non generali tantum benedictionis gratiâ, quæ & cum cæteris Sanctis est, ita & tecum; verum etiam & singularis prerogativa gratiæ, sicut cum Matre Filius. Benedicta tu in mulieribus: Decus mulierum: Benedictio virorum, ac mulierum. Iure, inquam benedicta in mulieribus; quæ opprobrium antiquæ deceptionis manu reconciliationis à cunctis abstergit mulieribus. Quid enim? Si reatus per Heuam, & iustitia per MARIAM Si reatus pœna per Heuam, & reatus venia per MARIAM. Si maledictio antiqua per Heuam, benedictio nova per MARIAM. Ad extremum, si & mors per Heuam, nihilominus & vita per MARIAM. Ibidem vocat Virginem, ob eximiam suam puritatem, Vitrum mundissimum atque solidissimum. item, Columbam sine felle.*

Photo Prümienfis.

Pari modo nonnulli approbatorem huius argumenti è Germaniâ Inferiori laudant Photonem Prümiensem lib. 1. de Magnâ Sapienciæ domo, cum ait: *Verè magna Domus, pulchra & altissima Domus: septiformis Spiritus in eadem Domo plenariè habitat quietissimè, numquam ibi prorsus offensa alicuius culpa.* Tanta gratiæ plenitudo, & vox nunquam, supponunt Originalem culpam fuisse quoque exclusam. Opportuna admodum esset isthæc auctoritas, si eidem Scriptori de Beatissimâ Virgine sermo esset: verum de ipsa minimè loquitur, sed de cælo potiùs, quod ab Auctoribus, qui hoc ipso textu utuntur, haud fuisse obseruatum monere volui; quia solâ veritate munitus cupio sententiam hanc

stabilire; aliunde tamen censeo sanctitatem Conceptionis Virgineæ non negasse Photonem, cum in fine lib. 3. de Statu domus Dei, reprehenderit celebritatem sui Festi, non quia sanctitas illi deesset, sed quia auctoritate priuatâ non debuit introduci, reprehendens eandem ob causam Benedictinos, celebrantes Festa Trinitatis & Transfigurationis; quæ tamen indubitatam sanctitatem habent. Et concludit, dicens: *Nos in his omnibus deuotioni fidelium minimè derogemus,* significans materiam deuotionis dignam esse Conceptionem Virginis, sicut & Transfigurationem Domini, & Sanctissimam Trinitatem; solum reprehendit *presumptionis spiritum* in introducendis illis festiuitatibus priuatâ auctoritate, non autem erroris spiritum; quia non erat error credere sanctitatem Sanctissimæ Trinitatis, Transfigurationis Domini, & Conceptionis suæ Matris. Illud etiam aduertendum est ex illo testimonio Photonis ante mortem sancti Bernardi celebrari in Monasteriis Benedictinorum Germaniæ Conceptionem Virgineam. Id planè constat in sæculo sancti Bernardi, celebre fuisse in Belgio Festum Conceptionis Virgineæ; quod claret ex duobus Diplomatum Balduini Flandriæ & Hannoniæ Comitum; quorum prius sic concluditur: *Actum in solemnitate Conceptionis gloriosa Virginis MARIÆ, anno 1195.* Posterius: *Actum mense Decembri in Conceptione gloriosa Virginis MARIÆ, 1195.* De quibus testatur Miræus, ut in Tractatu de Perpetuo obiecto Festi Conceptionis noto: tum etiam Georgius Coluenerius in Calendario VII. Decembris.

In Angliâ, vbi præsentis mysterij studium vigeat claruit Petrus Blefensis, qui suppositâ Originali Virginis puritate, Sermon. 2. de Assumptione, *Vir & uxor (inquit) duo sunt in carne unâ, expressius autem mater & filius sunt una caro. Sane Patres, qui Spiritum sancto dictante decreta promulgauerunt, hoc ius in coniugibus sanxerunt, ut si alter deserens saculum adhæreat Deo, alter non remaneat in saculo; vnius enim carnis partes, tam violenter distrahi ius non esse, visum est eis, sic & indecens videri debet, si altera pars carnis virgineæ sit in celo, & pars altera reddatur solo: si parati alteri datum sit non videre corruptionem, & altera solvatur in cinerem. Sicut enim Beata Virgo à maledictione mulieris, cui dictum est, In dolore paries, facta est immunis, quia peperit sine dolore: sic & à communi viri & mulieris maledictione facta est immunis; quia dictum est ei; In cinerem ibis. Vnde ab Angelo Benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledictio liberata: & sic Decor Carmeli, id est integræ circumcissionis datus est Virgini.* Prætereo alias auctoritates huius ipsius Petri Blefensis, in gratiam sententiæ negatiuæ; quia minimè mirum esse debet, Anglicum Scriptorem per eam tempora ita locutum fuisse.

Petrus Blefensis.

Guilielmus Paruus, etiam ex Angliâ, qui vixit sub finem sæculi sancti Bernardi in cap. 3. Cantic. dixit de Beatâ Virgine esse *Ferculum veri Salmonis de lignis Libani*, significans hoc pacto in ipsa suâ Origine Beatissimam Dei Genitricem sine vllâ corruptelâ fuisse, sed, peccati Originalis maculâ præpeditâ, candidissimam omnino; quemadmodum & ligna Libani imputribilia erant, & ipse mons candidus appellabatur. Ipse Guilielmus in cap. 1. Cantic. eandem Virginem

Guilielmus Paruus.

Virginem vocavit *Lectulum Dei floridum*, cui minimè competeat spinâ aliquâ noxium & horridum esse.

Nicolaus Monachus.

In eodem Regno vixit Nicolaus Monachus, propagator egregius eiusdem mysterij, atque adeo manifestus illius defensor, ut dixerit: *Virginis ipsius animam pretransiit gladius, non solum olim in Elij passione; sed etiam nuper in Conceptionis sue condemnatione.* Quæ quidem verba repetit in Epistolâ ad Petrum Cellensem, Gallum, & in Galliâ commorantem; locusque fuit in eum modum, non tam contra eos, qui præsentis mysterio aduersabantur, quam in alios, qui Festum minimè admittebant; è quorum numero fuit Petrus Cellensis, qui & ipsi respondet lib. 9. Epist. 10. veritati purissimæ Conceptionis Virginæ consentiens; non omnino tamen Festi celebritatem probans ob defectum sufficientis auctoritatis ad id, quemadmodum videbatur, requisita.

Petrus Cellensis.

Petri Cellensis verba ipsa perspicua, quibus huic mysterio sapissimè assentitur, supra iam retulimus cap. 12. vnde satis erit alia, quibus utitur lib. 6. Epist. 23. hic exscribere, quibus singularem suam erga Dei Matrem pietatem aperit. *Cataractas (inquit) cali, & fontes abyssi libentius in obsequium Virginis soluam, quam clauderem; & si Filius eius IESVS aliquid omisisset in prerogativâ exaltationis sue Matris; ego seruus, ego mancipium non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quam aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quam vellem eius extenuare gloriam.*

Hugo de Sancto Victore.

Alii præter illum plurimi Scriptores Galli ipso Bernardi sæculo idem existimarunt, & puritatem Originalem Virginis deprædicarunt: vnus ex illis, Hugo de Sancto Victore, in Miscellaneis suis lib. 3. Tit. 123. sic loquitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hodie Domina nostra insigni circumdata corona, ostendit Angelicæ dignitati suæ celsitudinis priuilegia. Primum priuilegium est, quod sine sorde & sine viro concepit: in hoc enim immunem se in Conceptu ostendit ab illo præscripto Prophetico: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et Serm. 47. Instit. Monast. qui est de Assumptione Virginis, sic ait: *Bene Beata Dei Genitrix se veluti palmam exaltatam in Cades gloriatur, quæ spiritualibus hostibus potenter & victoriosè subactis, non dolore criminum, sed amore premiorum compuncta suauissimè potabatur.* At si Virgo peccato Originali infecta fuisse, non semper victrix extitisset, neque caruisset aliquâ mæroris causâ; quandoquidem & Originalis culpa eam, non velut actionem propriam, sed tamquam culpam, propriumque malum causare possit.

Hæc Hugonis loca assertores sententiæ negatiuæ adducunt, sed addam illustriora alia; nam collat. 3. de Verb. Incarnat. loquens de genere humano, ait: *Quia verò à corruptione liberandum erat, idcirco pretium redemptionis incorruptum esse debuerat. Propterea mater Virgo electa est, ut de munda immaculatus nasceretur, ut sicut in celo Deus habuit Patrem immortalem æternus, sic in terra haberet Matrem Virginem incorruptus. Igitur in celo qualis Pater, talis Filius; & in terra qualis Mater, talis Filius. In celo cum Patre æternus & immensus: in terra cum Matre imma-*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

culatus & mansuetus. In celo cum Patre incorruptus & sublimis: in terra cum Matre Virgo & humilis. In celo imago Patris: in terra imitator Matris. Mater Virgo erat, & in humilitate exultabat. Filius Virginis virgo, humilitatem commendabat. Talis ergo Agnus qualis Mater Agni: ex munda mundus, ex Virgine incorruptus. mox addit: *Arbor ex fructu suo cognoscitur, radix integra, ramus incorruptus.* Paulò post supponens quatuor modos humanæ procreationis, seu processus, ait: *Tres enim perierant, & subsecutus est quartus, scilicet Redemptor eorum. Primus, sine masculo, & sine femina; secundus, de masculo sine femina; tertius, de masculo & femina; quartus, sine masculo de femina.* Adam quippe de masculo, nec de femina erat: Heus autem de masculo sine femina: qui autem de illis erant, de masculo simul & de femina erant: & ceciderunt primi, masculus & femina: & per eos, qui post eos erant, omnes de masculo & femina. Et quia primus auctor culpa deiectus est à femina, Auctorem gratiæ sine masculo concepit & peperit femina, ut idem sexus initium gratiæ esset, qui peccati origo extiterat. Propterea ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Verè enim MARIA gratia plena fuit, per quam gratia descendit super omnes filios hominum. Primum gratia super eam, postea gratia in ea: deinde gratia ex ea. Super eam, ad umbrationem: in ea, ad fecunditatem: ex ea, ad saluationem. Venit enim gratia, ut humanam naturam visitaret; & intravit ad eam, vnde exierat. Per feminam enim exierat, & per feminam intravit. Et venit gratia primum in ipsam, deinde descendit in illud quod erat ex ipsa; & sumpsit de carne Virginis naturam: hostiam pro natura, quam liberam pro liberandis offerret, ut prius in ipsam totum effunderet, quod per ipsam postmodum redemptis omnibus exhiberet. Ideò gratia plena, de qua ortus est fons gratiæ. Si hæc verba expendantur, inuenietur omnimoda Virginis puritas multoties commendata, eiusque Immaculata Conceptio prorsus subintellecta. Quapropter ex his testimoniis potest intelligi, quosentiu duo priora dixit, nimirum de Originali puritate, quam rursus confirmat libello epistolari de perpetua Virginitate B. MARIE cap. 1. vocans illam *Virginem singulariter castam, excellenter spaciosam, vnicè mundam.* Nam si haberet sordem Originalem, non esset vnicè munda, sed cum multis aliis.*

Gilbertus, Pictauiensis Episcopus, qui beato Bernardo se adiunxit, in Serm. de Virgine MARIA sic ait: *De Regali nempe tribu, & Sacerdotali originem duxit, quæ summum Regem atque Pontificem erat paritura, cuius anima & caro, quam elegit & fecit habitaculum sibi Sapientia Patris, ab omni malitia & immunditia purissima fuit, affirmante Scriptura, quod in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis deinde adiungit: Ipsa quoque benedicta Virgo à Filio suo præseruata, potest dicere illud Iudith 13. Non permisit Dominus me ancillam suam coquinari.*

Gilbertus, Pictauiensis Episcopus.

Petrum Lombardum, Episcopum Parisiensem, qui coæuus Bernardo, anno 1145. floruit, & principium Scholasticis dedit, in 3. dist. 3. §. *Queritur etiam, allegant Aduersarij pro se, quod Damasceni referat testimonium ex 3. de Fide 2. c. ubi purgatam Virginem Spiritus sancti gratiâ, cum in eâ Verbum caro factum est, dicit. Sed ipsi se iugulant*

T 2 Damasc

Petrus Lombardus, Magister Sententiarum.

Damascenico gladio: cum sanctus Ioannes Damascenus sapientissime & clarissime adstruat Immaculatam Virginis Conceptionem. Nec illi quidquam derogat cum dixit purgatam, ut suo loco explicamus, prout iam vidimus. Præterea ipse Petrus Lombardus, Magister Sententiarum, in sequenti §. supponit puritatem Virginis in sua Conceptione, dicens: *Ille Virgo singulari gratia præventa est, atque repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit Universitas Dominum, ut illud, quod nascerebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non criminis originem haberet.* Quasi dicat; Ideo singulari gratia Virgo præmunita est, ut Christus ex illa generis traheret, non peccati originem: quæ ratio nullius esse momenti potest, si Virgo in Adam peccavit, aut peccati debitum in se habuit. Etenim licet peculiari dono peccatum non contraxisset, id satis non esset, ut Christus ab illo immunis generaretur ratione Matris, si hæc obnoxia & debitor illius fuisset mali transfusionis: siquidem Origineæ culpæ lex non tollitur ex eo, quod parentum crimen Baptismus absterferit: unde, quantumvis Sancti ad generandum accedant, filios generant peccatores. Ut ergo Sanctos gignerent, amplius aliquid requireretur: id autem quid aliud esse potest, nisi pacto & lege de transfundendo scelere non teneri? His ergo comprehensa non fuit Deipara, si Filius adhuc ut eius erat, liber ab omni prodiit crimine. Atque hunc esse legitimum profus Magistri sensum probat, cum Patribuseum putare, immunitatem ab omni peccato in Assertore non inde solum provenisse quod esset Deus, qui sibi humanitatem hypostaticè vnisset; verum proprio etiam ipsius humanitatis iure, ita ut nihil in eâ sit ratione, cuius præcisa etiam Diuinitatis sanctitate, Origineo peccato subiacere debuisset. Hæc illius distinctionis thesis, in qua ita inquit: *An caro Verbi, priusquam conciperetur, obligata fuerit peccato.* Negat in Christi carne peccati obliquam obligationem fuisse. Probat hoc bifariam; quoniam obligationis fundamenta, quæ Origineo peccato mortales omnes addicti sumus duo inveniuntur. Prius: *In Parentibus* (ait) *crimen hoc fuisse.* Posterius: *Nos ab illis naturalis vi generationis procedere.* Vtrumque in Christi negat carne reperiri. Non prius: quia Virgo, à quâ generatus est, ab omni peccato immunis fuit. Non posterius: quia Dominus editus non fuit per naturalem viri & femine commisionem: idque probat sequenti §. Quia sicut caro Christi, ut Paulus docet, in Abraham decimata non fuit; quemadmodum caro Leui: quia etsi Redemptor in Patriarchæ lumbis esset, tamen inde per carnis concupiscentiam non effluxit: ita eadem Christi caro in Adamo peccato non fuit obnoxia: quia licet esset in eius lumbis Dominus; inde tamen cæterorum instar non processit, prout subtiliter consideravit Ioannes Perlinus.

Richardus Victorinus.

Richardus Victorinus, Franciæ Parisiensis Aulæ suburbanus cuius, in Expositione. Sup. Cantic. ait: *Tota fuit pulchra, quam totam possedit gratia: quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Similiter in libr. de Emmanuele, postquam in cap. 25. eiusdem quæsiuit, quâ ratione nonnulla accidentia in Virgine remanserunt, quæ peccati Originalis pœna videntur, quandoquidem videatur iniustum pœnam illic reperiri, vbi nulla fuit culpa; interrogationi respondet

cap. 31. & ait: *Hoc fuit in beata Virgine supra modum mirabile, & præ cæteris Sanctis omnibus singulare, quod in ea simul conveniri potuit tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate: corruptibilitas in his, quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam: sed sibi ad futura gloriæ curiculum, nobis autem ad sapientiæ documentum profuit: quod possibilitatis nostræ iugum cum tanta impossibilitate portavit.* Quod in his præcipuè noto, est illud, *Incorruptibilitas in his quæ pertinent ad culpam.* Ipsa incorruptibilitatis vox corruptionis impotentiam dicit: peccati debitum ad illud pertinet, ut potentiâ ad actum. Non ergo istud habuit, secundum Richardum, Virgo, si omnino corruptionis incapax fuit in his, quæ pertinent ad peccatum. Idem Richardus in Cantica Canticor. c. 39. *MARIA supra homines est, in eo, quod nunquam peccatum commisit, sicut homines, inter quos nullus inuentus est, qui faciat bonum, & non peccet. Supra Angelos quoque est: quia eos puritate supergreditur.* & cap. 26. *Angelicam denique in terra adeptam est puritatem, & Dei similitudinem, in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione iusta, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente & corpore.* Et de Emmanuele l. 2. c. 26. *Nisi MARIA ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset, Deum Dei Filium generare non posset: ut enim Virgo conciperet, Virgo pareret, summâ sanctitate, summâ puritate opus habebat.*

Addamus prædictis Canonicum pariter eiusdem Cœnobij Adamum Victorinum, qui & Parisiis vixit anno 1150. & beato Bernardo intimus fuit: cum enim iterum Festum Conceptionis ab Ecclesiâ Lugdunensi celebrari inciperet, nequidquam contradicente Bernardo in Epist. 174. plerique Regni Franciæ Canonici eos imitati sunt, & in horum gratiam prædictus Adamus de Sancto Victore Hymnum scribens sequentes versiculos effudit:

*Salve mundi sacra Parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos spineti gloria:
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati.*

Prodeat in arenam quoque Arnoldus Carnotensis, eiusdem Bernardi (si quis) amicus, verba enim illius in Tractatu de Laudibus Virginis sunt hæc: *His accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimam Spiritus sanctus præparavit, & paulò post: Nihil dolorum, nihil clamoris ibi erat: nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate vitio repetebat. Nequè enim erat Christus in peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum.* Quæ quidem verba supponunt, Virginem nullo dolore laborasse in partu: quia Originali peccato caruit, & Christum concepit permanens Virgo. Atque ita sententia ipsius est, ob eam causam partum minimè Virgini fuisse molestum; quandoquidem peperit Christum, cui proprium est donare peccatum. Clarius: quia illum peperit, qui cum potestatem habeat tollendi peccatum, ab eodem recepit hoc beneficium Mater eius, ut eam præferuaret à culpâ, quæ dolorum & molestiarum causa est, quas in partu mulieres patiuntur. Ibidem ait Arnoldus: *Cum debita venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine rotatum est desuper, quod MARIA predicatur gratia plena, manifestum est individuum esse Matris & Filij gloriam, & commune esse utriusque præconium*

Adamus de Sancto Victore.

Arnoldus Carnotensis.

præconium, cuius definitio omnem superat intellectum.

Petrus
Mauritius.

Beatus Petrus Mauritius, alio nomine Petrus Venerabilis, cui frequens ad eum fuit per litteras cum B. Bernardo commercium, in Prosâ 2. de Matre Domini, postquam dixit: *Tu serpentem euicisti, cuius caput contriuisisti*; adiungit instituto de Beatâ Virgine Sermone: *Aurora Solis prænia, & dies noctis nescia*. Idem beatus Petrus cecinit:

Calum gaude, terra plande, nemo mutus sit laude,

Ad antiquam originem redit homo per Virginem.

Guerricus
Abbas
Igniacensis.

Guerricus, Abbas Igniacensis, multis in locis supponit Immaculatam Conceptionem: Sermone in Natiuitate MARIÆ ait: *Natalem Beatissime Matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Mater noua, quæ prima matris maledictionem dissoluit*. Idem Guerricus sic loquitur de Purificatione Virginis, vt non solum puram illam asserat absque immunditiâ legali; sed purissimam semper absque labe peccati. Sermon. 1. de Purificat. MARIÆ ait. *MARIA non tam purificata fuit, quam mysterium Purificationis commendauit, implendo legalem, significando spiritalem. Quid enim in eâ purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoque permansit: imò, quæ ipso conceptu plene purificata fuit, si quid minus ante puritatis habuit?* Supponit hic modus loquendi, semper fuisse puram Beatissimam Virginem. Idem ait Sermon. 4.

Quem tanti non moueat exempli auctoritas, cum videamus scilicet; quia illa Sanctarum Sanctissima, quæ nihil purgandum habuit; purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O Mater Immaculata, Mater intacta! nonne tua tibi conscia es puritatis? Quia scilicet integritatem tuam nec conceptus nec partus violauit; sed sanauit. Sanauit, idem est quod præseruauit & intelligendum est de integritate etiam animæ, comprehendenti repulsam corruptionis Originalis. Idem Guerricus dixit Sermon. 1. de Assumptione MARIÆ: Non immerito creditur sine iniuriâ, vel inuidiâ cæterarum sedium, quoddam esse speciale Regis solium excelsum, & eleuatum super gloriam omnium. MARIAM dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur supra se Mater, nisi solum Filium: nihil miretur super se Regina, nisi solum Regem. Hæc sententia vt totam rationem, aut speciem inuidiæ vel inuitiæ excludat, supponit non minus puram creatam Virginem, quam Angelos fuisse.

Honorius
Augusto-
dunensis.

Honorius Augustodunensis, non solum quantum ad ætatem B. Bernardo æqualis; sed popularis ipse, & eodem solo nati, Ducatu nempe Burgundiæ genitus, licet in cap. 2. Cantic. vbi solent Scriptores præsentis argumenti eum allegare, nihil habeat; tamen in sigillo beatæ MARIÆ, mysterium hoc identidem auctoritate suâ fulcit; sic in cap. 5. dum ait: *Columba mea Spiritu sancto plena, immaculata mea ab omni sorde peccati segregata, & rursus cap. 8. super hæc verba: Si murus est, ædificemus super eum, hoc est (inquit) ædificabo eam in virtutibus, vt murum, contra vitia utique munitam. cap. item 1. MARIA ignorauit maculam sordis, & id eò pulchra, id est benedicta inter omnes mulieres. paulò antè dixit: Castissima Virgo MARIA fuit Meridies de Spiritu sancto splendens & feruens: quia nullas cuiusuis peccati*

Ioan. Euseb. Op. Parth.

tenebras habuit. Ac demum in Præfat. Tit. de Epist. Virginem vocat *Palmam Sanctificationis*. Quia victrix peccati semper fuit, virtutis suæ sanctificationis numquam deuieta. Idem Honorius Sermon. de Natiuit. MARIÆ: *Hæc cedro comparatur, quæ nimis multiplicatur, à quâ putredinis & vermium corruptela fugatur: ita hæc Virgo beata erat in virtutibus dilatata, vt cedrus multiplicata, quæ non sensit corruptionem putredinis: per quam fugantur demones, vermes æternæ damnationis. Hæc stella maris dicitur; quia genus humanum de salo huius sæculi ad æternam vitam per eam dirigitur.*

Galfredus
Antiffio-
dor.

Galfredus Antiffiodorensis, monachus Cisterciensis Ordinis, Petri Abailardi quondam auditor atque discipulus; sed ne fieret etiam imitator erroris, ad monasterium sancti Bernardi Claraualensis se contulit, sub cuius discipulatu, doctrinâ & religione clarus, non contemnendæ lectionis Opuscula composuit, & fauit Immaculatæ Conceptioni; atque idcirco in illud Numeror. 24. *Orietur stella ex Iacob*, supponit purius fuisse formatam Virginem, quam fuit primus homo ante culpam: eius verba sunt: *Mira res: humanum genus ex limo factum est etiam ante culpam, & quomodo iam inde stella? Quomodo ex terreno germine siderica proles? Quæ est stella ex Iacob, nisi ea quæ nobis nata est Virgo MARIA ex progenie Abrahæ, clara ex stirpe Danid? Stella prorsus magis re, quam nomine. & paulò post præferens Virginem Angelis in splendore puritatis ait: In quo tamen quæ sola Solem Iustitia genuit, non humanas tantum, sed Angelicas stellas supergressa est vniuersas. Caruit igitur Deipara nebula peccati Originalis, quæ etiam Angelici spiritus caruerunt. Tandem subiicit: *Attendamus sideris claritatem, vt aliquando valeamus intueri Solis quoque splendorem; de quo in prædictâ additur Propheta: Et exurget homo de Israël. Hæc potissimum Orientis stelle summa latitia, hæc ipsius gratia spiritualis: quia per eam, & ex eâ homo natus est, de quo Propheta: Homo natus est in eâ, & ipse fundauit eam Altissimus. Quid autem magnum addiderit? Orietur stella, & ex eâ homo. Sed homo iste clarior stellis, & stellarum omnium ipse creator. Nihil ergo mirum, si ex humano genere stella oritur, vnde etiam ortus est Sol ille, qui numerat multitudinem stellarum. Plura ex hoc Patre videri possunt in allegoriis Tilmanni.**

Petrus Comestor, qui Scholasticam Historiam scripsit, & Magistri Sententiarum frater fuit, in libro de Immaculatâ Conceptione Virginis, vbi de hac loquitur: *Attende (ait) & obaudi, quod testimonium huic fundamento dederit Prophetarum Eximius Psalm. 86. Homo natus est in eâ, & ipse fundauit eam Altissimus. Intellige quod ait: Ipse fundauit eam; ipse, non alius, non vetus Adam; sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surget edificium. Alioquin, si veteris ruina mansere vestigia, si veteri superædificatum est, vetus Adam, & non ipse fundauit eam Altissimus. Quod enim fundatur, non ab alio, sed à seipso materialiter inchoat. Certe si recens, si non esset insolitum, Propheta tanta nouitatis miraculum obstupescens non exclamaret, dicens: Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in eâ, &c. ac denique concludit his verbis: *Dicat ergo, dicat Ecclesia, Salue Festa dies, salue dies veneranda Conceptionis,**

Petrus
Comestor.

ptionis, in qua initiatum est sacramentum nostra Redemptionis, per quam extincta est fraxea versatilis, & aperta ianua nostra salutis. Gaudeat, oro, omnis terra in conceptione tanta Virginis, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus.

Arnulphus
Lexouienſis
Episcopus.

Arnulphus, Lexouienſis Episcopus, in Ducatu Normandiæ, quæ Franciæ Prouincia est, supponens idem planè quod antè dictus Petrus Comestor; sic locutus est in Carmine de Natiuitate Domini:

*Virgineaque fide veterem purgante reatum,
Numinis aduentu est sanctificata caro.
Credidit, & exhibuit mundam deuotio Matrem,
Magnificatque Deum magnificata Deo.*

Retrahit hinc Originalem Deiparæ puritatem ad tempus Incarnationis, non quòd tunc temporis ipsam adeptam sit; verum quòd fuerit causa finalis, cur illa ipsi collata fuerit in principio suæ existentia, vt in eius visceribus Filius Dei carnem susciperet; ipsiusque Mater dignissima fieret. Quòd si eo tempore ipsi concessa non fuisset, res singularis in Virgine minimè fuisset; & hoc significatur isti Arnulphi verbis: *Magnificata Deo*; perinde ac si diceret; Magna effecta est Dei causa, scilicet vt Mater ipsius fieret: quo sine nulla alia persona humana magnificata est; atque ita licet sanctus Ioannes Baptista, & Ieremias sine peccato Originali lucem aspexerint sine eo tamen haud fuerunt concepti: & hæc in Virgine fuit prærogatiua singularis.

Petrus Rhenensis.

Petrus Rhenensis, Presbyter, Gallus natione, patriâ Rhenensis, in Campaniâ, cognomine de Riga in Euangelio metrico, inter cæteras Virginis Laudes sic ait:

*Vnam nec maculam natura reliquit in ista.
Ad caput à planta transfuolat iste decor.*

Hilbertus
Turonensis.

Disertissimus quoque Hilbertus Turonensis, in Galliâ Præsul, coæuus sancto Bernardo, tribus Symbolis extollit Virgineæ Conceptionis sanctitatem, iisdem, quibus alij Doctores ex figuris Scripturæ eam comprobant: in Prosâ de Natali Domini ait: *Die ista virga Iesse florida fructum dedit. Gedeonis vellera ros infudit die ista, presus pede mulieris coluber contritus est.* In primo de Virgâ Iesse Symbolo firmat expositionem nobilium Interpretum, qui puritatem Conceptionis Virgineæ sic ex illo Isaia loco, *Egre dicitur Virga de radice Iesse*, probant: (Ferdinandus Salazarius, cap. 38. §. 2.) *Absoluit locum Prophetia, dicens: Et flos de radice eius ascendet. Que verba significant dignitatem Matris Dei, ita deinde successu temporis Virgini donatam; vt tamen quod ad sanctitatem attinet, & ad alia iura & privilegia, quæ illam comitantur, ab ipso Mariana Conceptionis instanti vigere atque efflorescere cæperit: idèd huic Virgæ ad radicem ipsam, id est ad eius initium & principium Flos, id est Filius agnatus dicitur. Ita vt liceat sic comminisci, MARIÆ Filium ad radicem quidem virgæ, id est tunc, cum Virgo concepta est, florem fuisse; deinde verò Incarnationis tempore fructum exitisse: sic enim audiuit MARIÆ ab Elizabetha: Et benedicens fructus ventris tui. Cogita igitur apud te id, quod etiam ego mihi persuasum habeo, hunc fructum nequaquam ex virgæ germinandum, nisi præcessisset ille Flos. Luculentius dixerim MARIAM nec concepturam, nec parturam; tandem aliquando Saluatorem putarem, nisi ipsa ex eiusdem Saluatoris beneficio in*

gratia & iustitia Originalis concepta fuisset: nam ille Flos attulit illi tandem hunc fructum. Ad hunc sensum vocare licet illa eiusdem Isaia verba capitis vltimi, quæ sanctus Ildesonus in lib. de Virginitate & Parturit. sanctæ MARIÆ: & alij passim Patres Virgini accommodant: *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus eius, peperit masculum*, id est, longè ante partum: nimirum ab ipso suæ Conceptionis articulo cæpit ei Filius computari: quandoquidem Matris Dei privilegia, immunitates & iura iam inde ab eo tempore ipsi contigerunt. Nullum Patrem pro hac interpretatione adducunt; sed egregiè paucissimis verbis eam explicauit Hilbertus, dicens: *Die ista Virga Iesse florida fructum dedit.* Virga florida ab ipsâ suâ radice, non solum in culmine Virgo est, in suâ adhuc Conceptione florens per gratiam Christi, quem postea dedit fructum sui ventris. Verum est, Sanctos Ambrosium, Hieronymum, Anselmum, & alios hunc locum Isaia interpretatos de Conceptione Marianâ. Nullus tamen eiusmodi Immaculatam fuisse explicauit. Solum inueni prædicto interpretamento consentaneè dixisse Matthæum Cantacuzenum in Cantic. cap. 8. de beatâ Virgine: *Que est ista, quæ ascendit ex radice, scilicet velut ramus quidam gratia refertus. Candida, id est pura, & non inquinata.* Alterum Symbolum de Gedeonis vellere irrorato vnice, cum cætera sicca essent, egregiè Virginis Conceptionem exprimit, cum in illâ vnice ex filiis Adam rore gratiæ fuerit Deipara imbuta. Vellus prætereà, licet ex carne nascatur, sine vitio carnis est, nec vermibus obnoxium, sicut caro mortua. Sic MARIÆ, licet ex Adamo nata, sine vitio suæ carnis fuit. Hoc supponens Hilbertus, ait, rorem, qui in primâ Virginis sanctificatione & eius conceptione fuit instillatus; in secundâ sanctificatione per Conceptionem & Natiuitatem Christi ei fuisse infusum: copiosius scilicet & vberius. Tertius typus, ex Diuinâ in serpentem pronuntiatâ sententiâ, tres habent partes. Prima, inimicitia inter mulierem & serpentem, quæ accidit in Conceptione Virginis cum Gratiâ. Secunda, inimicitia item, inter semen serpentis, & semen mulieris: quæ euenit in Conceptione Christi. Tertia, Contritio capitis serpentis. Igitur duas priores supponens Hilbertus, addit consummatam contritionem capitis colubri infernalis fecisse Virginem: quia peperit Redemptorem.

Matthæus
Cantacuzenus.

Omnes prædicti Auctores, beato Bernardo æquales, in Franciâ vixerunt: imò plerique ipsi noti & amici fuere. Cum autem tam addicti Originali Virginis puritati fuerint; eamque in scriptis suis prædicarint: non est verisimile Bernardum ipsis contradixisse, vt non fecisse, iam antè probauimus: præterquam quòd veritatem hanc adèd certam, & admissam fuisse in Franciâ, docuimus, accedente tantorum Scriptorum Regni Franciæ, qui eam illustrarunt, auctoritate. Quin & Abailardus (licet in aliis quibusdam à cæteris Francigenis Doctoribus, adeoque ab ipsâ Ecclesiâ dissenſerit validè & feliciter ipso Bernardo repugnante) supposuit tamen Originalem Virginis puritatem: vt pote quæ concepta carnaliter, carnis infirmitates numquam experta fuisset. Atque ita Sermon. 2. de Natali Domini dixit: *Omniem, tam Iudaicam, quam Gentilis Populi gratiam ea transcendit, quæ Matri Domini*

Abailardus.

Domini collata est, & eius dona, quæ quasi terra & stillicidia suscepit, cæteris donis longè sunt eminentiora. Vellus cum sit de corpore, carnis infirmitatem ex lasurâ non sentit in dolore, & ab omni corporeo sensu penitus alienum est. Et Virgo Virginum cum infirmitate carnalis concupiscentia concepta fuerit, ut cæteri homines, hanc tamen penitus infirmitatem nunquam ex consensu pertulit in mente, nec ullum illecebra carnalis attactum experta est in carne. Unde factum est, ut sic de carne orta esset, ut vitia carnis ignoraret, & sic de carne esset, quasi caro non esset, & tamquam mortua in carne, & tota vivens spiritu. Hactenus Abailardus. Sed quod maiore admiratione dignum videtur est, Bernardum tantâ virtutis & doctrinæ famâ illustrem persuadere non potuisse, ut Festi solemnitatem, cui aduersabatur, omitterent, & è contrario augeti is ipse festiuis cultus cœpit in variis eiusdem Regni partibus, & ei singulari amicitia coniunctus Adamus Victorinus Hymnum Festiuitati appositum conscripsit.

Quemadmodum in Galliâ, sic & in Italiâ fuit, qui mysterij præsentis defensionem susciperet, vnus numero; sed ob auctoritatem plurium, Adrianus Papa Quartus, qui ortu Anglus, & haultæ in patriâ erga Conceptionem deuotionis tenax, altero post beati Bernardi obitum anno, qui fuit 1154. Pontificatum tenebat: is ad Petrum Pontiniacum de ea libellum singularem scripserat; vti refert Antonius Possuinus, in Apparatu sacro, littera A. hisce verbis; *Scripsit ante Pontificatum de Conceptione beate Virginis MARIÆ ad Petrum Pontiniacum lib. 1.* Quibus quæ addam non habeo, nisi quod arbitrer, Pontificis auctoritatem ad propagationem eiusdem Festi haud parum valuisse.

Godfridi, S.R.E. Cardinalis, illustre quoque testimonium est, Serm. 3. *Sicut sunt duo (inquit) præcepta Charitatis; ita duobus principaliter modis Spiritus sanctus operatus est in sanctificatione Virginis. Prima in Virgine sancti Spiritus operatio extitit, in ea omnium peccatorum mortificatio. Secunda beate eius virginitatis sancta custodia; & hoc est, quod MARIÆ ab Angelo dicitur; priusquam in ea Dei Filius conciperetur, Spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Superuenit in eam Spiritus sanctus; quia corpus eius, & animam ab omni peccato mundificauit. Altissimi Virtus ei obumbrabit; quia beatam eius Virginitatem illibatam seruanit.* addit deinde: *Christus de Virgine, carnem in Virgine, non quidem de Adam peccatore, sed vnde Adam iustus, animam suscepit.* Vbi ait, Christum carnem de Adam minime suscepisse, cum de Virgine eam suscepisset. Docet is Scriptor, carnem hanc maculæ Originalis immunem fuisse, quæ in omnes Adami posteros irrepsit. Pergit Godfridus: *Habitabit in nobis, id est in carne nostra; nostram dico, secundum carnis proprietatem, & non secundum peccati Originem. Ipse enim Sanctam in Sancta, Immaculatam in Immaculata Matre animam suscepit, & carnem.* Propter hanc Originalis maculæ immunitatem, quam in Virgine supponit; illic addit: *Verè Beata MARIÆ diaboli caput contriuit, quæ in se principalem eius suggestionem penitus extinxit. Suggestio diaboli principalis est concupiscentia mentis & corporis. Per concupiscentiam mentis quamlibet peruersam cogitationem intelligimus: & per concupiscentiam car-*

nis, omnem prauam operationem. Bona verò Domini Mater Virgo MARIÆ horum neutrum habet, quæ Spiritu sancto repleta, mente & corpore pariter sancta fuit. Quo quidem testimonio crescit Auctorum Gallicorum numerus; quia Godfridus priusquam ad Cardinalatum in Italia promoueretur, Abbas fuerat in Francia.

Potest etiam allegari Gratianus Clufinus, Genete Hetruscus, Compiler Decreti; apud quem magnæ auctoritatis fuit sexta Synodus in Trullo, quæ Conceptioni Immaculatæ Virginis maximè fuit, vocans eam Canone 79. Secundum vim vocis Græcæ, *Absque omni labe puram*; ipsique denegat molestias partus, quæ ex maledictio Heuæ & culpa Originali proueniunt. Licet enim illi Canones non sint recepti; Gratianus tamen nomine sextæ Synodi Trullanos Canones perpetuo citat; ut constat ex cap. *Placuit*, dist. 16. cap. *Quoniam*, dist. 31. cap. *Si quis*, dist. 32. cap. final. dist. 95. cap. *Jacobus*, de Consecrat. dist. 1. cap. *Dicimus*, de Consecrat. dist. 2. cap. *Si quis Episcopus*, 37. quæst. 1. Ipse Gratianus in cap. 5. dist. 16. ait: *Vnde Adrianus Papa Tarasio Patriarcha sextam Synodum sanctam recipio cum omnibus Canonibus suis.* Similiter in cap. *Sextam*, de Consecrat. dist. 3. citat Adrianum recipientem Canones Trullanos; quamuis enim fallus sit Gratianus, credens ab Adriano Papa fuisse receptos, cum non fuerint nisi à Tarasio Patriarcha, facillè potest intelligi, ab ipso Gratiano non parui habitus aliquos Canones ex prædictis.

Ioannes Lotharius omnino Italus fuit; quippe Anagninus patria, atque in sæculo sancti Bernardi floruit, quod clausit Summus Pontificatus eius, ad quem assumptus anno 1198. vocatus est Innocentius Tertius. Hic magnus vir, maximusque Pontifex non minimè fuit Immaculatæ Conceptioni, cum dixerit Serm. 2. de Assumpt. Beatissimæ Mariæ; *Cum aurora sit finis noctis, & origo diei, merito per auroram designatur Virgo MARIÆ: quæ finis damnationis, & origo salutis fuit; finis vitiorum, & origo virtutum.* Oportebat enim, ut sicut per feminam mors intravit in orbem; ita per Feminam Vita rediret in orbem: & ideo, quod damnauit Heua, saluauit MARIÆ; ut vnde mors oriebatur, inde Vita resurgeret. Merito significauit gratiam Virginis in sua Conceptione, vocans illam Auroram; sicut alij Patres, & ipsa Scriptura fecere. Aurora enim non est sine maiori luce, quæ ab exorturo Sole prouenit. Sic & Virgo lucem gratiæ in sua Conceptione passiuam participauit à Sole iustitiæ, exorturo in sua Conceptione actiuam. Præterea in Hymno de B Virgine, quem deuotissimè composuit Innocentius, magnisque remissionibus atque Indulgentiis ditauit; supponit Immaculatam Virginis Conceptionem; ideo ait, allocutus Deiparam; *Omni gratia tu plena; non dixit simpliciter gratia, sed omni gratia; ut gratiam Angelorum comprehenderet, quam ab origine sua habuerunt.* Rursus ait: *Eia Rosa sine spina;* & supponens idem fuisse eligi ad maternitatem Diuinam, ac mundam omnino esse, atque ab omni peccato immunem, canit:

*Inter natas mulierum
Omnium Creator rerum
Te elegit Genitricem,
Qui MARIAM peccatricem
Emundauit à reatu.*

Ad ea, quæ ex Innocentio Tertio citant Aduersarij pro affirmatiua opinione, opportunius infra

Gratianus
Clufinus
Can. 79.

Innocentius
Tertius.

Antonius
Possuinus,

Godfridus.

satisfacimus. Idem quoque argumentum potest fieri de Innocentio III. ac de Gratiano: nam Innocentius in cap. *A multis*, de *Etate & Qualit.* citat etiam Canones Trullanos.

Alexander
Tertius-

Similiter Italus fuit Alexander Tertius, Natione Tuscus, patriâ Senensis, antea Rolandus, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Marci appellatus, & Apostolicæ Sedis Cancellarij munere fungens, à Diuo Bernardo summopere laudatus. Hic Pontifex in Epistolâ ad Soldanum Iconij ait: *Magna igitur, & omni laude dignissima fuit Mater & Virgo MARIA Beatissima, quæ tantum Dei & hominis mundo edidit mediatorem, & nostrum parere meruit Salvatorem: quæ inter omnes, quas mundus habuit mulieres, nec primam, nec similem meruit habere; concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migravit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratiæ esse probaretur; & Deus Filius eius antiquum, quod pridem docuit mandatum, fideliter adimpleret, videlicet Patrem & Matrem honore præuenire; & ne caro Christi virginea, quæ de carne Matris Virginis assumpta fuerat, à totâ discreparet.* Multa hinc expendi possent pro Immaculata Conceptione; illud maxime, hinc migravit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratiæ esse probaretur. Vbi plenitudinem Marianæ gratiæ extendit, tum ad incorruptionem carnis, tum ultra vitam; quantò magis debet in illâ comprehendere incorruptio animæ intra limites vitæ, scilicet in principio ipsius vitæ, Conceptione nimirum?

Sed & in Hungariâ cultus erga Immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis fuit eximius eo tempore, de quo hinc sermo: paucis quippe ante annis propalari in eo Regno cœpit; vel idcirco maxime, quod Sanctissima Deipara Regis fratri sese videndam exhibuisset, addidissetque coronæ gloriæ promissionem; dummodò publicaret, & in eo Regno celebraret pium hoc mysterium, vti post beatum Anselmum refert Wion in Lign. Vit. lib. 5. Ram. 12. cap. 2. & postea Buar. §. 12.

S Anselmus.

Versus Septemtrionem pari omnino ratione, & eodem tempore celebrabatur præfens mysterium, vti refertur in Præfat. Officij primitiui de Conceptione, à beato Anselmo commendati his verbis: *Per totam Angliam, Britanniam, Daciam, Normanniam, Germaniam, magnâ cum deuotione colitur, colendumque per omnes mundi partes, Deo gratias largiente, porrigitur.*

Manuel
Comnenus.

Neque intepuit per Orientem, & apud Græcos mysterij nostri deuotio: nam tredecim annis post obitum beati Bernardi, anno videlicet 1166. Manuel Comnenus, Imperator Orientis, in Constitutione circa Festorum & Feriarum anni obseruationem, in quibus à Iudiciorum strepitu quiescendum erat per Imperium, addit clausulam hanc: *Decembris dies IX. in quo scilicet Conceptio Sanctissime Matris Dei nostri celebratur.* Et hæc apud Baronium habetur Tom. 12. Annal. Ecclesiast. anno 1156. num. 4. fol. 686. Ceterum, apud Græcos, die IX. Decembris, vno videlicet tardiùs quàm apud Latinos, tanto apparatu Festum hoc peragitur, vt Georgius Nicomediensis, Serm. 2. de Conceptione beatæ Annæ Deiparæ genitricis, publicato & edito à Patre Francisco Combeffis, Religioso Dominicano in Auctario ad Bibliothecam Græco-Latinam, Tom. 1. erumpat in hæc verba: *Cum itaque hodierna Festiuitas, illu-*

Georgius
Nicomede-
diensis.

rioribus omnibus solemnitatibus miraculorum in ipsâ consummatorum ratione præeat; usque seu fundamentum quoddam, ac crepido supposita, quidquid in illis Sacramentorum dispensatum est, pro fundamenti ratione in se colligat; par omnino est, vt tamquam principio, ac causæ vniuersorum bonorum venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam gaudio celebremus. Decet planè vt salutis initia honore prosequamur. Idem Nicomediensis in Menæis Græcorum, die 21. Nouembris. *Venite* (inquit) *populi omnes, & laudibus celebremus solam Immaculatam, solam Virginem, Immaculatam. Choroas ducant Ioachim & Anna; quoniam ex eis processit fœtus Sanctus, MARIA lucifera, diuina lampas. Ad te omnino Immaculatam missus fuit Gabriel, ô sine macula, non coinquinata Dei Mater, in celo, & in terra glorificata.* Et in Orat. de Conceptione B. MARIE: *Hodie Calum Solem fert, non occidentem; sed mundo sine occasu orientem. Oportebat è generoso lumbi germen oriri generosissimum, & semper virentem hunc pulcherrimumque natura surculum.* Et in Serm. de Præsentatione, quem Surius Georgio Archiepiscopo Nicomediæ tribuit, ad XXI. diem Nouembris plura referuntur, quæ puritatem Virginis Originalem supponunt. Sic enim ibi dicitur: *Accipe, ô Sacerdos, in MARIA infantula aureum thuribulum; in quo combusta fuerant omnia crimina inobediencia. Virginem pariter illic nuncupat Georgius Vmbrosus montem, in quo Verbo placuit habitare; in quo cum recubisset natura, declinavit peccati exustionem.* Deinde illic dicitur: *Eam indicauit liber obsegnatus, quem nullus legit sciens litterarum, præter eum, qui obsegnauit, & seruaui supra rationem. Eam charta significauit purissima, in qua Verbum sine scriptis impressum, scidit fraudis chirographum.* Verba hæc seruaui supra rationem, delignant non ob rationem communem id contigisse; verum ob diuinam aut particularem; neque item propter rationem legis naturalis, quod filia Adami esset; sed propter singulare priuilegium diuinæ maternitatis. Inferius denique Virginem vocat *Horium conclusum, quem peccati contagiones non possunt intrare: in quo diuina planta, quæ circa agricolæ culturam germinauit, ligni maledictum, quod prius in vita mirandum crescebat, exciecauit radicitus, & eius loco effecit, vt floreret benedictio. Fontem reuerà signatum, ex quo manarunt fluentia purissima, & irrigant orbem terra. In quo limi, qui conturbabat, non sunt deprehensa reliquia.*

Eodem sæculo sancti Bernardi, & ipso superstitente, floruerunt inter Græcos Ioannes Zonaras, Monachus, & Michaël Glycas; ille anno 1118. iste 1120. qui puritatem Originalem Virginis commendarunt. Ioannes Zonaras in Canone de Beatâ Virgine, eodem sensu vocat Christum Immaculatum, & etiam Matrem eius. Quare sicut Christus maculâ Originali caruit, ita & Deipara. Recolenda sunt quæ superius diximus de testimonio Arnobij.

Ioannes
Zonaras.

Michaël Glycas eodem sensu dixit part. 3. An-
nalium: *Expers illa macula Dominus nostri IESV CHRISTI Mater, prouectam aetatem attingisse perhibetur.* In relatione quoque Iuuenalis Ierosolymitani satis ostendit Glycas se neganti sententiæ adhæsisse.

Michaël
Glycas.

Per idem tempus egit in viuis Zacharias Christophopolitanus, qui ad finem Euangeliorum, Serm. de Assumpt. *Dignum erat, inquit, vt Angelica pu-*

Zacharias
Christopoli-
tanus.

ritas

ritas illi subderetur in calis, cui tota se infuderat Diuina puritas in terris. Dignum erat, ut amplius Matrem suam honoraret, quam ministros ipse, qui dixerat: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram.* At qui hoc ipsum in Virgine minimè reperiretur, si deesset illi puritas Originalis, quæ nec Angelis defuit.

Theodorus, Patriarcha Antiochenus, Commentariis in Canone Synodi sextæ cap. 79. alias 80. Virginem vocauit *Achranon*, absque omni labe puram, & simul expulit ab eâ molestias partus, ortas ex maledictione Heuæ & culpâ Originali. Fixum ergo ratumque erat per Europam, commune fuisse studium & venerationem purissimæ Conceptionis Deiparæ.

Quod tantummodò superest inquirendum; num Hispani cæteris fuerint inferiores necne, sæculo de quo agimus nostræ Redemptionis duodecimo; & quidem sanctus Dominicus: & ipse Hispanus, sententiam hanc tanto cum feruore docuit; uti supra vidimus, sub initium sæculi decimitertij, præterquam quòd beatus Ildelfonsus, alique Sancti eam iam certam & firmam esse docuerunt. Addamus tamen, exeunte sæculo vndecimo, anno videlicet 1088. sub ipsam fermè beati Bernardi ætatem calitus approbatum fuisse Missale Mozarabicum, in quo Festum Conceptionis habebatur octauo die Decembris, quando de Urbani Secundi Papæ iussu actum fuit de introducendo intra Hispanias Romanæ Ecclesiæ Officio; & repugnantibus Hispanis Pontificis propositioni, placuit purgationem vulgarem adhibere, proindeque Missale Romanum vnà cum Mozarabico flammistradere, in quibus alterum mansit incombustum, & è quibus alterum emerfit illæsum. Auçta per miraculum fide, ambo Missalia obseruari libuit: & hinc in quibusdam Ecclesiis, imò & in Capellis quibusdam priuatis, vsus Mozarabici perseverat. Præterea, initio sæculi decimitertij accidit aliud mirandum de volumine sancti Dominici, ubi Conceptio Virginis Immaculata affirmabatur, quod in ignem coniectum profiliit indemne. Quocirca finis vndecimi sæculi, principio decimitertij iunctus, docet in Hispaniâ sæculo duodecimo intermedio deuotionem, de qua tractamus, viguisse.

Vltra hæc, eodem sæculo sancti Bernardi, imò & iisdem annis habuimus in Hispaniâ alterum Bernardum, successorem sancti Ildelfonsi in Sede Toletanâ & in deuotione Virgineâ; de quo Iulianus Petrus in Chronico hæc testatur anno 1110. *Diuus Bernardus, Archiepiscopus Toletanus fecit quoque Sermonem super Canticum Magnificat, & alios quinque super Salve Regina, qui Domino Bernardo, Clarenallis nouitio, Abbati falso inscribuntur. Ego enim habeo scriptos de manu ipsius Diui Bernardi, qui est in æterna benedictione, qui erat Beata Virgini deuotissimus, qui faciebat celebrare Festum eiusdem Domina cum magna deuotione, & fecit celebrari deuotius Festum Immaculata Conceptionis eius.* De virtute, deuotione & magnitudine animi huius magni viri Bernardi Toletani multa dicuntur in Historiis Hispaniæ; & quidem singulari Dei dispositione effectum est, ut tempore sancti Bernardi Clareuallensis in præcipuis Europæ Prouinciis excelluerint aliqui inter alios multos in affectu erga Beatissimam Virginem, qui eius Immaculata Conceptioni fauere. Nam sicut eminuit inter Hispanos Ber-

nardus Archiepiscopus; sic etiam enituit in Italiâ alius magnus Sacerdos & Præsul Romualdus secundus, Salernitanæ Ecclesiæ Antistes, qui floruit circa annum 1153. in quo obiit Patriarcha sanctus Bernardus. Huius Romualdi Sermones in Ecclesiis in Diuino Officio legebantur. Hic igitur celeberrimus vir addictissimus fuit Beatissimæ Virgini de cuius puritate egregiè locutus inter alia dixit Sermone de Annuntiat. *Heuæ serpenti credidit, fructum comedit, maledictionem incurrit: MARIA verbis Angeli fidem adhibuit, verbum concepit, benedictionem promeruit, maledictionem euasit.* Nota illa verba, *maledictionem euasit*, vnà cum vi contrapositionis cum Heuâ, & ad Virginis Conceptionem referenda sunt.

In Thraciâ, imò in totâ Græciâ & Asiâ emicuit Nicetas Colossensis, quem alij dicunt etiam Acominatum, aut Choniatem, magnus Logotheta, siue Cancellarius Imperatorum Orientalium, & Præfectus sacri cubiculi, qui multa sua eruditione, antiquorumque Patrum lectione iuaret affectum Emmanuelis Comneni Imperatoris, ut festum Virgineæ Conceptionis renouaret, atque idcirco in constitutione suâ iussit in ea Festiuitate à Iudiciorum strepitu quiescere. Ad hoc Decretum nonnulli egit Nicetas, tanquam magnus Logotheta Secretorum, inspector & iudex veli, Præfectusque Augusti cubiculi, tam acceptus Manuelli Augusto, ut dixerit Michaël Atheniensis in Oratione funebri: *Honores & Magistratus continua Imperatorum successio integros illibatósque, nec ullius successione interruptos conseruauit (nimirum Nicetæ) imò verò qui subsequerentur præcedentibus erga illum beneuolentia antecire quasi contendentes, ad pristinos illius honores aliquid insuper adiciebant: viri nimirum virtute obstupescentes, tantumque ex imperio suo imminui existimantes, quantum de honoribus illius minueretur.* Idem Nicetas etiam in Thesaurò Orthodoxæ Fidei lib. 3. satis fauet Immaculata Conceptioni, & propterea more Græcorum vocat Deiparam *Panagiam*, quo sensu dixit cap. 38. *Iam ante mundi constitutionem, ut Deus humanam carnem assumeret, præfinitum erat. Numquam autem ante sanctissimam MARIAM diuina carnis assumptione dignum repertum est domicilium: ubi autem repertum est, humanam carnem assumpsit Deus.* Tum quia cap. 32. allegat sanctum Damascenum, vocantem carnem Virginis, ex qua Christus homo factus est, *nostræ massæ primitias*; indicans non esse, ut communem carnem filiorum Adæ, impuram, sed instar primæ illius carnis Adam, cui anima cum gratia simul inspirata à Deo fuit. Verba eius sunt: *Dei Filius consubstantialis, haud secus atque diuinum semen eam obumbravit, sibi que ipsi ex costis eius, ex purissimis sanguinibus carnem anima rationis, & intellectus particeps animatam compegit, nostræ massæ primitias.* Idem Nicetas in ordine baptizandi Sarracenos, in confessione post anathematismos, locutus reuerenter de Immaculata Virgine, aptam suggerit ratiocinationem pro Immaculata eius Conceptione, dicens: *Sanctam Virginem, qua illum (scilicet Christum) in carne peperit, Dei propriè, verè que Matrem esse credo & confiteor, eandemque, ut reuerà Dei, qui homo factus est, Matrem atque idcirco Dominam, & Reginam omnis creatura diuina gratia effectam adoro, & veneror.* Cum enim facta fuerit Virgo Domina cæli

cali, & Angelorum Regina, quia peperit Christum, cum iam illum non habitura esset in suis visceribus, nec ministratura eius carnem, neque nobilitas Matris post partum adeo nobilitat Filium, ac ante partum; cur, quia paritura erat Christum, cum nobilitas matris omnino refunditur in prolem, non præservaretur à seruitute diabolica, ut ex omnino ingenua Filius Dei nasceretur? In Germaniâ similiter vnus sanctus Norbertus pro multis eminuit, sicut in Angliâ non vnus, & in Galliâ non pauci inter plurimos, de quibus iam diximus.

Appendix de mente Philippi Abbatis, & explicatione Ioannis Bachonis.

PRO confirmatione omnium, quæ in hoc Capite diximus, afferro obiectionem, quæ contra ea ipsa posset proponi, scilicet, quod Philippus Abbas Bonæ Spei, contemporaneus S. Bernardo, expressè asseruerit, Beatam Virginem fuisse conceptam filiam iræ, nimirum in peccato Originali: quod amplius roboratur, cum etiam Deiparæ impegerit culpas actuales leues: quare omnino necesse videtur ei concessisse Originalem. Planè explicatione eget, & habet quidem, atque ut existimo, veram pius & religiosus Abbas Philippus. Sed demus nunc expressè docuisse animam Virginis maculatam fuisse peccato Originali: ex ipsâ singularitate huius assertionis in illo sæculo, & ratione eius proferendæ confirmari posset, cæteros Patres tempore sancti Bernardi locutus fuisse de Virgine, eximentes ab ea contractionem peccati Originalis. Ratio enim eiusmodi propositionis à Philippo assertæ fuit: quia censuit Virginem culpas veniales commisisse: quare & Originalem illi non negauit. Etenim in illud Carticorum: *Reuertere, reuertere Sinamitis*, lib. 6. suorum Commentariorum cap. 13. sic ait, locutus de Virgine: *Eius conversatio culpis vel leuibus est infecta. Quæ verba nullam interpretationem videntur habere.* & lib. 1. cap. 17. ait de Sanctissimâ Deiparâ: *Manu tergit sollicita maculas interna faciei.* & lib. 2. cap. 5. dicit in personâ Dei ad Virginem: *Tuas exersi maculas gratia beneficio diluentis.* & rursus lib. 1. cap. 17. in personâ Virginis ait: *Pœnas patior humana merito prauitatis.* Perperam etiam lib. 4. cap. 17. de pulchritudine, seu puritate actuali Virginis loqui videtur. Cum igitur singularis fuerit Philippus in sancti Bernardi sæculo in negandâ Virginis puritate actuali quoad leuissimas culpas, non mirum quod etiam fuerit singularis in negandâ munditie Originali. Itaque hallucinatus circa rem tam acceptam Ecclesiæ, ac est immunitas Virginis ab omni peccato actuali, etiam leuissimo, quod de Fide esse ostendit Concilium Tridentinum, nulla ratio habenda esset in hac parte auctoritatis Philippi, cum ob principium erroneum deduxerit negationem Originalis puritatis in Deiparâ. Quamuis enim non dixisset errorem, imputans Virgini peccatum Originale, dixisset erroneè, quod non erat in se error; cum id dixerit reputans veram hanc propositionem: *Virgo commisit peccata leuia;* quæ contra fidem Ecclesiæ est. Ac proinde manet integrum, nullum ex antiquis Patribus clarè & Catholicè dixisse, Virginem conceptam in peccato, hoc est ex principiis non hæreticis. Accedit

quod ipse Philippus negauit fuisse sanctificatum & mundatum peccato Originali in utero matris sanctum Ioannem Baptistam, sed indignisse ad abolendum illud circumcisione: nam in Epistola 2. ad Heroardum ait: *Eget tam Ioannes, quam Isaac medicamento circumcisionis ad abolendum generationis contagium.* Vnde cum errauerit circa Natiuitatem sancti Ioannis sine Originali culpâ, non mirum, non attigisse veritatem de Conceptione Deiparæ.

Verum quod ad puritatem Virginis attinet, poterit excusari idoneo interpretamento Philippus, qui in aliis locis aut se retractauit, vel declarauit: nam in lib. 6. Commentariorum in Cantica cap. 8. fecit Virginem filiam gratiæ. Vnde quod vocauerit illam filiam iræ, interpretandum videtur, ne contrarietur iis quæ de filiatione gratiæ dixit ad illud; *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, & electa genitrici suæ.* Locutus de ipsâ Deiparâ, ait: *Vna est igitur matri suæ, quia mater gratiæ, nec primam visa est habere similem, nec secundam.* & rursus: *Hanc vnâ, vel vnâ singularem privilegio decorauit. Sed ne quis putet eam huiusmodi privilegium meruisse, & non prius eligi, sed eam potius elegisse, sicut vna matri suæ, sic & genitrici electa perhibetur, ut eiusdem non solum perfectio, sed & prauia simul electio commendetur.* Hanc nimirum gratia elegit, & quasi genuit, cum non esset: suscepit & aluit, promouit & adiuuit eadem, cum iam esset: in eligendo vel gi-gnendo vicem obtinens genitricis: in alendo & promouendo fungens matris officio vel nutricis. Quæ enim Virginem cognitione prouida præcligit, ipsa eam affectu materno suscepit misericorditer, & col-legit. Statim addit: *illam in sua formauit officina:* nimirum, gratia formauit MARIAM. In prædictis verbis satis innuitur genitam cum gratiâ MARIAM, sicut etiam in cap. 3. lib. 1. insinuatur Virgo concepta sine peccato, cum dixit: *Virgo, cuius caro à peccatis est prorsus onere lauigata.* Notanter dixit, *cuius caro,* non *cuius anima;* quoniam patris illis temporibus peccatum Originale vocabatur peccatum carnis. Supponens igitur Philippus Sanctitatem animæ MARIÆ, dixit eius etiam carnem prorsus sine onere peccati. Similiter in lib. 4. cap. 1. de Beatâ Virgine ait: *Quæ viuens in corpore mortis necessitatibus obnoluit, vitam virtutis obnoxiam cursu peragit impolluto.* Quibus verbis supponit omnimodam Virginis puritatem, cum vitæ cursus sit ab ipsâ animatione. Et lib. 5. cap. 12. dixit, *Virginem teneri inuolucro carnalis, non vitij, sed naturæ.* Item in eodem cap. dixit: *Virginem non offensa culpabili, sed corruptibili carne pressam.* In lib. 2. cap. 20. quasi parallelus facit Christum & eius Matrem in eximâ puritate, dicens: *Sicut ergo Filius flos, & lilium inter spinas oriens, non tamen spinas sentit, dum earum malitia affertur simili non consentit; sic Mater, & amica inter filias conuersans, nescit tenebras filiarum, filia lucis licet, non habens opera tenebrarum.* & paulò antè de Virgine locutus ait: *Amica mea inter mala huius sæculi conuersatur, & virtute mirabili lux lucere in tenebris comprobatur, eiusque lucem floridam circumfusa tenebra non obscurant, integram eius pulchritudinem minaces tribula non tritulant.* Ipsa tamquam lilium inter spinas oritur & accrescit, inter obscuras lucet, inter asperas mansuescit, flante vento impulsâ non nullas videtur sentire fluctiones, sed candoris & odoris nullas sustinet lesiones. & cap. 5. eiusdem lib.

lib. 2. *Nec solum caput tuum non premit, vel opprimit undæ congeries imminens; sed nec riuus præteriens pedes attaminat incedentis: imò pedé sicco, puro vestigio, mundâ vitâ viam præteris huius mundi, nullo vitiorum tactu laceffita.*

Ex his euidentibus locis, quibus puritas Virginis commendatur à Philippo, colligitur, idoneè interpretanda esse sua verba, cum impingit Virgini culpas. Et quidem quoad Originalem, facilem interpretationem habet, vt loquatur non de peccato Originali contracto in animâ Virginis, sed de debito illius in fœtu, non de conceptione personali, sed de conceptione seminali, ita vt solum carnem inanimatam fœtus dixerit filiam iræ ob debitum contrahendi peccatum, non autem animam, seu personam Virginis quam proflus reputauit filiam gratiæ. Verba eiusdem Philippi, quæ possent allegare Aduersarij pro contractâ Originali labe sunt hæc: *Virgo, vt cateri, naturaliter fuit filia iræ* post modicum addit: *in peccatis naturaliter est concepta.* Vbi aduertendum est in vtroque testimonio aduerbium adiectissè, *naturaliter*, quod necesse non erat, si absolutè sensisset animam Virginis fuisse sine gratiâ corpori vnitam. Consultò igitur, & ex studio addidit illud, vt notaretur solum loqui secundum legem, & commune ius naturæ, & generationem naturalem, non secundum priuilegium supernaturale, & prærogatiuam gratiæ præseruantis, quam benignam Virginis matrem, & genitricem etiam dixit. Itaque sanctissima Virgo potuit, prout censuit Philippus, esse concepta naturaliter in peccatis, & supernaturaliter in gratiâ: naturaliter in conceptione fœtus, supernaturaliter in conceptione personæ: naturaliter secundum communem legem naturæ & debitum peccati, supernaturaliter secundum priuilegium speciale, ad differentiam Christi Saluatoris nostri, qui naturaliter & supernaturaliter conceptus est sine peccato, & absque illius debito, quippe conceptus sit opere Spiritus sancti, & à MARIA Virgine, non per generationem naturalem communem filiis iræ. Præterea in eodem loco satis indicat Philippus, animam Virginis peccato Originali caruisse, cum dicat: *Virtus ei affuit culparum damnabilium expulsua*, id est præseruatiua. Alioqui sentiret, Virginem habuisse peccata grauiora, quæ commissa expulisset, quod minimè sensit hic Auctor. Cum autem secundum illum Virgini adfuisse virtus, siue gratia præseruatiua culparum damnabilium, præseruatam supponit ab Originali culpâ, quæ damnabilis est.

Difficilius est excusare Philippum, ne attribuerit Virgini maculas & culpas leues; verum si rectè exploretur eius mens, & verba eiusdem penitus perpendantur; persuasum mihi est, non fuisse locutum de maculis moralibus, sed de naturalibus, hoc est de defectibus & pœnalitatibus quæ corruptionem & mortalitatem sequuntur. Hoc constat manifestè tum ex locis allatis, vbi de puritate Virginis egregiè loquitur, tum etiam ex cap. 17. lib. 1. vbi dixerat, sollicitam esse Deiparam tergendam *interna maculas faciei.* Vbi per maculas, quas ibi enarrat, nullam culpam, nec mortalem nec venialem denotauit, sed afflictiones & miseras, atque accidentia huius mortalitatis, quas communes cum Christo tribuit Virgini; idè ait: *Tristitia ossibus exsiccatis denigrat Virginem & deturpat; & gaudio longè factò primum sibi locum præripit & usurpat: nec patitur præsens formâ gan-*

deat pulchriore, quàm corpus, quod corrumpitur, fuce tenebrat nigriore. Nec mirum, si nigram & deformem sponsa tristior se fatetur, cum in hoc non infructuosè sponso, quem diligit, simuletur: qui pro eo quod grauatur molestiis, dum carne corruptibili detinetur, non decorem, non speciem habere Scriptura testimonio perhibetur. Non est (inquit) ei species, neque decor. Et: Vidimus eum, & non erat aspectus. Cui autem non est decor, non species, niger intelligitur & deformis, vt non Virgo accusetur, si ei nigredine sit conformis: cum nigredo neutrius assignanda sit ignominia vel pudori, sed deformes eos reddat præsens viuendi status miseria deditus & labori. A quibus sufferendis liberum esse Christus se noluit, sed sicut cateris, sic & sponse Matri exemplum se præbuit, vt nigra & deformis nec ipsa videri Virgo abhorreat, sed in hoc quoque sponso patienter sese conformem exhibeat. Clarissimè profectò se explicuit cap. 12. lib. 5. dicens: Non solum culpa, sed & corruptio nos obscurat. Has igitur maculas paulò post vocat etiam pœnas humane prauitatis, quas dixit passam esse Virginem non quia in ipsâ Virgine prauitas aliqua fuerit, sed quia deprauata sit communis natura ob peccatum Adami, pœnas in humanam vitam inducentis.

Has easdem maculas, quas pœnas dixit prauitatis, vocauit etiam culpas leues, quas admisit in Virgine, non culpas quidem morales, sed naturales. Nam sicut ipse Philippus vocauit culpam carnem humanam, sic & eius pœnalitates vocat culpas, quia effectus sunt culpæ Adami. In lib. 3. cap. 5. ait: *Virginem non iam culpa, non caro grauis culpa videnda (vt videtur) subtrahit veritati, sed quod ipsa creatura predicta est adhuc subdita vanitati.* Sicut enim carnem vocauit culpam, non intelligendo illam moraliter, sed naturaliter, ob corruptibilitatem quam habet, & mortalitatem in statu naturæ lapsæ; sic etiam accidentia huius corruptionis ex carne mortali, & conditione miserâ lapsæ naturæ vocauit culpam. Hoc idem ipse declarauit, quoniam culpas leues, quibus obnoxiam facit sacratissimam Virginem, vocauit ibidem *leges naturæ*, quibus dixit *captiuam* cap. 13. lib. 5. Præterea in his culpis non moralibus, sed naturalibus nostræ mortalitatis distinxit inter grauem & leuem. Carnem quippe corruptam vocauit grauem culpam, lib. 3. cap. 5. quia scaturigo & fundamentum est omnium calamitatum, quæ accidunt huic miseræ vitæ corruptæ naturæ: singulas autem calamitates vocauit culpas leues; atque has easdem vocat maculas, non solum in Virgine, sed etiam in CHRISTO. Cum autem hæ maculæ non sint maculæ & culpæ morales, atque idcirco non sint obiecta alicuius iudicabilitatis & damnationis; idè distinxit inter culpas damnabiles, quæ sunt morales atque naturales, quæ damnari nequeunt; has propterea dixit leues, & tribuit Virgini, illas autem omnino negauit, dicens: *Virtus ei affuit culparum damnabilium expulsua.*

Hæc sufficiunt, quæ Auctorem pium & Catholicum apta interpretatio honestet, qui quoad puritatem conceptæ animæ Virginis in gratiâ nihil nobis obest, sed potius fauet, cum addiderit aduerbium *naturaliter*, prout notauimus. Atque vt id ipsum magis roboraremus, nõ solum Philippus, sed alij Auctores dixerunt conceptam Deiparam in peccato iuxta generationem naturalem, & iidem ipsi dixerunt conceptam in gratiâ, & absque Originali peccato ex priuilegio, non tamen

se contradicere rati. Vnum pro multis afferam Ioannem Bachonem, eruditissimum & antiquissimum Scholasticum, qui simul fecit Virginem filiam peccati, & filiam Iustitiæ seu gratiæ. Cumque sapè dixisset conceptam in peccato iuxta viam generationis suæ, is ipse fuit egregie assertor Immaculatæ Conceptionis, atque perspicuis verbis se explicuit, quasi minime opus haberet retractatione, sed declaratione. In 4. Sentent. dist. 2. quæst. 3. art. 3. ait: *Dico, quod mox per privilegium speciale in hora conceptionis fuit causa & necessitas contrahendi Originale in Matre Dei extincta, ut de iure priuato illa in animatione non contraheret Originale, quo notatur culpa & macula in anima: licet alibi attendens ad ius commune aliter dixerim.* Tam contraria specie tenus dixerat contra Immaculatam Conceptionem, ut minime viderentur capacia explicationis, Nam in 2. Sentent. assimilabat negantes Virgini Originalem culpam iis hæreticis, qui illam negabant feminam, & supra genus humanum illius naturam constituebant. Acriora adhuc dixit lib. 3. Quodlibet quæst. 13. *Dicere, quod Beata Virgo fuit privilegiata, ne de factò contraheret Originale, temerarium est. Quid sperari posset de eo, qui talia dixit? Sed planè is ipse non solum defendit acriter & egregie personam Virginis caruisse culpam Originalem, sed etiam sensit debitam illius animæ fuisse gratiam. Nam in 4. Sent. dist. 2. quæst. 3. art. 5. docuit, factum inanimatum Sacratissimæ Virginis, post primam eius formationem dignum esse veneratione & cultu, ob necessitatem ad gratiam, quam habuit anima Virginea; necessitas autem ad gratiam debitum illius est. Notanda sunt illa verba: *Qua ratione ex lege statuta caro contrahit necessitatem culpæ & detestationis; eadem ratione & necessitatem ad gratiam venerationis: nam leges promiores sunt ad benignitatem quam ad severitatem: ergo si gratia illa sit specialis forma, & perpetua & omnimoda, ut est de gratia Matris Dei, erit specialis ratio venerandi.* Hic erant repetenda quæ notauimus supra c. 17. in expositione terminorum, & modi loquendi Antiquorum circa hanc materiam: illic enim doctrinam exhibuimus, hic praxim demonstramus in Philippo Abbate, & Ioanne Bachone.*

Fortasse & videbitur alicui, etiamsi imputasset Philippus Virgini leues culpas, exinde præcisè non sequi habuisse peccatum Originale, quod peccatum mortale est, quatenus priuat diuinam amicitiam: nec enim idonea est argumentatio affirmatiua à minori ad maius. Verum est, quod hæc propositio Catholica sit & Augustini axioma: *Qui contraxit Originalem culpam, incurret aditus in aliquas actuales, saltem leues, nisi ex speciali privilegio ab iis præseruetur.* Econtrà, in illà propositione, *Qui habuit peccatum actuale, habuit etiam peccatum Originale.* Minorem consequentiam agnouisse videtur sanctus Chryostomus cum aliis, qui non censuere maculatam Virginem, licet commisisset aliquam leuem culpam, & tamen vocarunt illam Immaculatam, quoniam caruisset culpam Originatiam, quam non contraxit, supponentes etiam non commisisset peccatum graue. De quo rememoranda sunt quæ diximus supra cap. 4. Et quidem Adam & Heua, imò & plurimi Angeli commiserunt peccatum actuale, licet Originale carerent.



CAPVT XXVII.

*Pergitur in referendo consensu
Scriptorum à sæculo beati
Bernardi.*



OST Bernardi auum, minime fuere muti Scriptores doctrinæ huius studiosi; sed potius vires eorum adauxit affectus: atque ad eò sæculo duodecimo, quod ætatem Bernardi excepit, initium datum, est quantum ad hoc, prædicatione beati Dominici, qui mysterium præsens vulgavit, & huic auctoritatem, editis miraculis, conciliauit, eiusque pietatem plerique filiorum, siue discipulorum ipsius imitati (quemadmodum supra tradidimus) quales Albertus Magnus & S. Thomas, alique aliarum Religionum Scolastici Doctores, uti Alexander Aletis & B. Bonauentura, supra item laudati; præterque illos alij plurimi, qui ab eo tempore in hanc diem sententiæ negatiuæ egregij fautores fuerunt, quibus si addantur sacræ Scripturæ interpretes, viri quoque Ascetici, imò & Poëtæ Christiani veteres non pauci, vix possint enarrari, ac proinde satis erit nonnullorum testimonia implorare, quorum haud vulgaris propter antiquitatem est auctoritas, iam utique sanctimoniam vel eruditioni coniuncta.

Alterum Coryphæum pro sententiâ negatiuâ post sæculum sancti Bernardi possumus adducere Seraphicum sanctum Franciscum, Minorum Ordinis Fundatorem, qui in Tom. I. Opusculor. in Salut. ad Virg. *MARIAM* hæc habet: *Aue Domina Sancta, Regina Sanctissima, Dei genitrix MARIAM, que es perpetua Virgo electa à Sanctissimo Patre de celo, quam consecrauit cum sanctissimo Filio & dilecto, ac Spiritu sancto Paraclito, in qua est, & fuit omnis plenitudo gratiæ, & omne bonum. Aue eius palatium, aue tabernaculum eius, aue Mater eius.* Notanda sunt illa verba, *quam consecrauit*; nimirum in primâ formatione Virginis sanctam fecit, idèò addit; *in qua est, & fuit omnis plenitudo gratiæ.* Nam indeterminatè dicit, *fuit*, nimirum quamdiu extitit, sine limitatione temporis, horæ aut instantis. Postèa in aliâ Orat. ad Virg. ait: *Sancta MARIAM Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia, & ancilla altissimi Regis Patris celestis, Mater Sanctissima Domini nostri IESU CHRISTI, Sponsa Spiritus sancti.* Illud *similis nata* ponitur pro formatâ, siue nata in utero, alioqui similem haberet Ioannem Baptistam, qui natus in gratiâ est; quare ut nullum haberet similem *MARIAM*, concepta est in gratiâ, & concepta filia Dei, & sponsa Spiritus sancti, & Mater Dei consecrata, prout insinuat Seraphicus Pater, qui etiam non dixit *equalis*, sed *similis*, ut significaretur loqui de Conceptione, in quâ non habuit similem Deipara, non autem de Natiuitate, in quâ habuit similes Ieremiam & Ioannem, quamuis non æquales; æqualem autem neminem habuit nec in Conceptione, nec in Natiuitate, nec in vitâ, nec in morte.

Pluribus etiam in locis Immaculatæ Conceptioni fauet sanctus Antonius de Padua: nam in Expositione

Expositione mysticâ in Ecclesiastic. cap. 24. eam profus affirmat, dicens ad illud, *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis, Quasi dicat: Ego qui in altissimis habito apud Patrem, elegi thronum & in pauperula Matre. Et nota quod dicitur columna, quia nostram fragilitatem sustentat; nubes, quia à peccato immunis; sic thronus fuit de ebore, quia MARIA fuit candida innocentia, frigida sine libidinis ardore. Laudat in throno materiam, ex quâ factus fuit: sic etiam candidus fuit fœtus, cui anima Beatissimæ Virginis vnita est cum innocentia & candore gratiæ. Eadem verba repetit in Dominicâ V. post Trinitatem Sermon. 2. Idem sanctus Antonius in Dominicâ III. post Trinitatem interpretatus de Beatâ Virgine illud Ezechielis 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, eritque clausa Principi, & Princeps ipse sedebit in ea dicit: Principi enim huius mundi, id est diabolo clausa fuit, quia nulli temptationi ipsius mens eius patuit, & Princeps Christus in ea solus sedit, per assumpta carnis humanitatem.* Non ergo aditum in eâ per peccatum Originale habuit diabolus, quod temptationum & prauitatum nostrarum porta est: Consentaneus his in Sermon. 1. de Epiphaniâ dixit MARIA mare amarum interpretatur, non quia amarum pœnitentia habuit gemitum: sed quia in passione filij quodam quasi prasagio nomen amaritudinis est sortita: quare nec de culpâ Originali habuit tristitiam ac amaritudinem, quia illâ caruit. Tum etiam in Sermone primo de transfiguratione, postquam vocauit Virginem montem excelsum, ait: *Beata Virgo est mons, quia sicut montes sunt superius luminosi, inferius spatiosi, interius onerosi, exterius pascuosi; sic Beata Virgo fuit superius luminosa puritate, quam cum Angelis participat.* Vbi omnino loquitur de puritate Originali. Alioquin non participaret, nec superaret omnimodò puritatem Angelicam. Nec omittere sunt quæ dixit sanctus Antonius in Sermon. Feriæ V. in Passione, vbi loquens de illo Saluatoris dicto, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,* sic annotat: *Aduertendum, quod hoc dictum Saluatoris solum tenet de illis qui debitores fuerunt, non de illis qui fuerunt ab huiusmodi debito preseruati, sicut qui fuerunt sanctificati in utero, de quorum numero fuit Beata Virgo; tales enim plus diligunt, quia maius beneficium recipiunt.* Hinc constat excellentius genus Redemptionis esse preseruare à culpâ, quam remittere illam. Deinde quamuis sanctus Antonius loquatur de preseruatione à peccato actuali, non obinde negat preseruationem Virginis à peccato Originali, imò ratiocinatio eius iuxta suam doctrinam id supponit, cum alibi tribuerit Virgini summum charitatis super omnes alias creaturas: ideò in Dominicâ V. post Trinitatem, vbi Deiparam fecit thronum Dei in columnâ nubis, & illam dixit à peccato immunem, addit: *Et summitas Throni rotunda in parte posteriori. Beate Mariæ summitas fuit Charitas, ob cuius meritum in posteriori parte id est æterna beatitudine, summum tenet locum.* Cum igitur ratio diligendi Deum propter remissa peccata non fuerit in Virgine, extitit in illâ illa ratio preseruationis plusquam in aliâ creaturâ humanâ, nimirum per maiorem preseruationem, scilicet à peccato etiam Originali. Tum etiam in Exposit. in Isaiam c. 6. vocat Virginem *Altare*, ex quâ calculus igni.*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

tus CHRISTVS IESVS sumptus est, supponens sanctitatem carnis Virgineæ, quam propterea dixit *Altare* iuxta alios Patres, qui eiusmodi indidarunt omnimodam Virginis puritatem, de quibus supra; sicut & alij Patres eandem puritatem notarunt per duplicem Virginitatem Virginis, coporis scilicet & animæ, quod item præstitit sanctus Antonius Sermon. 2. Dominicæ III. in Quadragesima dicens: *Venter gloriose Virginis fuit sicut aceruus tritici: aceruus, quia in eo aceruata fuerunt omnes prerogatiue meritorum & pramiorum. & paulò post: Hic beatus venter fuit vallatus liliis. Liliis dictum quasi lacteum, beata Mariæ Virginis, propter sui candorem, Virginitatem significat, cuius vterus fuit vallatus, id est valle humilitatis munitus, liliis scilicet vtriusque virginis, interioris & exterioris.* Notentur illa verba; in eo aceruata fuerunt omnes prerogatiue meritorum; quoniam non defuit Virgini prerogatiua merendi in primo instanti.

Sanctus Bernardinus Senensis, Tom. 1. Sermon. 52. S. Bernardin. Senens. de Salutatione Angelicâ ad hanc Angeli vocem *Aue*, tradit Virginem liberam fuisse sine lamentatione Latinâ alterius voculæ *ua*, hoc est sine peccato Originali, mortali & veniali; & rationem subiicit his verbis: *Fuit enim beata Virgo sine primo ua, id est sine tyranno concupiscentia peccati Originalis: quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone Cant. 4. didicimus qui ait: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, scilicet Originalis culpa.* Idem S. Bernardinus Senensis, Tom. 4. Sermon. 49. post Pascha, part. 1. ait: *Certum est, quod Deus creauit Adam sine peccato Originali, ex limo terra, deinde ex costâ eius creauit Heuam etiam sine peccato. Et certum est, quod CHRISTVS incarnatus fuerit Deus & homo, & fuit maior quam Adam & Heua: modò non est credendum, quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere eius carnem, quæ esset maculata aliquo peccato Originali. Imò credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quod eius Mater fuerit plusquam Heua & Adam, qui creati fuerunt sine peccato Originali.*

Beatus Laurentius Iustinian. Tract. de Casto cõnubio Verbi, c. 7. loquens de Protoplastis nostris, & B. Virgine, sic inquit: *Hæc est Originalis pœna delicti, à qua nemo (quamuis eximia polleat sanctitate) liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis dumtaxat mediatore Dei & hominũ homine CHRISTO IESU, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.* Et in Fasciculo amoris, c. 7. in fine, sic fatetur: *Nemo ab ipso mundi initio, vsq; ad temporis plenitudinẽ (dumtaxat Mediatore, & eius Genitrice exceptis) ingum damnationis diaboli euasit.* Idem Sermon. de Annunt. sic admirabundus querit: *Quis huius Virginis gratiam sufficit narrare? Ab ipsa namque sui Conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atq; à damnationis aliena chirographo.* Ac deniq; de Gradibus perfectionis scribit: *Ab hoc quippe Originali peccato nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem.*

Sanctus Vincentius Ferrerius, Sermon. 1. de Natiuitate Virginis, hisce verbis sententiam exponit suam: *Quando corpus beata Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, Altissimus sanctificauit tabernaculum suum.* Et alibi narrauimus, vbi & quomodo in hanc diem testimonium ipsius manu ad marginem Summæ B. Thomæ conscriptum, videre liceat, idemq; in aliis Operũ suorum locis exprimit.

B. Laurent. Iustinian.

S. Vincent. Ferrer.

S. Casimirus Jagellonius.

Sanctus Casimirus Jagellonius, in Hymno de beatâ Virgine, part. 2. sic Immaculatam Conceptionem profitetur

*Pulchra tota, sine nota
Cuiuscumque macula.*

Notanda vox *cuiuscumque*. Et paulò antè dixerat:

*Virgo salve, per quam valua
Cæli patent miseris;
Quam non flexit, nec allexit
Fraus serpentis veteris.*

Per verbum *non flexit*, notavit rectitudinem iustitiæ Originalis, per illud *nec allexit*, constantiam actualis sanctitatis. S. Carolus Borromeus quo animo erga immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem fuerit, patet ex eius diplomate, quod pro eadem Conceptione promulgavit, cuius tenorem integrum affert Armamentarium seraphicum in Regesto pag. 528.

Beatus Ludouicus Alemandus, quem tandem ob præstantia virtutum merita, inclytamque miraculorum gloriam, Clemens Papa VII. Romæ dato diplomate anno 1537. illum in calitum numerum Beatitatis nomine retulit, honoribusque, quibus beati coli consueverunt prosequendum decreuit. Hic igitur B. Ludouicus signifer, & dux fuit in Concilio Basileensi è plurimis partibus congregato, dum anno Domini 1439. pro purissima Deiparæ Virginis Conceptione, & ab originalis peccati macula præseruatione editum fuit Decretum. Licet enim Decretum hoc quia Concilium tunc temporis ab ob edientia Eugenij IV. Romani Pontificis desciuerat, auctoritatem non habebat: magnum tamen apud aliquos auctoritatis robur habet, non solum quia à pluribus, & selectissimis Variarum nationum Episcopis, & Theologis profectum, sed quia à Ludouico emanatum, quem constat fuisse admirandæ sanctitatis, & incomparabilis doctrinæ, & post mortem miraculis fulsit.

Beatus Thomas Villanouanus, sanctissimus Valentia Archiepiscopus, multis in locis extollit omnimodam puritatem Virginis; Serm. 3. de Natiuitate Virgineâ ait: *Decuit & Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Vnde non solum quando puella, sed quando paruula, sanctissima, & in utero sanctissima, & in Conceptione sanctissima. Paulò antè dixerat: Quid vis dicere de Virgine; Quod humilis, quod pura, quod sancta, quod gratia & virtutibus plena: numquid Mater Dei superba, aut iracunda, aut impura futura erat? Quæ gloria, quis decor, quis candor, quæ gratia non decuit Matrem Dei? Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Qualem ergo faceret Artifex, qui elegit Henam, ut nasceretur ex eâ? Vnde Anselmus: De Virgine dicere solum, quod Mater Dei est, excedit omnem celsitudinem, quæ sub Deo excogitari potest. Cogita ergo tu Virginem quamdam pulcherrimam, purissimam, humilissimam, sanctissimam & perfectissimam, ex omni parte integram & consummatam; illa Mater Dei est, & maior est quàm excogitare potes, aut intuitu mentis describere. Vnde, si Tullius, Demosthenes, Homerus, Virgilius, & alij omnes potentes in dicendo Rhetores eam laudare per singula conarentur, non sufficerent vrique nec modicam eius excellentiam attingere. Vnde Fulgentius; Quenam est ista femina, quæ omnibus Sanctis proponitur imitanda; corona duodecim stellarum in capite eius, id est omnibus gratiis, donis, virtutibus insignita & decorata? Cateris enim Virginitibus per partes*

MARIÆ verò tota se infudit plenitudo gratiæ. Denique, quidquid capax est, non solum humana natura, sed & pura creatura, totum fuit in hac Virgine gloriosa. Hæc est, quæ hodie apparuit mundo, sicut aurora consurgens, florida, rubicunda, purpurea, læta, non obtenebrata, non obnubilata, non maculata, sicut alij filij Adam; sed pulchra vt Luna, electa vt Sol. Illud, non maculata, dixit, non quia purgata peccato Originali post illius contractionem nasceretur: hoc enim pacto fuisset sicut aliqui filij Adam, nimirum Ioannes Baptista, & Ieremias. Dixit ergo, non maculata, quia numquam contraxit maculam peccati Originalis. Verum non solum attribuit beatus Thomas Virgini puritatem Originalem; sed tantum excessum Sanctitatis in suâ Conceptione, vt in ipsâ habuerit sanctimoniam æquivalentem sanctitati finali aliarum animarum Sanctarum. Idèd ait Serm. 2. de Natiuitate Virginis: *Si ancillas suas, & ministras domus suæ potentissimus Dominus ita mirificè decorauit, ita donis & gratiis venustauit, qualem existimas condidit Matrem suam, unicam sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, & præ omnibus adamauit? Audi Prophetam: Astutit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate; & filie Tyri in muneribus vultum suum deprecatur, omnes diuites plebis. Adducentur Regi Virgines; sed post eam, & proxima eius afferentur tibi in lætitia & exultatione. Omnis (inquam) Virginitum candidatus Chorus huius laudes concinit, omnes vultum eius deprecantur, & eam veluti Reginam venerantur & colunt; omnibus eam Altissimus præposuit, non solum Virgineis, sed etiam Angelicis choris; quia Mater eius est, & Matrem Dei decet omnis celsitudo. Notandum est illud verbum condidit, quòd explicat de primâ formatione Virginis, id est Conceptione eiusdem locutum fuisse hunc sanctum virum, qui etiam ipsam carnem Virginis ante animationem eius maximè extollit: idèd Serm. 3. ait: *Non enim decebat Sanctuarium Dei, Donum Sapientiæ, Reliquiarium Spiritus, Vnam Manna cælestis, à quam in se labem habere; propter quod, antequam anima illa Sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni face, & labe; & anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. Et mox subdit: Factum est in eâ (vt ait Bernardus) illud Psalmi: Iustitia & pax osculate sunt. In nobis iustitia non est sine bello, in ipsa fuit cum summâ pace. Vnde caro eius sic imaginanda est, quasi esset argentea, vel vitrea, vel crystallina, sine carnis vitiiis; sed tota Angelica in carne. Quod optimè tangit de eâ sponsus in Canticis, dicens: Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilauit te; currus Pharaonis, caro mortalis; in carne itaque mortali equitatu Angelico similis est in puritate.**

Idipsum supponit Cardinalis Hailgrinus in illud Cantic. 5. *Venter eius oburneus, distinctus saphiris.* Locutus de carne CHRISTI quæ assumpta est de carne MARIÆ, notans iis verbis; prout noster Delrius tradit: *Carnem, seu humanitatem CHRISTI comparari etiam, imò & præferri non tantum hominibus, sed & Angelis. Venter ceterorum terrenus est, in quo per luxuriam repit ille serpens, cui dictum fuit: Super pectus tuum gradieris, Genes. 3. v. 14. & idèd corruptibilis est. CHRISTI venter oburneus est, cum cuius carne nata est Virginitas candidissima, sicut cum ebore candor purissimus; CHRISTI venter non terreno*

Cardinalis
Hailgrinus.

B. Thomas
Villanouanus.

luto aspersus, sed saphiris, hoc est Angelica natura notis decoratus. In Angelis enim est Virginitas incorruptibilis, Dei contemplatio ingis, & obedientia, nunquam à Dei beneplacito dissidens, tali etiam decore humanitas CHRISTI insignita fuit, Angelica conformis excellentia. Imò & secundum versionem Septuaginta illam superans & excedens, nam illi vertunt, Venter eius pyxis eburnea super lapidem saphyrum, hoc est excedens & superans Angelicam dignitatem. Allegatur etiam Hailgrinus in 3. Cantic. ad illud, En lectulum Salomonis, pro Immaculatâ Conceptione.

Amedeus, Lausanensis Episcopus.

Amedeus, Lausanensis Episcopus, Homil. 3. Spiritus sanctus, ait, superueniet in te. In alios Sanctorum venit, in alios veniet; sed in te superueniet, quia præ omnibus, & super omnes elegit te, ut superes vniuersos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ. Tum subdit: Omnes superas, præes vniuersis, non solum hominibus, sed & summis calorum virtutibus. Supponit in hisce verbis, Virginem Originali gratiâ præditam fuisse, sicut Angeli eam habuerunt; quia alioqui eos, quantum ad plenitudinem gratiæ non superasset, si hac vacua extitisset.

Hugo Cardinalis.

Hugo Cardinalis, verbum Angeli dum explicat: *Aue*, inquit, sine triplici ve, scilicet corruptionis, grauitatis & doloris, quod incurrit Heua per peccatum, & quod ab eâ omnes mulieres (præter MARIAM) quasi iure hereditario contraxerunt. Et paulò post ad hæc verba: *Inuenisti gratiam apud Dominum*, inquit, inuenisti quidquid Heua infelix amiserat. Vnde, quemadmodum iacturam fecit Heua Iustitiæ Originalis, ita in Virgine eiusdem reparatio fuit inuenta.

Ioannes Gerson.

Ioannes Gerson, in Tractat. 4. Super Magnificat, sic loquitur: In MARIA fuit necessitas peccatum Originale contrahendi, secundum causas inferiores, hoc est secundum legem propagationis ex coniunctione viri cum femina; sed lex superior præiudicauit huic necessitati, præueniendo casum per sanctificationem & gratiam. Sicut etiam dicit in alio casu sanctus Thomas, de occurrentibus tempore iudicij obuiam CHRISTO in aëra, quòd si non moriantur, hoc non est secundum causas inferiores, quibus habebant necessitatem moriendi; nec est contra Apostolum dicentem: Statutum est hominibus semel mori; & deinde iudicium, quia priuilegium superioris hoc suspendit. Non secus est in proposito de MARIA, à necessitate contrahendi Originale peccatum præuenta, & priuilegiata, & excellentissimè sic redempta, qualiter redimi non egebat IESVS CHRISTVS; quia per carnalem concubitus non fuit formatus. Nostra ergo Beata Virgo semper habuit gratiam gratum facientem, qua Originali Supereminet iustitia, qua primitus ornata fuit Heua, sed eam perdidit.

Petrus Apollinaris.

Petrus Apollinaris in Carm. de Natiuitate Virg. *Salue Virgo Parsens, labes quam nulla vetusti, Per tot ducta gradus, criminis implicuit. Te, dum conciperis, culpa quicquam negarit Immunem, brutis nil sapit ille magis; Huic aut vipereo mens est infecta veneno, Aut illum teter spiritus exagitat.*

Incognitus.

Incognitus, in Psalm. 29. explicans hæc verba, *Domino in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, sic ait: Peccatum Originale causaliter contrahitur in propagatione seminis; sed formaliter in conceptione hominis. *Modo ad propositum*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

CHRISTVS non contraxit illud formaliter, neque causaliter; quia non descendit ab Adam per naturalem propagationem, sed habuit omnimodam innocentiam. Virgo autem Sanctissima MARIA contraxit causaliter; quia per seminale propagationem concepta; sed non contraxit formaliter, quia antequam anima eius esset creata, illud semen fuit purificatum & sanctificatum, & sic anima illi unita non fuit maculata.

Nicolaus Cusanus.

Nicolaus Cusanus, S. R. E. Cardinalis, in Tom. 2. Operum illius, declarans illud Cantic. *Sicut filium inter spinas*, &c. perspicuè nostram sententiam docet iis verbis: *Non indiguit Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam & posteros eius ex voluptate carnis latâ, cui nunquam subiicit, nec indiguit liberatore à seruitute, in qua nunquam fuit, præliberatore enim Virgo sancta habuit, ceteri liberatorem, sola electa Dei Mater hoc habet, quòd in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit.*

Alanus Ropenis.

Alanus Ropenis, in Elegiâ ad Beatam Virginem MARIAM, quam suo de eâ Tractatui, impresso anno 1493. Iacobus Philippus Bergomensis inseruit, dum in Conceptionem incidit, versiculum appositè adiungit:

Nescia spineti, florens rosa, nescia culpa.

Pia quoque admodum fuere quædam disticha, quæ ex Poëtâ perantiquo Bernardinus de Busto excerptit, & ea in operibus, editis anno 1486. citat in hunc modum:

Bernardinus de Busto.

*Falluntur nimium, qui te contagia diri
Declinare hostis Virgo nequisse volunt.
Vrentes potuit pueris qui extinguere flammæ,
Conceptum potuit purificare tuum.
Si decuit luctus sine labe effingere Matrem,
Matrem lætitiæ plus decorare decet.
Si debent nati proprios coluisse parentes:
Debit & ventrem, sic coluisse Deus.
Immunem sponsam voluit sine crimine leui,
Sic illi valuit minus abesse nefas.*

Dionysius Faber, Monachus Cælestinus, in Carmine:

Dionysius Faber.

*Nullus Originea MARIAM rubigine læsam
Adstruat, vlticem ne pignoris excitet iram.
Hoc ius, hoc ratio verat, hoc sententia Patrum
Explodit, mare, terra polusque reclamat.*

Heruæus Natalis, in suo ad Epistolas Pauli Commentario, quod nonnulli beato Anselmo tribuunt, cap. 5. Epist. 2. ad Corinth. *Omnes itaque, inquit, mortui sunt in peccatis, nemine excepto (dempta Matre Dei) siue Originalibus, siue voluntate additis.*

Heruæus Natalis.

Paulus Venetus, ex Augustinianâ disciplinâ, vir æuo suo celeberrimus (vixit autem sæculo decimotertio) & quem Trithemius virum in diuinis Scripturis eruditissimum, in Philosophia Aristotelica nulli suo tempore in Italia secundum, ingenio subtilem, sermone scholasticum, & declamatorem egregium nuncupat: is, inquam, in singulari & acerrimo ad tuendam Originalem puritatem Virginis Tractatu sic loquitur: *In hoc errauit Beatus Thomas de Aquino, credens ipsam conceptam fuisse in Originali: cuius vita, etsi per Ecclesiam fuit approbata, non tamen doctrina eius, & maximè in hoc, sicut manifestè liquet in Vniuersitate Parisiensi, ubi eius opinio est reprobata, quia offendebat piæ aures. Est enim magis pium & consonum veritati, credere animam illam benedictam infusam esse carni munde, & non infectæ. Ex prædictis ergo sequitur, quòd absolute credendum est, Beatam Virginem*

Paulus Venetus

non fuisse conceptam in peccato Originali. Fallitur tamen, ubi a ledō determinatē Sanctum Thomam affirmatiuē sententię Auctorem nobis exhibet; quandoquidem, ut supra vidimus, idem S. Thomas secutus fuerit negatiuam: de cetero, optima fuit huius Doctoris conclusio.

Bartholomæus de Sicilia, citatus à sancto Bernardino Senensi, Serm. 49. de Amore glorioso, Feriā III. post Resurrect. Domini, omnino defendit Immaculatam Conceptionem, cum de eo hæc scribat S. Bernardinus: *Reddidit mihi vnam pulchram rationem, quare non erat credendum, Beatam Virginem esse conceptam ex peccato Originali.* Refert rationem, quæ ea est, quod non deicit Deum sumere carnem ex carne minùs purā, quàm Adam & Heua, qui sine peccato creati fuerunt; & concludit his verbis: *Imò credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissimā, & quod eius Mater fuerit plusquam Heua & Adam, qui creati fuerunt sine peccato Originali: quæ ratio mihi valdè applausit.*

Adam, Abbas Perleniensis, ad illud Ecclesiast. 24. *Quasi oliua speciosa in campis*, dicit vocari Virginem oliuam speciosam, quoniam sit eius pulchritudo specialis. Quæ specialitas, siue singularitas, maximè fulget in formatione eius, quæ præter morem cæterorum filiorum Adæ fuit cum pulchritudine gratiæ. Idem addit: *Speciosa quippe facta est & suavis, ex quâ speciosus formā præ filiis hominum nascitur sanctæ suauitas vntionis.* Aptè dixit, *Speciosa facta est*, id est formata seu concepta: tunc enim fiunt homines cum concipiuntur. Notanda quoque est vis clausulæ sequentis: *Cum enim plena sit gratia, & tota misericordia deliciis affluens, nihil gratiæ omnino accipimus, quod non nobis conferat partus eius.* Si vim huius ratiocinationis attendamus, quemadmodum nulla exceptio est, quod minùs omnis gratia obtineatur per CHRISTVM, sic nulla exceptio vel vacuum debet intelligi in plenitudine gratiæ MARIÆ: quare nec in primo instanti vacua fuit speciositate gratiæ. Consentaneus ad hæc vocauit postea à *incontaminata vestigia Virginis.* Honorius Anachoreta, allegatur à Dionysio Carthusiano lib. 1. de laudibus Virginis art. 6. simul cū S. Brigita pro puritate conceptæ Virginis, nam postquam retulisset reuelationes illius sanctę viduæ addit: *Insuper præ inductis consonat, quod Honorius Anachoreta scribit, in libro de ornamentis glorię sanctæ Mariæ. Ex benedictio Patriarcharum semine, præclaro Prophetarum germine, atque sacra sacerdotali stirpe, generosa quoque regali progenie processit hæc incluta virtutis Dei virga insignis & imperiosa Virgo Maria, quæ omni genere generositatis iure debuit præfulgere, quoniam ipsius totius generositatis principalissimum ac singularissimum fontem ac florem meruit germinare, cum videlicet, qui est speciosus forma præ filiis hominum. Sic nãque decebat nasciturum ex ea Christum regem Dominum, ut eam gratia, ac meritis, honore, & gloria præcellentissimam faceret omnium, quia diuina mirabilia, atque magnalia fieri oportebat in ea, dum in eius utero Virginali meruerunt consecrari, ac fieri nostra salutis veneranda Commercia.* Hactenus ille, qui per omne generositatis genus comprehendit omne puritatis genus.

Cardinalis Vitalis, qui floruit anno 1312. in Speculo morali, verbo de Beata Virgine hæc habet: *Nota, quod de ipsâ dicitur illud Genes. 2. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis: MARIA*

est fluvius propter abundantiam gratiæ; Ecclesiasticus 24. Ego quasi fluvius. Fluvius in Origine est amarus; quia de mari amaro egreditur; Eccles. 1. Omnia flumina &c. sed per venas terræ excolatus dulcoratur: sic MARIA egrediens de mari concupiscentiæ carnalis, non habuit amaritudinem Originalis; sed in utero Matris est dulcorata per gratiam sanctificantem, scilicet à peccato, quod inuisisset, nisi præseruata fuisset; unde veteris matris factus est ei locus voluptatis. Idem Ioannes Vitalis, Tract. de Concept. refert se vidisse librum Retractionis sancti Thomæ, de eo quod dixerat in 3. Sentent. contra Concept. Matris Dei. Vide Busto Serm. 4. de Concept. Ita Gregorius Gallicanus, Ordinis Minorum Regularium Observantiæ, in suo Mariali; ubi de Concept. B. Virginis, pag. 11. Idem testatur Doctor Bartholomæus de los Rios, Augustinianus, in Horizonte Mariano, cap. 14. de Immaculatâ Conceptione, pag. 58. & confirmat ex eodem Busto Serm. 7. de Concept. ubi narrat, Fontino Episcopo Pictaviensi, miranti D. Thomam scripsisse contra Immaculatam Conceptionem, ipsum D. Thomam apparuisse, & de lege ordinariâ, siue quoad debitum locutum fuisse affirmasse. Vnde etiã iuxta ea quæ superius diximus, ea retractatio, de quâ loquitur Cardinalis Vitalis, non fuit palinodiam canere Angelicū Doctorem; sed suam clariùs explanare mentem, & indubitatam facere pro Immaculatâ Cōceptione.

Guillelmus Filiatrus, Episcopus Tullensis, in Officio Ordinis Velleris Aurei, siue Beatissimæ Virginis, sub figurâ Velleris, Roris, & Victoriæ Gedeonis, edito anno 1458. & in Comitibus eiusdem Valentinianensibus in Hannoniâ approbato.

In Hymno ad Vesperas, sic de Beatissimâ Virgine canit:

*Alba lana sanctitate carens peccati maculâ,
Clarissima castitate humilitatis Regula:
Hoc vellus absque lesurâ, repletum diuo semine,
Tingitur & sic purpura, cruoris nati flumine.*

Lectione v. dicitur:

Descendit ergo sicut pluvia in vellus, puram Virginem reddens puriorem, assumendo ab eâ carnem purissimam, licet peccatrici similem; & sicut stillicidia stillantia super terram: tota enim Diuinitatis vnda, tota charismatum plenitudo beata Virgini tamquam velleri se infudit; unde ei dictum est: Ave gratiâ plena: de quibus stillicidiis, etsi Sancti plures abundanter receperint; tamen quasi stillicidia modica dicuntur recepisse, respectu plenitudinis illius; de quibus Propheta ait: In stillicidiis eius exaltabitur germinans. In hac tantâ plenitudine gratiarum Originalis etiam comprehenditur, ob quam dixit: *puram Virginem reddens puriorem.*

Negare non possumus, quin in Belgio celebris fuerit deuotio erga Immaculatam Conceptionem, & antiqua eiusdem celebritas; quod patet ex Breuiario proprio Ecclesiæ Dononiensis iuxta Valentianas, in pergamento cōscripto anno 1258. in quo 8. die Decembris ponitur Festum Conceptionis Sanctissimæ Virginis MARIÆ xij. Lectionum, & quidem cum proprio Officio. Antiphona ad Vesperas hæc est: *Gaude Mater Ecclesiæ, noua frequentans gaudia, lux micat de caligine, &c.* In eodem autem Breuiario Festi Venerabilis Sacramenti, aut Visitationis Beatissimæ MARIÆ nulla est mentio, quæ post annum iam dictum instituta sunt. Porro Hymnus, qui incipit,

Gaudo

S. Bernardinus Senensis.

Idem S. Bernardinus. Adam,

Abbas Perleniensis.

Guillelmus Filiatrus.

Cardinalis Vitalis.

*Gaude Mater Ecclesia,
Nona frequentans gaudia,
Lux micans de caligine,
Rosa de spina germine, &c.*

habetur in Parnasso Mariano, p. 29. ex Breuiariis, Traiectensi, S. Waldetrudis Treuirensi, & Seclinienfi; quod argumentum est in omnibus istis Ecclesiis celebrari solere. Cuius item mentio est hoc die in Martyrologio M. S. Ecclesiæ Collegiatae sancti Amati Duacensis; quod conscriptum esse abhinc Quadringentis annis ex eo colligitur; quia in eo fit recens mentio S. Thomæ, Cantuariensis Episcopi & Martyris, & S. Francisci Confessoris, die 4. Octobris, & 29. Decembris. Maiorem antiquitatem arguunt diplomata Balduini, Flandriæ Comitis, expedita in die Conceptionis Virginis, anno 1195.

Jacobus
Genuensis.

Jacobus Genuensis Serm. 3. de Assumpt. **MARIA** fuit sine maculâ per omnis peccati immunis. Ipsa quidem liberum arbitrium in bono confirmatum habuit; & ideo nulli peccato conscientia patuit, &c. Non habuit admixtionem Originalis; quia fuit in utero à Spiritu sancto sanctificata: nec etiam habuit admixtionem mortalis; quia fuit à Patris potentia confirmata: nec etiam habuit admixtionem venialis, quia fuit à puritate Filij impregnata.

Franciscus
Mayronius.

Franciscus Mayronius, qui floruit anno 1320. lib. 2. Sentent. dist. 7. quæst. 2. art. 2. Decuit quod **CHRISTVS** Matrem suam, ne peccatum Originale contraheret, præseruaret: quia agens beneuolum circa affectum sibi gratum, nihil omittit de contingentibus: sed Deus est agens maxime beneuolum; & puritas Virginis Maris fuit sibi maxime grata. Igitur decuit, quod nihil omitteret de contingentibus, quin ipsam ab Originali præseruaret. Lib. 3. dist. 2. quæst. 1. art. 9. Quatuor vicibus **MARIA** fuit sanctificata: Primo, in sua sanctâ Conceptione: Secundo, in Verbi Conceptione: Tercio, in Spiritus sancti missione: Quarto, in sui Assumptione & glorificatione. In prima sanctificatione fuit in eâ fomes extinctus, seu præuentus; in secunda totaliter extinctus; in tertia autem fuit gratiâ cumulata; in ultima autem consummata.

Ioannes
Taulerus.

Ioannes Taulerus, Serm. in Festo Purificationis gloriosissimæ Virginis **MARIÆ**: Beatissime Marri **CHRISTI**, instar reliquarum mulierum, purificatio non erat necessaria, quando ea ab omni fuit præseruata peccato, Filiumque Dei per sancti Spiritus operationem concepit & peperit, Virgo manens perpetua, omni ornata puritate. Cuius nimirum tanta etiam supra Angelorum munditiam puritas fuit, ut sub Deo maior intelligi non possit, &c. **Vires MARIÆ** supremæ, absque medio, in suam se verterant originem, vnita eidem: infima verò supremis, instar Adam, in Originali persistentis iustitiâ, innocentiaque, perfecte obtemperabant: qui nimirum hinc illi accessit decor, quod culpa Originalis perpetuo expers fuit: à qua præseruaret illam Filius eius; ita ut ne momento quidem temporis vel ira filia, vel vas immundum, vel diabolico (sicut nos alij omnes) subiecta dominio fuerit: præuenit hoc enim Sapientia aterna, nolens electissimum templum suum aliqua labe aspergi.

Thomas
Argentinenfis.

Thomas Argentinenfis, lib. 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. Decuit Filium Dei Virginem Matrem à macula Originali præseruare: quia hoc decuit Filium Dei in propria Matre obseruare, ad quod obligatur quilibet purus homo ex præcepto diuino:

Ioann. Euseb. Op. Parth.

sed quicumque filius posset matrem suam præseruare etiam à minori malo, quam fuerit Originalis culpa, ipse ad hoc tenetur ex præcepto diuino: quia alias non honoraret Matrem, neque in maxima necessitate subueniret; ergo, &c. Illud ergo, quod decet aliquem facere, & nullam habet de impotentia excusationem, si hoc non facit aliquo modo, pro inconuenienti sibi poterit imputari: sed Virginem præseruare ab omni macula Dei Filium decuit. Et ipse hoc potuit; ergo aliquo modo inconueniens esse videtur, quod hoc non fecerit.

Cardinalis Clemens Monelianus, opinioni, quæ asserit Beatam Virginem sine originalis peccati macula conceptam, se libentissimo calamo subscripsit, dum de Incarnationis matrimonio exponens Prophetiam Adæ consentientis conubio Eux, ex costa sui lateris formatae, ac dientis Gen. 2. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea* disertè pronuntiauit Beatissimam Virginem dici specialiter carnem Christi propter speciale priuilegium præseruationis ab originali peccato.

Constantius Sarnanus, ut sanctum Thomam, & Scotum conciliaret, aiebat, peccatum originale dupliciter contrahi posse; primo modo de facto; secundo modo in debito. Sanctum igitur loquutum fuisse de facto, non de debito; nam ex solo debito B. Virgo originale peccatum contraxisset, nisi diuina gratia præuenta fuisset; Scotum verò loquutum, non de debito, sed de facto solo, cum de facto B. Virgo, quia diuina gratia præuenta, originale peccatum non contraxerit. Hinc inferens, tantos viros vno, eodemque spiritu ductos pugnantia neque sensisse, nec voluisse, verbisque tantum non autem rebus ipsis, inter se dissensisse.

Franciscus Quignonius Cardinalis, pietate in deiparam eiusque sine originalis peccati macula Conceptionem accensus, ordinauit officium de eadem immaculatæ Virginis Conceptione, à Summo Pontifice Clemente septimo approbatum. obiit Anno salutis 1540.

Ioannes Ficherius Cardinalis Roffensis, serm. de Natiuit. Virginis ait: Aurora (vni quotidianus rei vsus docet) ex tenebris ortum habet, quod & Apostoli testimonio comprobatur. Deus inquit, qui dixit de tenebris lucem splendescere. Quæ res Orpheum Poëtam in magnam admirationem rapuit, cum diceret, Nox, quæ lucem emittit & certe res est admodum stupenda, si ex humanæ rationis modulo, metienda sit, quod lux ex tenebris oriatur, eodem planè modo, & hic Beatissima Virgo magnam nobis admirandi materiam præbet, eo scilicet, quod fit ab omni prorsus peccati labe immunis, quodque tam præclarum lucis splendorem emitit cum sit ab illis parentibus oriunda, qui peccati tenebris & nocte circumfusi, ac obducti fuerunt. Porro post Auroram oritur Sol perinde ac si ab ea productus esset, originemque duceret. Ita & saluator noster Iesus Christus ab intemerata Virgine productus, & natus lumen suum in vniuersum mundum diffudit. Deinde quemadmodum sol ab Aurora ortus, ipsam luminis sui diffusionem multo illustriorem reddit: ita & Christus ab intacta Virgine natus, nulla Matrem peccati labe contaminauit, sed multo maiori, quam antea luminis, & gratiarum accessione cumulauit, & planè repleuit. Denique quanuis ita videri possit, quod Aurora Soli causam tribuat, certa tamen res est, quod

Aurora (contrà) causam à Sole , originemque hauriat : ita & Beatissima Virgo quamuis ipsa saluatorem nostrum Iesum Christum in lucem ediderit , ille tamen matrem creauit , cuiusque in hunc mundum producendæ causâ exitit.

Eandem sententiam iam olim docuit Dominicus Bollandus , vir Doctus , & in Vniuersitate Patauinâ Magister , in Tractatu , quem de CONCEPTIONE VIRGINIS dedit ad Nicolaum Marcellum , Venetiarum Ducem , & in ipsâ Typographiæ infantia excusum . Nec volo silere quomodo eo capite quo respondet argumentis primi articuli partis affirmatiuæ , satisfacit illi dubio , quoniam deferenda esset B. VIRGO , si concepta sine labe vitâ defungeretur ante mortem CHRISTI , docens in eo euentu non mittendam VIRGINEAM ad Abrahæ sinum , aliūve quempiam locum subterraneum : neque allumendam in cœlos ; sed quòd stetit (ipsa eius verba transcribo) associata cum Angelis & sanctis , & expectasset Resurrectionem Filij sui : quia ordo Vniuersi sic requirebat , quòd nemo ante CHRISTVM fuisset beatus , & ad Paradisum iisset . Neque ista expectatio ei fuisset molesta , neque ei fuisset impedimentum , quia ordo Regni cœlestis sic requirebat , quòd CHRISTVS primus esset in Paradiso , deindè cæteri suo ordine , & VIRGO non habuisset desiderium inordinatum contra ordinem Regni cœlestis . Vero simile enim est , ac æquum iudicare , non eandem cum cæteris sanctorum Reginam fortem subituram , vt illius ergastuli clauderetur angustiis , atque in tenebris & in vmbra mortis cum illis federet absque abundantia & plenâ consolatione . Quod quidem adèd abhorruerunt Doctissimorum Parisiensium aures audire , vt teste Cordubâ quendam ita affirmantem , sententiam retractare coegerint , & vt aliter in suâ Academiâ sentiretur , decreuerint . Quod bene notauit Wadingus .

Ioannes Bromiandus , in Summâ de MARIA , num. 10. *Habuit florem elevantum ad modum coronæ Regalis , in hoc , quòd fuit cæteris eminentius & specialius sanctificata . De aliis quidem legitur , quòd fuerunt in viro sanctificati , sicut de Ieremiâ & de Ioanne Baptista ; non tamen illicò ita fuerunt sanctificati , quin potuerint venialiter peccare . MARIA vero tam eminenter sanctificata fuit , quòd nec mortaliter , nec venialiter peccauit . quia caruit peccato Originali iuxta S. Augustinum , sanctificata scilicet in primo instanti .*

Ioannes
Bromian-
dus.

Iacobus de
Valentia.

Iacobus de Valentia , Episcopus Christopolita-
Exposit. in Cantic. *Magnificat* , considerans illud Psalmi , *Adiunabit eam Deus manè diluculo* , dixit : *Si Virgo MARIA fuit sanctificata manè diluculo (vt asserit Propheta) ergo fuit facta illa sanctificatio in primo instanti sui esse , & creationis anima , in quo incipit viuere in hoc mundo .*

Nicolaus
de Lyra.

Nicolaus de Lyra , quamuis allegetur à contrariis pro affirmatiuâ opinione , pro negatiuâ tamen omnino est ; qui quidem explicans illa Angeli verba Lucae 1. *Spiritus sanctus superueniet in re* , ita inquit : *Prîus Spiritus sanctus venerat super Virginem adhuc in viro Matris existentem , eam ab Originali purgando (vt communiter dicitur) vel secundum alios , illam ab Originali præseruando ; (vt etiam communiter dicitur) sed in Conceptione Filij Dei superuenit in eam Spiritus sanctus , &c .* Ex quibus verbis Bandellus , vt Lyranum in suam sententiam & opinionem traheret , subtraxit illa :

Vel secundum alios illam ab Originali præseruando . Nil itaque in prædictis verbis habet Nicolaus contra sententiam piam , interpretatus aduentum primum Spiritus sancti in MARIAM , iuxta vtramque opinionem ; imò videtur in eâ sententiâ mansisse , quam secundo loco retulit , velut præferens illam primæ . Addo & secutum eam fuisse ; quippe membrum illud primum , eam ab Originali purgando , intellexit prout communiter olim intelligebatur de fœtu & debito peccati Originalis contrahendi , non de ipso peccato iam contracto in animâ . Itaque non meminit eius opinionis , quæ affirmat animam Virginis infectam fuisse in primo instanti peccato Originali ; quoniam hoc modo nequaquam fuit communis hæc opinio saltem tempore Lyranum , qui floruit paulò post Scotum , à quo nouam faciem habuit Schola Parisiensis pro Immaculata Conceptione ; tum quia Doctores , qui sæculo Lyranum floruerunt fere omnes ; præter Dominicanos per paucos , habuerunt piam sententiam ; imò & ipsi Dominicani , nimirum Herueus Natalis , Bartholomæus de Pifa , Ioannes Taulerus , Petrus Paludanus , Robertus Holkot , Nicolaus Gorran : omnes hi fuerunt Doctores Ordinis Prædicatorij ; qui in sæculo Nicolai de Lyra sententiam piam tamquam communissimam secuti sunt ; plurimique alij Auctores eandem sunt tutati ; nimirum Ioannes Scotus , Petrus Aureolus , Franciscus Mayronius , Augustinus de Ancona , Antonius Andreas , Adamus Godan , Ioannes Bachon , Guillelmus Ocham , Monaldus Dalmata , Henricus de Affia , Thomas Argentinas , Simon de Cassia , Franciscus Petraroa . Accedit , tempore Lyranum adèd acceptam fuisse piam sententiam , vt in Curia Pontificiâ , præsertim etiam Summo Pontifice & Cardinalibus , iam celebraretur eius Festiuitas , prout testatur Ioannes Bachon in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 4. art. 3. & Iacobus de Valentia , Christopolitanus Episcopus , in Exposit. *Magnificat* , verbi 2. vbi tradit celebratum Festum Conceptionis Auenionæ , coram Summo Pontifice Ioanne XXII. anno 1322. in quo ipso anno maximè floruit Nicolaus de Lyra . Confirmat dicta , quòd Nicolaus de Lyra fuerit Franciscanus , & floruerit paucissimis annis post Scotum , cum cœpit ardere tota Seraphica Religio in deuotione Immaculatae Conceptionis ; nec prout est credere à tam communi & pio Religiosæ familiæ sensu descivisse Nicolaum præclarum eius filium .

Guilielmus Parisiensis Iunior , siue Antonius Bitontinus , siue vterque in Postillis maioribus de Festo Conceptionis , quæst. 3. ait : *Virgo MARIA in Matrem Dei electa erat exaltanda super omnes Angelos ; sed omnes Angeli fuerunt præseruati ab omni peccato ; ergo à ratione fortiori & ista , que erat superior . Secunda ratio : Absurdum est credere Virginem MARIAM fuisse aliquando in odio & indignatione Filij sui CHRISTI obligatam supplicio , cum esset Mater Dei charissima ; sed per peccatum Originale , persona dicitur filia ire . & deputata æterno supplicio ; igitur . Tertia ratio : Virgo MARIA debebat fieri speciale habitaculum Dei , ergo debebat specialius preparari . Sed si concepta fuisset in peccato Originali non fuisset specialius preparata ; igitur non fuit concepta in peccato Originali . Quarta ratio : Quod Deus potuit facere , & decuit , fecit ; sed Deus potuit , & decuit facere quòd Virgo MARIA sine Originali conciperetur ; igitur . Quinta ratio : Nulla dignitas conueniens*

niens

nians Virgini est ab ea auferenda; sed concipi sine peccato Originali conueniens est Virgini; igitur. Et ad auctoritates, quæ possent allegari ab illis, qui tenent ipsam fuisse conceptam in peccato Originali, dicendum est, quod intelliguntur de lege ordinata, & non præseruata, de lege communi, & non priuilegiata: quam legem priuilegiatam habuit MARIA.

Ioannes Menesius.

Ioannes Menesius, in Apocalypf. rapt. 4. ait, locutus de Deo: Virginem, neque antequam nasceretur, nec in conceptu, nec ante conceptum absoluit, sed numquam, ut inimicam, aut ingratham habuit; sed absolute voluit meritis Filij eius ipsam non à peccato inexistente purgare, sed nec à peccato in ea, mente diuina apprehenso, numquam absoluit.

Albericus, qui floruit anno 1340. in suo dictionario litera A, Cum interrogasset: sed quare Christus dicitur iouissimus Adam, cum primus fuerit contemptor diuini præcepti, hic verò agnus Innocens, & mitissimus, unde, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi dubitationi sic occurrit: Ad hoc Beatus Augustinus egregie respondit, dicens: sicut primus homo per lignum præuaricationis mortem induxit, necessarium erat, ut per lignum passionis mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur, & quoniam de terra immaculata factus fuerat, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulit, necessario de Immaculata Virgine natus est perfectus homo, in quo Dei filius, quis primum fecerat hominem, vitam eternam per Adam perditam repararet, ac pro suauis cibo arboris vetita escam fellis reciperet, & in se suscipiens mortalitatem nostram suam nobis conferret immortalitatem.

Alanus de Insulis.

Alanus de Insulis in Cantic. cap. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Tota pulchra es, id est in corpore & in animâ, amica mea per gratiam, & per opera, & macula non est in te venialis & criminalis. Quia nullam credimus in Virgine antè & post conceptum fuisse peccatum. Et quia tota pulchra es, & macula non est in te; ideo iam digna Regiis amplexibus. Criminale peccatum dixit, quod inimicitias ponit inter Deum & hominem, & dignum est ex se aternâ Dei, & diuinæ gratiæ separatione. Studiosè non est vsus communi nomine peccati mortalis, ne putaretur loqui communi sensu de peccato actuali graui; quare aliam quæsiuit vocem, quæ Originale peccatum magis excluderet. Relinquo aliquos reputasse hic errorem Scriptoris, aut excudentis, qui pro Originalis posuit criminalis. Tunc negata primo loco veniali maculâ, negata pariter manebat mortalis, & quod reliquum manebat negandum, erat Originalis.

Armandus.

Armandus in Collationibus, Collat. 35. comparans CHRISTVM cum aquilâ ait: Serpens est diabolus, qui naturaliter insidiatur, & inimicatur fidelibus, Genes. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum; & semen illius, & tu insidiaberis calcaneo eius. Ad conseruandos ergo & tuendos CHRISTI Fideles, CHRISTVS elegit locum altum perfectione, & arduum Virginitatis, cum fecunditatis præseruatione, unde Job 49. Ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum. Iste fuit magis arduus passus, qui umquam fuit in naturâ; unde istum numquam serpens antiquus diabolus potuit transire, nec cognoscere, ut etiam ei esset magis inaccessibleis; posuit in eo lapidem pretiosum, gratiam scilicet sanctificantem: iste nidus fuit Virgo Beata, & cum talibus electis; ut per eam, & in eâ habitantes per de-

uotionem à morsibus venenosi serpentis eius meritis liberentur.

Ambrosius Taruisinus, siue Spiera, Serm. in Sabbatis, considerat. 2. conclus. 2. ait: De Conceptione, & Natiuitate CHRISTI, & Virginis tota caelestis curia iubilauit, & gaudet, & collaudat Filium Dei. Postea subdit: Si Salomon summe matrem suam magnificauit, 3. Reg. 2. Nonne hic, qui plusquam Salomon est, suam debuit Matrem super omnia creata & creabilia magnificare? Certè sic. Sed conclus. 3. locupletissime comprobatur puritatem Deiparæ Originalem; ibi ait inter plurima alia: Hæc igitur anima mea, est illa columba benedicta, non tangens putredinem aliquam; sed reuersa ad vesperam, ramum portauit oliuæ; quoniam Virgo non fuit contaminata, sed Filium suum pacis ramum portauit, & mundo dedit. Vnde & Angeli Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus cantauerunt. Item, Hæc est illa arca à diluuiio præseruata, in quâ humanum genus conseruatum est, ne periclitaretur. Item, Hæc est virga illa Aaron, quæ à morsibus serpentum Pharaonis fuit præseruata. Anima mea, ista est purissima columba, quam Deus pro honore materuitatis sic generari voluit. Seruauit enim Deus populum suum ab aquis maris Rubri, & per quadraginta annos eorum vestimenta & calceamenta illa seruauit. Et hoc propter dignitatem populi sui, & quomodo Matrem propriam ab omni maculâ non præseruasset propter dignitatem maternitatis suæ?

Ambrosius Taruisinus.

Idem Ambrosius.

Daniel Agricola in Coronâ 10. Stella 12. ad illud, Diuisit lucem à tenebris, ait: Id est, MARIAM à tenebris peccati Originalis, sine quo concepta fuit.

Daniel Agricola.

Petrus Burus, Animiensis, in Hymno: In die Conceptionis Virginalis percelebris fama quiescit, gloria tenax prioris, quam moderni asserunt nunc Scriptores.

Petrus Burus.

Albertus Marquestus, in Cæli loquiis cap. 76. Beatissima Virgo MARIA velut Luna plena fulsit in suo principio; quia in utero matris concepta sine peccato Originali.

Albertus Marquestus.

Anonymus, Historiator, de Gestis beati Iosephi Sacerdotis, qui scripsit circa annum 1250. significans puritatem Originalem Virginis, cap. 51. vocat illam Rosam sine spinâ, & columbam sine felle.

Anonymus.

Fridericus etiam Naufca, Episcopus Viennensis, Homiliâ 81. dixit: Etsi ex lege natura emnes filia humana spinasæ, id est in peccato concepta sint; MARIA tamen Sanctissima Virgo per legem gratiæ Immaculata mansit, haud secus atque liliu in ter spinas, quæ etsi sint quantumlibet horridæ, aspera, rigidaque atque tumida, crescit tamen subter ipsas sine macula liliu ipsum speciosissimum, nihil suæ virtutis amittens. Ac ne temerè leuiter tantus vir hæc asserere videretur, sententiæ suæ rationes aliquot ita subiunxit: Prima; Si Angeli à peccato fuerunt præseruati, ergo longè magis MARIA, quæ super Angelos erat exaltanda. Secunda; Absurdum esset, credere MARIAM fuisse aliquando in indignatione Dei, quales fuimus nos, quæ Dei Mater fuit charissima. Tertia; Cum ipsa fuerit speciale Dei tabernaculum, ergo specialiter præparandum, quale non fuisset, si ipsa in peccato Originali exiisset, &c. Quibus apertè conuincit in peccato Deiparam non fuisse conceptam; indicat verò, nec sub debito, nec in Adam peccasse, illis verbis: Sanctissima Virgo, per legem gratiæ immaculata mansit. Cur per gratiæ priuilegium

Fridericus Naufca.

legium non dixit, quod dicere debuit, si tantum de præseruatione ab ipso peccato contrahendo actu locutus est? Hæc enim gratiæ lex, immunitas est illa; sed dispensatio, priuilegium & fauor gratiæ, quæ excepta fuerit à communi lege, potuit esse; vt ergo Theotocos gratiæ lege ab Originem Heuæ labe dicatur excepta, dicatur communi lege de peccando in Adam, si peccaret ille, comprehensam Virginem singulari Dei beneficio haudquaquam fuisse: fuisse autem gratiâ ornatam; cuius ea necessaria lex est, vt propter genitoris crimen amitti non possit, nec vllum ex eo in prolem deriuari vniquam scelus, si nulla de peccando in illo sit lex, aut si eâ ratione sit, vt non omnem ex eo prouenientem filium comprehendat, quod non omnibus nullo excepto imposta illa fuerit. Expeditur deinde, petatum è lilio & spinis simile: item prima ex Angelorum præseruatione desumpta ratio, quos certò scimus nulli obnoxios peccato, nulli huius debito obæratos creatos fuisse. Secunda præterea, quæ magni momenti est: negari siquidem non potest in indignatione Dei eo modo esse illum, qui peccat in alio, quo in illo peccare asseritur, cum peccatum Dei consequatur indignatio, & constat omnibus iræ filium in scelerato parente dici, qui peccante illo, in eo peccare affirmatur. Tertia, non est cur iuuetur commentatione, cum præ se ferat quantum causæ faueat, vt & quarta, quæ in illo est: *Quod Deus facere potuit, & ipsum decuit, fecit: sed Deus potuit præseruare Virginem MARIAM, & decuit; fecit ergo.* Quinta in eodem similis: *Nulla dignitas erat ab ea auferenda Virgini consona, qualis fuit à peccato Originalis præseruatio.*

Tostatus.

Tostatus variis in locis parti negatiuæ adhæret, & satis erit verba eius ad prologum Beati Hieronymi huc transcribere: *Beatam Virginem, inquit, sine Originali maculâ conceptam fuisse, nullo modo nego, sed toto animo confiteor; licet oppositum dicere non sit magnus error, nisi pertinaciter dicatur, volendo aliquid de perfectione Virginis detruncare.* Nec contemnendum est egregium testimonium Leonardi Rogardi in Epistola ad Sixtum IV. Summum Pontificem: *Nullus igitur mentis sincera in MARIÆ laudes prorumpens Matrem eam dicet Dei, simulque quondam filiam fuisse diaboli. Deformem profectò reddidit laudatam. Num Matrem dices gratia, eamque antea inimicam Largitoris gratia? Ingrati, non landantis est hoc officium. Numquid viam ad vitam affirmabis, quæ & ipsa quandoque ignorauerit viam? Te sanè confundis. Spemne peccantium affirmabis, & medium ad tollenda omnia peccata, quæ peccatum gustauerit? Te ipsum à veritate alienum ostendis. Extollis & deprimis, magnificas & vilipendis, sanas, & percutis, Te ipsum censura circumuenis; Benedictam dicit, cui maledicere non desinis.*

Oregius Cardinalis in tract. de Incarnat. dicendum est sanctificantem gratiam Virgini matri fuisse concessam quæ illam ab omni macula originalis peccati præseruauit. Probatur: Nam non videtur de Matre Dei, quæ tota pulchra est, & sine macula, virtute spiritus Sancti habitaculum filij Dei præparata congruè dici posse. Vt fuerit prius filia iræ, quam dilecta à filio; id est prius habuerit in se maculam originalis peccati, per quam esset in massa perditionis, quàm gratiam, per quam esset inter filios Dei sancta, & immaculata. Fuit igitur in instanti suæ Conceptionis simul, & secundum naturam condita, & per gratiam sancta.

Paulus Lucanus in serm. de Deipara; Beata virgo non fuit resoluta in puluerem: ergo nec corrupta per originalem culpam: Nam constat quod tabernaculo Christi plus derogat peccati corruptio quam in puluerem resolutio.

Alexander Farnesius in bulla, quam iussu Pauli 5. expediuit, pro Archiconfraternitate Conceptionis non semel protestatur, & pronuntiat immaculatam Conceptionem.

Similiter Benedictus Vbaselus dum Bononiæ Legati munere fungeretur, triumphalem statuam immaculatæ Conceptionis erexit super marmoream columnam, in cuius inscriptione hæc continentur. Benedictus SS. Vitti & Modesti Diac. Card. hanc columnam immaculatæ Conceptioni erigendam curauit, & tantæ suæ, suæque domus proctetricis simulacro, proprium nomen in adorationem submitti voluit; cumque gubernatæ Ciuitatis tranquillitatem, eiusdem Virginis nomini acceptam ferat gratiam, quam illi habet, hoc marmore testari iussit anno Domini 1637. Pontif. S. D. N. Urbani Papæ Octauæ.

Similiter Franciscus Zarabeta, sententiæ, quæ asserit Beatam Virginem sine originali peccato Conceptam, prono affectu atque animo adhæsit, & in 2. decretalium cap. 9. de Feriis §. conquestus ex Poloniæ chronica retulit quendam Doctorem nomine Paulum, dicendo virginem Mariam conceptam fuisse in peccato originali coram toto clero in Cracouia ciuitate Poloniæ expirasse in medio sermone.

Seripandus Cardinalis explicans illa Apostolici symboli verba, qui Conceptus est de Spiritu sancto natus ex Maria Virgine, scripsit de Conceptione, partu & laudibus Beatæ Virginis concionem insignem, in qua suum Virgini sine originalis peccati macula conceptæ studium, ac voluntatem testaturus, hæc literarum monumentis consignauit; *sancti Patres in consideratione propria Conceptionis affligebantur, eorumque afflictionis causa erat, peccatum, in quo communiter omnis humana Creatura concipitur. Non loquor nunc de Maria Virgine, de qua cum de peccatis agitur nulla debet fieri mentio, cum sciamus quam magna, & copiosa fuerit gratia contra omne peccati genus, ei à Deo Optimo Maximo collata.* Sic ille legendus est in Tract. de peccato originali ac in aliis quæ ad posteros transmisit præstantissimi ingenij monumentis in quibus eximia eius in B. Virginem pietas tanquam in speculo elucet. Migravit in cælum anno salutis 1563. ætatis 70. 16. calend. Aprilis.

Cardinalis Pompeius Aragonius in testimonio viuæ vocis oraculi Pauli V. quod dedit anno. 1609. ait: Sanctissimus Dominus, & in Christo Pater D. N. Paulus Diuinæ prouidentiaæ Papa V. suo viuæ vocis oraculo nobis facto ad instantiam, & supplicationem Adm. P.F. Ludouici à S. Ioanne Euangelista eiusdem ordinis in Romana curia Commissarij generalis Ultramontanæ familiaræ, propter eximiam deuotionem, quam totus Ordo habet in Deiparæ Virginis immaculatam Conceptionem, concessit quod omnes fratrestotius Ordinis suprædicti omnibus diebus sabati festo nouem lectionum non impeditis, possint recitare officium immaculatæ Conceptionis, quod incipit, Sicut filium &c.

Nicolaus Blonius, qui scripsit anno 1438. serm. de Concept. B. Mariæ ait: *Sanctificatio Christi in conceptione fuit plenior quàm Maria, eo quod ab instanti conceptionis fuit anima Christi beata, non*

tamen sic Maria. Et ideò patet illorum proteruita & durities, qui timent vel nolunt concedere, illam conceptam sine originali peccato: timentes, eam per omnia assimilari Christo; ac per hoc metuentes offendere Maiestatem singularem Christi, si eam sibi in Conceptione assimilent. Videant & audiant, adhuc dato, quòd sic esset concepta; non tamen per omnia similis esse Christo. Eo quòd Christus respectu ipsius se habet, ut Sol ad Lunam, quia maxime distant à se inuicem maiori parte, loco & dignitate. Habet peculiare hoc testimonium, quòd Sanctificatio non supponat necessariò peccatum antecedens.

Claudius Seyffellus de Prouidentia part. 1. art. 5. Post expensam grauitatem culpæ actualis primi parentis, Christi que ad extersionem peccati necessarium aduentum, adiungit hoc de Deiparâ confectarium. Illorum opinioni facile assentimur, qui Dei Genitricem à culpa originalis contagione immunem fuisse assueuerunt. Cum enim in ea, vim omnem plenitudinemque gratia, quam mera creatura capere possit, ostendere atque effundere Deus ab æterno, optima ratione constituisset; ut potè quam ex omni humano genere, Filio suo Matrem delegisset; indignum profectò erat, ut aliena illam culpa sineget maculari; ei presertim, cui esset ipsa illatura medelam. Indignius autem ut ullo temporis momento illius seruituti esset adstricta ad cuius caput conterendum, fuisset ab æterno preparata. Multò verò magis horrendum est dictu, ut carò illa, quantalacunque culpa macula fuisset aliquandò respersa; (per redundantiam scilicet à peccato animam inficiente, ob rebellionem & inconditos motus, in corpore ex anima spoliatione consecutus;) ex qua Deus ipse corpus assumeret, quod esset inseparabiliter diuinitati unium. Idque ut ceteras rationes & auctoritates omittamus, que in hanc partem plurima afferri solent, familiari suadere nitentur exemplo. Sit Rex terrenus, qui primogenitam ancilla mulieris, uxorem primogenito suo, regni que successoris daturum se promiserit. Nonne priusquam filiam mater concipiat, illam ingenuam nasci pronuntiabit, ne filio suo improperari ullo unquam tempore possit, quòd uxorem duxerit, que seruili conditione fuerit aliquando contaminata; ut que hac, supra ceteram matris prolem prerogatiua, ex regio connubio gloriari possit, que sola priusquam conciperetur, libertate donata est, effugitque seruitutis infamiam? Longè enim honorabilius est, liberum nasci, quam ex seruitute consequi libertatem; multò que excellentiori modo à seruitute liberata dici debet, que beneficio speciali prauenta, nullum seruitutis iugum sensit, quam que ex seruili statu, natalibus est restituta.

Finem imponamus Auctoritatibus hisce Latinis verbis Aluari Gomez, in Vita CHRISTI, Complutensibus typis impressa apud Arnaldum Guillelmum, anno 1522. vbi lib. 4. fol. 34. col. 2. describit elegantissimo carmine Conceptionem Virginis Immaculatam: ——— *lanque*

Nox erat, & letis lacebant sidera campis,
Grata simul nullis mærebat pressa tenebris
Terra, velut primo canderet Phœbus Eòs;
Amboque, ne tanti caruissent munere doni,
Casti animis, lectò posuerunt corpora mundo.
Candidior cunctis, ò nox memoranda, diebus
Saluel. eterna manet tibi laus, & inclita semper
Gloria: te regno sustollent lata profundo
Colla, Patres gaudete viri, sacramq; per Orbem
Latitiam laxis festiuum spargat habenis

Aluarus
Gomez.

*Missi quies, roscoque ferat pax aurea curru.
Iam venit illa dies rigidum casura tyrannum,
Virgo venit, tenebrisque venit lux abdita, iam-
que*

Concipitur, quantum semista cadauera donum
Debetis nitida, qua prima piacula nocti
Incipiunt CHRISTI diuino sanguine tergi!
Hora beans nimum felicia tempora; felix
Hora beans cunctis harenti crimine natis,
Crimen, quod populis materna superbia cunctis
Fuderat, electam prohibetur face MARIAM
Accumulare sacram, seui nam criminis antè
Quam lex lata reis, Dominus seruarat ab ipsa
(Nota loquor) claram cuius de carne puellam
Sancta potens viuo legisset semina nato.

Lubet ad Græcos euolare, non ut transfuga, sed ut explorator; an & apud illos possim haurire, que præfenti argumento conducant. Planè possum, licet enim minùs frequens occurrat illic controuerfi mysterij mentio; tamen vel hoc ipsum silentium fauet; quia uti certum supposuere. Plusquam supposuit quidem, cum satis se declarauerit Manuel Paleologus, Imperator, in Orat. de Dormit. B. Virginis, vbi ait: Simul atque concepta fuit Beata Virgo, Deus illam gratia implebat, qui sibi futuram Matrem prætulerat. Imò verò cum illa erat ipse, antequam esset nata. Numquam tamen illi non fuit coniunctus, statim atque in sterili Matris utero capit esse. Hoc sibi vult illud Gabriëlis, Dominus tecum; quod ipse docet, distinguendo tempus hoc modo. Nam volens Conceptionis modum intemerata Virginis declarare, interroganti tempore vsus est futuro, non presenti, dicens: virtus Altissimi obumbrabit tibi. Salutando verò ait: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Non enim gratia plenam futuram, sed ut existentem, quod erat, appellauit, & Benedictam salutauit. Cum gratia sis plena, ò Virgo, Dominus tecum. Quia verò illum habes in anima, Benedicta es in mulieribus. Verè beatam oportebat esse illam, cuius anima incredibili pulchritudine esset ornata, & qualem nulla unquam tulere tempora. Cunctis mulieribus sola effugit damnationem ob peccatum. MARIA semper ab omni peccato fuit immunis.

Manuel
Paleologus.

Isidorus, Archiepiscopus Thessalonicensis, locupletissime Immaculatam Virginis Conceptionem profitetur: Oratione de ingressu Virginis Immaculatissimæ in Sancta Sanctorum, locutus de parentibus Virginis, orantibus ad Deum, ait: Decebat etiam illius congressus, qui concipiendæ Virginis causa fuit, primordialem & antecedentem causam non esse aliud, quam Dei congressum, ut qua fieri posset, sola purissima Propheticum quoque illud enitare posset, In iniquitatibus conceptus sum; possetque de se ipsa affirmare, Solam non in peccatis concepit me mater mea: Nimum hoc etiam numerando inter illa, que dictum illud complectitur; quia fecit mihi magna qui potens est. Idem Oratione in Annuntiationem gloriosissimæ, & gratia plenissimæ Domine nostræ, Dei Genitricis, ac semper Virginis MARIÆ. Hic titulus Orationis; qui satis erat ad protestandum puritatem Originalem Virginis. Sed in corpore Orationis clarissime dicit de animâ Virginis: Illam Deus immaculatam, & supra puritatem puram seruanit. Idem Isidorus sic inscribit Orationem aliam in Natiuitatem supra omnem omnium modum pure Dei Genitricis, & Domine nostra semper Virginis MARIÆ. In hac inscriptione palam supponit omni

Isidorus
Archiepiscopus
Thessalonicensis.

Psal. 50.

Luca 1.

omnimodam in Virgine puritatem, quam plenius in corpore Orationis adstruit, dicens: *Creat initio Deus e terra hominem, & costa eius constituta est adiutorij eius mater. At ubi lapsi sunt, non opus habuit terra Deus, ut novum hominem formaret (pulverem enim reiecit ut friabilem) nec membro hominis, aut homine toto: videtur enim homo, quod detracta costa esset mancus, & ipse reiectus esse, sed quod non primum e terra compactum, nec aliquo membro mancum; nil ab hoc aptius videbatur quam Virgo: illa enim non e terra, ut ita dicam, eo quo diximus modo, & super omnem creaturam absolutissima erat. Hoc ergo assumit ad novam creationem instrumentum, ut etiam cum magno fenore acceptum munus redderet, videlicet costam. Idcirco nascitur novus Adam CHRISTVS meus, non perfectus tantum, sed & super-perfectus a nuper nata perfecta, quod spectat ad homines, Deo chara puella, & Matre, que deinde nos membra Dei fecit. Ita sane: verum omnia, que facta sunt, sequitur necessario defectus, nempe corruptio. Excipio incorporea: ea enim Conditor talia creavit, ut largiretur eis sine fine existere; ut multiformis sapientia eius hinc etiam, ut puto, claresceret, dum rerum productarum quadam paterentur corruptionem, quadam vero immunes a corruptione permanerent. Sed si etiam huic necessitati omnes subessent creatura, quis purissimam quoque Virginem hoc malo teneri iure concesserit, per quam in lucem editam, vera creationis redintegratio & vita effloruit, ut iam declaratum est: Sicut in ea nihil fuisse demonstratum est eorum, que apud homines illaudata sunt; ita unam & Angelis sanctiorem, & communi infortunio superiorem esse decebat.*

Ceterum, Matthæus Cantacuzenus, alio nomine Matthæus Augustus, quia primogenitus fuit Ioannis Cantacuzeni Imperatoris, qui floruit anno 1350. in expositione in Cantica, sæpè indicat aut supponit puritatem Originariam Sanctissimæ Virginis; cuius iam aliqua verba dedimus, & possumus addere plura. Appositè illa verba in Cantica Canticor. c. 2. *Exurge, veni propinqua mea, tribuit Filio Dei, alloquenti suam Matrem futuram, & loquenti de Natalitiis eiusdem; eaque desideranti, in quibus prima comprehenditur Conceptio; quæ est natiuitas in vtero; idè plures Græci sub nomine Natiuitatis Virgineæ comprehendebant etiam Conceptionem. Verba Cantacuzeni sunt: Exurge, veni propinqua mea, hoc est, tempus est, o Mater, ut tu nascaris in terra, ut sis domicilium mihi ex te nascituro mortali. Subdit postea: Deinde tamquam sermonem repetens, Exurge, inquit, veni proxima mea, formosa mea, columba mea, hoc est, purissimum te mihi domicilium velim expedias, & reddas; oportet enim sellam ante Regium adornari aduentum. Et veni tu, columba mea in regmine petra, iuxta propugnaculum, &c. Ostende mihi aspectum tuum, & fac me audire vocem tuam; quia vox tua suavis, & aspectus tuus decorus. Iudeorum quidem populus, ut immundus, à Deo est reprobatus; Virgo vero, omni ex parte labis experta, tamquam purissimum templum, in ipsius est electa domicilium, ad quam dicit: Veni tu columba mea in regmine petra, iuxta propugnaculum: videlicet, veni, ut in me carne vestias, quo perinde sim ac ceteri, particeps irreprehensibilium passionum, regmine petra, super quam CHRISTVS adificavit Ecclesiam: ex qua figurate quoque sitientem portavit populum Moyses ille, qui etiam cum in monte Sina coram Deo constitisset, ut ipsum Deum vide-*

*ret, protectus est à Petra; à CHRISTO nimirum, qui propter nos caro factus est. Quemadmodum etiam David suo pariter testimonio firmat, dicens: Lapidem, quem reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli. In his verbis satis commendat præseruationem Virginis à sorde Originali, cum eam domicilium Dei in sua Conceptione, & omni ex parte labis expertem, tamquam purissimum templum, asserat; ubi omnino excluditur peccatum Originale, cum dicat, ex omni parte. Tum id habuisse Virginem per protectionem CHRISTI, à quo in sua Conceptione protecta fuit, sic interpretatur illud in regmine petra: & affert exemplum Moyses, qui protectus fuit à petra, & Davidis, qui fatetur lapidem reprobatum factum sibi in caput anguli: sic & lapis angularis ædificij Virginei in domicilium Dei CHRISTVS fuit in Conceptione Sanctissimæ MARIÆ, in cuius gratiâ fundabatur à primâ formatione. Eodem sensu exponens illud Canticorum 4. *Veni de Libano Sponsa, &c. ait: Venies ad vitam, nec ad huius vite mala peruenies: vera autem mala huius vite solum sunt peccata; quare, si Virgo non veniet ad huius vite mala, non debuit in ipso ingressu vite incurere peccatum. Mox subiungit omnimodam victoriam Virginis à dæmone, notatam in illis verbis: Veni a capite Sauri & Hermon, à cubilibus leonum, & à montibus pardorum.**

Ut pote, quæ cum ex Regio genere & Iudeorum Synagogis descenderet; cacodæmonum tamen debellavit violentiam. Vbi obtinuisse victoriam, quam progenitores non obtinuerunt, aptè congruit victoriæ de peccato Originali. In cap. 6. Cantic. loquens Cantacuzenus de Beatissimâ Virgine, ait: *Supra omnem captum & rationem est in te omnium pulchritudinum ordinata compositio, & concinna constitutio. In Græco est, Syntaxis, atque Euarmostia: nec hoc verificari posset, si abfuisset Virgini pulchritudo iustitiæ Originalis, quam habuerunt Angeli, discordarentque in Virgine pulchritudines, si solum habuisset actualem, caruisset verò Originali. Inter quos est quædam harmonia iuxta sanctum Augustinum, qui sensit nullum adultum caruisse peccato actuali, qui contraxerit Originale. Idem Cantacuzenus in illud eiusdem capituli, *Sexaginta sunt regina, &c. Una est matris sue, &c. ait: Excellentiam sine comparatione Matris, omnis prorsus labis expertis, Prophetæ ex his comparate demonstrat mulieribus. Postea subdit: Ante mundi constitutionem electa Deo in domicilium suum, unica existens matri sue Heuæ, & post eam ex natis ab Heuâ altera reperiri nequit. Viderunt eam filia, & bearunt eam: Regina & concubine laudauerunt eam. Ac si aperit diceret: Ecce enim ex hoc nunc beatam me dicent omnes generationes. Quæ est ista se in se electa quasi aurora, &c. pulchra ut Luna, electa ut Sol, pauor ut castrorum ordines? Sempore percussus ab excellentia illibata Matris Verbi Dei. Quænam ista est, quæ se in se electa ut aurora; quemadmodum enim, lumine Solis accedente, nocturna recedunt tenebræ; sic ad præsentiam Virginis splendorem peccati recesserunt tenebræ. Cum in processu & incremento Virginis primusgressus fuerit eius Conceptio per auroram significata, satis indicat illustratam fuisse gratiâ Christi.**

Accedat Matthæo Ioannes Cantacuzenus, qui dixit Apolog. 3. *Credimus & confitemur, quod MARIÆ similis homo nec natus sit, nec post hoc ex viro & muliere nasciturus usque ad celsam rationem*

Idem Cantacuzenus Imperator.

Matthæus Cantacuzenus.

Ioannes Cantacuzenus.

nem sæculi. Et secundum humanam quidem naturam, eam Angelis infererem esse indicamus, tamquam hominem: honore autem & sanctimoniâ ipsam omnibus Angelis indubiè præferimus. Notanda sunt illa verba, honore & sanctimoniâ; quoniam si ignominia labis Originalis Virginem tetigisset, honoratioribus & sanctioribus fuissent Angeli in suâ creatione; ad quod denique extollit Virginem hic Auctor, ut necesse fuerit aduertere hoc; *hanc colimus non ut Deum*, quasi indicans Virginem esse sanctam & puram, quantum post Deum pura potest capere creatura.

Seuerus Alexandrinus.

Seuerus Alexandrinus, qui inter Græcos floruit anno 1280. sic Virginem salutatur in precibus Abecedariis: *Salve sancta MARIA. Mater, Regina Celi, porta Paradisi, Domina mundi, pura unica es, ô Virgo! tu concepisti IESUM absque peccato, tu peperisti Creatorem & Redemptorem mundi.* Dixit simul puram & unicam; quia in puritate Originali vnica fuit Sanctissima Deipara.

Manuel Malaxus.

Manuel Malaxus Lib. 2. Turco-Græciæ ait: *Eo quoque die Litaniis & gratiarum actionibus Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, & Sanctam gloriosissimamque Panmacaristam Dei Genitricem, spem & anchoram piorum verorumque Christianorum, perquam reuerenter venerati sunt.* Vox illa Panmacarista, summæ exaggerationis est, pro felicitate puritatis Originalis, maxime cum substantiue sumatur simul cum adiectiuo gloriosissima; ita ut si vim idiomatis Græci obseruemus, ita debeat explicari, gloriosissimam plenitudinem maximæ Beatitudinis ex omni parte, siue omnino & vndeque. Quocirca, comprehendit hanc Beatitudinem, eam scilicet quæ potest accidere ex parte Originis, nimirum Sanctitatem Originariam.

Nicolaus Theſſalonicensis, in Expositione Liturgiæ, cap. 49. appellat Virginem omnibus modis Sanctam, Immaculatam, Super-benedictam, gloriosam Dominam nostram: quæ epitheta alibi expendimus, & ipsa per se puritatem Virginis prædicant, etiam in suâ Immaculatâ Conceptione.

Philotheus, Patriarcha.

Philotheus, Patriarcha, in Diatæxi Sacri ministerij, vocat Virginem *Παντοκρηνην*, hoc est per omnia, & modis omnibus super-benedictam, gloriosam Dominam nostram Deiparam. Quomodo esset per omnia Benedicta, si per Conceptionem incurrisset maledictionem filiorum Adæ?

Horum Scriptorum testimonia satis erit adduxisse: quia innumeri sunt alij quorum auctoritatem implorare possem; & proinde satis erit nonnullorum nomina referre, qui piam opinionem secuti sunt. Sunt autem hi: in clytus Dei seruus Ioannes Capistranus in Tractatu quodam quem ex professo conscripsit de purâ Sacræ Virginis Conceptione: vir insignis sanctimoniâ Petrus Thomas, Carmelita, qui doctrinam suam martyrio coronauit, eiusdem argumenti Opus litteris commendauit; quemadmodum & alter item seruus Dei Raymundus Lullus materiam hanc stylo suo non indignam existimauit. Similiter & Iacobus Attrebas de purâ Cōceptione Virginis. Prædicarunt de eâ, & è suggestu eam propugnarunt Beatus Ludouicus Bertrandus, & Venerabilis Nicolaus Factor, & alij plurimi.

Scholastici antiqui, præter iam memoratos, qui pro sententiâ negatiuâ steterunt, fuere multi; videlicet Guillelmus Barro, Scoti Magister, Scotus ipse, Ioannes Bachonius, Antonius Andreas,

Monaldus Bellamentanus, Adamus Goddardus, Landolphus Neapolitanus, Hugo de Castronouo, Rupertus Linconiensis, Ioannes de Baileâ, Henricus Carthusianus, Alexander Nequam, Petrus de Candia, postea Pontifex Maximus, Petrus de Aquila, Baptista de Ferrara Biel, Guillelmus Borrillon, Marfilius, Doctor celebris, Ioannes Borrillon, Franciscus Lichuetus, Ioannes Maior, Iacobus Almaynus, Nicolaus de Niffa, Thomas Illyricus, Christophorus Syluester, Petrus Tartaretus, Nicolaus de Orbellis, Dionysius Carthusianus: omnes ad vnum prædicti, in 3. Sentent. eam tuentur sententiam, quæ fauet purissimæ Conceptioni.

Guillelmus Barro, Scoti subtilis Magister, non solum prudenter, sed & appositè sic de ipsâ allerit: *Quod si deberet errare, potius volebat errare in abundantia laudis Virginis MARIE, quam in diminutione eiusdem.*

Guillelmus Barro in 3. Sent. dist. 3.

Neque minus liberè Franciscus Mayrones, dum ait: *Quod si CHRISTVS Dominus Matrem suam Originale peccatum incurere permisisset, peius sibi fuisset, quam si eam perpetuâ sensus pœnâ puniisset.* Et addit: *Quod Beata Virgo in puris naturalibus constituta prius pœnam æternam elegisset, quam Originale peccatum contraxisset: quia, inquit, quis magis debet fugere odium Dei, & ipsius esse inimicum, quam pœnam æternam.*

Franciscus Mayrones, in 3. dist. q. 3. a. 2.

Alij pœnâ innumeri Doctores fuere ex Antiquis, qui hanc ipsam opinionem professi sunt, è quibus aliquos dumtaxat annectam; Nicolaum videlicet Tudescum, alio nomine Abbatem Pannormitanum, Andream Barbarium, Ioannem Driedum, Rodolphum Carthusianum, Rodolphum Agricolum, Baptistam Mantuanum, Adrianum Finum, Robertum Gaguinum, Antonium Cufanum, Leonardum de Utino, Augustinum de Ancona, Petrum Aureolum, Antonium Andream, Scoti discipulam, Guillelmum Ochan, Armanum, Michaëlem de Bologna, Henricum, Harpium, Ambrosium Camaldulensem, Bartholomæum Pisanum, Ludouicum Blosum. Denique vti nullus de Præcis dicendi finis esset, ita nullus de Recentioribus quædam adiciendi.

Lælius Zecchus, qui floruit sæculo antecedenti, hoc est decimosexto, Tract. de Beatissimâ Virgine, cap. 1. De conceptione passiuâ eiusdem, defendens Immaculatam fuisse, ait: *Hac tempestate omnes fere hanc sententiam tenent.* Hoc dixit, cum liberum erat omnibus opinionem affirmatiuam defendere, & prædicare verbo & scriptis, publicè & secretò: quid erit iam, cum totum hoc prohiberetur sit? Nec pœnitebit adicere, quæ ipse subiicit: dicit enim in Concilio Tridentino Sess. 5. supponi, *possibile fuisse Beatissimam Virginem conceptam esse Immaculatam. Et hoc Caietanus fateatur; cum enim peccatum Originale non sit quid essentialiter natura humana annexum, est in Dei voluntate liberare ab illo quemcumque voluerit; quamuis enim omnes in Adamo ederimus pomum; potest tamen Deus liberare quàm vult personam à peccato Originali: pomum comedere eatenus peccatum fuit, quatenus vetuit Deus illud comedere; sed potuit Deus à lege illâ liberare quemcumque voluerit.*

Lælius Zecchus.

Diligentissimus Petrus Alua in Militiâ pro Conceptione, vltra sex millia educit Auctores, qui eam immaculatâ defendunt. Valentinus Gerardus in Triumpho Virginis, contra Codurium parr. 3. dissert. 2. num. 9. obseruat rem notatitudinam,

gnam, ex qua Galliam innumeros propè habuisse Conceptionis immaculatæ defensores, constare possit. Nimirum se, cum Lutetia degeret, accepisse à fide dignis, qui cum fide, & accuratè numerum eorum iniuerant, qui Parisiis in Magistrum sententiarum scripsissent, eos fuisse ultra vndecies centena millia. Cum autem in Academia Parisiensi, Doctores iuramento edito ante inaugurationem in Doctores, adigantur ad standum pro Conceptione immaculatâ, manifestum est, iuxta hunc Auctorem, quâtopere in Galliâ excreuerit multitudo defensorum Conceptionis immaculatæ. Licet enim perseverante decreto Mauritij, non aufferent Parisienses eam clarè docere, in corde tamen, & extrâ Galliam illam profitebantur.



CAPVT XXVIII.

Licet non suppeteret nobis antiqua traditio, potest verificari Ecclesiam nunc tenere sententiam negativam.



V B E T modò hanc ipsam traditionem probare vel vnâ hypotesi, quæ eandem destruit: est autem hæc ad verificationem huius propositionis. Ecclesiam pro verâ habere sententiam, quæ Virginem à peccato Originali eximit, minimè opus esse traditionem antiquam implorare, eâ ratione, quòd sufficiat id ipsum ab Ecclesiâ extremis hisce temporibus celebrari solitum. Sic fatetur Ioannes Gerson, qui minimè perspectâ traditione primorum Patrum Ecclesiæ, sed iis tantummodò ponderatis, quæ ipsius temporibus gerebantur, & ad summum à Beati Anselmi ætate repetitis, dixit in Serm. de Concept. qui Tom. 4. Operum illius habetur in primâ consideratione: *Quod Spiritus sanctus interdum reuelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates vel expositiones sanctæ Scripturæ, quas non reuelauit eorum prædecessoribus; sic dicit Gregorius Daniel, 12. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia Domini. Ideò Moyses sciuit plus quàm Abraham, Propheta quàm Moyses, Apostoli quàm Propheta. Et Doctores addiderunt multas veritates ultra Apostolos. Quapropter dicere possumus hanc veritatem, Beatam MARIAM non fuisse conceptam in peccato Originali, de illis esse veritatibus, quæ nouiter sunt reuelata vel declarata, tam per miracula quæ leguntur, quàm per maiorem partem Ecclesiæ sanctæ, quæ hoc modo tenet; fuit tempus aliquod, in quo non tenebatur generaliter, MARIAM Virginem esse in paradiso in corpore & animâ, sicut modò tenetur; & similiter post institutionem Festi Natiuitatis sancti Ioannis Natiuitas Domina nostræ ordinata fuit per reuelationem vnius solius femina, & multa similia. Deinde secundâ consideratione adiungit: *Omni tempore Doctores, in sacrâ Scripturâ instructi, auctoritatem habent exponendi & declarandi veritates, quæ ex ipsâ sequuntur, & sicut habuerunt Doctores antiqui; & si dicas, quòd non habent talem sanctitatem; respondeo, Hoc non impedire,**

quin talem habeant auctoritatem, quemadmodum Prælati noui similem habent auctoritatem cum Antiquis ad eorum populum gubernandum, licet non talem habeant sanctitatem. Hactenus Ioannes Gerson nos monuit, pro communi quæ tunc obtinebat sententiæ negativæ auctoritate: erat autem aded vulgaris & passim recepta, vt ipsimet Ecclesiæ possit adscribi; & propterea minimè negauit Gerson, primis vndecim sæculis Patres antiquos eandem tenuisse. De puritate quippe Originali Virginis in Sermone de Concept. considerat. 8. verba faciens, dixit: *Sanctus Augustinus de Naturâ & Gratiâ, cum de peccatis agimus, &c. Anselmus de Conceptu Virginis; quis dicere audeat &c.* Quæ quidem omnia Breui postmodum verificata fuerunt in Concilio Basiliensi, anni 1439. vbi ab vniuersâ Prælatorum Congregatione Festi celebratio decreta, & mysterium determinatum est. Verùm, quia defuit Summi Pontificis approbatio, decretum illud in vim sententiæ resolutum fuit, vtique non infallibilis. Ceterùm, ea Synodus perquam numerosa viris doctissimis, & magnis Prælatibus constans fuit: interfuerunt quippe præstantissimi quique viri è Christiano orbe, & hæc ipsa eorum definitio magnum argumentum est hac in parte consensus ipsius Ecclesiæ.

Porro, quid dicam de Sixto Papâ Quarto, qui instituit & promulgauit Conceptionem Virginis Festum esse Ecclesiæ, ipsique Missam & Officium proprium attribuit? in quo perspicuè celebratur Immaculata Conceptio, id est Conceptio in gratiâ, & sanctitate in primo ipsius animæ instanti; proindeque Inuitatorium sic incipit: *Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ celebremus;* & ad finem Lectionis octauæ: *Tota pulchra es, & macula Originalis non est in te.* Imò & in eodem Officio expressè declaratur id quòd celebratur, esse præseruationem à peccato Originali. Superant quæ hîc dicimus, quidquid Academiæ omnes simul iunctæ, Doctoresque possent nobis tradere; quia hæc Ecclesiæ auctoritas præcellit; præterquam quòd vel sic affirmant omnes fideles, qui id recitant vel offerunt Ecclesiæ: & hoc videtur æquiualeere verbis Concilij de puritate actuali, *Tenet Ecclesia.* Demum, si hoc ipsum asseruit Gerson de puritate Originali ante Sixtum Quartum, imò ante Concilium Basileense; quia maior Ecclesiæ pars ita sentiebat; profectò Ecclesiam hanc sententiam sequi hoc tempore, meritò posset affirmare, quo in vniuersâ Ecclesiâ aded aperte purissima Conceptio celebratur.

Accedit & his in Oratione Officij & Missæ, quòd præseruatio Virginis pro exemplari nostro apponitur; *Vt sicut ex morte Filij tui præuisa eam ab omni labe præseruasti; ita nos mundos ad te peruenire concedas.* Quibus in verbis obseruanda est magni momenti circumstantia; Sacerdotem videlicet in Sacrificio Missæ, quemadmodum non tantum offert nomine suo, sed etiam IESU CHRISTI & Ecclesiæ, qui præcipui sunt offerentes, & ob id CHRISTI & Ecclesiæ nomine postulat, vt sicut Virgo fuit à peccato Originali immunis, ita quoque nos actualibus careamus; & hoc modo sumus immaculati: quæ petitio, si Virgo peccato Originali laborasset, maledictio esset potius quàm Oratio; & si concederetur, damno nostro cederet. Quis igitur dixerit, CHRISTI & Ecclesiæ nomine, verbis ab Ecclesiâ dictatis & approbatis tale quid à Deo postulare?

Gerson in Appendic. ad Serm. de Concept.

D, Thom. 3. p. q. 8 art. 1. ad 1 & Scholastici cum Magistro in 4. dist. 13.

Vide Fraciscum Suarez vbi supra.

Præterea,

Ioannes Gerson.

Præterea, certum est Ecclesiam errare non posse in directione orationis ad Deum verum, vti verum mediatorem, qui CHRISTVS est sicut nec in medio petendi intercessionem Sanctorum; quemadmodum affirmat communis, & nemine contradicente, Theologorum cohors.

Potestne maior esse Ecclesiæ consensus quam iste sit, concurrentibus omnibus Sacerdotibus, qui Missam celebrant, Religiosis & sæcularibus, Episcopis & pontificibus, ac omnibus quibuscunque fidelibus, qui eidem interfunt, & eam Patri æterno offerunt? Creuit haud dubiè semper inter priuatorum sententias, siue fidelium, siue Pastorum huius mysterij plausus: vnde fatentur ipsi Patres Dominicani, talem Ecclesiæ ipsius sensum esse in Manuali Prædicatorum, ordinato in quodam ipsorum Ordinis Capitulo, & Hispali typis impresso anno 1524. cuius verba supra retulimus, & ea tantum hinc annectam, quæ argumento præsentis conueniunt, sunt autem hæc: *Cum tota ferè Ecclesia iam asserat, quod fuit præseruata.*

Paulò pòd secutum fuit Concilium Tridentinum, in quo congregata est Ecclesia Catholica, hoc est illius præcipua pars, grauissimi nempe Episcopi & Theologi doctissimi, qui sententiæ piæ ad eò firmiter adhæserunt, quemadmodum iam dictum est, vt vniuersalis fuerit & communis Concilij sensus, ita scribentibus, qui acta Synodi inspexere, & Catherino, qui eidem interfuit.

Nicolaus Lancitius Tom. 2. Opusc. 11. cap. 13. sic ait: *Legi, & descripsi anno 1599, ex Actibus originalibus Concilij Tridentini (quæ asseruabantur in Castro sancti Angeli Romano, & cum expressâ licentiâ Clementis Octauæ fuerunt R. P. Petro de Arrubal, Professore Theologiæ in Collegio Romano, & mihi eius socio ad aliquot horas exhibita à Cardinali Casio) ex aliquot Decadibus Episcoporum deputatorum ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. Virginis Mariæ, omnes asseruisse illam esse Conceptam sine peccato Originali, solos quinque contrarium dixisse. Postea in aliâ Sessione fuisse conclusum, vt tandem determinaretur à Concilio Tridentino, illam esse conceptam sine peccato Originali; sed ob instantissimas preces aliquot Episcoporum & Theologorum sancti Dominici, qui illi Concilio aderant, rogantium, ne hac vice propter notam, quæ inureretur Ordini sancti Dominici hoc decreto, illud ederent; sed supersederent, & ad aliud tempus illud reuicerent; Concilium supersedit, decretum illum non vulgauit hanc solam ob causam. Ita habetur in illis Actibus Concilij, quæ diligentissimè legi, & hæc tunc exscripsi.*

Doctor D. Hieronymus Ormachea in Cant. Prologomeno 3. verbo Concilium Tridentinum, sic loquitur: *Memini me Roma legisse totam Sessionem Sancti Concilij Tridentini de peccato Originali, prout omnes illius Patres sua ferebant suffragia formalibus verbis. Et illud fuit mihi valde mirabile, quòd paucissimi Episcopi, aut ferè nullus, contra Immaculatam Conceptionis piam sententiam suum calculum expresserit, qui non esset ex Sacratissimâ D. Dominici Familiâ; ita vt Secretarius Concilij hanc referens circumstantiam semper subscriberet; & hic Episcopus erat Dominicanus.*


Ambrosius Catherinus in Præfatione disputationis pro Immaculatâ Conceptione ad Concil. Trid. hisce verbis vtitur: *Cum ab hinc ferè sexennium isthic Tridenti ageret sacra Synodus, ad inpotissimum congregata, vt hæreses & zizania, quæ in agro Domini irrepserant, tollerentur; & eò iam*

peruentum esset, vt de Originali peccato tractaretur; plerique ex Patribus admonebant, optimum esse, atque opportunum speciali decreto eam sententiam de Immaculatâ B. Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorsus Ecclesiis solemnè ritu celebratur & colitur, ita probari ac statui, vt iam ulterius non liceret cuiquam eâ de re secus vel asserere vel opinari. Id quibusdam, licet admodum paucis, tunc non placuit, nec (vt verum fatear) mihi quidem ipsi: non quòd rem ipsam non vehementer optarem, vt pote sanctam, & Christianam fraternitati congruentem, quæ in primis eundem in dogmatibus sensum, eamdemque in cultu Dei obseruantiam patri; sed quòd consultius per conditionem temporum videbatur prius aduersus hæreses manifestas intendere, tum illa aggredi, quæ inter Catholicos controversa, digna viderentur decisione. Nec desuerunt, qui hunc Tractatum in eum locum seruari volebant, cum de celebratione Festorum ageretur, quæ in re nonnulli vigent abusus; (inter quos hic numerari debet;) merito abolendi.

Prædicta testimonia docent, quàm vniuersalis Ecclesiæ consensus hac in parte fuerit, qui Originali Virginis puritati fauet.

Concilium Tridentinum Pius Quintus secutus Pius V. est, qui in Breuiarij reformatione iussit per Ecclesiam Catholicam Conceptionis Officium nouum recitari, quam ore pleno Sanctam in illo appellat: *Quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Potestne maior esse Ecclesiæ consensus, quam eorundem verborum prolatione, in singulis Ecclesiis per Episcopos, & sacro Ordine insignitos, adeoque per infinitum Clericorum Beneficiorum numerum palàm hoc mysterium profiteri, idque tam strictè, vt ex præcepto Ecclesiastico ita Officium recitate teneantur?

Successit suo ordine Paulus Quintus, qui vetuit affirmatiuam opinionem palàm defendi vel prædicari, iubens solam negatiuam è suggestu populo exponi. Denique, Gregorius XV. prohibuit, ne deinceps vel in publico vel in secreto contraria Originali Virginis puritati sententia affirmaretur. Ecquid tandem hoc erit, nisi sensus & consensus Ecclesiæ ipsamet dicit, vel dici imperat? Et quid dici potest non arbitrari & sequi, nisi quòd ipsamet silentio inuoluit, & inuolui ab aliis iubet? Certè nihil simile Ecclesia imperauerat circa actualem Virginis puritatem, quando Concilium eamdem declarauit, & eam sequi Ecclesiam asseruit; quia neque Festum actualis illius puritatis instituerat, neque contrarium asserere censuris adiectis prohibuerat.



CAPVT XXIX.

Respondetur sanctis viris & Scrip-
toribus, qui aduersantur
opinionì negatiuæ.



T respondeam Auctoribus, qui citantur aduersus opinionem piam, vel (sic enim melius dixerò) vt veram eorum mentem aperiam; quia si rectè intelligantur, non indigent plerique ex iis, imò ferè omnes responsione nostrâ: monere hoc loco operæpretium est, magnam esse differentiam inter Auctores, qui in

Nicolaus Lancitius.

Doctor D. Hieronymus Ormachea.

Ambrosius Catherinus.

gratiam negatiuæ opinionis allegantur & eos, qui pro affirmatiuâ citantur; quia illi vel in eo istos sperant, quòd alio intellectu, siue interpretatione non indigeant quippe absolute Virginem peccato Originali fuisse maculatam; siue id de primo animationis instanti intelligant, siue de tempore antecedente, vel denique de primo instanti seminalis Conceptionis. Quocumque sensu dixerint, penitus negant peccatum Originale. Si enim aiunt, peccato non laborasse in instanti Conceptionis seminalis accipientes pro peccato Originali debitum ipsum illius; multò minùs eo laborauerit Virgo post prædictam Conceptionem ante animationem; si verò pro instanti, quod Conceptionem feminalem sequitur, intelligant non laborasse; multò minus laborauerit Virgo peccato effectiuo in instanti animationis: quia si non habuit debitum culpæ, neque culpam ipsam habuerit. Proindeque, quouis modo negant Originalem culpam, & quocumque sensu, fateantur necesse est puritatem animæ Virginis in primo instanti eius creationis. Non ita de Auctoribus, qui pro affirmatiuâ sententiâ afferuntur, loqui licet, quia vt intelligatur negari ab illis animæ Virginis gratiam in primo instanti, non sufficit si dixerint eam laborasse peccato Originali in suâ Conceptione, vel post eandem: possunt quippe loqui de debito peccati, deque feminali Conceptione; quemadmodum locuti sunt nonnulli Auctores, qui fatentur Virginis animam in ipso instanti sui esse gratiâ fuisse præditam: sic Beatus Thomas, & sanctus Bernardus, alique Doctores. Proindeque, vt ceterorum mens detegatur, & responderi possit aliis, qui eorum auctoritate nituntur, expedit in memoriam reuocare terminorum explicationes, in hisce loquendi modis vsitatorum, qui supra iam expositi sunt, & præterea distinctionem modi, quo ipsis loqui licuit; nempe *de iure, de facto*; non item, vel aliter *ex lege communi*, at non *ex privilegio singulari*. Vbi quoque monemus, licet hanc differentiam terminorum supra retulerimus ex Doctore quodam Dominicano nostri temporis; constat tamen eam esse perantiquam, cum & eam obseruarit Ioannes Gerson Tom. 4. Sermon. de Conceptione, in appendice Considerat 3. ubi ait: *Sancti interdum generaliter locuti sunt de Dominâ nostra, & aliis in hac materia, volentes dare intelligere, quòd sine privilegio speciali, & secundum generales causas Dominâ nostra habuisset peccatum Originale, sicut alia. Et per hoc ponunt differentiam inter IESVM CHRISTVM, & Dominâ nostram; quoniam IESVS CHRISTVS numquã eguit privilegio, redemptione vel preservatione contra peccatum hoc, sicut Dominâ nostra.* Addit idem Ioannes Gerson aliam quoque considerationem, quæ quarta erit; dignam utique, quam referamus hoc loco, vt videre liceat, auctoritate viri tam grauis adhibitâ, Doctores prædictos, qui de præsentis Conceptionis materiâ scripsere, contra illam minimè scripsisse neque sibiipsis contrarios extitisse, quamuis ita appareat. Verba illius sunt: *Sancti Doctores, in materia Fidem tangente & Religionem Christianam, semper mature processerunt, non citò determinando dubias veritates. Ideò locuti sunt in hac materia, magis inquirendo quàm determinando. Hinc est, quòd interdum videntur dicere contraria; non tamen dicunt.*

Mediantibus dictis præsuppositionibus destructa penitus iacet oppositio sententiæ negatiuæ,

auctoritatibus contrariis innixa, quandoquidem nulla ex his momenti alicuius fuisse ostenditur, & si fortasse fuerit, multæ suppetunt ad eam responsiones & interpretationes. Verum, vt de indiuiduis nobis sit sermo, Cardinali Caietano, ex illustri Prædicatorum Ordine, placet satisfacere, in Opusc. de Concept. ad Concil. Lateran. citanti in gratiam opinionis contrariæ aliquot Patres, tum antiquos, tum recentiores Ecclesiæ. Subiungit & alios Doctores ad faciendam opinionem contrariam, vti Vincentium de Castro nouo, Bandellum Dominicanum; in quo multos allegare se asserit Caietanus: quia adeò magnus est illorum, quos recenset, numerus, vt etiam maxime contrarios opinioni suæ, qualis Scotus, referat.

Ducem Bandellum secutus est Caietanus in eâ Scriptorum mole citandâ; sed malè, quia Bandellus in Opere suo, aduersus Conceptionem Immaculatam, Ferrariæ primùm impresso anno 1502. interpolat, mutilat, & supponit auctoritates & testimonia Scriptorum, quemadmodum constat, & ex iis, quæ mox trademus, perspicuum erit. Quapropter Ægidius Lusitanus, Lib. 3. de Præseruatione Beatæ Virginis à peccato Originali, q. 4. art. 2. §. Centuriâ 1400. non est veritus dicere; *Falsitatis & mendaciæ arguendi sunt Caietanus & Bandellus.* Et postea art. 4. §. 1. *Bandellum & Caietanum vt falsarios damnauimus.* Quoad Caietanum in singulari attinet, qui plurimum extollit opinionem affirmatiuam, quoniam sit communis Patrum sententiâ, satis respondet censura Melchioris Cani, Dominicanæ etiam, Lib. 7. cap. 3. de locis, qui de Caietano hæc profert: *Vetustæ traditionis parum tenax, & in Sanctorum Lectione parum quoque versatus, libri signati (id est Epistolarum sancti Pauli) mysteria ab us noluit discernere, qui non suo sensu illa, sed maiorum traditione, verâ scilicet Dei clauem, aperuerunt.* Ex quâ censurâ satis constat, quàm parui ponderis sit hac in parte auctoritas Caietani. Quod satis etiam confirmat Ambrosius Catherinus lib. 1. Annotationum in Comment. Caietani, iratus huic Doctori, quòd in libro de CONCEPTIONE, quem obtulit Leoni X. addiderit quædam verba in testimonio S. Ambrosij, atque idcirco sic Caietanum carpit; *Cerè turpe, & illiberabile est, non ex fide citari Auctores. Quod eò magis miror, quòd hunc librum ad Pontificem scripsit; sed diu latuit; venit autem opportunè in lucem, & posset merito argui.* In libro autem de CONCEPTIONE ad Concilium Tridentinum p. 1. hæc habet idem Catherinus: *Non autem existimo Caietanum hunc locum B. Ambrosij, animo fallendi citasse; hoc tanquam de viro illo credere non possum: quin potius ipse falsus recitauit bona fide, eo pacto, quo ab aliis, qui contentiose scripserunt, scriptum reperit.* De aliis Auctoribus, qui citant plures Patres contra immaculatam CONCEPTIONEM, videri potest aliud opusculum eiusdem Catherini, scilicet Disputatio pro immaculatâ CONCEPTIONE, lib. 1. §. Si quod ubi ait: *Numerant Auctores suos quidam ad ducentos circiter, alij etiam ferunt ad trecentos extendunt. Caietanus ultimo ad quindecim reducit numerum. Alij multos memorant infima classis, quos nesciamus vtrū aliquando hanc vitam vixerint, vt isto modo per facile fuerit complere numerum. Nonnulli etiam cogunt inuitos, vt sibi adstipulentur, qui vel non probant quòd ipsi volunt, vel etiam contrarium potius docuere sed hoc missu facio, & respòdeo: Non posse fieri, vt omnes Sancti fuerint nobis contrarij; nam tunc nostra*

Bandellus,
Dominicanus.

Ægidius
Lusitanus.

Melchior
Canus,
Dominicanus.

Ioannes
Gerson.

Cardinalis
Bellarmi-
nus.

nostra Ecclesia erraret, & Sixtus Quartus errasset: at Ecclesia numquam errat, quæ est columna & firmamentum veritatis, & contra quam inferi numquam præualebunt; nec Pontifex errat, dum Ecclesiam docet, cum Christus pro illâ orauerit, vt non deficiat Fides eius. Quod si dixeris, id probasse Caietanum ex S. Bonauenturâ, qui in 3. Sentent. dist. 3. inter alia sic loquitur: *Communiter Sancti solum excipiunt CHRISTVM ab illa generalitate, quæ dicitur, Omnes peccauerunt in Adam,* nullus demum inuenitur dixisse, Virginem MARIAM fuisse ab Originali immunem. Ad hoc respondet Cardinalis Bellarminus, in sententiâ de Immaculatâ Conceptione coram Paulo Quinto ecclâ: *Sanctum Bonauenturam nullum Patrem sanctum citasse, nisi sanctum Bernardum, & sanctum Anselmum, nec poterat citare; quia paucissimos nouerant illo tempore Scholastici, qui Magistrum sequebantur, qui vix alios citat quam Augustinum, Ambrosium & Hilarium; ita quod verba illa Bonauenturæ, communiter Sancti solum excipiunt CHRISTVM; intelliguntur de paucis illis, quos nouerant tunc Scholastici.* Addit idem Cardinalis: *Verba eadem Bonauenturæ satis indicant eum loqui de Sanctis, qui non expressè loquuntur de Beatâ Virgine; sed solum in genere dicunt, solum excipi CHRISTVM à peccato Originis; quod est verum de illis, qui ex vi Conceptionis concipiuntur sine peccato Originali, sed inde non sequitur, excipi non debere Virginem, quæ non ex vi Conceptionis, sed ex gratia CHRISTI præseruata fuit; itaque absolutè negamus, omnes Sanctos antiquos esse contra nostram sententiam; imò vix vnus aut alter inuenietur, & nos contra habemus multos in contrarium. Ego vidi, quos citat Ioannes de Turrecremata, & quos Ioannes Bandellus, & quos Cardinalis Caietanus; & vix vnum locum inueni, qui conuincat.*

S. Augusti-
nus.

Veniamus iam ad præcipuas auctoritates Patrum, quas obieciunt Aduersarij. Primò afferunt sanctum Augustinum in Psal. 34. Conc. 2. *Adam est mortuus propter peccatum; MARIA ex Adam mortua est propter peccatum, caro Domini ex MARIA mortua est propter delenda peccata.* Hic dæst vnum verbum. Dicit enim S. Augustinus: *MARIA est mortua propter peccatum Adæ: quia videlicet non propter suum peccatum sibi inhærens, sed propter peccatum Adæ, ex quo omnes morti addicti sumus, etiam post peccatum deletum.* Loquitur hic Augustinus de morte corporali, non de spiritali.

Alium locum adducunt ex lib. 2. de Baptismo paruulorum, cap. 24. *Solus, inquit, ille homo factus, manens Deus peccatum vllum numquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de maternâ carne peccati.* Respondetur, Solus ille peccatum numquam habuit ex vi Conceptionis, quia fuit obnoxia peccato ex naturâ suâ; sed non obnoxia ex gratiâ. Nota hunc locum intelligi de peccatis actualibus. Alia circa hoc aduertimus supra. Præterea in aliquibus exemplaribus Augustini non sunt illa verba de materna carne peccati; sed ista de natura carnis peccati.

Opponitur etiam liber decimus super Genesim ad literam, vbi Augustinus carnem Mariæ vocat *carnem peccati*, addens eum, qui hoc negat; tanquam hæreticum esse detestandum: sed non probat, quod Maria de facto contraxerit peccatum Originale, vt probare intendit Caietanus. Esse enim carnem peccati (inquit in opusculo suo Ioann. Ensch. Op. Parth.

de conceptione Ambrosius Catharinus) non aliud significat nisi esse propagatam naturaliter & ex peccatoribus, non ex Spiritu Sancto, quod qui negat de Virgine, vere detestandus hæreticus inuenitur: & non significat peccatum actualiter esse in carne (vt indocti credunt) cum non caro, sed anima sit subiectum peccati: nec esse carnem peccati necessario, secum fert animam esse coinquinatam, cum etiam per gratiam mundata omnis caro adhuc dicatur caro peccati, vt pote de peccatore propagata. Quod autem hæc sit Augustini mens, manifeste declarat subiiciens; *& quid incoinquinatus isto vtero Virginis, cuius caro etsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit.* Et subdit: Proinde Corpus Christi quamuis de carne faminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat. Tamen quia non sit in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Hæc ille quibus quid potest esse euentius, vt declararet carnem peccati dici, quæ communi modo concepta est ex peccatoribus, nec tamen ideo sequi in carne ipsa reuera inueniri peccatum, sed solum peccati debitum nisi per Christum inueniatur quouis modo solutum? ideo caro Virginis non æquatur in puritate carni Christi, quæ de Spiritu sancto concepta fuit. Et hoc est, quod ait Augustinus, quod qui negat detestandus hæreticus inuenitur: sic enim seipsum declarat. Alioquin qui potuisset verè dici detestandus hæreticus, qui id diceret, Quod nunc etiâ celebrat Ecclesia? En fides Caietana? Hæc rectè annotauit Hypolitus Marracius in libro de fide Caietana.

Allegatur etiam sanctus Ambrosius Serm. 6. in Psal. 118. *Venit Dominus IESVS, & in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Respondetur, Illud in Matre, additum est, nec potuit ibi esse; quia non loquitur S. Ambrosius de Beatâ Virgine, sed de Virginitibus Sanctimonialibus.

S. Ambro-
sius.

Obiiciunt pariter sanctum Ioannem Chrysostomum in Matth. *Quamuis CHRISTVS non esset peccator; naturam tamen humanam de peccatrice suscepit.* Respondetur: Hic locus non inuenitur, nec potest inueniri; quia blasphemia, vel hæresis esset dicere, Beatam Virginem fuisse peccatricem. Peccatrix enim dicitur, quæ peccata actualia facit. Videtur locus desumptus ex Homil. 20. vbi dicitur, *CHRISTVM ex peccatrici bus ortum habere, videlicet Rahab, Thamar, Bethsabee, quæ commemorantur in Genealogiâ CHRISTI.* Præterea, licet Chrysostomus dixisset, *CHRISTVM accepisse carnem ex peccatrice,* potest intelligi cum sancto Bernardo de Virginis fœtu, ante animationem culpæ obnoxio, id est ex carne peccatrice, iuxta naturam suam, vel per se, non per gratiam, diuersimodè à CHRISTO, qui per se & per naturam personæ suæ impeccabilis erat; nisi id explicetur *ex communi lege, non ex priuilegio; item de facto, non de iure.*

S. Iohannes
Chrysosto-
mus.

Similiter & obiiciunt sanctum Maximū Serm. de Assumpt. *Beata Virgo fuit in vtero Matris sanctificata ab omni contagione Originalis culpæ, antequam nasceretur.* Respondetur: Hic sermo impositus est; nam hic Sermo nō inuenitur inter Sermones Maximi, Romæ, Parisiis, & alibi impressos, nec ponitur in numero Sermonum S. Maximi à Gennadio; nec tempore S. Maximi celebrabatur Festum Assumptionis, quod postea incœpit.

S. Maximus.

Producitur quoque Beda in Homil. super *Misus est*, in illud, *Spiritus sanctus superueniet in te*, ubi ait: *Spiritus superueniens in Virginem ab omni vitiorum sordibus castificauit*. Respondetur: Vitiari mentem & verba Bedæ: loquitur enim de Conceptione CHRISTI, & dicit, in eâ superuenisse Spiritum sanctum in Virginem, vt nullâ carnali cogitatione sordidaretur; non loquitur de peccato Originali, quo secundum omnes illo tempore carebat. Similiter vitiatur alia verba Bedæ ex Homil. 8. Epiphaniæ, *Supponuntur hac de carne peccatrice*, &c.

S. Antonius de Padua.

Sanctus Antonius de Padua citatur in Serm. de Natiuit. B. MARIÆ Virginis sic: *Beata MARIA fuit in utero Matris a peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata*. Respondetur, Hoc testimonium non reperiri inter Opera huius Sancti, neque vllum extare Sermonem eius de Natiuitate B. MARIÆ Virginis, vel in codicibus impressis, vel manuscriptis, qui seruantur in Vrbe. Nec habet vllum titulum de Natiuitate B. MARIÆ Virginis, nisi in lib. 5. Concordantiarum moralium, part. 8. sed ibi nihil aliud continetur, nisi decem & octo Scripturæ loca, quibus suppeditari possent themata ad concionandum de Beatissimâ Virgine.

S. Bernardinus Senensis.

Citant prædicti Auctores S. Bernardinum Senensem in tertio Opere suorum Sermonum, quod incipit, *Ignis a facie eius exarsit*, in Tract. de B. Virgine, Serm. 4. incipiens: *Sicut Sol oriens in mundo*; ubi sic ait: *Tertia fuit sanctificatio maternalis, & ista remouet culpam Originalem, confert gratiam, & remouet pronitatem ad peccandum, tam mortaliter, quam venialiter, & hac fuit in Virgine Matre*. Respondetur: Locus non solum non est expressus ad probandum peccatum Originale fuisse in Beatâ Virgine (sicut ipsi affirmant) verum ex ipso textu colligitur contrarium; sic enim ait Sanctus in verbis immediatè subsequentiis: *Sanctus Deus ipse æternus, sicut mirâ suâ sapientiâ creauit omnia, sic illam benedictam Matrem suam talem condidit & sanctificauit in tempore, qualem eam Sanctam elegit in suâ æternitate, & talem tam nobilitate natura, quam perfectione gratia condidit Matrem, qualem eum decebat habere suam gloriosissimam Maiestatem &c.*

Præterea, quia idem Sanctus expresse docuit alibi, Beatam Virginem fuisse immunem à peccato Originali in sua Conceptione; in Tomo enim primo suorum Operum Serm. 52. qui incipit, *Cogitabat*. art. 1. cap. 1. explicans illud primum verbum Salutationis *Aue*, planè asserit Immaculatam Virginis Conceptionem, vt iam vidimus.

Idem Tom. 4. Serm. 49. de Amore glorioso, qui incipit, *Ecce quàm bonum*, sic ait: *Sed quia CHRISTVS non cecidit in aliquo peccato Conceptionis, nec actualis, & similiter Beata Virgo; idè non dicuntur surgere, sicut omnes ceteri homines, qui ceciderunt, & cadunt ab Adam citra peccatum Originale; tamen virgine Beata Virgo fuit concepta in peccato Originali, Ecclesia non damnat, sed magis pium est credere, quòd non fuerit in peccato concepta, quàm credere quòd sit, &c.* Hæc ille; ex impressione Veneta 1491.

S. Vincentius Ferrerius.

Sanctum Vincentium Ferrerium citant tamquam profe indubitanter ac clamant, in Serm. de Concept. Virginis sic dicentem: *Beata virgo MARIA fuit in Originali peccato concepta, sed eadem die & hora statim post animationem fuit per*

sanctificationem à peccato contracto mundata, & ideo (addit Bandellus & Petrus de Vincentia) *Festum hoc debet referri, ad Sanctificationem*. Hæc ille. idem dicit in Sermono sanctæ Annæ, & Natiuitatis Beatissimæ Virginis. Respondetur: Iste locus vitiatus est; nam S. Vincentius sic ait: *Sextus gradus, & super omnes alios, est Sanctificatio Virginis MARIÆ; quia non quando debuit nasci, nec in ultimo die, nec hebdomada nec mense; sed in eodem die & hora, formato corpore, & anima creata; quia tunc fuit immobilis, & capax sanctificationis fuit sanctificata*. Hæc ille. Et paulò inferiùs sic ait: *Quando corpus Beate Virginis fuit organizatum & lineatum, & anima coniuncta corpori per creationem, tunc Altissimus sanctificauit tabernaculum suum*. Ecce qualiter omnia sunt pænè verba mutata. Deinde falsò imponunt Sancto, quòd dixerit Festum hoc non esse referendum ad Conceptionem; quia ipse in columnâ antecedenti ad prædicta verba sic ait: *Quinta Conceptio est maternalis, qua B. Anna in utero sancto ipsam concepit, & de ista fit hodie Solemnitas. De nullo Sancto fit Festum Conceptionis, nisi CHRISTI, & Virginis, &c.* Hæc ille. Nec mirum quòd semel & iterum stomachetur Ægidius aduersus Aduersarios ob S. Vincentium falsissimè allegatum.

Acclamatur quidem ab Aduersariis Anselmus, Lib. *Cur Deus homo*, cap. 16. Verumtamen nomine suo minimè loquitur, & auctoritas ab eo mutuata, colloquium est inter ipsum ac discipulum eius Bosium. De Natiuitate Virginis verba facit, an quippe *Nata*, & interpretari potest de debito antiquo ante animationem & Natiuitatem. Aliam quoque auctoritatem, ex sancti Anselmi Meditationibus petitam, pro legitimâ non agnoscimus; tum quia non est exigua controuersia, cuiusnam sit legitimus scærus; tum quia illic nulla occurrunt verba similia cum iis, quæ opponuntur; imò nec quæ vel sola allusione conueniant.

Allegant etiam sanctum Gerardum: attamen ignoratur quis fuerit, neque Opus aliquod titulo istius Sancti insignitum est in rerum naturâ quod sciam; & si vitrò concedamus, vt eo modo concedimus, auctoritatem quæ ipsi tribuitur, ipsius esse, reperietur loqui solum de debito, deque Conceptione materiali; non autem de peccato ipso, neque de animatione Virginis.

Obicitur sanctus Eusebius Serm. 2. de Natiuit. Domini: *A peccati Originalis nexu nullus immunis existit, nec ipsa etiam Genitrix Redemptoris*. Respondetur: Non fuit vllus talis Sanctus: nam Eusebius Emislenus fuit Arianus. Tum etiam iste Sermo est Auctoris incerti, & est corruptus; quia deest *per se*. Sic enim legitur in Auctore: *A peccati Originalis nexu nullus per se immunis existit, nec ipsa Genitrix Redemptoris*. fatemur non esse immunem per se.

Eusebius.

Citatur etiam sanctus Remigius in Psal. 21. *S. Remigius Beata Virgo fuit ab omni macula peccati mundata, vt ex ea conciperetur sine peccato homo CHRISTVS IESVS*. Respondetur: Hic non est S. Remigius Episcopus Rhemenfis; sed est Remigius Monachus sancti Benedicti; & verba eius intelligi debent de mundatione ab omni malâ cogitatione pro eo tempore, quo Virgo concepit CHRISTVM: desumpta sunt enim ex Bedâ, qui ita docet.

Quo sensu locutus fuerit Innocentius Tertius, iam exposuimus. De Clementis Sexti sententiâ non constat; sed dato, non concessio veram esse,

esse, licet respondere, Loqui illum velut Doctorem particularem, & eodem sensu, quo beatus Bernardus, uti verba ipsius testantur: ita ut *morula*, quam concedit intercessisse, donec Virgo sanctificata est, ea sit intelligenda à seminali Conceptione vsque ad animationem: & si hæc magni momenti videatur, etiam ex quo Virginis corpus fuit organizatum, secundum illum statum, vsque ad eorundem organorum aptitudinem, ut introducta anima vsu rationis prædita esset. Si enim S. Ioannes, semestris in utero materno, ex prærogatiua donatus fuit gratia; non multum id esset, Virginem illico eadem dotatam fuisse. Quin ut magis determinatè respondeamus, dicamus *morulam* illam in eo constitisse ex multorum Auctorum, & grauium quidem sententia, ut seminalis conceptio Virginis & animatio miraculosè fuerit accelerata, peractis hæc vno eodemque die, sine maiore intervallo quam illo, quod intercedere potuit, cum embrio supra naturæ leges organizaretur ad recipiendam animam; quod vtique breuissimum esse debuit.

Bandellus cap. 17. beatum Ildesum laudat, & quadam illius Auctoritate vtitur, cuius priora verba fauere ipsi videntur, truncatis posterioribus, quibus perspicue sententia pia fulcitur; tum in c. 20. citat pro se Damascenum Orat. 1. de Natiuitate Virginis: aded tamen extra rem, ut nec responsionem mereatur, cum palam Lectores quantumuis maxime cæci, fatebuntur sententiam nostram hac ipsa auctoritate optimè muniri.

Quantum denique ad beatos Bernardum, Bonauenturam, Thomam, supra docuimus, eos potius eandem nobiscum sententiam tueri. Alias auctoritates allegant, quæ non reperiuntur.

Non me latet, aliorum quoque Patrum auctoritates, velut Ruperti, nobis opponi; verum eandem cum beato Bernardo responsionem habent de peccati debito. Præter dicta obseruandum est quod plurimi Patres omnibus locis quæ ab aduersariis adducuntur, non aliud volunt, quam B. Virginem naturaliter spectatam, fuisse obnoxiam contrahendo peccato originis. Et hoc sensu aliquando aiunt, carnem eius fuisse carnem peccati. Itaque Augustin. l. 2. de peccat. merit. cap. 24. vbi Louan. mentem S. Doctoris non sunt assecuti. Aliquando, verò eodem sensu dicunt Patres, B. Virginem non fuisse per se immunem à nexu veteris peccati. Ita Eucherus hom. 2. de Nati. Dom. nimirum quia nisi Christi merita interuenissent, erat illud incurfura, vi generationis ex Adamo. Vnde sicut de rebus quæ fuissent ab æterno conditæ, liceret dicere quod essent factæ ex nihilo, & extractæ de non esse; non quidem de non esse excluso; idest, in quo fuissent, nisi diuina manu fuissent extractæ: Qua item ratione, de eo quod conseruatur, dicimus quod etiam nunc, transeat de non esse; vtique virtualiter tantum interueniente, quatenus absque diuina conseruatione extrinseca, subesset nihilo. Ita Patres ea quam retuli locutione, significare dumtaxat volunt, statum peccati in quo Virgo reipla iacuisset, nisi Deus beneuolè eam præuenisset, imittens gratiam sanctificantem, qua mortale peccatum vi generationis obrepturum, exclusum est. Quod bene mouit Argentina in 3. d. 3. q. 1. art. 1. Hæc ad patrum loca aduersariis contra immaculatam Conceptionem iactata, protulisse generatim contenti sunt multi Auctores, præsertim Theophilus Rainaudus. Quæ cum ita sint, sequitur, ex Patribus

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Ecclesiæ antiquis neminem absolute opinioni nostræ aduersatum fuisse, & auctoritatibus, quæ opponuntur, facile solidam ac veram nobis responsionem suppetere. Multi, qui obiciuntur tamquam Aduersarij, alias sententias habent, ex quibus efficacissime inferitur, Virginem à peccato Originali immunem ab iis haberi. Tum licet solutiones, quas dedimus, aded claræ non essent, exigebat pietas easdem conciliari, eorum ope, quæ fauent, si vel minima dubitatio contrarietatis possit suboriri. Quibus accedit pondus auctoritatis, quod præstare possunt plusquam viginti Concilia, quæ retulimus, fauentia omnimodæ puritati Deiparæ; tum etiam ferè quinquaginta Pontifices, & plusquam ducenti Patres, vsque ad finem sæculi sancti Bernardi, atque deinde multi Sancti, plurimi Doctores Scholastici, & innumeri Scriptores, qui eam commendarunt & probarunt.

Mirum itaque est, quod ij, qui se profitentur sequaces Sancti Thomæ, dicant opinionem affirmatiuam communem esse omnium sanctorum Patrum, cum ipse S. Thomas nullos citet sanctos Patres pro contracto Originali peccato ab anima Virginis: nam si omnes sancti Patres in hoc conspirassent, non ignorasset S. Thomas, nec eorum auctoritatem ita contempsisset, ut nullam fecisset eorum mentionem, qui alioqui sanctorum Patrum magnam habuit rationem & venerationem: neque minus mirum est, quod id dixerint, cum videant Bandellum, qui innumeros Patres citat pro affirmatiua parte, conuictum falsitatis euidentissime, prout demonstrat Egidius Lusitanus locis supra citatis, vbi vocat illum passim falsarium. Mirum etiam est, quod id dixerint, credentes Caietano, asserenti eam esse sententiam Patrum, cum notatus fuerit ipse Caietanus à Melchiore Cano, qui se profitetur discipulum suum, parum tenacem fuisse vetustæ Traditionis, & in sanctorum Patrum lectione parum versatum, nullamque Patrum rationem habuisse in exponendis sacris Scripturis. Et quidem satis videtur parum versatus in hac Patrum lectione, cum ij, quos citat, sint tam pauci ex antiquis, ut non excedant decem, & ij non benè intellecti, aut præuè lecti; cum verba aliquorum, quos citat, non inueniantur legitima, sed vitiosa, & vix videtur eos ex nomine cognoscere, cum Eusebium Emisenum Arianum non agnouerit, & Remigium Monachum coluerit ut Sanctum. Mirum etiam, quod id dixerint, postquam Sixtus IV. instituit Festum Conceptionis, in quo Ecclesia vocauit ipsam Conceptionem Immaculatam; postquam Tridentinum noluit comprehendere Deiparam in Decreto de peccato Originali, & innouauit Extravagantes Sixti. Postquam Pius V. præcepit in vniuersa Ecclesia coli Virgineam Conceptionem, quam vocauit Sanctam Postquam Gregorius XV. vetuit in Officio diuino alio vt nomine quam *Conceptionis*; sicut enim certum est, non posse Ecclesiam errare; ita etiam certum est nihil contra omnium sanctorum Patrum sensum & consensum statuisse.

Quocirca, vnicum fundamentum Caietani, & eorum qui illum sequuntur, quo opinionem affirmatiuam probabiliorem iudicauit, scilicet propter multitudinem Patrum, qui eam tenent, nequaquam subsistit, cum contrarium prorsus sit verum, nimirum Patres omnes sententiæ negatiuæ fauisse, pluresque illam perspicue affirmasse.

Vnde dicite Caietano potest quod superius diximus de S. Bonaventurâ & S. Thomâ, nostram sententiam formaliter tenuisse, hoc est rationem eius, quæ auctoritate Patrum inuititur, materialemque sententiam, seu conclusionem mutatarum hodie, exploratâ mente Patrum & communi Ecclesiæ sensu, quæ pro immuni à peccato Conceptione militat.

Alia capita & argumenta, miracula & reuelationes, quibus eruditissimi Scriptores comprobant Immaculatam Conceptionem non est opus hic aggerere; cum nihil eximium mihi occurrat supra ea, quæ eximie illi dixerunt, nec ad nostrum institutum fuerit valde necessarium spatiosius digredi.

Cæterum, omnia & singula, quæ in hoc Tractatu exposui, iudicio Ecclesiæ subiicio, cui me conformem & obsequentem profiteor, offerens qualemcumque hunc laborem meum, vt arbitrari dignetur, vtrum hæc Traditio prodesse possit, necne, in gratiam declarationis huius mysterij, præsertim accedente Scripturæ sacræ, & Pontificiarum gratiarum patrocinio. Credimus enim B. Virginem Theotocon appellandam esse, id est Matrem Dei; quod definiuit Concilium Ephesinum, cum tamen nullus sit expressus Scripturæ locus, qui illud declaret: quamuis enim vocetur Mater Domini, aut Mater IESU; numquam tamen appellata est in Scripturâ his verbis, *Mater Dei*; sed perspicua fuit Patrum Traditio, quæ sufficiebat ad definitionem; & propter Traditionem præcipuè definita fuit hæc veritas ab Ephesinâ Synodo; quæ quidem plurima Patrum loca congeffit pro hac veritate. Vnde Theodoretus scribens ad Sporatum contra Nestorium ait de eius doctrinâ: Primus initæ nouitiatis gradus fuit, non oportere Sanctam Virginem, quæ Dei Verbum peperit, quod ex eâ carnem suscepit, Deiparam confiteri, sed Christiparam dumtaxat; cum tamen antiquissimi Orthodoxæ Fidei Prædicatores, iuxta Traditionem Apostolicam, Dei-

param docuerunt nominare, & credere *Domini Matrem*. Vbi non tam ad Scripturam, quàm ad Traditionem refert definitionem huius veritatis. Si enim ad Apostolicam definitionem stabilendam præcipua fundamenta sunt Scriptura sacra, vel Ecclesiæ Traditio; ita vt alterutra sola ad determinationem sufficiat, certe speramus, vt patet est, fore vt momenti alicuius videatur inchoatus & absolutus Beatissimæ Virginis ope hic noster Tractatus.

*Vos ô Calicula certamen dicite Musa,
Victricem blandis concelebrate modis.
Gratia Naturam, cum qua est congressa, subegit,
Et forti posuit clara trophæa manu,
Vos ô Calicula certamen dicite Musa,
Ter ter io Musa dicite Calicula:
Concurrere simul totis conatibus olim,
Cum CHRISTI Genitrix concipienda foret.
Horrida pugnabat Natura migrantibus armis,
Quam sequitur serpens, cui male crediderat;
Augebatque animos, nulli sua sancta fuisse
Ipso conceptus tempore principia.
Illa Dei contra properat confisa fauore,
Corythumque leuem lumine plena gerit;
Et ne festinans fœder Natura, quod esse
Præmano læsum vulnere sana cupit:
Diua propinquantem longè stridente sagitta
Arcet, & illa sum sedula seruat opus;
Gratia Naturam, cum qua est congressa, subegit,
Et forti posuit clara trophæa manu.
Puncto conceptus se praueniisse sub ipso,
Æthereos prolem que fuit ante polos
Virginis esse satum (pareret qua Virgo, Deumque
Conciperet Virgo candida) Virgineum
Hic neque Natura solitas, neque demonis artes
Possè (nisi falsò) praueniisse queri.
Sic fuit ô Musa Natura Gratia victrix,
Sic Sacrosancta Virginis ortus habet.
Dicite Calicula certamen dicite Musa
Ter ter io Musa dicite Calicula.*

Nicolaus
Querculus
in Certamine
Gratiæ & Natura.





EPISTOLA
 SANCTISSIMO
 D. D. NOSTRO
 ALEXANDRO VII.
 PONT. MAX.

QVOD CAUSA ECCLESIAE SIT
Immaculata Conceptio.



ENERATVS in Vicario suo Christum, qui paruulos suscipi, non contemni voluit, cuius vulnera ad pedes V. Sanctitatis deuoluit adoro, memorque dignationis Apostolicæ Sedis, quæ ab humilibus saluari per literas non est aspernata. Paruulus, atque miser ad magnitudinem V. Beatitudinis tremens accedo: verumtamen, quia licet indignus Ecclesiæ filius, filiustamen, audeo in obsequium eiusdem Ecclesiæ, & pro honore Matris Dei, communem fidelium Patrem suppliciter deprecari, vt publicam rem, & pacem Christianam in exaltatione conceptæ sine labe Virginis maturet, aut ignorantias meas erudiat, quas V. Sanctitati in hac epistolâ expono. Postquam enim aliqua opuscula ad illucidandam omnimodam Matris Dei puritatem edidi; vltimum, in quo solidiora collegi fundamenta immaculati Conceptus Mariani, V. Sanctitati consecrare decreui, aique per istas consecro literas, in quibus pandam coram Christo Iesu, V. Sanctitati pectoris mei sensa, cum piâ, non libertate, sed claritate in simplicitate veritatis, ommissis propterea splendore nitidi sermonis, & calore rhetoricæ persuasionis, vt virtus solius veri, etiam exermis, & nuda, purius eniteat, sanctius insinuetur, & gloriosius euincat. Non enim est animus delectare legentem, sed materiam suppeditare seridè considerandi, & non seridè prouidendi: quippè statim occurrendum sit exulceratæ olei lenitudine plagæ, & adhuc exulcerandæ tarditate chirurgi. Quod planè præstabo cum summâ reuerentiâ Dominicanæ Ordinis, cuius deuotionem erga immaculatam Conceptionem suspicio in eius auctorum præfatis, & neotericis monumentis; do-

leo tamen ab aliquibus hanc illius obscurari gloriam.

Cum igitur causa immaculatæ Conceptionis Virginæ, causa sit Sedis Apostolicæ, imò & totius Ecclesiæ, cum summi Pontifices eam promouerint, & quidem Sixtus IV. ex proprio motu ad eius festum, in vniuersâ Ecclesiâ celebrandum Fideles, multis indulgentiis concessis, prouocarit: miror propterea eos, qui & causam Matris Dei, & Apostolicæ Sedis minus ingenuè prosequuntur, vt effectum Apostolicarum literarum non satis attendant, & suspiciant, siue ignorantes, siue contemntes; vt loquitur Alexander VI. in diplomate, quod incipit, *Illius qui*. Mirorque benignitatem Romanæ Sedis, quæ diu tolerauit suorum decretorum alienas interpretationes, siue tergiversationes, vt agnouere ipsi Pontifices, adeo, vt de ea dici posset, quod Tertulianus dixit de Deo: *Patientia sua sibi detrahit*. Etenim lenitate Apostolicâ nonnulli abutentes, aduersus ipsam opinantur. Quandoquidem institutum festum immaculatæ Conceptionis, toties à Pontificibus approbatum, commendatum, & præceptum, nolint sincere, & legitime admittere, aut ad aliud diuertant obiectum, vt legitimum talis festi relinquant expositum falsitati, & summum Pontificem, vt talem, in festorum institutione capacem erroris. Cumque alioqui summi Pontifices magno iuris sui, & Apostolicæ dignitatis zelo, auctoritatem, & potestatem Pontificij muneris, vt par est, tueantur, & pro eâ inuigilent: miror tandiu tolerauisse plusquam minorem eius obseruantiam in hac parte.

Et quidem mirandum valde est, quòd axioma illud antiquis Patribus, & Scholasticis irrefragabile

Tertul. lib
de patientiâ.

bile de sanctitate rei, cuius cultus in Ecclesiâ ser-
uatur, aut instituitur vniuersaliter a summo Pon-
tifice, tantam iacturam passum fuerit, postquam
celebratur solemnitas Virginæ Conceptionis, vt
probabilitati subit, imò falsitate exposita, per
quandam distinctionem obiecti secundarij, à Gra-
uina, & alijs commentatam, aduersus antiquos
Patres, qui id ipsum, quod Grauina, vocat obie-
ctum secundarium, & dicit fallibile, habuerunt
olim certissimum, & indubitatum, ac nulli fal-
sitati obnoxium; imò, quod maximè considera-
tione dignum est, mansuetudo Sedis Romanæ,
quæ prohibuit sententiam negatiuam notari
censurâ graui hæreseos, aut erroris, flexit aliquos
Doctores negatiuæ sententiæ, vt dixerint ad ob-
iectum instituti ab Ecclesiâ festi, sufficere pro-
babilitatem: quod minimè congruum est digni-
tati Romanæ Cathedræ, & veritati Ecclesiasticæ
obseruantia. Planè inopinabile, atque inauditum
fuit hoc sanctis Patribus, & antiquis Theologis,
vt principium illud certissimum, & securissi-
mum, quòd Ecclesiâ celebret non nisi quæ certò
sancta sunt, sic quassetur, quamuis id suâ aucto-
ritate probarint sanctus Augustinus, serm. 113.
& serm. 95. sanctus Leo, Epistolâ Decretali 4.
cap. 2. Sanctus Ildephonsus, lib. de parturitione
Virginis. Sanctus Bernardus Epist. ad Lugdu-
nenses. Sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 93. art. 2.
ad 5. & in 3. part. quæst. 27. art. 1. Sanctus Bona-
uentura in 3. dist. 3. quæst. 3. art. 1. Petrus Cellensis
lib. 6. Epist. 25. Et iuxta præsignem Theologum
Ioannem Bachonem in 4. dist. 2. quæst. 4. art. 3.
Sanctus Eusebius Papa in illis verbis, quæ citan-
tur in Decreto 24. quæst. 1. cap. *In Sede*, vbi sic
dicitur: *In Sede Apostolicâ exir. in maculam semper
est Catholica seruata Religio.* Quæ verba sigilla-
tim aptat Bacho religiosæ institutioni festorum;
nemoque ex sanctis Patribus, & priscis Scholasti-
cis huic contradixit, adeò, vt putarent post insti-
tutum festum, esse infallibile mysterium, quod
celebratur. Vnde, idem doctissimus Ioannes Ba-
cho, loco citato, non requisit aliam diffinitionem
ad determinationem huius veritatis, quam insti-
tutionem festi: nunc autem indubitatum per mille
& quingentos annos doctrinam, quasi coacti sunt,
aut abrogare, aut derogare Catholici quidam
Doctores, in quo non parum diminuitur rectitu-
do Ecclesiasticæ gubernationis, & securitas salu-
bris pabuli, à Romano Pastore, ouibus Christi
porrecti, adeò, vt Theologia antiqua in hac par-
te immutata sit, aut deteriorata, asserentes præ-
dicti Doctores, quòd nollent, nec alioqui iudica-
rent asserendum, cuius occasio fuit mansuetudo
summæ Cathedræ, erga defensores affirmatiuæ
sententiæ, ne grauibus exasperarentur censuris, &
ex aliâ parte reuerentia erga Sedem Apostolicam
aliquorum Doctorum, defendentium partem ne-
gatiuam, qui reueriti Pontificia edicta, ne accuse-
tur erroris opinio affirmatiua, iudicauerintque ex
doctrinâ antiquorum, de certâ, & infallibili san-
ctitate eius mysterij, cuius cultus ab Ecclesiâ pro-
ponitur, videri sequi errorem esse eius veritatem
negare, deuiauerunt fortasse inuiti in eam cogi-
tationem, vt sufficeret probabilitas rei, quæ cele-
bratur: certitudo autem nõ esset necessaria, quam-
uis hoc sit contra Patres, & Scholasticos anti-
quos, atque contra sensum, & doctrinam vetusta-
rum, & celeberrimarum Vniuersitatum totius
Christiani Orbis; nimirum Parisiensis, Mogunti-
næ, & Colonienfis, quæ post institutionem festi

in Ecclesiâ Romanâ, admissam iuxta constitutio-
nes Sixti Quarti, certissimam habuerunt verita-
tem huius mysterij, atque idè iuramento se ob-
strinxerunt tuendi illam, & in eos, qui contradi-
cebant propè, vt Hæreticos acriter inuehebantur,
& etiam post Sixtum Quartum, cum hic Pon-
tifex dumtaxat prohibuerit censuram hæreseos,
non erroris.

Præter diminutionem Apostolicæ auctoritatis,
aliud maximum ex his sequitur incommodum,
quòd diminuantur vires Doctorum Catholicor-
um aduersus hæreses, contra quas sæpè argu-
mentantur Catholici Doctores, ex potestate, &
veritate Cathedræ Romanæ, quæ est columna
veritatis. Quomodo enim non, infirmabitur
commune Catholicorum placitum, aduersus Hæ-
reticos, quòd Pontifex non possit errare in cano-
nizatione Sanctorum, iustitutione festorum, &
alijs similibus, ad vniuersam Ecclesiâ proposi-
tis; si concedatur sufficere probabilitas mysterij
celebrati, & non esset necessaria certitudo: vbi
enim certitudo non est, error esse potest. Ex in-
stitutione autem festi fallibilis obiecti poterit ex-
tendi periculum erroris ad similia, & maiora.

Alia huiusmodi inueniuntur in hac controuer-
siâ de immaculatâ Virginis Conceptione, quæ
non admissa à contrariis, eneruant validissima
argumenta Catholicorum aduersus Hæreticos.
Illud saltem memorabo argumentum, quo
sæpiùs sumunt à communi Ecclesiæ sensu,
ius argumentatio concludens apud Patres est, vt
eius certitudinem videantur æquare infallibilitati
sacræ Scripturæ. Solùm afferam sanctum Augu-
stinum, qui Epistolâ septimâ ad Marcellinum, di-
cit: *Scripturarum auctoritas necessaria non est; sed
ipse consensus communis ita verum esse proclamat,
vt quisque contradixerit, demeritissimus habeatur.*
Idem in Epistolâ 99. comprobans salutem Ada-
mi, quòd eum solueret Dominus inferni dolori-
bus, ait: *De illo quidem primo homine Patre gene-
ris humani, quòd eum ibidem soluerit, Ecclesiâ
ferè tota consentit, quòd eam non inaniter credi-
disse credendum est, undecumque hoc, traditum
sit, etiamsi Canoniarum Scripturarum hinc ex-
pressa non proferatur auctoritas.* Itaque non de-
siderat Canonicam scripturam Augustinus, vbi
adeo consensus Ecclesiæ, quamuis non totaliter;
sed ferè totalis, hoc est, quando *Ecclesiâ ferè tota
consentit.* Quis non fateatur accidere hoc in as-
sensu immaculatæ Conceptionis, cum etiam ex
ipsis Dominicanis selectissimi doctrinâ, & san-
ctimoniam præstantes id sentiant? At nihilominus
vis argumenti, à communi Ecclesiæ sensu, in hac
causâ Conceptionis, solùm negatur à contrariis,
imò, & permissum est illis contrarium sentire.
Quid inde Hæretici dicent, imò dicunt, con-
tinentes hoc Catholicorum Doctorum argu-
mentum, iactantque, neque apud ipsos Catholi-
cos vim habere, neque apud ipsos Pontifices Ro-
manos, cum per sua diplomata permittant contra
sentiri. Hoc planè maximæ considerationis est, &
oportet, sanctissime Pater, providere, vt Catholica
arma non obtundantur, neque iis possint hostes
fidei aduersus nos vti.

Commemoro etiam aliud celebre axioma san-
ctorum Patrum, aduersus Hæreticos disputanti-
um, quod tamen solùm in causa Conceptionis de-
stituitur suis viribus, & est illud, quod Celestinus
Papa his verbis significauit, Epistolâ decretali 1.
Legem credendi statuit lex supplicandi; preces,

& orationes Ecclesiæ dogmatum, argumentum irrefragabile sæpè sunt. Ob hanc causam Augustinus, lib. 7. de bonno perseverantiæ, c. 22. & 23. & passim alibi ex orationibus Ecclesiæ; peccatum originale in paruulis, Purgatorium, adiutoriū diuinæ gratiæ, & alia dogmata deducit. *Non oraret Ecclesia, ait Augustinus, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & euersas hominum ad se conuerteret voluntates.* Verumtamen cum Ecclesia supplicauerit Deum, per immaculatam Virginis Conceptionem: liberum adhuc est, non credere illam immaculatam esse. Miror, & captiuo intellectum meum, ne suspicer Ecclesiam sibi detrahere suā patientiā, seu tolerantiam.

Consonum dictis, atque consecrarium est, aliud principium Ecclesiasticæ Philosophiæ, & obseruantię, quod tamen in causā Conceptionis nolunt præualere: nimirum argumentum, quod de consuetudine Ecclesiæ assument Thologi, inter quos præcipue Princeps eorum sanctus Thomas, quod maximi fecit; vnde in 2. 2. quæst. 10. art. 12. dixit: *Dicendum; quod maximam habet auctoritatem Ecclesia consueudo, qua semper est in omnibus emulanda; quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum, ab Ecclesia auctoritatem habet: vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati, vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiusvis Doctoris.* Quo potissimum argumento roborat conclusionem illius articuli, imitatus sanctum Paulum, in Epistola 1. ad Corinthios, cap. 11. tanquam extremum, & validius argumentum iaculatum aduersus contentiosos: *Consuetudinem Ecclesiæ: vnde S. Thomas in commentariis ad dictum cap. 11. lect. 3. in fin. explicans illa Apostoli verba: Nos talem consuetudinem non habemus. Nec Ecclesia Dei, inquit, quamuis nulla esset ratio, hoc solum deberet sufficere, ne aliquis ageret contra communem Ecclesiæ consuetudinem.* Similiter S. Basilius, cap. Ecclesiasticarum, in decreto Iuonis, lib. 2. ait: *Si attentauerimus consuetudines Ecclesiæ, nihil estimare, quantum Religio detrimenti latura sit, liquido constabit.* Verumtamen cum à plurimis sæculis, etiam ante Concilium Basileense, persisteret in Ecclesia consuetudo celebrandi, & acclamandi immaculatam Virginis Conceptionem, comprobata postea, & commendata per Sixtum IV. & innouata eius approbatio per Concilium Tridentinum; non est latis, vt suadeat, & penitus conuincat veritatem huius mysterij.

In hoc etiam comprehenditur efficax argumentatio de traditionibus Ecclesiasticis, de quibus dixit S. Leo Papa IV. in decreto Iuonis lib. 2. cap. 156. *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, infringi patiamur.* Idem asserit Gratianus ex S. Nicolao Magno, & Pontifice Maximo, distinct. 12. cap. 5. Sed hoc argumentum in hac materiā minoris habetur, aut infelicius admittitur, quandoquidem fuerit Ecclesiastica traditio celebrandi hoc mysterium, saltem ante tempora S. Sabbæ, qui floruit ante mille & ducentos annos: & id videtur accepisse à sanctis Euthymio, & Theodotisto, atque hos à Maioribus. Et certò constat propagatam indies, & auctam temporibus S. Andreæ Cretenfis, Ildephonsi, Damasceni, & Anselmi: nihilominus cum iam sit præcepta, adhuc non euincit.

Accedit ad hæc, quòd ista pia dissimulatio, seu tolerantia Apostolicæ benignitatis erga defenso-

res opinionis affirmatiuæ, eos erigit, vt confidentius suo placito adhæreant, & ardentius tentent eius defensionem, tametsi non sit consentanea communi Theologiæ, & ingenuæ simplicitati doctrinæ: nam videtur sibi sub protectione summorum esse Pontificum, qui cauent in suis diplomatibus, ne ex iis resulter præiudicium affirmanti opinioni, existimantque proinde defendendam omnibus modis, ne ab statu suo cadat, cum reputent id esse voluntatem Pontificiam, inopinane pro illa tuenda excogitant interpretationes, & ratiocinationes, quantumuis derogent principiis communibus. Quis non videat in hac causas violatas firmissimas Patrum persuasiones, seu dictamina, & quassata dogmaticæ Theologiæ valida principia, qualia sunt, quæ nuper memorauimus de certitudine ex festis supplicatione, & sensu Ecclesiæ. Ad quod concurrit, non solum confidentia auctorum affirmatiuæ opinionis; sed quidem metus, aut quasi angustia defendentium negatiuam sententiam, cum se videant constringi ex prædictis Pontificum præceptis, ita vt non possint libere sua sensa aperire, cauentes periculum cespitandi in iis, si non deflectant in aliquo ab antiquæ vigore Theologiæ. Vnde consulto Gregorius XV. in clausula illa de non præiudicando opinioni affirmanti, noluit comprehendere decretum de non vtendo in sacris, nisi Conceptionis nomine, in quo tantoperè fauit immaculatæ Conceptioni, ne constringeret Doctorum ingenia, quominus veritatem, & amplitudinem sui fauoris liberè explicarent. Idcirco clausulam illam solum appendit ad primum sui decreti præceptum de silentio, non autem ad secundum de vtu vocis Conceptionis, cui nulla cautio, nec limitatio est posita. Verum a prouidentia V. Sanctitatis plenè spero occurrendum his de rebus.

Cæterum quantoperè excellerint assertores opinionis affirmatiuæ in suis commentationibus, & interpretationis consili, vt dictum est in benignitate Pontificum præbentes ansam Hæreticis, vt exultent de modo parum ingenuo defendendi suas opiniones apud Catholicos, & alterandi prisca prothema, comprobabo ex dictis duorum Præfulum Ecclesiæ. Catherinus in opusculo ad Patres sui Ordinis maximè dolens fratres suos his, & similibus solutionibus abuti ad enervanda argumenta, quæ ad probandam veritatem immaculatæ Conceptionis ex sacro cultu, quo Romana Ecclesia festum Conceptionis celebrat, deducuntur, & conferens solutiones istas ex parte infallibile iudicium Ecclesiæ minuentes, cum dogmate Hæreticorum, qui solum admittunt verbum Dei scriptum, & infallibile iudicium Ecclesiæ totaliter, & absolute contemnunt, sic eos alloquitur. *Reuera hic vnus est in fide nostra lapsus grauissimus, & præcipuum periculum, si Romanæ auctoritatem Ecclesiæ sinimus apud nos periclitari. Quòd si patimur, o Patres hanc persuasionem inualescere, & apud eos etiam vigere, qui se maximè Catholicos profitentur, certè quod dolore dico, dicam tamen, quia veritas est, Lutherana secte imò communi omnium hæreticorum errori perniciosissimè fauemus. Nam in hanc petram in omni suo dogmate impingunt omnia respuentes, que ab ipsa sunt sine Dei verbo, vt aiunt, expresso. Quid si quis obiiciat? Minus irrationabiliter, quam vos in hac parte loqui; nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei, quod quidem sapienter dicitur propter*

propter periculum idolatriæ, quo stante in eo solum aberrant, quod nihil certum esse arbitrantur etiam ab Ecclesia probatum, nisi fuerit verbo Dei, & in scripturis expressum. Ideoque totam Ecclesiam faciem deturpant, vos autem dum in his ordinandis, atque instituendis aberrare posse Romanam, & vniuersalem Ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebratione aberrare contenditis, incertum nobis omnem diuinum cultum redditis, & nutantem facitis Christianam fidem, quam præcipue in diuino cultu profiteamur, atque protestamur. Minus autem insipienter erraretis nullos penitus cultus admittendo, quos Ecclesia instituit, absque Dei verbo expresso, ut habet Luteranum dogma, quam illos admittendo fateri simul posse eos esse mendaces, ut cuique liceat ad debitum, vel admittere, vel negare absque fidei nostra præiudicio, & scandalo: mavult enim penitus non coli Deus, qui summa est veritas, quam mendacibus coli cultibus, aut incertis. Hæc Catherinus. Cuius verba cum allegasset Ioannes Merinerus Episcopus Pincianus, quem ob eius doctrinam, & religionem libenter, imò merito laudo, sequentia addit in tractatu de Conceptione, posteriori parte: Si prædictis solutionibus Hæreticorum dogmati de verbo Dei scripto, fauentibus ansam tribuunt aduersarij ipsis Hæreticis ingeminandi calumnias aduersus iudicium infallibile Ecclesie, & non ex alio prætextu solutiones ista proferuntur (ipsis aduersariis fatentibus) nisi quod veritas Immaculata Conceptionis adhuc est indefinita, & ipsis permissum liberè opposito assentiri. Quis dubitare potest ad confringendam hanc periculosam ansam, & consequenter ad ora Hæreticorum obstruenda, conueniens, & expediens esse, ut radix huius ansæ euellatur, libertate, qua abuntur aduersarij, expolientur.

Illud etiam multi docti ferre non possunt, à quibus ne accuser, cogor non silere, quòd cum tantam molem interpretationum, atque excusationum construxerint, auctores affirmatiui asseriti, ne festum Conceptionis institutum supponat certam eius sanctitatem, qua decorata est anima Virginis in primo instanti suæ creationis, easdem tamen interpretationes omnino respuunt; nostraque argumenta, alioqui ab illis refutata, in causa Dei Matris, resumunt ipsi in causa Beatæ Catherinæ Senensis ad probandam veritatem suorum stigmatum: ideo Grauius, qui dicto modo infirmavit veritatem illibatæ Conceptionis Virginis, admittit tamen 2. part. tom. 4. quæst. 5. artic. 2. §. *Responsio ad alia motiua*, veritatem stigmatum sanctæ Catherinæ ex decreto Urbani VIII. Aduersus quem luculenter scripsit Ambrosius Peñalosa, Doctor, & Professor Theologiæ Primarius in vniuersitate Pragensi, qui ait in vindictis de Concept. *Profecto si Grauius eodem affectu erga B. Virginem Deiparam, ac circa suam S. Catharinam ferretur, eam fuisse de facto immaculatam ex cultu publico illi exhibito arguisset, siquidem Ecclesia de facto in officiis saltem particularibus expressè præseruatam affirmat, & ob eam, ut immaculatam in suis orationibus à Deo beneficia impetrare intendit.*

In aliis multis, modus procedendi sententium contra immaculatam Conceptionem, ne dicam fauorem, attamen occasionem, præstant Hæreticis exultandi, quòd in Ecclesia Catholica, & prout ipsi loquuntur, inter Paptistas, inueniantur qui sibi, si non adhæreant, non satis elongentur,

sue dictis, sue gestis. Nam præter detrimentum dictum panopliæ Catholicæ, non parum emolumentum accidit hæreticis armis ex similibus vsu apud defensores conceptæ Deiparæ cum originaria sorde. Imò præcipuum plurimorum argumentum de prærogatiua Christi in Conceptione immaculata quam volunt, incommunicabilem etiam matri suæ, alioqui fieret Christo iniuria, non impari modo, & vsu militat pro Hæreticis contra inuocationem Sanctorum, à quibus hæc propositio: *Beata Virgo est mediatrix, & aduocata nostra apud Deum.* Reicitur hoc eodem argumento, quo etiam refellitur ab auctoribus affirmatiuæ opinionis ista propositio: *Beata Virgo concepta est sine peccato*; quod scilicet fuisset iniuria prærogatiuæ Christi. De quo videri potest Feuardentius in scholiis ad lib. 5. sancti Irenæi, cap. 19. vbi vocatur à sancto Irenæo Deipara aduocata *Eua*, sic inquit prædictus Feuardentius: *Tam apertum huius rei Irenæi testimonium, cum non potuissent corrumpere Magdeburgenses, censuerunt incommodum dictum esse. Gallasius illis impudentior vociferatur magnam inde Christo conciliari, & inferri iniuriam. Fingit postea bonus ille vir se suspescere, & mente ferè alienari, dum admittatur ad tantam Satanae efficaciam, serpentinaeque paulatim subrepentis calliditatem.* Cur ergo argumentationi qua tanto furore vtuntur Hæretici aduersus Catholicos, tantopere audent fauere aliqui Catholici, ut eadem quoque tenaciter vtantur, etiam aduersus Catholicos? Nec displicet Hæreticis nimia contentio explicandi iuxta litteram illud Pauli: *Omnes in Adam peccauerunt*; quippè ipsi multa falsa dogmata superstruunt ex similibus vniuersalibus, nolentes admittere exceptionem. Sic negant Sacerdotum cælibatum fuisse in Ecclesiâ primatiuâ, propter illa Apostoli verba *Honorabile connubium in omnibus, & thorius immaculata* Hebr. 13. v. 1. Si in omnibus, inquirunt, ergo etiam in Sacerdotibus. Simili argumentatione negant opera supererogationis. Tum etiam castitatem præferri Matrimonio, atque distinctionem peccatorum mortalium à venialibus, & Purgatorij penas, atque alia multa, quæ ex vniuersalibus propositionibus, nullâ admittens exceptione, absurda & fide aliena concludunt. Sed & Kemnitius, quia Concilium Tridentinum noluit comprehendere Deiparam in vniuersali Apostoli propositione, illud adlatrauit, hæreseos hac ex causâ Sacrosanctam Synodum infimulans.

Quid dicam de illo commento post decretum Gregorij XV. quod nomen *Conceptio*, possit significare non determinatè primum personæ conceptæ momentum, & vitæ initium, primumque instans, sed sequens aliud vitæ punctum, in quo sanctificatio Virginis fuisset facta? Hoc planè plurimum fauet hæreticis, qui existentiam corporis Christi in Eucharistia nolunt esse in primo instanti post consecrationem, sed in alio instanti posteriori, nimirum, quando incipit sumptio, seu manducatio eius. Ita vt verbum *est*, non significet, quod est de præsentibus, sed quod futurum est. Prætereà hic liberrimus significatum vsus, & libertas interpretandi legitima vocabula magnam pandit ianuam ad innumeras hæreses. Quidquid enim voluerint dicere, & confingere poterunt, & vbiq; errare, singulisque hæreticizare verbis.

Occasionem pariter complacendi sibi, præstant

stant Hæreticis fautores affirmantis partis, dum reprehendant, & nolunt ut illa communi in Ecclesiis celebratione, & laude sanctissimi Sacramenti, atque immaculatæ Conceptionis simul, quæ solet festiuissimè concini cum sacrâ Hostiâ, quæ patens fuerat, clauditur in sacrario. Quæ caremonia utantur Catholici, præsertim Hispani in oppositum Lutheranismi. Cum enim Lutherus ad eò auerfus esset celebrandis corpori Christi & immaculatæ Conceptioni, quæ viderat solemnitus inter Catholicos celebrari concessis specialibus indulgentiis à summis Pontificibus Urbano, & Sixto Quartis, quas ipse tanto prosequeretur odio, atque inde, & prædicta mysteria celebrari, ut prouerbium eius fuisset: *Nullum festum magis odi, quam festum Corporis Christi, & Conceptionis Beatae Virginis*, cum vtrumque similiauerit in celebritatis institutione, seu approbatione Sixtus Quartus, in extrauag. *Cum præexcelsa*. Attamen Catholici pientissimi, & obsequentes Pontificibus solemnitus celebrant vtrumque in suis annuis festiuitatibus iuxta Sixtum Quartum. Et præterea in specialibus inter annum cum recluditur patens Hostia sacra, concinunt vtriusque laudes, & vtrumque deuoto concelebrant cantu, maximè in Hispaniâ, postquam Lutheranismum, incendiumque Germanicum per ignè extinxerunt Inquisitores anno 1559. Hispali, & Vallisoleti: ut testatur Spondanus ad prædictum annum. Inde memorabilis hic Fidei zelus apud Hispanos, abrasit Lutheranae sectæ vestigia, atque memoriam, nisi in odio eius. Quam deuotionem seruant satis piè Catholici in Hispaniâ, non ignari, nec diffidentes discrimen, quod inter vtrumque mysterium intercedit, quod illud sit mysterium Fidei; istud tamen Fidei declarationem expectet. Cum autem contrarij recusant hunc morem, quanto recedunt à communi deuotione, tantam præstant occasionem gaudendi Lutheranis. Quapropter Ambrosius Catherinus meminit, & memorat hoc Lutheri odium, & maledictum, locutus ad Patres Concilij Tridentini, ut causæ immaculatæ Conceptionis prouiderent. Sic in fine secundæ partis tractatu de Conceptione, quem ad factam Synodum dedicauit, dicens: *Auctoritatem vestram interponatis, ut (quemadmodum par est) id ipsum præsertim in diuino cultu dicamus omnes, cum iuxta Ecclesiasticos Canones non liceat à capite membra discedere. Nam cum multa ad persuasionem faciant, illud certè plurimum apud vos momenti habere debet, quod (ut superius memorauimus) ille schismaticus Lutheri spiritus, illam insignem inter alias blasphemiam ex illius ore euomuit: Nullum festum magis odi, quam festum Corporis Christi, & Conceptionis Beatae Virginis. Hinc enim satis intelligi potest quid spiritus veritatis, & unitatis à vobis pro Matre Dei postulet, ac desideret, de qua verè scriptum est: Tota pulchra est amica mea, & macula non est in te.*

Vrgent etiam scandala, ut non solum temperamentum, sed terminum hæc controuersia obtineat. Cumque experimento sit compertum, non satis fuisse benignitatem Sedis Apostolicæ, ut illa cohiberet tot diplomatibus huius causa expeditis, necesse videtur iam non condescendentia mansuetudinis, sed determinatione veritatis efficacem medelam adhibere, atque ideo eadem causa, qua priores Pontifices obligatos se agnouere, alioqui conscientis onerandos, ut alijs

medijs auferrent hæc ab Ecclesia scandala, obstringit etiam vestam sanctitatem, ut conspicua veritatis promulgatione illis occurrat, ut tandem extinguat. Ante Sixtum Quartum cœpere ista scandala, quæ hæctenus increbescunt, atque in dies creuere, quantumuis ipse Sixtus Quartus, Alexander Sextus, Pius Quintus, Paulus etiam Quintus, & Gregorius Decimus quintus iis tollendis prouidère, nihil tamen effecere: quare non ultra expectandum post longum duorum sæculorum experimentum, quoniam vsque ad hodiernum diem non solum popularia scandala perstant, sed & quæ valde perniciosiora sunt, doctrinalia cum transgressione Apostolicorum rescriptorum. Post promulgatam constitutionem *Cum præexcelsa*, scandalosissima scripta prodierunt contra immaculatam Conceptionem; ad eò, ut compulsus fuerit Sixtus Quartus ea damnare per constitutionem *Graue nimis*. Deinde post hanc constitutionem prodit Bandellus, qui non minori scandalo fuit, & quamuis iam damnatus, reuixit in Petro Vincentia, cuius liber iniuriosissimus etiam est Sedi Apostolicæ, pietati, & Reginae Angelorum: tum etiam in tempore Synodi Tridentinæ, quæ in Beatae Virginis Immaculatam Conceptionem propendit, audacissime prodit liber sub nomine falso Cardinalis Turrecrematae, operâ Bartholomæi de Spina, & discipuli eius aduersus Patres Concilij Tridentini. Quodnam maius scandalum? Quæ maior audacia? Quid dicam de Gabriele Barelite in Sixtum IV. audacissimo, & innumeris alijs scandalosis scriptis, quæ iniurijs, & sophisticis argumentationibus paginas implent, cum illos destituat solida ratio. Tandem nec post Gregorium Decimum uinum, cum maius scandalum est propter strictiorem prohibitionem, non cessarunt scripta contraria. Imò audacter, & temere iterum editus est Tolosæ Petrus de Vincentia cum violatione Pontificiorum decretorum.

Ob similia scripta non solum exteri, sed ipsi religiosissimi Patres Dominicani non leue scandalum patiuntur, atque ut omitam alios testes, solum memorabo, quod Ambrosius Catherinus de se testatur lib. 1. disput. pro immaculata Conceptione, §. *Si quid*. Quem & veritatis vis, & detecta ex iis ipsis falsitas sui asserti ab affirmatiua in negatiuam opinionem abire coegerunt, quamuis in se multorum animos, & non exiguas persecutiones ob id excitauerit. Hæc eius verba de huiusmodi tractatibus, quos apud eos seruari ait in Bibliothecis ad instruendos nouitios (absit ut hoc generaliter, & diu, & cum maiorum iussu credam factum) ut huiusmodi imbuantur doctrinæ: *Ego, inquit, fateor primo anno professionis meæ, cum paulò curiosior in huius rei dispositione essem, incidi in huiusmodi quorundam tractatus, quos ut legi, facillè fuceor, seductus sum, & ad eas partes tractus, quas nunc ab omni prorsus veritate destitui existimo. Nam pro illa, quam sustinent opinione tot, ac tanta congesserant, ut eam quam nunc arbitror veritatem, penè blasphemiam existimarem. Non enim tunc bene callebam argumenta sophistica, nec deprehenderam citationes falsas, totamque disputationem ex contentione, ac zelo magis tractatam, quam sine verè, & ad veritatis manifestationem non sanè perspicuam. Ne verò ab eo, quod dixerat vllus dubiret, ipsum Christum eius rei contestem adhibuit. Dent, inquit, obsecro mihi veniam in gratiam veritatis,*

veritatis, qui hac molestè ferunt; non enim sic assererem, teste Christo, nisi ea comperta haberem, & in promptu etiam cuius postulanti illa ostendere possem. Horum verò auctorum astutias ulterius detegit, eorumque genios, vel ingenia aperit his verbis: *Ipsi primo (ait) enumerant auctores suos, quidam ad ducentos circiter, alij etiam ferme ad trecentos extendunt. Caietanus ultimò ad quindecim reducit numerum. Alij multos memorant infima classis, quos nesciamus, vtrum aliquando hanc vitam vixerint, vt isto modo perfacile fuerit complere numerum. Nonnulli etiam cogunt inuitos, vt sibi adstipulentur qui vel non probant, quod ipsi volunt, vel etiam contrarium potius docere: ita vt Scotum etiam ad se trahant, vt ex hoc vno, quid ausi fuerint de alijs facile valeas coniectare.* Hæc illorum in citandis auctoribus, & sanctis Ecclesiæ Patribus, studiositas. Hoc scandalum non solum Catholicis interuenit Doctoribus, sed transcendit ad Hæreticos, qui si non scandalum, gaudium habent de similibus Catholicorum scriptis. Verùm Deo prouidente non defuerunt zelatores veritatis, qui pro Catholicorum honore, & in Hæreticorum odium prædictas allegationes fraudulentas, aut falsas retexerunt, & leuere accusarunt: egregie quidem Ægidius Lusitanus conuincit falsitatis Bandellum, atque ideo falsarium sæpè vocat, ne putarent Hæretici adulari sibi Catholicos, naufragante veritate. Similiter Petrus Pessinus, anotomia facta de libro Petri Vincentiæ, in ipsum inuectus vicit, & conuicit. Aduersus Caietanum quoque præter Ægidium Lusitanum, & alios, nuper prodiit Hippolytus Marracius, qui fidem eiusdem Caietani in allegandis Patribus ad vnguem examinavit, sed & Pseudo-Turrecrematam Bartholomæum Spinam, & discipulum eius satis confudit Ambrosius Catherinus, qui ideo scripsit contra illum, vt totus intelligeret orbis, non fuisse illud opus acceptum suo Prædicatorum Ordini, sed partum suppositium indignum auctore religioso, sic in præfatione ad Concilium Tridentinum dicens: *Poteram ergo huiusmodi hominum genus optima ratione præterire, ac deuitare postquam tanta iniuria veluti verè spina lacerant quicquid offendunt, sacrumne sit, an vero profanum, nihil procurantes. Verùm quoniam isti suam hanc doctrinam, quasi Ordinis doctrinam obrudunt, & ita esse facile credi potest, cum per libros eorum qui ipsius Ordinis fratres erant, publicata fuerit, sis saltem tacite comprobantibus, qui eundem regunt Ordinem: idcirco ne eiusmodi opinio vllum faciat sanctissima veritati præiudicium (quamquam nihil in eo libro nouum sit, quod quicquam momenti habeat, aduersus sententiam nostram, & quod in libris nostris iam dudum editis, non sit idoneè confutatum) ne inquam propter auctoritatem queant multorum corda turbare, spiritu impellente omnino necessarium duxi denuo hanc totam causam breuiter pertractare.*

Moratus in his sum, vt pateat perspicuè contentio eorum, qui hæcenus iactant opinionem suam affirmatiuam esse communem Patrum sententiam. Mirum dictu, cum nullus constanter pro illa sit. Mirum, inquam, quia sine fundamento iactatur, & est pronunciatum iniuriosum summis Pontificibus, imò & Ecclesiæ Christi, perniciosum multis, imò scandalosum paruulis, & consonum Hæreticis. Cum enim in extrauaganti *Græue rimis*, erroneum damnetur asserere hæreticam esse sententiam conceptæ sine labe

Virginis, & præterea institutum festum de Conceptio probatum, & commendatum sit à summis Pontificibus, quod minimè fecissent, contra communem Patrum sensum fuisset, Virginem caruisse peccato originali, absurdum est, imò iniurium videtur Sedi Apostolicæ, dicere contra omnes sanctos Patres statuisse aliquid in Ecclesia. Quæ iniuria potissimum sit Sixto IV. Pio V. Clementi VIII. Paulo V. Gregorio XV. Concilio Tridentino. Tum etiam ipsis Ecclesiæ vocibus, quæ in Officiis diuinis intonat Conceptionem Virginis, aut immaculatam, aut sanctam. Absit, quòd hoc fecisset contra quod communi sensu Patres docuissent. Dicere autem Ecclesiam ita fecisse, conuictum, & probum in illam iaculari apparet. Præterea hæc præsumptio repetita ab auctoribus affirmantis partis, *Sententia sanctorum Patrum est Virginem conceptam in peccato*, terret multos, & euertit aliquos paruulos, atque scandalum parit non paucis, qui audiunt hoc dictum, & vident celebrare in Ecclesia Conceptionem Virginis, reputantes, aut dubitantes, an Ecclesia repugnet Patribus, vel Patres Ecclesiæ. Nec mirum est, quod hæc persuasio in dubium vertat indoctos, cum doctissimum Caietanum in opinione affirmatiua intimè infixit. Nam cum in 3. p. q. 27. art. 2. dixerit vtramque opinionem probabilem esse, adhæsit tandem affirmatiuæ tanquam probabiliori, hoc solo fundamento, quòd esset sententia Patrum.

Hinc etiam obiter aduerto, quàm paruo, aut nullo fundamento contendat aduersarij acriter defendere Conceptionem maculatam, cum doctissimus Caietanus eam tenuerit ob fundamentum tam inane, vt subsistat in suppositione falsa, & quod magis est mirandum sine exploratione veritatis, & studio sui fundamenti, quo se mouit ad sequendum opinionem affirmatiuam. Fundamentum enim illius est *Sanctorum antiquorum auctoritas*, vt dicit in fine articuli secundi iam citati. Ad dicendum autem hoc, debuit legere Patres, & studium illorum habuisse; sed hoc nequaquam habuit, nec eos legit, vt aduertit Melchior Canus lib. 7. de locis cap. 3. & Bartholomæus de Spina opusc. de forma Baptismi. Hinc patet, quàm intrepide, temere, hoc est, quàm sine comprehensione, & labore studij profertur, & constantissimè tenetur opinio quæ est minus honorifica Matri Dei. Nam si Caietano hoc accidit ingeniosissimo, & doctissimo Theologo, quid poterit de alijs præsumi? nisi quòd non vis rationis, nec scientia, sed aliena fides, aut propria contentio plerumque eos præoccupet; & tamen hi præualere declarationem huius mysterij retardare: sed V. Sanctitas consulat causæ Matris Dei. Denique consona Hæreticis est iactantia Patrum, aut falso, aut non ad rem, aut adulteratè citatorum etiam contra declarationes Pontificias, vel traditiones Ecclesiasticas, à quo valde debent recedere auctores Catholici, vt elongentur ab Hæreticis, ingenuè profitentes sanctorum Patrum studium.

Hæc, quæ dico, nota sunt doctis, atque testificor coram Deo, & Christo Iesu me dumtaxat motum ad ea commemoranda ob honorem sanctissimæ Matris Dei, auctoritatem Ecclesiæ, & simul cum omni veneratione, atq; amore obseruantissimæ

tissimæ Prædicatorum Religionis, quæ Ecclesiæ ex ipso suo ortu strenuè militauit triumphans de Hæreticis, & hæcenus militat, & exaltat illam. Cuius primatum, & excellentias agnosco, & gratulor, atque pro bono etiam illius hæc retali, imitatus eius alumnos zelatores sui honoris. Cum enim tot eius Scriptores, & defensores immaculatæ Conceptionis habuerit, vt in libro exceptionum exhibui, magna huic sacræ Religioni fit iniuria, si ob paucorum contentionem, & minorem prudentiam imputetur corpori, aut capiti actio pedum, vellemque vt clarissimum huius Religionis lumen incolome cum gloria, & splendore suo seruet, & promoueat V. Sanctitas, vt statim dicam. Hoc supposito procedo ad institutum meum. Religioni mihi esset, nisi in hac tractatione vbi agitur de exaltanda Dei Matre, & Apostolica Sede, præponerem veritatem aliis considerationibus, ideo nec meis peperci.

Neque hoc volo præterire, quod animaduersum est ab aliquibus, quantum fuerit discrimen inter defensores affirmatiuæ sententiæ, & inter sequaces negatiuæ: illi plerumque iniuriis, & parum ingenuis artibus illam sunt conati suadere: Isti verò modestè, & ingenuè, quod satis colligitur ex extrauaganti, *Græue nimis* in qua Sixtus IV. plurimos damnat libros auctorum affirmatiuæ partis tanquam scandalosos, falsos, & erroneos. At verò nullum librum condemnauit auctorum negatiuæ sententiæ. Quæ maior differentia, vt constet audacia illorum, & istorum modestas veritas? Prætermitto varia gesta scandalosa, & parum veritati consona eorundem promotorum affirmatiuæ opinionis; satis est meminisse quod accidit apud Bernates in Heluetiis, & memoriæ prodiderunt Tritemius in Chron. Spanhe. Surius in histor. sui temporis ad annum 1509 Nicolaus Baseliensis Naucleri continuator, & qui appendicem ad Eusebij Chronicon apposuit. Item Petrus Martyr Anglerius, ac Henricus Spondanus. Quæ item scandala exorta sunt ex conatu repellendi nomen immaculatæ Conceptionis à fidelium vsu, alij perpendunt. Frequentia etiam germinant scandala eorum, qui contra decretum Gregorij XV. aut gestis, aut scriptis, aut verbis insinuant laicis opinionem affirmatiuam, eandemq; testantur. Nihilominus cum tantopere numero, & mole superent excessus affirmantium Conceptionem maculatam iis, quos vnus, vel alter assertor immaculatæ Conceptionis fortasse dederit, acriter accusatur quælibet minor attentio auctorum negatiuæ sententiæ, & summè exaggeratur. Verum libertas multorum, qui sequuntur affirmatiuam, si non excusetur, dissimulatur. Sed quod magis est mirandum, ipsius Virginis eximia laudatio etiam cum præsidio multorum auctorum, & congruentium rationum, solèt imputari in auctoribus piæ sententiæ nimietati, & dicunt propterea retardari declarationem immaculatæ Conceptionis. Et nihilominus tot artes, & excessus contrariorum, quibus detrahunt persuasione Virginis conceptæ sine labe, & promouent maculationem eius, non sufficiunt, vt acceleretur huius determinatio mysterij. Adeo inæqualiter tam pia causa tractatur. Illud autem non videtur consonum deuotioni Marianæ, quod dicitur retardari declarationem immaculatæ Conceptionis propter illa encomia Virginis probabilia, & multis auctoribus munita. An ne Ecclesia inuidebit

Ioann. Euseb. Op. Parth.

gloriæ Matris Dei, vt propterea succenseat eam rationabiliter laudanti, & pigrescat ad honorandam illam? Imò quamuis excessissent in illis laudibus auctores, non deberet puniri eorum culpa in suppressione gratiæ Matris Dei originalis declarandæ.

Hæc omnia scandala exaggerant nonnulli ex quadam circumstantia, quæ aliis per se solam videtur quoque peculiare scandalum, nimirum tanta contentio tot artibus, & extraordinariis commentationibus perstructa, vt cum diminutione gloriæ, & puritatis virginis sequantur sententiam dubiam S. Thomæ, controuersam multis, & contrariam non paucis, etiam ex Dominicana Familia, quæ sentiunt Angelicum Doctorem stetit pro Immaculata Virginis Conceptione, Bromiardus 2. parte sum. cap. 3. qui in sancti Thomæ æuo, & ordine floruit: verba ipsius luculenter exponit. Sic intellexerunt sanctum Doctorem alij Patres Prædicatorum, P. M. Ioannes de Sancto Thoma doctissimus Prædicatorum Theologus, disputat. 2. super 1. part. in procm. art. 2. docet, sanctum Thomam nullibi dixisse, aut censuisse, B. Virginem fuisse conceptam in culpa originali, nec etiam negasse eandem ab ea fuisse præseruatam. In quo sequitur, & citat Seraphinum Porrectam antiquum Doctorem etiam Dominicanum, cuius opera nota sunt. Franciscus de Arauxo Episcopus Segouienensis congerit omnia loca S. Thomæ, quibus disputat in partibus hanc controuersiam, de iisque idem affirmat. Imò P. M. Gaspar Catalan eiusdem Ordinis Dominici virtutibus, & doctrina conspicuus, designatus Episcopus Illerdensis, in Epistola ad D. Michaëlem Baptistam asserit ex vi iuramenti, quod præstant Dominicani sequendi doctrinam S. Thomæ teneri defendere immaculatam Conceptionem, qui tandem ait: *Admisso quippe, quod in aliis sue doctrine locis dixerit sanctus Thomas, Virginem contraxisse culpam originalem, hisce tamen diebus iuxta admonitionem, ac doctrinam ipsius Sancti, tenentur eius discipuli sequi opinionem piam, qua stabilitur ab eadem fuisse præseruatam; nam Doctor Angelicus in opusc. 7. 1. monet, ac consulit, quod si quis inuenerit in suis scriptis asserta contraria, aut opiniones sibi inuicem obuiantes, sequatur, quod magis veritati consonum indicauerit. Præterea auctoritas Ecclesiæ adeo inualuit, ac se declarauit in pia opinionis fauorem vniuersali consuetudine celebrandi festiuitatem purissimæ Conceptionis, aut puritatis B. Virginis in sua Conceptione, vt nullus iam dubitandi locus relinqui videatur, quod opinio pia sit veritati conformior, quam opposita. Igitur opinio pia iuxta consilium S. Thomæ eligenda est, præterquam quod etiam ipsiusmet Sancti sententia fuit sicut iam probatum est. Insuper S. Thomas docet 2. 2. q. 11. art. 12. Quod consuetudo Ecclesiæ maximam habet auctoritatem, que semper est in omnibus emulanda, unde magis est standum auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati Augustini, & Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris Ecclesiæ. Ex quo inferitur, S. Thomam, si vidisset consuetudinem communem, que iam vigeret in Ecclesia de solennizanda festiuitate puritatis Virginis sanctissima in sua Conceptione, per tot Breuia Pontificia confirmata, ex ea desumpturum argumentum validissimum, de eaque sibi valiturum, ad probandū, quod beatissima Virgo fuit sancta in sua Conceptione. Igitur qui tuentur partem affirmatiuam pro S. Thoma contra ipsum par-*

Y

g nant

gnant eiusdem sancti Doctoris perspicuas, prudentes, & pias sententias contemnunt, ut sequantur oblectatorem, & minus piam, & hoc præstant contra plures doctissimos Thomistas, & contra maiorem Virginis decorem. Itaque tam acriter contendunt, ut orbi suadeant mentem dubiam, & incertam S. Thomæ, cum pro aliis eiusdem sententiis indubitatis, & certis non ita laborent, imò etiam deferant, atque impugnent. Memorabo ex plurimis vnum Caietanum, quem Thomista ut Principem habent maximi, qui non ita adhæreat S. Thomæ quamuis de eius mente constet adeo, ut dixerit Bartholomæus de Spina opusc. de forma Baptismi, parum curasse Caietanum de sancto Thoma, & tamen aduersatur sententiæ piæ, quod ea fuerit S. Thomæ, cum verè hoc affirmari certum non posset; quippe factis controuersum sit contradicentibus multis. Non ergo in hoc contentioso conatu videtur quæri veritas, ac proinde ut suspectis de minore sinceritate, minimè erat illis auctoribus fauendum. Atque cum hinc accidat, ut Angelico concilient Doctori, ne dicam odium, minorem saltem reuerentiam, & affectum cum illius iniuria, videtur oportere, ut non tam securè, & intrepidè acclamarent sanctum Thomam pro opinione affirmatiua, sed tam nota contentio tandem compefceretur.

Hoc etiam est maximè considerandum, quod ex dictis scandalis inuidia, & odium concitetur in religiosissimum, & doctissimum Ordinem Prædicatorum; immeritò tamen cum (ut iam dixi, & libenter repeto) præcipua pars, imò corpus huius familiæ additissimum sit deuotioni immaculatæ Conceptionis Matris Dei; cum excedat numero Scriptorum, qui eam defendunt plurimas alias religiosas Familias, quando quidem plusquam centum designantur, qui ex hoc sacro Prædicatorum Ordine immaculatam Virginis Conceptionem suis calamis commendarant, aut defenderunt: & quidem neruosiùs, & præstantiùs, quam Scriptores alij. Et præter Scriptores fuerunt multi, & hodie sunt, qui in concionibus eam prædicent, alij sunt, qui in corde suo eam venerantur, quamuis minus id exterius demonstrent. Aliqui metu iusto; alij tamen iniusta fortasse contentione. Vnde Petrus Montius lib. 1. de vnius legis veritate dixit de illis cap. 49. *Multi Dominam nostram in originali peccato conceptam fuisse aiunt, quos in animo aliud sentire arbitror. Sed solum dicunt verbis, ne se victos fateantur in ea sententia, quam semel sua Religionis professores assumpserunt.*

In hoc quidem deceptum ostendunt Montium aliqui, quos noui prædicatoriæ religionis Magistri, qui palam dixerunt esse sui Ordinis sententiam negatiuam: & quidem Episcopus Vicensis Dominicanus in Epist. ad Philippum Quartum id fatetur. Et P. M. Bordas Prior Cœnobij Patrum Prædicatorum Murciani pro rostris publica concione protestatus ostendit de quo etiam extat illustre testimonium F. Ioannis Viterbij Dominici in Pietate Lugdunensi. Planè nullum nouimus eximie sanctitatis virum ex Dominicana Familia, qui post Sixtum Quartum negantem sententiam non fuerit amplexus. Quare quidquid aduersus assertores affirmatiuæ conclusionis dicitur, nequaquam comprehendit, nec tangit deuotissimam, & verè Marianam religionem Prædicatorum. Nam cum hæc sancta Familia fuerit Hæ-

reticorum terror, & doctrina sancti Thomæ quasi Ecclesiæ panoplia, armis referta defensionis, & offensionis aduersus Fidei hostes, credi non debet Religionis, quæ tam ex diametro opponitur Hæreticis, propriam fuisse opinionem, cuius defensionis modus non omninò displicet Hæresum defensoribus, ut iam insinuauimus.

Ad communem igitur Ecclesiæ Patrem spectat prouidere bono obsequentissimæ sibi familiæ, & supra modum benè meritæ de ipsa Ecclesia Catholica, ut in maximo omnium amore, & veneratione sit, quibus dignissimi sunt Religiosi Patres Prædicatores, ne, qui verè sunt filij sancti Dominici, detrimentum sentiant suæ gloriæ propter indiscretum aliquorum ardorem. De quo iuste conqueritur Catherinus sub finem tractatus ad Concilium Tridentinum sic alloquitur suos: *Ego enim cum omni hac mea querimonia protestor ante Deum, & vos Patres, Ordinem vestrum, imò & nostrum à me, & amari, & obseruari sincerè in Christo, & in Matre peculiari illius protectrice, & ita amari, ut nemini pro meo gradu cedam. Ob eam causam nollem vlla profusus macula eius gloriam obscurari. Nam cum in ceteris gloriose incedat, hoc unum retinet, quo plurimi scandalum merito patiuntur, quoniam multi vestrum illam Virginem macula aspergunt, quam omnis Ecclesia Sponsi vocem audiens, concinit penitus immaculatam.* Hoc Catherini votum paterna sollicitudo Apostolicæ Sedis poterit effectu ipso repræsentare, & consequi.

In eo quoque anomala notatur causa immaculatæ Conceptionis, quod contra communem legem, & ius in ea soleant esse iudices, aut officiales, qui etiam sunt pars, vnde opportunè possint artificiosissimè eam retardare, aut detrimentum inferre. Quauis enim Patres Dominicani, qui sacro Palatio, & Congregationibus iudicis, & sanctæ Inquisitionis adhærent, & interueniunt, ut par est, integerrimè se habeant, poterunt tamen non se habere tales, si tenaciter adhæreant parti affirmatiuæ, & quauis verum sit, illustrissimam, & doctissimam Religionem Prædicatorum eximios viros habere bene erga immaculatam Conceptionem affectos, habet, tamen alios contrariæ opinionis sequaces, contra quos suspicionis præsumptio stat integra, & propter dubium sufficiens erga alios: in hoc etiam videtur oportere, ut causa Beatissimæ Virginis, ne infeliciùs, aut deterius, quam communia negotia, peragatur, seruetur illi ius suum; omnisque suspicio inæqualitatis ab eius tractatione tollatur.

Plura possem huiusmodi congerere, quæ expostulant celerem terminum huius controuersiæ, ut multa inconuenientia vitentur, sed satis opinor esse dicta, nunc solum addam, quod licet nullum incommodum id exigeret, propter gloriam Matris Dei oporteret fieri, & secundum morem, & consuetudinem Ecclesiastici styli, prout olim annotauit doctissimus Ioannes Bacho in 4. sententiar. dist. 2. quæst. 4. art. 3. vbi ait: *Modus procedendi Curie Romanae est, quod Ecclesia ea, quæ in dubium, vel errorem versa sunt, & per Theologos exquisitè disputata, eorum sententiam decreto, & statuto confirmet, & patet de sum. Trinit. & Fid. cap. damnatus: vbi post disputationem Magistri Petri Lombardi contra Abbatem Ioachim, super unitate essentiae diuina cum Personis diuinis, confirmauit Ecclesia senten-*

sententiam Petri. Similiter post disputationem Theologorum de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio tanquam ab uno principio, definiuit hoc sacrosancta Sedes Apostolica in 6. eodem titulo, cap. Fidei. Quinimo noua iura multum seruant istum modum, ut patet in questionibus, & definitionibus Domini Ioann. 2. 2, & Domini Benedicti 1. 2. Nam post determinationem Theologorum de paupertate Christi, & de visione animarum purgatarum, definiuit Dominus Ioannes, quòd Christus, & Apostoli habuerunt aliquid in communi, ut patet in constitutione, Cum inter nonnullos, & ad conditorem Canonum, & quoniam quorundam. Similiter post sententiam Theologorum definiuit Dominus Benedictus, quòd anima planè purgata ante diem iudicij clarè, & intinuitè vident diuinam essentiam, ut patet in constitutione: Benedictus Deus. Ergo cum causa Beatæ Virginis merito omnibus debeat præferri post Theologorum determinationem concordem, quòd ratione sanctificationis est eius Conceptio celebranda, hoc habita consideratione institui debet.

Hæc dixit sapientissimus hic Theologus ante institutionem festi Conceptionis. Et quia putabat satis fuisse ad terminandam hanc controuersiam, si auctoritate Pontificia celebraretur de illa. Sed quia nuper alterata est hæc persuasio, clamaret pro vltima determinatione, qui deinde admonet in hac parte obligationem Pontificiam, dicens de cultu immaculatæ Conceptionis: *Hæc est sancta, & Catholica Religio, ut patet 24. quæst. 1. in Sede ubi sic dicit Eusebius Papa: In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata Religio. Sed sanctam Religionem in Curia Romana seruata maximè qua Matrem Dei concernit, decet Vicarium Dei in terris sancta sui officij auctoritate confirmare. Quinimò ad reuerentiam Domini summi Pontificis sic dicitur, quòd non decet officij sui dignitatem super hac Religione instruenda tacere. Vnde 24. quæst. 1. officij dicit Iulius Papa: Officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit.* An autem debet Ecclesiæ Pater prouidere auctoritati, & paci eiusdem Ecclesiæ, atque auferre scandala, & qua obligatione ad id teneatur, Doctores sunt, qui id doceant; mihi autem semper fuit in votis discere, & reuereri maiores; summumque Doctorem Doctorem humiliter veneror, & eius exosculor pedes, huius pij ausus humiliter veniam precatus.

Cui adhuc addam aliud simile fortasse piaculum, quamuis pium mihi dicet conscientia votum, flexis etiam genibus coram Imagine Crucifixi Christi Iesu Filij Dei, & intemeratissimæ Virginis Mariæ oro Deum, & exoptulo V. Sanctitatem, ut honori omnimodæ puritatis eiusdem gloriosissimæ Virginis celeriter post tantas conlulat moras, velut enim tormentarius puluis dispositus est ad ignem; disposita quoque mihi videtur à multis annis hæc causa ad igneæ sancti Spiritus lingue per V. Sanctitatem loquentis declarationem extremam, aut irrefragabilem huius mysterij; si vtriusque asserti circumstantiæ, & discrimen expendantur. Proh! quantum interstat illis diuortium, & diuidit interuallum! Nam assertio affirmatiua eam conditionem nunc habet, ut nisi repulsis Patrum axiomatibus notis, desertis genuinis Theologotum principiis, perperamque intellectis Pontificum

Ioann. Euseb. Op. Parth.

diplomatibus defendi nequeat. Profectò non apparet bona causa, quæ non bonis eget subsidiis, talique conatur non corruiere fulcimento. At verò sententia negatiua saluis illis fundamentis defenditur, imò in ipsis nititur, & ingenuis militat armis antiquorum Patrum Scholasticorum Principum, & Decretalium Pontificiarum; nolo amplius memorare. Ex quibus, & Concilio Tridentino efficaciter colligitur in sacra contineri Scriptura. Quòd autem aliqui dicunt expectandum esse Concilium ad huius mysterij determinationem; arguit, nec notitiam habere status huius controuersie, nec plenam fortasse satisfactionem, aut scientiam Pontificiæ potestatis, nec eruditionem Ecclesiasticæ historiæ; imò nec memoriam actionum recentium Romanæ Sedis. Præterquam quòd Ecclesia vbique terrarum diffusa (nam in omnem terram exiuit sonus acclamantium Virginis animam sine labe corpori unitam; & in fines Orbis terræ verba laudantium immaculatam eius Conceptionem) pro maximo quidem Concilio, & Oecumenico sufficiens est. Demus, quòd congregati fuerint ad hanc causam decidendam sexcenti & triginta Episcopi, sicut in Concilio Chalcedonensi, aut mille Patres, sicut in Constantiensi, eorum vnanimè suffragium, nondum adiecta Pontificis confirmatione, non esset maioris ponderis, quàm tantus Ecclesiæ consensus. Imò adhuc censo dici posse, minoris esse auctoritatis, quia numerus illorum Episcoporum non adæquatur myriadibus Episcoporum, Doctorum, Ecclesiasticorum, Religiosorum, & sanctissimorum, magnorumque Virorum Orbis Christiani, qui hanc veritatem acclamant, & pro illa sua suffragia, & postulata præstant. Præterea sensus Ecclesiæ, ne dicam totius; sed ferè totius perinde est sancto Augustino, prout supra notauimus, ac si in Scriptura contineretur id, quòd per talem sensum affirmatur. Commune autem Conciliorum suffragium ante Apostolicæ Cathedræ confirmationem, quamuis habeat magnam auctoritatem, longè abest, ut Scripturæ comparetur. Adde quòd in suffragiis Episcoporum congregatorum non est inclusum ex hoc solo Pontificis suffragium, verum in sensu, & consensu Ecclesiæ in hanc sententiam immaculatæ Conceptionis, etiamsi non contineatur declaratio vltima Pontificum, continetur profectò in illa suffragium plurimorum Pontificum, qui illud multis modis, indultis, & indulgentiis significarunt, promouerantque ad talem consensum vniuersas Orbis Ecclesias, & populos Catholicos. Hæc mihi pius suggerit affectus, atque eodem concludo rursus adorans in Vicario suo Christum, indulgentiam, & Apostolicam benedictionem anxie expetens, & suppliciter petens per benedictum fructum ventris benedictæ in mulieribus Virginis Mariæ, pro cuius gloria dum non insto opportunè, importunè; planè importunè exopto non parum opportunè à Vestra Beatitudine ampliari, inter pestiferæ calamitatis discrimina: quandoquidem Sixtus Quartus tempore pestis diuinam propitiaturus iustitiam, festum Virginæ Conceptionis Pontificia extulit decretali; sedataque olim grauis pestilentia est, cum in Concilio Basileensi exaltata fuit immaculata Virginis Conceptio suffragio tot Episcoporum, & eximiorum Doctorum, ut tradunt Ecclesiastici annales, nec præsentia tæpora epidemiis,

Y 2 bellisque

bellisque turbida minus habent opus Mariano adiutorio.

Ad hæc omnia (loquor cum S. Anselmo lib. 3. epistol. 40. ad Palchalem II.) *auctoritas vestra prudentia, nostro non eget consilio. Oramus, ut Deus omnipotens faciat omnes actus vestros sibi placere, & Ecclesiam de vestri regiminis prosperitate diu gaudere. Amen.* Similiter, cum Beato Petro Damiano, epist. 1. ad Gregorium VI. exul-

tante de Pontificatu eius; repeto opportunè hæc de Vestra Sanctitate: *Latentur cæli, & exuliet terra, & antiquum sui iuris privilegium se recepisse sancta gratuletur Ecclesia. Conteraturiam milleforme caput venenati serpentis.* Unde, *Omnipotens Deus Te, summe Pater, ad conseruanda Ecclesia sue* (addo, & suæ sanctissimæ Matris) *inra, custodiat, & populum suum ne immerito sub tanto Pontifice gaudere permittat.*



IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII
SOCIETATIS

I E S V.

THEORIA COMPENDIOSA
de solida veritate conceptæ Deiparæ
absque labe originali: ex canonicis,
atque orthodoxis fun-
damentis.

AD DOCTOS, ET PIOS.

QVANTO magis speculor veritatem conceptionis virginæ absque communi forde, tantò maiorem claritatem certitudinis huius mysterij inuenio, solidioraque occurrunt eiusdem ex sanctis Patribus, Conciliis, & Pontificibus, fundamenta: quare postquam variis tractatibus illud sim veneratus, omnimodamque Virginis puritatem asseruerim, libet adhuc irrefragabilibus (audeo hoc dicere) compendiosius tamen, eandem versate materiam, veritatemque eius stabilire.

§ I.

Fundamenta Concilij Tridentini, ad decretum de peccato originali.

Observatione quippe dignum est, quam veneranda grauitate, & authoritatis, iudicijque pondere Concilium Tridentinum definiuit ea, quæ ad culpam originalem spectant, explicatis prius suæ definitionis, & declarationis irrefragabilibus fundamentis. Sic enim edicit sess. 5.

in decreto de peccato originali. *Sacrosancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, presidentibus in ea eisdem Apostolica Sedis Legatis, cum ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos, accedere volens, Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesia indicium, & consensum sequuta hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur, & declarat.* Ecce veneranda, & irrefragabilis illius decreti fundamenta, nimirum sacra Scriptura, traditio Patrum, & Conciliorum, authoritas, Ecclesie indicium, & consensus: ex his declarauit suos filios infecisse Adam peccato originali. Ex iisdem quoque fundamentis confirmabo, Virginem solam illud non contraxisse, itaque quod ex illis sequitur, est, quòd sicut cæteri sunt in peccato geniti, sic Virgo concepta sine illo.

Et quidem dubitari nequaquam potest, quin exceptionem sanctissimæ Virginis, quam in fine decreti sui adiecit Concilium, declarans non esse suæ intentionis illam comprehendere in

in his, quæ dixerat de peccato originali, deduxerit ex eisdem principiis, cum enim dicat Concilium, prædicta fundamenta se fuisse sequutum in his quæ inibi declarat, & vnum quod ibidem declarat, sit eiusmodi exceptio: sequitur omnino fundatam in fuisse in Scriptura, in traditione Patrum, in Conciliis, & Ecclesiæ iudicio, atque consensu. Ista declaratio Concilij inter alia, hæc est: *Declarat tamen ipsa sancta hæc Synodus, non esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed obseruandas esse constitutiones felicitis recordationis Sixti Papa Quarti, sub pænis in eius constitutionibus contentis, quas innouat.* Considerandum est primum huius clausulæ verbum, vt vltimum antecedentis esse, declarat, vt consonantia inter vtramque notetur. Qua declaratione quantum Dei Genitricis purissima Conceptio fauorem acceperit, domestico hoc exemplo ostendit Lezana in Apologetico pro Conceptione capite 13. *Si Rex (inquit) aut Princeps publico legis edicto sterneret, omnes sibi subditos, cuiuscumque honoris, & honestatis sint, alicui oneri, vectigali, tributo, impositionivè adstrictos esse: cum hoc tamen expressè declararet non esse sua intentionis Regiam, sibi desponsatam, sub hoc edicto comprehendere, quis tam improbus exactor existeret, vt à Regina tale vectigal exigere, aut quis non putaret Regiam voluntatem esse, vt Regina omnino libera, immunisque à tali soluendo tributo permaneret? Hoc igitur pari in presenti accidit euentu. Spiritus namque sanctus, qui per Patres Tridentina Synodi loquitur, omnes homines sub originalis ingo mansisse declarat: sub hoc tamen decreto Dei Genitricem, Consociam, & Sponsam sibi, comprehendere penitus prohibet. Qualiter ergo licebit alieni, aut tali Regine tale crimen impingere, aut eam non omnino liberam, & immunem putare? Sic Lezana, cuius ibidem & ista sunt verba. Licet clarè Concilium Tridentinum non definiat, Dei Matrem sub generalibus Scriptura loquutionibus, in quibus omnes homines sub peccati originalis vinculo constriktos esse dicitur, non includi: nobis tamen facultatem ad affirmandum tribuit; si namque existimaret sub illis generalibus regulis comprehendere, quo iure posset, non modo eam excipere, sed nec afferere non esse sua intentionis comprehendere Beatam Virginem Mariam: si autem in sacris literis non contineretur oppositum nostræ assertioni, quis eam audebit negare? aut qua facie talem, ac tantam dignitatem, tam eximie Matrem Dei decorantem diffiteri audebit? Hactenus ille.*

Id ipsum confirmant constitutiones Sixti Quarti: quapropter in obsequium Sedis Apostolicæ significare placet quanta ex hac declaratione illucescat maturitas, & pondus, quo Concilium confirmavit constitutiones huius summi Pontificis, agnoueritque, non solum ex eius decretalibus, sed noua ad Scripturam, Patres, & alia idonea fundamenta attentione, atque consideratione, nihil esse in Scriptura, & aliis principiis Catholice doctrinæ, quod obftet Immaculatæ Virginis Conceptioni. Vnde grauissimi Doctores, olim etiam ex constitutionibus Sixti, inferunt non posse damnari

Ioann. Euseb. Op. Parth.

sententiam negatiuam, nec posse definiari affirmatiuam; & quod consequens est, siue antecedens, illam esse veram, atque hanc falsam. Huius doctrinæ congruum fundamentum quàm dilucidè inferatur ex Concilio, conabor explicare, non excedens terminos aliorum Doctorum, nec intendens à Concilio definiari. Id quod solum curabo per consequentiam ex eo videri deduci, proponens dumtaxat hanc meam ratiocinationem doctis examinandam, remittensque illam Ecclesiæ iudicio, quod nequaquam volo præuenire, sed subsequi, & obsequi. Nihil tamen impedit, sed potius seruit Ecclesiæ, ea publici iuris facere quæ possunt doctrinam veram illustrare, & quæ ex sacris Canonibus probabiliter deducuntur, aut videntur deduci, quod est proprium Theologorum. Hic animus meus in hac dissertatione, nimirum idem, ac habuit Cardinalis Bellarminus, sententia sua lecta in Consistorio coram Paulo V. docens non posse definiari hæreticam sententiam negatiuam, quia *Ecclesia, siue Sedes Apostolica definiuit contrarium. Sixtus enim Quartus in Extrauagante, Graue nimis, expresse definiuit, eos, qui dicunt hæreticum esse dicere Beatissimam Virginem sine peccato originali esse conceptam, falsum dicere, & excommunicat istos excommunicatione reseruata summo Pontifici; atque statim subdit: Hinc sequitur errare illos, qui dicunt sententiam communem esse contra Scripturam, & Patres. Quod enim Sedes Apostolica definiuit, non potest esse contra Scripturam, & Patres, sed oportet eos, qui hæc dicunt, non intelligere Scripturam, nec Patres.* Speciatim de Concilio Tridentino, dixit ad Paulum Tertium Episcopus Carthaginensis Antonius Freius, siue Wadingus, sectione 2. legat. orat. 8. §. 1. *Iam non urgent, nec metum incutiunt vniuersales illæ sacra Scriptura locutiones, quæ homines omnes sub originalis peccati reatu comprehendunt, dum neque illas intelligi voluit de sacratissima Virgine Concilium Tridentinum.* Similia multa ex probatis Authoribus possem aceruare, sed propero ad institutum.

Ad suam igitur declarationem Concilium nititur in prædictis fundamentis, partim positivè, sed in omnibus negativè, positivè in iudicio Ecclesiæ instituentis festum Conceptionis, & consensu fidelium eam celebrantium, & immaculatam acclamantium, atque in non paucorum Patrum autoritate, & fortasse in aliis. Verùm negativè videtur etiam, vt in omnibus ininitatur, nimirum quòd neque Scriptura, neque traditio Patrum, neque Concilia, neque iudicium Ecclesiæ, atque consensus contineant, conceptam fuisse Virginem in peccato originali, alioqui continerent contra intentionem Concilij, ac per consequens contra declarationem ipsius; quoniam dicat Concilium illa fundamenta sequutum se, atque aliter fuisset aduersatum, & oppositum illis. Vnde hic saltem inferatur, nulla solida eiusmodi fundamenta esse pro affirmatiua opinione, scilicet neque Scripturam, neque Patrum traditionem, nec Concilia, nec Ecclesiæ iudicium, & consensum. Ex qua suppositione sic interrogo: si fuisset aliquod miraculum, seu mysterium Virginis, vt baptismus, aut martyrium iuxta Crucem, aut alia prærogatiua, quod non haberet contra se vnum ex dictis fundamentis, & ex alia parte sex-

decim, aut viginti Patres illam affirmarent, & præterea institutum esset eius festum ab Ecclesia Romana: quis non haberet certum tale mysteriū? Dubio procul sine vlla controuersia esset, nemini dubitatum, vt accedit nunc Præsentationi Virginis, pro qua non sunt tot Patres, ac pro Conceptione immaculatâ, quoniam, aut explicitè, aut implicitè, per quamplures illam adstruunt: & festiuitas. Præsentationis non est maioris classis, neque solemnius celebratur. In hunc igitur statum reducta est post Sixtum IV. & Tridentinam Conceptio immaculata, docens nihil in Scripturâ, traditione Patrum, Conciliis, & iudicio Ecclesiæ esse contra illam, memorans pariter, & inno-uans constitutiones Sixti, vbi eius festum statuitur, atque hoc modo hodie potest considerari pia sententia, atque certa haberi.

Hanc sanè fuisse mentem Concilij, perspicuum videtur, & in quacumque suppositione, & intelligentiâ apparet, iuxta illud posse compati Conceptionem immaculatam cum Scriptura, Patribus, & Conciliis; nequaquam enim desineret comprehendere Virginem, si componi cum illis nequirit. Vnde sequitur, non posse validum, & efficacis argumentum ex illi sumi aduersus immunitatem Virginis. Quod autem de facto compatiatur concepta sine labe Virgo cum illis, nihilque in eis sit verè contrarium, colligitur præter ipsum Concilij textum, quod Tridentina Synodus innouarit constitutiones Sixti IV. ex quibus, vt postea ostendemus, sequitur de facto, & re ipsa compati immunitatem Deiparæ cum Scriptura, & aliis ex dictis fundamentis, neque actu, & reuera esse in scriptura, & aliis ex prædictis oppositum; cumque mens, Concilij eadem sit quæ Sixti, & determinatio eadem in hac parte: idem dicendum est de Concilij declaratione, ac de Sixti determinatione. Qua propter licet sensus Concilij iuxta sua verba, dubius esset, determinandus erat in hac sola approbatione, & renouatione Sixtianarum decretalium, ex qua indubitata manet eius mens, quoad hanc partem. Ipsa Concilij verba, cum dicitur non esse suæ intentionis comprehendere Virginem, denotant non quidem comprehendisse reuera, quare de facto est, quod intendit, & voluit factum esse; quod si Concilium non comprehendit, planè, neque Scriptura comprehendit, alioqui contraria esset sensus, & intentioni Scripturæ intentio, & sensus Concilij. Et sanè absolum videretur, si vellet Concilium non comprehendere id, quod verè comprehendisset, nec consultè, sed temerè potius intenderet, quod non consequeretur: frustra quippe esset intentio, cuius non habuit effectum. Satius esset nihil dicere: quare cum dixit talem fuisse suam intentionem, talis effectus, & ipsa realitas fuit. Hoc itaque, quod sanè constat ex textu Synodi Tridentinæ, confirmatur, ita illam sensisse, ex innouatione illarum Constitutionum, in quibus omnino insistendum est.

Quod si aliquis obiecerit, non approbasse Concilium constitutionem, *Cum præexcelsa*, falsum profectò est, & quidem parum ad rem: nam cum prima, & præcipua fuerit hæc constitutio inter Sixtianas quas de hac materia habemus, extetque in iure Canonico, dicatque generaliter Concilium in plurali *Constitutiones* Sixti innouare, non est cur excludatur præcipua. Præterea satis erat, quod approbasset constitutionem *Græue nimis* secundam, quæ etiam est in iure (quod nequa-

quam est dubitandum) cum ex ea etiam sola colligatur, quod supra est notatum, & postea probabimus: tum quia in ea contineatur approbatio Extrauagantis, *Cum præexcelsa*, cum in ea nitatur ad suam determinationem, & inde sumat argumentum aduersus errorem nonnullorum concionatorum.

Explicabitur ampliùs, hæc mens Concilij Tridentini de non comprehendenda Virgine, cum loquitur de peccato originali, ex eo quòd Concilium sequutum fuerit sanctum Augustinum in illo decreto, & declaratione eius. Qui sanctus Augustinus loquutus etiam de peccato originali, voluit *propter honorem Domini*, cum de peccatis agitur, nullam institui quæstionem de sanctissima Dei Matre, quippe *qua ex omni parte vicit peccatum*. Cum igitur Augustinus ita non comprehendit Virginem in sua tractatione de peccato originali, vt non se habuerit suspensum, sed propensum, ita vt excluderet Deiparam à communi plaga originalis delicti; idem videtur dicendum de Concilio Tridentino. Accedit ad hoc, quod cum sacra Synodus approbaue- rit constitutiones Sixti IV. & per consequens Officium Nogarolis, in quo non solum citatur sanctus Augustinus, pro veritate Immaculatæ Conceptionis, sed etiam pro ea allegentur multi alij Patres, Cyprianus, Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Anselmus, Cyrillus, Basilius, Ildephonus, & alij. Qui omnes ita non comprehenderunt Virginem in reatu communi peccati originalis, vt excluderint etiam ab eius macula, vt ita pronuntiaretur ab Ecclesia, in recitatione Ecclesiastici officij. Cumq; illos sequatur Conciliū Tridentinum, non est alienandum ab eorū mente.

Verum, vt redeamus ad institutum, non sufficit illatio negatiua ad declarationem expressam, quam fecit Concilium, seu positiua, licet sat essent illa principia negatiua, vt Concilium negatiuè se haberet, hoc est, nihil diceret, sed taceret, nihique contra conceptam Virginem sine originali iudicaret, at, vt positiuè, & expressè declararet, quemadmodum declarauit, non comprehendensam in suo decreto, necesse est, vt consultissimè procederet, vt positiuè influerent aliquid nonnulla ex illis principiis, præterquam, quod hoc constet ex ipsa Synodo Tridentina cum planè se dicat sequutam illa fundamenta, ad ea, quæ ibi declarauit. Vnde consentaneè ad illa sunt omnia, quæ declarauit. Quod si aliqua ex illis positiuè influxere in illam declarationem; potest reputari omnia confluisse, cum in idem recidant: consona enim, & connexa sibi sunt. Nam Patres docuerunt in hoc puncto, quod Scriptura; Concilia, quæ Scriptura, & Patres; Ecclesiæq; iudicauit, quod Concilia; quoniam omnia consonant sibi, vnanimiaque sunt, & cum iis omnino vnanime fuit Concilium Tridentinum, neque potuit contrarium esse.

Hinc sequitur, quòd cum Concilium declarauerit suum animum de non comprehensa Virgine in sorte communi, & decreto de peccato originali: sequi etiam videtur, quòd non habuerunt animum illius comprehendendæ, neque consensus Ecclesiæ, neque Concilia, neque Patres, neque Scriptura; nimirum, nec sanctus Paulus, nec Spiritus sanctus: cum enim dicat Tridentinum, quod dixit sanctus Paulus, eodem sensu, quo ille dixit debuit dicere, alioqui non diceret idem, si diuersum sensum haberet; cum autem sensus, & animus Concilij fuerit, vt non comprehenderet

prehenderet Virginem in suo decreto generali, desumpto ex sancto Paulo, sensus etiam, & intentio Apostoli videtur fuisse non comprehendens Deiparam in sententia generali, *Omnes in Adam peccauerunt.*

Amplius hoc confirmo; nam si Concilium Tridentinum explicaret expressis verbis, antiqua Concilia, aut Patres, aut sanctum Paulum non habuisse intentionem in iis, quæ de peccato originali dixerunt comprehendendi Virginem, quis non haberet certum, & crederet declaratum, quod sanctus Paulus non comprehenderit illam in suis verbis. Sic simili modo nunc videtur certum habendum, nec enim minorem vim habet declaratio Concilij, cum semetipsum declarat, quam si declarasset alia Concilia, aut Scripturam Canonicam. Cum autem Concilium dixisset idem, quod Apostolus, & suum declarauerit dictum de non comprehensa Virgine, plane, nec sanctus Paulus dicendus est comprehendisse illam, nec Patrum traditio, neque alia Concilia. Atque, ut constet quomodo vniret Tridentina Synodus suam sententiam de peccato originali cum sententia Apostoli hæc sunt eius verba: *Si quis Adæ præuocationem sibi soli, & non eius propagationi asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam cum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiam peccatum, mortem, & penas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum quod mors est animæ, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ecce quo modo Concilium declarans se quod non comprehenderit Virginem in hoc, supposuisse videtur, nec illam comprehendendi ab Apostolo.

Iuxta prædicta igitur Antonius Treius Episcopus Carthaginensis legatione sua sect. 2. orat. octaua ad Paulum V. §. 3. dixit illam sententiam approbatam à multis Theologis: *Cum Concilium Tridentinum locutiones illas vniuersales, & veram earum intelligentiam examinaret, ac ex eisdem, præcipue illis verbis D. Pauli ad Rom. 5. Per unum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Illud constitueret decretum, omnes, & singulos homines ex Adam naturaliter descendentes, peccatum originis contrahere; statim aduertit statutam illam à se regulam, ex illis vniuersalibus Scripturæ regulis, depromptam, non comprehendere Beatissimam Virginem Mariam. Cum ceteros omnes originalis peccati fœditate maculatos desinit, illico Mariam vocat immaculatam, & protestatur non esse sue intentionis statutum illud de Maria intelligere. Cum ergo Concilij Patres, ac proinde Spiritus sanctus, & vniuersa demum Ecclesia non voluerunt, ut loca illa intelligerentur de Maria, aut decretum explicaretur, quis modò audebit dicere sibi illam ad stipulari Scripturam, ut Mariam dicat originaliter peccasse; si Spiritus sanctus qui ipsius Scripturæ author est, & decreti illius inspirator, dicat aperte per Concilij Patres, se non velle illam de Maria intelligi, nec istud de Maria pronuntiaris; quis erit modò qui Mariam sub illis vniuersalibus locutionibus Scripturæ contineri, & consequenter sub illo decreto comprehendendi, tenaciter asseueret: Spiritus sanctus dicit non esse sue intentionis eam comprehendere, si velint aduersarij hæc loca de illa intelligi, necesse*

est, ut dicant esse sue intentionis comprehendere, & ita Spiritus sancti intentioni contraire, dum quod ille circumspexitissimè, & prouidè se non velle aduertit, illi tenaciter se velle demonstrant.

Liquet ergo quanta sit negatiue opinionis probabilitas ex sacra Scriptura, dum per speciales auctoritates, & verba, quæ tam expresse, & vniuersimode de Maria immaculata conceptione explicant Doctores, & eidem accommodat Ecclesia, satis manifestum sit eam primorum parentum non contraxisse peccatum, & contraria sententia videtur infirmitas, dum vel illa generalia loca, quæ pro illa primitus eius factores urgebant, nec hæc ipsa voluerit Ecclesia de illa explicari. Hactenus ille.

§. II.

Veritas Sententiæ negatiuæ colligitur ex declaratione Decreti, quæ amplius roboratur iuxta dicta.

Quid ex hoc rursus sequitur? nimirum opinionem, quæ asserit Virginem conceptam cum peccato originali, esse falsam, tam, quia habent diuersam intentionem, qui illam affirmant, ab intentione Concilij, & consequenter à mente sancti Pauli, cum velint comprehendere Virginem in lege generali, cum Concilium, & Apostolus non velint illam comprehendere: tum quia consideratis secundum se rebus, si vera esset opinio affirmatiua, necessariò comprehenderetur Virgo in decreto, & lege generali. nam cum propositio singularis comprehendatur in vniuersali, sic hæc propositio particularis, Virgo contraxit originale peccatum, comprehenditur in illa vniuersali, omnes contrahunt peccatum originale, & in Adam peccauerunt. Cum autem Concilium, & Apostolus non comprehendant Virginem in statuto generali, certum erit, quod sit falsum contraxisse originariam culpam.

Si dixeris Apostolum, nec inclusisse, nec exclusisse Virginem, sed ad vtranque partem neutrum, & quasi negatiuè se habentem noluisse de alterutra decernere. Absit, ut dicatur hoc, de Scriptura sacra, & doctrina Spiritus sancti. Anne eius admirandum organum Apostolus, ut suspensus, & perplexus se gessit, aut quasi ignorans? Planè dicere hoc de Spiritu sancto in illo loquente impium esset; neque par est tale pronunciare de locutione diuina, & Canonica Scriptura, cuius est author Deus, qui nihil ignorat, neque potest perplexus esse. Præterea cum Scripturæ sensus verus sit in se secundum totam latitudinem, quæ veræ sunt res à parte rei, si verum esset, quod Virgo fuerit cum peccato concepta, ad hoc etiam singulare indiuiduum extenderetur vniuersalis illa loquutio, veraque esset generaliter sine vlla exceptione, verumque esset, quod in illa comprehenderetur Deipara. Sed demus non fuisse improprium Spiritus sancti indeterminatum, seu neutrum se habuisse, cur ita se deberet habere sine vlla causa? Cur non vellet includere Virginem in propositione generali, cum reuera, & à parte rei esset inclusa? Anne diceret aliquis in hoc mentiri, quandoquidem saltem materiale mendacium esset in se. Si quis diceret nolle comprehendere in propositione generali illam singularem, quæ à parte rei comprehenditur; & in eo qui sciret comprehendendi, formale mendacium reputari posset

si diceret non comprehendi, quod agnoscit verè, & in se, atque a parte rei comprehendi cum contra scientiam, & mentem suam iret, quod absit dicere de Spiritu sancto, & libris Canonici, & Conciliis legitimis, quibus nec materiale mendacium est imputandum, quod videtur incurrisse Concilium (nolens comprehendere Virginem, ubi verè eam comprehenderat, & comprehendebatur) si se conformare voluit, ut par est intentioni diuini Spiritus, sensuique illius.

Ad maiorem claritatem propono hanc obiectionem. Si Imperator scriberet, ad suam Legatum apud Hispanum Regem, ut ei renunciaret omnes Status, & Prouincias Germaniæ, sibi conformes esse, & libenter parere, & Rex Hispaniæ rogaret, an & Alsacia etiam quæ sub ditione Gallicana erat: verum id ignorans Legatus diceret se nescire, sed post consultum Imperatorem declaraturum. Sic videtur se potuisse gessisse Concilium, annuntians fidelibus illam veritatem, quod omnes contrahant peccatum originale, suspensum se habens circa Virginem, donec Deus in alia occasione declararet veritatem. Contra hanc obiectionem dico, quod licet possibile fuisset Concilium se huiusmodi gessisse, de facto tamen non ita se gessit. Nam Concilij mens eadem fuit, ut dixi, cum mente Sixti IV. in suis constitutionibus approbatis ab ipso Concilio, ex quibus constat necessario dicendum, non ambiguum, sed certum esse non fuisse comprehensam Virginem in sententia sancti Pauli. Præterea ipsa sancta Synodus fatetur, in iis quæ in suo decreto declarat, sequutam se fuisse iudicium Ecclesiæ, & communis sensus fidelium, & tam notum iudicium Ecclesiæ, ac est celebratio, & ordinatio officij immaculatæ Conceptionis, per quod tempore Concilij Tridentini, in totius orbis Christiani Ecclesiis acclamabatur immaculata Conceptio Virginis, & approbatur, dum per præseruationem eiusdem, non se suspensum habuit an comprehenderetur, vel secus in loco sancti Pauli, sed determinatum erat, supponens non comprehendi, & ab Ecclesiasticis clamoribus à Deo redundauit in fideles, ut Dominicus Soto in c. 5. ad Rom. ad illa verba relata in decreto Concilij, *Omnes in Adam peccauerunt*, sic dixerit: *Absit ut vllum hic verbum de sacratissima Virgine Dei Genitrice faciam: utrum videlicet hac sententia concludatur nec ne, nam etsi Concilium Tridentinum decretum Sixti renouando, fecerit libertatem sentiendi in utramque partem; est tamen exceptio Virginis in hac vniuersali sententia Pauli, usque adeo celebris, non modò inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipue sunt Illustrissimi Parisienses, ut si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, ut cui Paulus refragari videatur, adeo id absque odio, & inuidia nequirent facere, &c.* Tanta enim ratio habita fuit Sixti IV. Officij immaculatæ Conceptionis ordinati ab Ecclesia Romana, & decantati in illa, ut condemnauerit tanquam authores erroneæ doctrinæ nonnullos, qui contra illius venerationem obloquebantur, quasi contradictores sensui, & iudicio Ecclesiæ: ergo si sensum fidelium, & hoc iudicium sequutum est Tridentinum Concilium, non se suspensum habuit, sed nequaquam comprehendit Virginem. Ex quo sequitur de facto non se suspensum habuisse Concilium, ne se remisisset ad alteram de-

clarationem, de non comprehensa Virgine in locis Scripturæ, quæ peccatum originale filios Adami infecisse dicunt, nec potuerit contrarium circa hoc declarare, quam declarauit, nec remittere se ad hoc in alio tempore (quasi non fuisset declaratum) declarandum. Quoniam autem hoc non fuit definitio immaculatæ Conceptionis, nec sufficiebat ad illam definiendam, dum ad hoc ultra id, quod nihil haberet, contra se in Scriptura, deberet aliquid habere pro se, & contineri in aliis Scripturæ locis: hoc restabat dicendum de fide, & posset remitti in aliud tempus.

Præterea, valde diuersa oratio est illius exempli humani de Imperatore, & Legato suo, ac de Spiritu sancto, & Concilio, tum quia Legatus tanquam omnino ignorans abstraxit se ab affirmatione aliqua, aut negatione, non autem positiuè dixi non comprehendere Alsaciam in illa vniuersalitate Prouinciarum, Concilium autem non comprehendit Virginem in generalitate peccati originalis, positiuè dicens, non esse suam intentionem illam comprehendere, & sicut Legatus ille nescius veritatis, si respondisset comprehendi Alsaciam, temerè dixisset, & exposuisset se periculo errandi, sic Concilium dicens, se non comprehendere Virginem, non ignorans id dixit, sed ex superiori scientiâ; quare Concilium non se abstraxit, nec suspensum se habuit: nam si ita esset, satius videbatur tacere, sicut fecerunt Concilia Africanum, Mileuitanum, Arausicanum, atque Palestinum, & non erat opus otiosè dicere id quod perinde fuisset, ac si nihil dixisset: quare aliquid amplius voluit indicare, cum dixit se non comprehendere Virginem. Quod inde magis hoc probatur, quod addidisset, & iussisset obseruationem constitutionum Sixtinarum, secundum quas immaculata Virginis conceptio commendatur, & celebratur, & excluditur Virgo à lege generali de peccato originali, quam promulgauit Paulus. Nam si Concilium abstractum, & suspensum se habuisset, hoc debebat subicere, in quo tam addictum, & deuotum se monstrauit præseruationi virginæ. Quæ consideratio perspicuè demonstrat, non fuisse Concilium indifferens, & neutrum in hac parte, cum expresse probauerit id, in quo non comprehenditur Virgo in statuto generali de contracto peccato originali, approbans constitutiones Sixti, quare consequens est, ut neque Concilium comprehendisset, quamuis id non explicasset. Vnde hoc additamentum videtur mihi perspicuam hanc rem facere, & planè concludere. Deinde maximum est discrimen inter Legatos, & Scriptores Canonicos: nam ij non sunt comissarij Spiritus sancti; sed organa; in quibus, & per quos ipse loquitur, usque semper assistit: quod non possunt erga suos Legatos Principes præstare. In quo multa dici possunt, sed non est opus amplius immorari.

Illud certe scio, æqualiter esse de fide, quod concupiscentiam Apostolus dixerit peccatum, ac quod non intelligeret propriè peccatum, sed analogicè per relationem ad peccatū, quod declarauit in hoc ipso decreto Concilij, non tanquam diuersè loquens, sed tanquam vnus Dei spiritus, in diuersis idè loquens, & quod dixerat, iterum clarè dicens: sicut ergo Concilij declarauit per illam Apostoli vocè *peccatum*, nō intelligi culpam propriè; similiter etiā immediatè post significauit per vocem eiusdem

eiufdem Apostoli *omnes* non comprehendi Virginem; quod si hoc non significauit, non videtur esse, quid declarauerit, cum alioqui perinde esset, ac si tacuisset. Ipsa autem synodus dixit *expressè declarat*, quare aliquid addidit, quod oportuit dici, non quod otiosum fuisset dicere, vniens suam intentionem, cum intentione Pauli, & Spiritus sancti, potius quàm verba. Nequè enim dixit Apostolicum Concilium: dicimus Spiritus sanctus, & nos, sed *visum est Spiritui sancto, & nobis*, quòd ad intentionem, & sensum eundem spectat. Hinc constabit responsum ad obiicientem, verba Concilij non fuisse hæc; *sue intentionis esse non comprehendere Virginem*, sed ista: *non esse sue intentionis comprehendere Virginem*. Nam quoad institutum nostrum nulla differentia est, & vtcunque non oportebat auellere Concilium suam intentionem ab intentione Scripturæ, nec positiuè dicere non esse suam intentionem, si talis fuisset intentio Spiritus sancti, & sancti Pauli. Benè poterat nihil dicere Concilium, sed planè semel loquutum non decebat illud seiungere suam intentionem ab intentione Canonice scripturæ: cumque dixisset suam intentionem esse non comprehendere Virginem, eadem quoque fuisse apparet intentio S. Pauli, cum enim idem dicit quòd ille eundem sensum debebat habere, alioqui non diceret idem.

Ex eo autem quòd sit falsa opinio affirmatiua, sequitur esse veram sententiam piam. Ex hoc autem rursus sequitur, quòd in Scriptura contineatur, in illis scilicet Scripturæ locis, in quibus Virgini negatur omne peccatum, ita vt in illa negatione generali, intelligatur etiam negatum singulare peccatum originis, nimirum cum dicitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Similiter cum dixit Angelus: *Aue gratia plena*, extendatur in illa plenitudo gratiæ, etiam ad gratiam originalem. Nam cum dicitur de Virgine generaliter nullam maculam fuisse in illa, si verum est, quòd non habeat originalem, sequitur, quòd necessariò includatur etiam exclusio originalis particularis, in illa vniuersali negatione totius culpæ. Nam, sicut antea diximus, propositio particularis necessariò includitur in generali.

Magna ratio habenda est eorum, quæ ex prædicta declaratione Concilij deducuntur, & necessariò videntur inferri, cum facta fuerit non sine assistentiâ diuini Spiritus, quandoquidem facta fuerit in ipso decreto de peccato originali, quòd tanta grauitate, & consilio edidit illa sacrosancta Synodus; & præterea hanc declarationem fecit non dissimili modo, ac antecedentem in qua declarauit concupiscentiam non esse formaliter peccatum; quòd autem hic addiderit anathematismum, parua differentia est, quoad vim declarationis, & diuinam assistentiam, cum multi fuerant hæretici, qui concupiscentiam assererent peccatum, oportuit cum anathemate illos compescere: at verò cum nostra declaratio, de non comprehensa Virgine in decreto generali, non esset aduersus aliquam hæresim, non erat opus addere anathema. Præterquam quòd dici potest etiam in hac vltima declaratione additum anathema, vel aliquid æquiualens, quoniam adiecit excommunicationem, & censuram latam in constitutionibus Sixti aduersus eos, qui contrarij omnino huic declarationi Concilij, ita comprehendebant Virginem in lege generali de peccato originali, & in propositione vniuersali Apосто-

li: *Omnes in Adam peccauerunt*, vt dicerent hæresim affirmare immaculatam conceptionem Deiparæ. Vnde rursus confirmatur Concilium non comprehendisse Virginem, cum innouaret penas, & censuras, simul cum condemnatione erroris aduersus illos, qui eam taliter comprehendebant, vt pronuntiarent hæreticum, illam dicere sine originali conceptam, denique illud euidenter demonstrat adstitisse Spiritum sanctum Concilio in dicta declaratione, cum in eadem innouaret constitutiones Sixti, ad quas necessaria erat auctoritas in nomine Christi, & ex diuino Spiritu, cum in iis definierit erroneas quasdam propositiones. Ad definiendum autem assistentia Spiritus sancti necessaria est.

Ad hæc omnia accedet ipsa contrariæ sententiæ assertorum æstimatione, cum eorum aliquos tam profandè perculit hoc Concilij decretum, vt in ipsam sacram Synodum inuecti fuerint, ac testatur Catharinus in epistola ad ipsum Tridentinum Concilium, siue in præfatione eius libri de Conceptione aduersus Spinam, & eius discipulum, sic dicens: *Non huic offeram probra illa, & contumelias, quas ille dignus tali Magistro discipulis aduersus Patres sacrosanctæ Synodi ea epistola arrogantissimè (ne quid durius dicam) congeffit. Arguit enim eos immoderatiore audacia, ac petulantis inscitia, vt qui cum se noscerent apud doctos Theologos minoris esse existimationis, istis nouitatibus captarent auram popularium: atque ideo non veriti sint facere verbum de hac re. Quis autem sibi vnquam persuadere posset fore, vt generale Concilium, in tantum ac tam seuerum Censorem esset aliquando incursum.* Hæc Catharinus.

Magnus igitur, & nouus fuit fauor iste Concilij Tridentini, cum tam contrarium sibi cognoscerent illi plusquam oportebat nimij defensores affirmatiuæ opinionis.

§. III.

Quæ sequantur ex extrauagante Graue nimis Sixti Quarti.

Idem confirmatur ex Pontificiis constitutionibus, ex quibus omnino deducitur opinionem affirmatiuam non posse esse de fide. Si quidem Sixtus IV. in constitutione *Graue nimis*, definiuit non modò fallam, sed erroneam esse illam propositionem, in qua hæresis affirmaretur, dicere, Beatam Virginem sine peccato esse conceptam. Ex quo sequitur, hanc propositionem *Virgo concepta fuit in peccato*, nequaquam definiendam esse: quoniam si definiretur, sequeretur illam propositionem, quæ declarata est iam erronea, esse veram, prout ex hac ratiocinatione constat. Si de fide sit, Virginem conceptam in peccato, hæresis erit, affirmare fuisse conceptam sine illo. Vnde Ecclesia sibi metipsi contraria esset, quòd impossibile est, cum sit columna veritatis. Quamuis enim propositio probabilis possit habere mutationem status, & transire in propositionem certam, hæc tamen propositio erronea nequaquam potest transire in meliorem statum; nam fundatur esse erroneam in re æterna, nempe in actu præterito, qui nequaquam potest non esse præteritus, nempe in eo immediatè, vt Sixtus IV. notat, quòd sancta Romana Ecclesia instituerit festum Conceptionis, quòd non potest non factum esse, quamuis nunc desierit celebrari: fundatur itaque in determinatione cultus

cultus Ecclesiastici in hac parte, & re tam grani, in qua non potest errare Pontifex instar Sanctorum canonizationis.

Maioris claritatis gratiâ, considerandæ sunt hæc duæ propositiones contrariæ: *Beata Virgo concepta est in peccato originali. Beata Virgo non est concepta in peccato originali.* Deindè, notandæ sunt ex determinantibus alterutram partem propositiones æquipollentes. Prima: *De fide est conceptam esse in peccato.* Secunda: *Hæresis est, non esse conceptam peccato.* Tertia: *De fide est, non esse conceptam in peccato.* Quarta: *Hæresis est, conceptam esse in peccato.* Sixtus IV. contrarias in æqui libro statuit, & præcipit, neutram esse habendam pro hæresi: itaque, si quis priuata auctoritate determinat, agit temerariè contra negatiuum Pontificis præceptum; & in hoc sensu ualeat, quod dicitur: non licet Thomistis determinare negatiuam esse hæresim; ergo, & aliis non licet determinare affirmatiuam esse hæresim. At uerò ex æquipollentibus Pontifex assumpsit solum secundam, & assertionem illius definit esse erroneam: ergo & æquipollens nunquam est definibilis; ergo propositio ista: *De fide est Beatam Virginem conceptam esse in originali,* impossibile est, ut sit definibilis ab Ecclesia Romana; nec potest conuerti, sicut in contrariis, à quarta propositione usque ad tertiam: nam Pontifex solum secundam declarauit erroneam, non quartam: sic igitur, quarta non est damnata ut erronea; sed prohibita tantum, & pendente lite, non est asserenda antequam definiatur: æquipollens etiam non erit asserenda antequam definiatur; sed erit definibilis. Non sunt igitur hæc duæ opiniones in æquali statu; sed pro extrauagante *Graue nimis:* hæc differentia est inter illas maxima, & grauissima, præter alias ab aliis Pontificibus constitutas. Et quidem obiter aduertendum, non solum liberam esse ab illa censura erroneæ propositionem quartam, quia Pontifex illam non condemnauit: sed etiam, quia ratio, ob quam condemnauit erroneam propositionem secundam, nequaquam competat quartæ. Ratio autem fuit institutio festi, & celebratio ab Ecclesia Romana, contra celebratio ab Ecclesia Romana, contra quam est secunda propositio, non autem est quarta: idè inter utranque interuallum magnum est. Præterea, quoniam alioqui contrarius sibi fuisset Pontifex, & contraria cogeret dicere.

Accedit, quòd illi, qui erroneè asseruerunt esse hæresim sententiam piam, id dixerunt, quatenus opponebatur sacræ Scripturæ; at Pontifex definiens esse erroneum, dicere illam hæresim, declarat pariter non esse contra Scripturam: si autem non est contra Scripturam, damnari tanquam hæresis nequit; quapropter sententia pia condemnabilis non est contra fidem esse. Hinc etiam sequitur, uerissimam eam sententiam esse, sicut & affirmatiuam opinionem falsam: nam si fuisset uera affirmatiua, omnino contineretur in Scriptura, dicente: *Omnes in Adam peccauerunt. Omnes mortui sunt.* Nam cum sit propositio particularis, comprehenditur prorsus in uniuersali: unde, negatiua esset reuera contra Scripturam. At cum non sit contra illam, sequitur non comprehendi sententiam affirmatiuam in illa uniuersali; sed excipi Virginem. Unde etiam sequitur manifestè, opinionem affirmatiuam esse prorsus falsam. Quod si dixeris, sanctum Paulum locutum de debito peccati, non de

ipso peccato contracto, respondeo, Concilium Tridentinum exindè definisse, filios Adæ ipso peccato, re ipsa contracto, contaminari.

Quòd si quis dixerit Sixtum non damnasse illos, qui dicebant hæresim piam opinionem, quòd esset utcumque contra Scripturam; sed quia dicebant expressè, & clarè esse contra illam; unde, licet in Scriptura non contineretur affirmatiua expressè, potuerit contineri implicite, & tandem definiri à Sede Romana, ut uera. Contra est: quia ratio condemnationis Pontificiæ non redditur, quia esset contra Scripturam, uel implicite, uel explicitè; sed quia celebratur ab Ecclesia Romana festum Conceptionis. Hoc solum sufficit, ut opinio affirmatiua sit falsa, & nunquam diffinibilis, prout iam notauimus. Atque propositio illa, quòd sit hæresis pia assertio, quæ damnata est ut erronea, nullatenus sit futura probabilis, neque possit asseri probabiliter ut uera. Nam si esse Mariam conceptam sine peccato, opponeretur saltem probabiliter Scripturæ, non mirum si aliquis auderet dicere, quòd ad minus probabiliter sit hæreticum, Deiparam conceptam sine peccato, cum saltem probabiliter opponeretur Scripturæ: quod minimè est dicendum iuxta dicta, & considerata supra ex extrauagante Sixti, & Concilio Tridentino. Neque enim dici debet, opinionem erroneam posse asseri probabiliter ueram. Quare sententia pia neque explicitè, neque implicite est contra Scripturam. Adde ad dicta, licet propositio affirmans hæresim esse sententiam piam, non esset damnata ut erronea, imò quamuis non esset erronea, sufficit esse falsam, & damnatam falsitatis à Romano Pontifice ob rationem prædictam instituti festi, ut inde sequerentur ea, quæ supra intulimus; exinde enim omnino posset colligi sententiam piam non esse condemnabilem, contra Scripturam, cum nunquam posset dici hæresis, cum semper constabit hoc, celebratam fuisse ab Ecclesia Romana festiuitatem Conceptionis. Facile inde etiam inferret, qui uelit, sententiam negatiuam esse ueram, & opinionem affirmatiuam falsam.

Notandum etiam est, quid ex illa particula huius extrauagantis, *Præsentibus in perpetuum ualituris,* sequitur: quòd contra piam sententiam definiri nihil possit: nempe, si aliquid diffiniri possit contra illam, scilicet Deiparam Virginem in peccato originali fuisse conceptam; definiatur tandem aliquando: ergo tunc esset hæreticum, dicere, eam esse conceptam sine macula originali; ergo in gratiam hæreticæ assertionis summus Pontifex indulgentias concederet; imò inuitaret ad cultum illius festiuium; quod dici non potest. Igitur ex hac formula, sequitur, hunc cultum immaculatæ Conceptionis, ad quem Sixtus IV. omnes Christi Fideles inuitat, fore perpetuum; *præsentibus,* scilicet, *in perpetuum ualituris:* ergo illam damnari non posse.

§. IV.

Certitudo Sententiæ piæ ex extrauagante Cum præexcelsa.

EAndem certitudinem sententiæ piæ, æquè ineluctabiliter potest demonstrari ex extrauagante *Cum præexcelsa*, per quam commendatum, atque introductum est in Ecclesiam Romanam festum Conceptionis; quæ certitudo desumitur

ex autoritate Ecclesiæ, instituentis festum Conceptionis, & iudicantis post exactas dispositiones præseruationem Virginis dignam cultu sacro, & publico. Vnde, à posteriori manifestè concluditur, hanc præseruationem ita esse certam, vt non possit esse falsa; alioqui eam Ecclesia non coleret. Proinde, sunt plures Doctores, qui contendunt, postquam Ecclesia Romana Conceptionem solemnè festo colit, eam opinionem probabilitatis gradum supergressam, esse quæ ad eam certam, vt à parte rei (vt inquit) non possit esse falsa, iuxta sanctos Patres, Augustinum, Ildephonsum, Bernardum, Thomam, Bonauenturam, & alios, quanuis non sit certa certitudine Fidei. Quod verò ad definitionem attinet, ferè omnes contendunt affirmatiuam sententiam non esse definibilem, sicut nec condemnabilem negatiuam.

Quam certitudinem, ex institutione festi, ipse Pontifex Sixtus IV. supponit in extrauagante *Graue nimis*, & ex ea facile potest, & satis solide probari: cum enim inibi condemnasset tanquam falsam, peruersam, & erroneam illam propositionem: *Sententia pia est hæretica*. Rationem immediatam tam seueræ censuræ reddidit; quia celebratur in Ecclesia Romana festum Conceptionis. Vnde quidquid deducitur ex illa condemnatione, inferitur etiam ex celebratione festi ab Ecclesia: quare, cum ex condemnatione illa sequatur, vt diximus, falsitas assertionis affirmatiuæ, & certitudo negatiuæ, etiam ex institutione festi, sequitur ex hac etiam parte, certam esse piam sententiam, & omnino refutatur euasio Grauinæ, qui censuit cum obiecto secundo festiuitatum, vt ipse loquitur, posse compati falsitatem: idè ausus est dicere ex institutione festi Conceptionis, non esse certam Conceptionem immaculatam; quæ assertio penitus refellitur ex argumentatione prædicta.

Nam de ipsa Conceptione immaculata, quam idem Grauina constituit obiectum secundarium, est prædicta certitudo, & de eadem est ratio Sixti, & circa eam determinatio eadem, non contra eos, qui dixissent esse hæreticum dicere, Personam Virginis sanctam; sed contra eos, qui dicebant esse hæresim Conceptionem Virginis affirmare immaculatam: & ex celebratione huius obiecti secundarij iuxta Grauinam, intulit. Sixtus, prædictam propositionem esse erroneam, quin recurreret ad id, quod dicitur ab eodem Grauina, primum obiectum de Persona Virginis sancta. Quod autem non instituisset Pontifex festiuitatem de re non certa, præterquam quod se exposuisset periculo errandi, atque, vt ita dicam, introduceudi non religiosum re ipsa cultum; sed potius superstitiosum quoad realitatem; neque enim colere rem falsam potest esse à parte rei religio, ea est magna causa, quod illud in quo posset fundari ratio condemnandi tanquam erroneam propositionem aliquam, non deberet esse instabile, & incertum; sed fixum, & verum.

Cumque ratio condemnandi vocantes hæresim sententiam piam, sit institutus ab Ecclesia Romana cultus eius, quod per illam sententiam piam affirmatur, necesse est, vt ipsa sententia pia sit vera. Etenim, si errare in hoc posset Pontifex, nequaquam erroneum, imò nec euidenter falsum esset illud, quod tanquam erroneum condemnauit Sixtus; cum autem hoc sit verè erroneum, nequaquam errauit, nec potuit errare summus Pon-

rifex in institutione festi, nec in veritate mysterij celebrati; siue illud fingatur obiectum secundarium, siue dicatur primum. Propositio condemnata à Sixto, hæc fuit: *Hæresis est dicere, Deiparam conceptam sine peccato*. Cumque ex institutione festi certum reddatur hoc mysterium, cum celebratur ab Ecclesia, propositioque prædicta illud dicat falsum, & hæreticum, sequitur esse propterea falsam, & erroneam. Vnde causa, cur sit erronea, est, quia certissimum est mysterium.

Inde, etiam illorum ocluditur effugium, qui dixerunt, diuersimodè institutum fuisse festum Natiuitatis Virgineæ, ac Conceptionis, quoniam huius institutio fuit relinquendo liberam opinionem affirmatiuam, & cum probabilitate sua. Contra est, quod institutio festi Conceptionis facta est per constitutionem *Cum præcelsa*, eodem prorsus modo, & tam absolute, quam aliæ festiuitates, imò solemniores; nec in ea est vllum verbum diminuens, factaque est independenter, & aliquot annos antequam Pontifices decreuerint, ob iustas causas, tolerandam esse opinionem affirmatiuam, prohibuerintque accusari hæreseos, aut erroris: de probabilitate tamen eius nihil dixerunt, quod ei faueret. Hoc autem quod postea prouisum fuit, nequaquam tollit priorem festi institutionem cum vi sua absolute, & independenter, & solemniores factam, quod omnino sufficit, quanuis postea cessasset celebrari: imò, quia omnem suam vim habet illa prior institutio, prouisit pro bono pacis benignitas Pontificia, quod in posteriori constitutione *Graue nimis* statuit. In qua constitutione mirifice confirmat vim prioris festi institutionis, cum propter illam condemnarit erroneam propositionem assertentium, hæreticum esse dicere præseruatam fuisse Virginem. Hæc planè certissima sunt, & euidentia, si penitus considerentur.

Quod si cum institutione festi compateretur probabilitas, quod fuisset falsum eius obiectum, seu mysterium celebratum, rueret prorsus tota argumentatio Sixti IV. in extrauagante *Graue nimis*, rueret etiam tota Patrum ratio, imò summorum Pontificum, qui à festiuo cultu ad veritatem mysterij constanter argumentantur, sicut fecit Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & quotquot innouarunt, approbarunt, aut ratas habuerunt constitutiones Sixtianas. Imò rueret optima Ecclesiæ Catholice gubernatio, nihique solidum, & securum esset, quod discerneret Apostolica Cathedra in materia morum, & rituum, quoad substantiam rei ordinata pro totius Ecclesiæ regimine: nam si ea, quæ solum manent (post declarationem Pontificiam) probabilia, decerneret Pontifex, posset suis decretis falsitas contineri, & reuera statuere posset iniusta, aut approbare falsa à parte rei. Si illa approbet, quia verisimilia, non vera sunt, & manent non certa post decretum suum. Si Pontifex declararet aliquem contractum vsurarium, quis auderet dicere esse iustum, & illum talem censere, licet solum probabiliter? Si solemniter referret aliquem in catalogum Sanctorum; quis pronuntiaret esse damnatum, quamuis solum sub probabilitate, Si approbasset aliquod institutum religiosum tanquam sanctum, quis diceret esse peccaminosum, licet non certè id affirmaret? Idem dicendum est de instituto festo, & celebrato ab Ecclesia mysterio. Alioqui, non haberet Pontifex tam constans fundamentum, vt

condemnaret

August.
serm. 95
de diuer.
& serm.
113. Ildepho-
sus lib.
de Partu
rit. Vir-
gin. Ber-
nard. epi-
stol ad
Lugdun.
Videntur
est liber
de perpe-
rno obic-
cto.

condemneret refragantes similibus decretis, negantemque certa, aut iusta, quæ Apostolica Sedes statuit.

Porro obiectum indubitatum huius festi esse ipsam immaculatam Conceptionem euidenter ostenditur ex eo quod Sixtus condemnauit vt erroneam propositionem, in qua diceretur hæretica assertio conceptæ sine labe Virginis, cuius rationem reddidit, quia celebrat Ecclesia festum eiusdem Conceptionis: quoniam peruersus quidem error est, dicere hæreticum id ipsum, quod Ecclesia colit, & constituit obiectum festiuitatis à se institutæ: at si aliud obiectum esset huius festi, & non immaculata Conceptio, nihil ad rem attineret, nec posset Pontifex ex celebratione festi inferre illam consequentiam, vt condemneret errorem prædictum assertum, quo affirmatur hæresis dici, sine peccato fuisse Conceptionem Virgineam. Alia quoque manifesta ratio eiusdem est, ordinatum fuisse à Sede Apostolica officium huius festiuitatis, in quo clarissimè colitur, & prædicatur præseruatio Deiparæ.

Hinc etiam manifestè manet repulsa illa opinatio dicentium, celebrari ab Ecclesia Conceptionem spiritualem, non in sensu sancti Anselmi pro Spiritus creatione, scilicet, vnione animæ, quæ spiritualis est cum corpore; sed in diuersissimo sensu, pro sanctificatione animæ, non adstricta momento conceptionis naturalis, & creationi eiusdem animæ; contra quam opinionem edidit Sixtus Quartus primam constitutionem, *Graue nimis*, quæ non est in corpore iuris, vbi condemnat talem modum dicendi, & sentiendi. Sed quamuis hæc constitutio non admitteretur parui momenti esset, quod ad nostram institutum attinet: nam ex secunda constitutione, *Graue nimis*, quæ extat in corpore iuris, satis conuincitur falsitas illius opinionis. Ratio est euidens: quia Sixtus IV. ex institutione festi Conceptionis condemnauit, & intulit fuisse erroneam doctrinam eorum, qui dicebant, hæresim esse asserere conceptam fuisse sine peccato Deiparam; quod planè dicebant de conceptione naturali, non de spirituali: nam de hac, scilicet, sanctificatione, nulla vnquam controuersia fuit apud Catholicos, nec vlli hætenus fuerunt orthodoxi, qui eam dicerent fuisse simul cum peccato. Vnde, antecedens illud ex institutione festi, & ipsa festiuitas non intelligitur, nec est de conceptione spirituali sanctificatæ, vtcumque Virginis; sed de conceptione naturali præseruatæ Deiparæ in primo suæ existentie instanti: alioqui, inconsequens, & friuola fuisset illatio facta à Pontifice; imò absurda ratio condemnationis illius, à conceptione scilicet spirituali ad naturalem. Præterea, conceptionem spiritualem sumptam pro sanctificatione, esse sine peccato, iuxta naturam suam, & legem ordinariam, catholica veritas est, & iuxta Concilium Tridentinum sess. 6. decreto de iustificatione, cap. 7. & qui eam diceret hæresim, non modò erroris arguendus esset; sed accusandus hæreseos, siue festum de illa instituisset Ecclesia, siue non. Sicut enim, qui diceret hæresim esse, affirmare Christum resurrexisse, non modò erroneè loqueretur; sed hæreticè, siue fuisset institutum festum resurrectionis, siue non. Etenim de fide est, quod non sit coniunctio Christi, & Belial, & cum gratia baptismali non compati peccatum ori-

ginale. Cùm igitur Sixtus, dicentes hæresim conceptam Virginem sine peccato, condemnarit solius erroris, & non hæreseos, & hæc condemnatio fuerit ex vi festi instituti: sequitur non esse id assertum de conceptione spirituali, sed naturali.

Accedit, quod qui affirmaret hæresim dicere, Christum resurrexisse, aut sanctificatam Virginem esse sine peccato (sicut enim est in symbolo Resurrectio Christi, sic etiam est remissio peccatorum) non modò hæreticus esset, sed blasphemus insuper; nam vltra quod negaret omnino articulum fidei, dicens illum falsum (quod enim hæreticum est, omnino esset falsum) faciebat Deum ipsum hæreticum quod horrenda esset blasphemia. Quomodò igitur, qui talia asseruisset, solùm diceretur à Pontifice errasse, & non potius summis præstringeretur censuris, & anathematismis; non ergo locutus fuit Sixtus de Conceptione solùm spirituali, seu sanctificatione vtcumque; sed de concepta Virgine sine peccato, infusa illi gratia in prima suæ ipsa animæ creatione, quod negare non fuit contra fidem, sicut est contra illam dicere, Christum non resurrexisse, aut sanctificatam animam non carere peccato mortali.

Ad maiorem claritatem illud etiam conuincit euidenter, nec in institutione festi, nec in condemnatione erroneæ illius propositionis, intelligi posse conceptionem spiritualem, nec Sixtum IV. illius meminisse, nec de illa locutum in extrauagantibus, *Cum præexcelsa*, atque *Graue nimis*, quæ extant de iure; quoniam prohibuerit appellare hæresim illam propositionem, *Virgo concepta est cum peccato*: quare nequaquam loquitur de conceptione spirituali; nam si de hac loqueretur, hoc est, de sanctificatione, omnino hæretica esset appellanda, vt quæ negaret remissionem peccati originalis per gratiam habitualem, & diceret non remitti peccata, sed tegi, quod est nefanda hæresis. Denique in eadem extrauagante docemur, nondum esse decisum ab Ecclesia, hoc est definitum, quod Virgo fuerit sine peccato concepta, quod omnino intelligendum est de conceptione naturali, non de conceptione spirituali, in qua per sanctitatem iustificantis gratiæ remittuntur peccata, quæ faciunt animam inimicam Dei, hoc enim ab initio Ecclesiæ decisum est, & in symbolo fidei inter eius articulos posita remissio peccatorum. Cùm igitur circa has duas propositiones versaretur tota moles illius controuersie, tùm de qualitate festi instituti, tùm propositionum damnatarum in extrauag. *Graue nimis* secunda, si illæ duæ propositiones non sunt intelligendæ de conceptione spirituali, sed naturali nihil intelligendum est de illa conficta spirituali conceptione in prædicto sensu aduersariorum. Hæc satis de hoc. Similiter coargui posset ex hac constitutione *Graue nimis* secunda, quidquid obiceretur contra festiuam Virginis conceptionem sine peccato, omniaque alia obiecta ab aduersariis artificiosè excogitata corruunt, & prorsus obruuntur iuxta prædicta.

Cæterum huic festi celebrationi annectitur consensus populi fidelis, & plena mysterij certitudo stabilitur iuxta sanctos Patres, qui ex institutione festorum inferunt veritates catholicas. Vnde S. Leo in epist. 4. decretali cap. 2. dixit;

dixit: *Quia Spiritus sapientia & intellectus, ita Apostolos, & totius Ecclesie eruditio Magistros, ut in Christiana observantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernenda sunt causa solemnitatum, & in omnibus institutis Patrum, Principumque nostrorum, rationabilis seruanda distinctio: quia non aliter unus grex, & unus pastor sumus, nisi quemamodum Apostolus docet. Id ipsum dicamus omnes: simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Similiter sanctus Augustinus ex celebratione festi certam rei celebratae colligit sanctitatem in sermone. 113. qui est de S. Cypriano, dixit de eodem loquutus: *Quando natus sit, ignoramus, & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus, sed illum non celebramus, etiamsi nossemus: illo enim die traxit originale peccatum: isto autem die vicit omne peccatum.* Sanctus etiam Ildesonus lib. de Parturitione Virginis ex festiuitate Natiuitatis, & Conceptionis virginis, colligit sanctitatem celebrati mysterij. Sic etiam sanctus Bernardus scripsit epistola ad Lugdunenses: *Ego quod ab Ecclesia accepi, securus, & certus teneo, & trado.* Idem sanctus Bernardus expressè de natiuitate Deiparæ ait: *Mater Domini ante sancta, quam nata. Nec fallitur Ecclesia sanctum reputans Natiuitatis eius diem, & cum exultatione uniuersa terra vocina celebritate suscipiens.* Constat, inquit, ex autoritate Ecclesie; Ecclesia ergo, quæ est columna veritatis, errare non potest sequens auctoritatem, & nutum Pontificum in festorum celebratione. Idem docuit sanctus Thomas 2. 2. quæst. 93. art. 2. ad 5. & alibi, sicut etiam S. Bonauentura in lib. sententiarum, quos sequuntur eximij Doctores. Plenè Gregorius de Valentia disputat. 1. quæst. 22. part. 7. §. 45. *Si quando, inquit, de re aliqua, ut materia religionis controuersa, constaret fidelium omnium concordem esse sententiam, (solet autem id constare, vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo, & offensione communi, qua ex opposita doctrina oritur) merito potest, ac debet Pontifex illa niti, utpote quæ esset sententia infallibilis, quod ita est. Dogmata enim ea infallibilem veritatem consequuntur, quæ communi Ecclesie consensu sustentantur, & vera iudicantur, siue assensus sit probabilis cum aliqua formidine erroris, siue certus, & infallibilis.* Hæc etiam docet Canus de locis, Waldensis lib. 2. de doctrinal. Fidei, cap. 22. & 23. & plures alij.

S. V.

*Roborantur eadem ex Bulla
Ad statum, Iulij
Secundi.*

Certitudinem Immaculatae Conceptionis, quam fecit Sixtus Quartus, seu potius nobis ostendit, habuit quidem, & supposituit Iulius Secundus, & amplius quodammodo demonstrauit: supponens enim illam, non dubitauit constituere, & exprimere obiectum, & finem religiosæ vitæ, ipsam colere Immaculatam Conceptionem. Vnde etiam, & hac sua *Ioann. Euseb. Op. Parib.*

constitutione, & institutione nouum certitudinis fundamentum addidit. In Bulla enim, quæ incipit *Ad statum*, expedita anno millesimo quinquagesimo vndecimo, tradidit regulam Monialibus Conceptionis, eademque Religionem instituit sub obedientia Ordinis Franciscani, totamque mancipauit cultui Immaculatae Conceptionis, scilicet, non utcumque cultui Conceptionis; sed ut immaculatae, quem constituit finem, & obiectum eius religiosi instituti. Cumque Pontifex errare non possit in confirmandis Religionibus, sequitur omnino certam esse immaculatam Conceptionem, cuius cultum Religiosum non modo approbauit; sed etiam iterato instituit. Rationes, quas reddunt Doctores, cur Pontifex in approbatione Religionum nequeat errare, hæc sunt ex verbis Francisci Suarez, de fide disputatione quinta sectione octaua, numero nono. *Oportet enim, ut Ecclesia habeat securitatem, & certitudinem, non tantum in preceptis: sed etiam in consiliis, & in via perfectionis. Item, quia approbare Religionem, est quasi canonizare tale institutum ut sanctum: ergo ad prouidentiam Spiritus sancti spectat, ut in hoc non permittat errare Ecclesiam, quam specialiter regit. Erraret autem Ecclesia, si Pontifex posset errare: ergo credendum non est, id accidere posse.* Iuxta hæc credendum non est accidere posse, ut sit falsa sententia piarum: necesse est, quod Ecclesia habeat securitatem, & certitudinem illius: nam si falsa esset, approbasset Ecclesia cultum, qui in se, in ipsaque realitate veritatis esset superstitiosus, quoniam esset veneratio falsitatis. Vnde, ipse cultus esset falsus: nam veritas obiecti, quod colitur, ipsum cultum verum facit, sicut & falsitas falsum.

Adde, quod specialiter debet hoc habere vim in concessione, & approbatione facta à Iulio religiosi huius instituti, cum ea facta sit ad maiorem securitatem, & quietem conscientiarum Monialium, ut in illa Bulla ostenditur illis verbis: *Pro conscientiarum earum puritate, & animarum quiete.* Quod igitur Pontifex fecit ad securitatem conscientiarum, non deberet esse incertum, & anceps, ut eas in maiorem posset inducere inquietudinem, aut perplexitatem: nec errare potuit, dum pascens oues Christi, sanum & securum pabulum eis vult præbere. Præterea, hoc fecit Pontifex, liberans, & absoluens Moniales ab instituto Cisterciensis, & Regula sanctæ Claræ, dicens: *Ab eisdem Cisterciensis, & sanctæ Clare Regulis, & institutionibus penitus absoluiimus, & totaliter liberamus.* Cumque hæc Religiones indubitatae approbationis, & securæ perfectionis sint, & flourerint per tot sæcula in Ecclesia, non deberet Pontifex oues Christi auertere à securâ vitæ institutione, & transferre ad incertam, & ex tuto religiosâ vitæ fine modo transmutare in illum, qui periculum haberet erroris, potueritque re ipsa esse non religio, sed superstitio. Cumque hæc omnia præstiterit Iulius, ut Pontifex, si posset in hoc errare, aut fallere Fideles, dici posset, quod Pontifex ut Pontifex possit errare, quod horret audiri.

Accedit alia ratio certitudinis ex hac eadem bulla, quoniam non solum necesse est, ut sit certa immaculata Conceptio ratione obiecti, & finis vitæ religiosæ: sed etiam ratione formali cultus

cultus sacri, quamvis ei defuisset prædicta ratio obiecti; quandoquidem nec Ecclesia errare potest in cultu sacro; ideo errare non potest in canonizatione Sanctorum. Ex hac quippe bulla non solum confirmatur, & colligitur quidquid ex tribus Sixti constitutionibus, & Concilio Tridentino colligi potest, imò fortasse amplius: nam non solum supponit non comprehendere Virginem in lege generali, & esse certam sententiam negatiuam; sed disertis verbis eam asserit ipse Pontifex in ipsa regula à se concessa, & rursus confirmata tanquam certam sententiam, & exprimit cultum Conceptionis esse ipsius immaculatæ Conceptionis, cum anima Virginis creata fuit sancta, quod tanta securitate id præstitit, ut in fine Bullæ hæc subiecerit: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc p. ginam nostræ absolutionis, liberationis, decreti, declarationis, approbationis, confirmationis, communicationis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire.* Cum totum, quod in hac Bulla continetur, nitatur in Conceptionis immaculatæ cultu, & hic in veritate virginæ præseruationis, si hæc non fuisset certa, non esset ausus aded temerarius, contra multa, quæ in prædicta bulla continentur ire. In ea igitur sic declaratur religiosi habitus forma: *Habitus cum scapulari sint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior virginæ puritatis mentis, & corporis testimonium præstet: pallium sit grossi panni, seu flammæ hiacynthini coloris, propter mysticam significationem, videlicet, quod gloriosa Virginis anima à creatione sua tota facta fuit cælestis, & singularis Regis æterni thalamus.* Ecce quanta certitudinis confidentia in ipsa Pontificia bulla continetur affirmatio immaculatæ Conceptionis. Hæc est pars declarationis factæ ab hoc Pontifice in hac bulla, in qua tota declarat immaculatæ Conceptionis cultum, quod voluit, & iussit ab illis Monialibus præstari Virgini, quatenus sine labe conceptæ. Cum enim post Constitutiones Sixti IV. & Alexandri VI. circa obiectum cultus, & festis Conceptionis fuissent aliqui opinati diuersum esse ab illo, quod reuera fuisset secundum mentem Sedis Apostolicæ; Iulius II. hoc voluit clarius dici, declarans obiectum sacri cultus in institutione huius Religionis; & iis, quæ in ordine ad illum decernit esse ipsam immaculatam Conceptionem: quare qui hoc negaret, scilicet, ipsam Virginis præseruationem non esse obiectum Ecclesiastici, & religiosi cultus, contra hanc bullam iret, eam prorsus euerteret, & incurreret diuinam indignationem, prout ipse Pontifex loquitur; atque hanc suæ mentis apertam significationem denotat per declarationem, contra quam ire prohibuit, dicens: *Decreti, declarationis, approbationis, &c.*

Atque ut specialius indicemus aliquid eorum, in quibus iste summus Pontifex exhibuit se assertorem immaculatæ Conceptionis, iussit expressè in prædicta bulla venerari *Conceptionem Immaculatam.* Non enim solum dixit immaculatam Conceptionem, non exhortatus est, ut celebretur in diuinis Officiis Conceptionis Virginis, prout Sixtus Quartus, & alij prædecessores Iulij fecerunt, nec tantum iussit celebrare Officium Conceptionis, prout post illum iussit Pius Quintus, sed expressissimè iussit venerari Conceptionem, & hoc, ut immaculatam; ne

quis ad alia referat obiectum huius venerationis, prætextatque alienas interpretationes, contra quas paulò antè alia bulla ab Alexandro VI. fuerat promulgata. Quid aliud hoc est, quam obiectum sacri cultus eam declarasse? Nec hoc solum iussit simpliciter; sed iubet custodire ad vnguem, & hoc multis modis, per diuina Conceptionis officia, per sacrificia, per imagines sacras, per titulos sacræ inuocationis, & denique per totius vitæ professionem. Ibidem, Iulius dicit de Regula, à se data: *Ad vnguem obseruari debere decernimus.* Inter præcipua, quæ vult eiulmodi seruari, est, *Immaculatam Conceptionem venerantes, voueant semper viuere sine proprio, & in castitate cum perpetua clausura.* Quid est hoc, nisi iubere exactè venerari immaculatam Conceptionem? Clarius adhuc patet ex formula, qua præscripsit Monialium professionem fieri, quæ huiusmodi est: *Ego soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri, & immaculata Conceptionis eiusdem Genitricis, voueo, & promitto Deo, & Beatissima Maria Virgini, & Beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Mater, toto tempore vitæ meæ viuere in obedientia, sine proprio, & in castitate, & in perpetua clausura, sub Regula per sanctissimum Papam Iulium secundum nostro Ordini concessa, & confirmata.* Item præcipit, *ut in singulis festis simplicibus, & semiduplicibus, Don inicisque recitent Moniales Officium Conceptionis illis institutum.* In hoc autem officio palam colitur Immaculata Virginis Conceptionis, ut constat ex ipso Breuiario Monialium. Præterea, ne qua via esset, qua non fulciret hic Pontifex cultum Conceptionis, & legitimum obiectum eius, plures indulgentias concessit illis, qui in Regno Castellæ Imaginem Conceptionis, quam præfatæ Moniales portant, secum portarent: quasi deuotionem hanc erga Immaculatam Beatæ Mariæ Conceptionem, non solum voluerit intus in corde latere; sed & exterius in pectus prodire: & in Bulla, in qua tot gratias Imagini illi religiosæ indulgit, & incipit; *Dum præclara,* expedita anno 1510. absolute vocat *Conceptionem sanctam.* Sed quid opus est alia addere, cum ea quæ dicuntur in Regula Conceptionis egregium præstent testimonium de sensu huius Pontificis circa obiectum celebrandæ Conceptionis.

Aduertunt etiam aliqui, illam Regulam non fuisse approbatam à Sede Apostolica, eodumtaxat modo, quo aliæ regulæ Religionum sunt confirmatæ, tanquam aliena scripta; sed approbata à summo Pontifice: huius tamen Regulæ authorem ipse Pontifex se monstrat, ex propria locutus sententia, ut constat ex capite 4. ipsius Regulæ, in quo bis per verbum *voluntus,* quod proprium est autoritatis Pontificiæ, conceduntur aliquæ facultates, & iurisdictiones, quas solum summus Pontifex potest concedere. Præterea, hoc ipsum apparet ex formula professionis Monialium, quæ fit: *sub Regula per sanctissimum Papam Iulium secundum concessa, & confirmata.* Hic modus loquendi supponit authorem Regulæ non tantum approbatorem ipsum Pontificem; ideo dicitur non tantum confirmata, sed *concessa* per illum. Nec enim in aliis professionibus ita fieri solet mentio Pontificis approbantis Regulam, sed authoris Regulæ, ut sancti Augustini, sancti Benedicti, & huiusmodi. Tum etiam ipse Iulius repetit ipsam Regulam;

lam; nimirum duodecim capitula illius à se in alijs literis Apostolicis antecedentibus concessa, & data fuisse Monialibus, quasi proprium præscriptum. Quod si dicas, quomodo in bulla *Ad statum* dicantur prædicta capitula commissa esse examini, & inspectioni? Dico, id examen non esse Theologicum ad approbationem aliquam, sed curiale ad collationem, vt conferrentur, an concordarent cum iis, quæ continebantur in prioribus literis; fuitque examen, quod spectabat ad Cameram Apostolicam, vt clarè constat ex verbis Pontificis: *Literarum Apostolicarum quæ per Cameram Apostolicam expediuntur, expeditione inspicere, & examinari.* Vnde meritò in fine Regulæ ipse Pontifex prosequitur in propria persona: *Nulli ergo hominum liceat, &c.* Accedit ad hoc, quòd in declaratione Regulæ istarum Monialium, facta ex commissione Leonis Decimi à D. Francisco de Herrera Archidiacono Seguntino, & Vicario Generali Archiepiscopatus Toletani expressè dicitur, *quam sua sanctitas instituit, aliena opera non instituuntur; regula igitur opus proprium fuit Iulij II. cum eam dicatur instituisse, & non solum approbasse. Benè ista, sed nequaquam necessaria: satis erat ad dicta, quòd Pontifex prædictam Regulam approbasset, eamque inferuerit in Apostolico diplomate, iusseritque ad vnguem obseruari, quæ in ea continentur, & vnum, & præcipuum ex iis sit venerari immaculatam Conceptionem.*

Conferamus nunc, quæ Iulius ordinavit cum iis, quæ Sixtus disposuit. Etenim Sixtus inuitavit Fideles ad celebrandam Conceptionem singulis annis vnâ tantum die; Iulius præcipit, vt etiam singulis festis simplicibus, & semiduplicibus, Dominicisque celebrent illam Moniales cum Officio proprio. Sixtus concessit indulgentias colentibus Conceptionem. Iulius similiter, & insuper expressit immaculatam Conceptionem, vt obiectum huius sacri cultus. Sixtus, ex eo, quòd celebraretur Conceptio in Ecclesia, pronuntiauit erroneam illam propositionem, quæ affirmasset hæresim dicere conceptam sine culpa Deiparam. Eadem condemnatio colligitur ex eo, quòd Iulius iusserit celebrari singulis hebdomadibus Conceptionem, exprimens etiam in illo cultu colî immaculatam Conceptionem. Ex constitutionibus Sixti sequitur propter dicta esse certam sententiam piam. Idem infertur ex bulla Iulij. Ex Sixto sequitur non comprehendi Virginem in propositione vniuersali de peccato originali. Idem colligitur ex bulla Iulij; mò cû ipse toties asseruerit immediatè per se, & palam immaculatam Conceptionem, supponit includi etiam in iis locis Scripturæ, in quibus Virgo sine maculâ asseritur, & plena gratiâ dicitur. Deniquè, hæc Iulij bulla est magnæ authoritatis, tum quia fit facta in Religiosæ familiæ institutione, tum quia non inuenitur solum typis edita; sed eius adhuc extat archetypum in Cœnobio Toletano Monialium Conceptionis; quod non ita facilè inuenitur in multis alijs bullis Pontificiis, quarum originalia ignorantur, quæ aut vetustas consumpsit, aut occultauit obliuio: huius autem archetypum patet, atque aded ipsa indubitata est, ipsiusque Religionis institutum notum omnibus protestatur.

§. VI.

De Gregorij Decimi quinti Decreto.

Quid autem sequatur ex decreto Gregorij XV. ipsi defensores affirmatiuæ opinionis agnouerunt, mirasque proinde excogitarunt inauditas, violentas, & inopinatas euasiones. Constat enim ex decreto Gregorij, piæ sententiæ non parum consultum esse: nam per illud penè contraria opinio tantum non funditus euersa est; quoniam omnis huius mentio interdicta, in priuatis etiam, tum colloquiis, tum scriptis. Proscripsit etiam Gregorius nomen sanctificationis ex Officio, & Missa; ne mens Pontificum prædecessorum suorum eluderetur. Quoniam Sixtus IV. cuius extrauagantes Concilium Tridentinum, & multi Pontifices confirmarunt, in nouaruntque; inuitauerat Christi fideles ad solemnem cultum immaculatæ Conceptionis: nonnulli tamen Conceptionem in sanctificationem conuertebant, cuius prædictus Pontifex ne meminerat quidem, vtpotè qui ante promotionem librum de immaculatâ Conceptione scripsisset; ac proinde in hac controuersia versatissimus esset, & Conceptionem à sanctificatione optimè distingueret. Vt huic euasioni locum obstrueret Gregorius XV. suo decreto vetuit, ne quis, alio vt sanctificationis nomine, in Missa, & Officio prædictis vteretur; sed vno dumtaxat Conceptionis nomine. Ecce tibi finem, quem sibi Gregorius proposuit, dum illud suum decretum edidit, & verò Breui ad Philippum Quartum Hispaniarum Regem, scripto, quod incipit: *Catholica Religionis*; & extat in Legat. de immaculata Conceptione, sect. pag. 451. quam edidit Lucas Vadingus, idem Gregorius testatur, se hoc decretum edidisse, vt ingeniorum, inquit, peruicaciam, & differendi libertatem extingueret, & compesceret: quorum verò, quis non videt? non sanè nostra, quibus hoc decreto nihil interdictum est; sed aliorum, quibus usurpatum sanctificationis nomen, ademptum est. Igitur ex his perspicuum fit, à Gregorio Sanctificationis nomen proscriptum fuisse, ne mens prædecessorum suorum, ac Concilij Tridentini eluderetur, & omni euasioni aditus præcludatur. Quid ultra præter vltimam definitionem pia sententia ab eo excogitare potuisset? Igitur inde obscurare rem istam contrariæ opinionis assertores voluerunt, vnde maximè illustrata fuit, inde fortè debilitare, vnde maximè confirmata, & immaculatæ titulum expungere, vnde maximè retinendum esse constabat. Verùm cum nuper sanctissimus Dominus noster Alexander VII. liberam voluit esse appellationem *Immaculatæ Conceptionis* in eisdem aduersarios, qui eiusmodi machinamentis conabantur Conceptionem maculatam tueri; recidit sua propria defensio, suisque molitionibus ruinam sunt passi, integraque mansit vis Gregorij fauoris, & decreti pro immaculata Conceptione. Non opus est pluribus expendere hoc Gregorij decretum, quam præstitimus opusculo de obiecto festiuæ Conceptionis.

Solum animaduertam hîc, multipliciter negotium

gotium nostrum egisse aduersarios, dum aliqui coacti sunt, vt eluderent fauorem Gregoriani decreti, verbis aut ludere aut illudere, commentantes à Gregorij decreto mutasse significatum nomen Conceptionis, ita vt deinceps significet sanctificationem, & hoc in ambiguo, siue separatam à Conceptu naturali, siue unitam cum illo; pro cuiusque pronuntiantis arbitrio. Quis non videat, tam parum consona, & imaginaria suppositione interpretari literas Apostolicas, esse summæ angustiaë indicium, atq; quandam velut confessionem, siue publicationem agnitæ veritatis, si communibus, & ingenuis terminis, non extraordinariis, & opinionis excogitationibus res ageretur. Et hic primus modus, quo fautores isti opinionis affirmatiuæ suis ipsis armis in hac parte se sauciarunt; nobis potius militantes, quam sibi.

Ad eum statum eos redegit decretum Gregorij, vt iudicarent actum esse de sua opinione, si diceretur Conceptio immaculata; contracta voce, *Conceptio*, ad primum inians, & non abstracta, extensa, & libera ad significationem, vel saltem significabilitatem sanctitatis in secundo instanti, præcedente etiam macula in primo. Proinde, noluerunt dici Conceptionem immaculatam, nec supponere vocem, *Conceptio*, pro solo primo instanti. Hinc alter modus, quo aduersarij prædicti sibi nocumentum pararunt; nobis verò suffragium addiderunt: nam cum summo Pontifici Alexandro VII. placuerit, vt dixi, expeditum manere, & liberum titulum Conceptionis immaculatæ; ac proinde significetur Conceptio pro solo primo instanti, nihil est reliquum illis, quod obiectent.

Addam tertium modum, quo subuertunt se contrarij suo ipso fundamento, cuius basis constantior hæc est. Præcipiens Pontifex, vt omnes in diuino Officio, non alio, quam Conceptionis nomine vtantur, expressis verbis declarat, per hoc nullum profus præiudicium inferri alterutri parti; sed relinqui in eodem statu, & terminis, in quibus erat ante emanatum decretum; sed si nomine Conceptionis non intelligeret *Sanctificationem*, abstrahentem à primo, & posteriori instanti, & vtrique sententiæ communem, plusquam notabile præiudicium inferret sectatoribus sententiæ affirmatiuæ (quia in celebratione diuini Officij obligaret eos relinquere suam sententiam, & adherere oppositæ, ne fictè celebrarent) ergo ne dicamus Gregorium sibi esse contrarium, necessario fatendum est, ipsum nomine Conceptionis, non intelligere conceptionem naturalem in primo instanti sanctam, & immaculatam, sed sanctificationem.

Verùm facillè conuincuntur, qui hæc dicunt, parum attentè legisse decretum Gregorij, cum illam præseruationem præiudicij nequaquam addiderit, neque retulerit Pontifex ad prohibitionem in sacris alterius nominis, quam Conceptionis. Solum inuenitur ea clauis de præiudicio post præceptum primum, ne in sermonibus, & scriptis priuatis asseratur affirmatiua opinio; quod præcessit ad secundam præceptionem de vfu nominis Conceptionis. Cur autem post hoc secundum decretum non sit adiecta à Gregorio cautio illa præiudicij, examinent alij. An quia iudicauerit Pontifex non esse nouum

præiudicium sententiæ affirmatiuæ post institutionem festi à Sixto IV. propagatam; cum idem intenderit vterque Sixtus, & Gregorius, quòd celebretur sancta Virginis Conceptio in primo instanti: nihilque aliud fecisse Gregorium, quam restituere in integrum obiectum festiuæ Conceptionis, quod Sixtus instituerat, & erat à nonnullis non benè intellectum. An quia etiam si nullum præcesserit dispendium opinionis affirmatiuæ, voluit ipse Gregorius, & directè intenderit sine vlla excusatione hunc fauorem præstare opinioni negatiuæ, atque è contrario illum diminuere statum meliorem, quem per nomen sanctificationis in festo intendebant contrarij suæ opinioni affirmatiuæ acquirere. An alia fuerit causa; non est opus à me decerni. Alia circa argumentationem contrariorum de præiudicio, neruose disseruit eruditissimus Antonius Calderon, & nos etiam satis diximus lib. de obiecto festi cap. 23.

Accedit ad hæc, quòd satis conqueri ob interpretationem sui decreti de aduersariis posset Gregorius XV. qualem illi componunt, parum tanto Pontifici honorificam, cum in ea supponi videatur leuiter, imò friuolè, otiosè, & intempestiuè tale decretum edidisse: nam si Pontificis mens esset, vt sanctificatio Virginis esset obiectum festi Conceptionis, quin necesse fuisset, vt existeret in primo instanti, perperam vetuit vsum in Missa vocis sanctificationis, cum directè, & planè eam significet, nec idoneè iussisset voce conceptionis vti, cum hæc vox nequaquam significet sanctificationem in secundo instanti: quòd si adhuc dicas id præstitisse, vt vnà eademque voce vteretur omnis Ecclesia: bene quidem; sed iuxta suppositionem aduersariorum, potius, & proprius deberet ad hoc præcipi omnibus vsum vocis *sanctificationis*, quam *Conceptionis*, nam hæc violenter, & extra suam naturam id significaret; illa autem nimirum vox *sanctificationis* naturaliter, ad vtranque opinionem idonea, nisi mens Ecclesiæ fuisset celebrari ipsum primum instans conceptæ Virginis cum sanctitate: utcumque tamen intempestiuè faceret Gregorius, aliquam nouitatem, & mutationem contra intentionem Regis Hispani, qui per Legatos suos postulantes, vt roboraret Conceptionem Virginis sanctæ in primo instanti, non sanctificationem in quacunque celebrari ab Ecclesia, impetrauit illud decretum, & nisi ingenuè procederet Gregorius, deceptum se ab illo queri posset Catholicus Rex.

Hinc sequitur, decretum esse ex dispositione Sedis Apostolicæ vnum, & communem Ecclesiæ vniuersalis consensum in cultu Conceptionis virginis in primo instanti. Quam festiuitatem ex præcepto celebrare iusserunt Pius Quintus, & Clemens Octauus. Itaque in celebranda Conceptione naturali Virginis in sua animatione non solum est merus consensus populi Christiani, sed præceptus etiam à summis Pontificibus. Quòd si merus ille consensus adeò potens esset, vt certitudinem inducat rei, in quam consentitur, quid fiet cum accesserit ad illud voluntas expressa, inuitatio, & præceptio ipsius Ecclesiæ per ipsum suum caput? Ad hoc enim satis est rememorare doctis, quæ dixit sanctus Leo in epistol. 4. *Discernenda sunt causa solemnium, & in omnibus institutis*

instituitis Patrum, Principumque nostrorum rationabilis seruanda distinctio, quia non aliter unus grex, & unus Pastor summus, nisi quemadmodum Apostolus docet. Id ipsum dicamus omnes, simul autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Tum etiam meminisse oportet sententiæ circa hanc materiam sanctorum Augustini, Ildephoni, Bernardi, Thomæ, Bonauenturæ, & aliorum, quamuis enim dissensus internus immaculatæ Conceptionis nondum sit prohibitus, at dissensus celebratæ in Ecclesia Conceptioni naturali Virginis, est contra Pontificum placita, & diplomata. Itaque consensus totius omnino Ecclesiæ celebrandi Conceptionem in primo instanti integer, & absolutus est, & nulla ex particula deficit, quod maximum argumentum est circa hanc materiam pro negatiua sententia ad roborandas consequentias ex illo deductas.

§. VII.

Cum in constitutionibus Pontificiis sententia negatiua commendetur ut pia, vera esse probatur.

Maximè obseruandum est, sententiam negatiuam esse verè piam, ac proinde nequaquam esse falsam nec posse definiri hæreticam; esse autem piam, probatur, quia Sixtus Quartus extrauagant. 1. ordinationem officij à Leonardo de Nogarolis compositam, piam esse pronuntiauit: sed in illa ordinatione officij sæpè, ac sapius *Immaculata Conceptio* appellatur, & Virgo ab originali macula immunis esse asseritur: igitur pia est illa sententia, quæ continetur in illa pia ordinatione, præsertim cum idè ordinatione illa pia dicatur, quia piam illam sententiam continet. Itaque in prædicta extrauagante, quam Concilium Tridentinum approbat, & innouat loco citato, supponit Pontifex illam sententiam piam esse. Neque solum, piam dixit Sixtus illam ordinationem officij; sed etiam *laudabilem*, supponens esse verè piam non specie tenus, nam alioqui laudabilis non esset, si fuisset superstitio vera, & pietas falsa, cum etiam Pontifex inuitet omnes Christi fideles ad recitandum officium præfati Leonardi, inuitat ad aliquid pius; quia dictum officium ab eodem Sixto, pius esse supponitur in eadem extrauagante. Præterea idem Pontifex præterquam quod inuitat Christi fideles ad illud recitandum, & ad gratias Deo referendas, proponit etiam ad hunc finem indulgentias, & hoc dignum, ac debitum reputat, &c. sed piam esse quis negabit? igitur Pontifex inuitat ad aliquid pius.

In constitutione etiam Iulij II. obseruandum est, quod non solum permittit, aut monet, sed præcipit, ut Moniales Conceptionis expressè profiteantur, dum habitum suscipiunt, se illum habitum suscipere, ut eandem Conceptionem venerentur, & capite 2. ut his verbis professionem emittant: *Ego N. ob seruitium, & amorem Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis uoueo, &c.* Quod grauius notauit Ægidius Lusitanus tractat. de Conceptione, quæst. 6. articul. 2. numer. 3. ex quo eadem desumpsit Marracius in Pontif.

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Marian. in Iulio II. porro non modò Pontifex hæc approbat, sed imperat; atque præscribit: igitur cum votum sit de meliore bono, certè piam sententiam optimam esse oportet, quæ voti, & professionis solemnem motiuum est. Quis autem dicat præcipi posse à Pontifice votum de re falsa, & tantum specie tenus pia, non dico approbari (quanquam etiam verum est) sed dico præcipi, & mandari? Quare verè pia est negatiua sententia.

Deuotionem quoque erga immaculatam Conceptionem in Breui ad Hispalenses vocauit Gregorius XV. *Solidam pietatem*, quia sententia pia solidè est, & verè pia, non specie tenus.

Hinc igitur sequitur, sententiam negatiuam non posse hæreticam esse, prout ratiocinantur aliqui, quia nulla propositio verè pia, est, nec potest esse hæretica, sicut & hæretica non potest esse pia. Quia quod Deo iniuriosum est, ipsique contumeliam infert, pius esse, vel dici non potest. Nam pietas obseruantiam in Deum dicit, quam certè excludit iniuria, & contumelia, sed omnis propositio hæretica Deo iniuriosa est formaliter loquendo, quia vel Deo mendacium affingit, vel eidem attestanti fidem detrectat: vtrumque diuinæ veritati iniuriosum, & contumeliosum est. Vnde nulla propositio hæretica pia est: loquor de propositione materialiter, & formaliter: nam aliqua propositio materialiter, & non formaliter, potest fortasse esse pia per ignorantiam inuincibilem: verum tamen nulla propositio hæretica peccaminosa, pia est; fieri enim non potest, ut peccatum sit pius, ut patet ex terminis. E contra nulla propositio verè pia est hæretica, quia si aliqua pia esset hæretica, aliqua hæretica esset pia, sed hoc est contra id, quod diximus, quandoquidem vera pietas in Deum dicit honorem erga Deum, excluditque iniuriam, & contumeliam; sed omnis propositio hæretica Deo iniuriosa est: ergo nulla pia est hæretica, eo scilicet modo, quo supra dictum est.

Ex dictis etiam sequitur, sententiam negatiuam non posse damnari, quia quidquid damnatur, errorem continet, vel in moribus, vel in doctrina: de moribus hoc loco non agitur, sed de doctrina; sed hæc sententia non potest esse hæretica: ergo errorem non continet; ergo damnari non potest: dico damnari non prohiberi: nam aliquando nonnulla etiam pia, & sancta prohiberi possunt iustis de causis, sic sacra Biblia vulgari sermone scripta prohibita sunt, &c.

Rursus, sequitur, quod pia sententia non possit esse falsa, quia alioqui posset esse hæretica, quia potest esse, reuelatum falsam esse, vel oppositum existere verum; sed non potest esse hæretica, ut iam probauimus: ergo non potest esse falsa. hinc, nec pia dumtaxat specie; nec re ipsa falsa est, ut vult Caietanus; hinc magna huius sententiæ prærogatiua.

Subinde quoque infertur, quod pia sententia necessariò vera est; illud enim necessariò verum est, quod falsum esse nequit; sed hæc sententia nequit esse falsa; ergo necessariò est vera. Dices: ergo non potuit concipi Beatissima Virgo cum macula originali: respondeo, negando consequentiã: aliud namque est posse concipi, & aliud re ipsa concipi; hæc non loquor de ipso posse, sed de ipso concipi, &

dico conceptam esse sine macula, & ex constitutionibus Apostolicis infero, verum esse, & his stantibus ita verum, vt non possit esse falsum. Sic posita reuelatione, ita verum est, Verbum incarnatum fuisse, vt non possit iam esse falsa propositio, licet potuerit Verbum non incarnari. Inde quoque facile constabit, piam sententiam certam esse. Illud enim certum est, quod necessariò, verum est, scilicet, ita verum, vt non possit esse falsum; sed hæc ipsa sententia necessariò est vera: ergo constat illam certam esse, hinc tuta est, nec in ea falli, aut errare possumus.

Tandem ex omnibus dictis colligitur sententiam piam definiri posse, quia cum vera sit, potest esse reuelata in Scriptura, in propositionibus vniuersalibus, quæ ad illam particularem extendantur, vt cum dicitur Beata Virgo in Scriptura, *Gratia plena, Tota pulchra*, & alia testimonia sacra, ideo definibilis omninò est, maxime consulto totius Ecclesiæ sensu, qui erroneus esse non potest. Consultis item constitutionibus Apostolicis, à Spiritu sancto inspiratis, atque dictatis, reuelationibus, & miraculis, sanctorum Patrum loquutionibus, gloriosis titulis, quibus Ecclesia, & Pontifices hanc conceptionem illustrarunt. Igitur his omnibus attentè perpensis, talis rerum status esse possit, vt summus Pontifex citra aliam reuelationem hoc ipsum definire, ac declarare posset.

§. VIII.

Hæc eadem certitudo ostenditur ex Romanis Pontificibus, doceturque à Doëtoribus.

Hanc eandem certitudinem valdè confirmant alij Romani Pontifices, cum eam omnino supponant in suis factis, & dictis, ordinantes quæ alioquin parum consultè, aut satis temerè statuta viderentur. Planè, si falsa fuisset sententia pia, sequeretur Pontifices, vt Pontifices non solum errare posse; sed induxisse fideles in falsitatem, & deceptionem, siquidem vltro, & ex proprio motu excitarunt, & inuitarunt populum Christianum ad deuotionem immaculatæ Conceptionis per suas Bullas, & decretales: insuper, & per media propria summi Pontificis, nimirum per institutionem festorum, & indulgentiarum concessionem. Quare si erramus in hoc cultu, Pontifices vt tales induxerunt nos in hunc errorem: nam si falsa est pia sententia, falsus erit reuera illius cultus, ac proinde errarent, qui illam colerent, saltem fallerentur, & is, qui huius deceptionis causa fuisset, erraret etiam aut deciperet.

Et quidem valdè aduertendum est, magnam rationem differentiæ intercedere, cum populi expostulant aliqua indulta à Pontifice in fauorem alicuius deuotionis, quam pio affectu cupiunt exercere, aut cum vltro, & proprio motu exhortantur, & introducunt ipsi summi Pontifices deuotionem, aut cultum, eumque vt tales promouent Pontificis fauoribus. In hoc enim nullo prætextu excusari, aut dici potest, quòd queant errare; nec obtrendenda est ratio pietatis populorum, vt id facere valeant, cum falsitas intuenit; nullatenus in hoc casu possunt errare, licet alioqui in aliis casibus non repugnet: quamuis argumentum certum veritatis sem-

per erit institutio religiosi cultus ab Ecclesia Romana.

Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. imò & Concilium Tridentinum id præstiterunt per extravagantes Sixtianas, quas, post editas à Sixto, cæteri confirmarunt, & innouarunt, in quibus inuitarunt fideles, vt colerent immaculatam Conceptionem, & Ecclesiastici dicerent ad Virginem, & hoc in nomine Ecclesiæ: *Tota pulchra es, & macula originalis non est in te*; prout extat in Officio Nogaroliano, cuius recitationi concessæ fuere indulgentiæ, & secundum illud festiuitas Conceptionis celebrata ab Ecclesia est. Iulius II. Clemens VII. & alij Pontifices non solum induxerunt, sed coegerunt, præcipientes Moniales Conceptionis, vt similia profiterentur, immaculatamque Conceptionem canerent, colerentque penè singulis diebus, multis saltem in hebdomade. Hodie etiam tota Ecclesia ex præcepto Pij V. & Clementis VIII. clamat, & fateatur *Santam*, quod est magis quam immaculata. An ne poterit dici, Pontifices coëgisse Ecclesiam fallum dicere, aut errare?

Multa alia ex Pontificibus, supponentibus certam immaculatam Conceptionem, collegi in opusculo de obiecto, & de exceptionibus, atque vt omittam, breuitatis causa, similia iis, quæ ex Gregorio XV. afferri possent, sufficiebat, quod in Breui ad Hispalim Ciuitatem hic Pontifex vocauerit *solidam pietatem*, deuotionem, quæ est erga immaculatam Conceptionem: nam si hæc falsa esset, imò si incerta fuisset, nequaquam id dixisset. Est etiam consideratione dignum, quomodo Romani Pontifices, post Constitutiones Sixti, tam certam habuerint præseruationem Virginis, vt multi deinceps in suis decretis, & bullis non dubitarint vocare Conceptionem immaculatam, vt indubitatum id habentes, quod ante Sixtum nunquam fecere, quoniam antea non esset tam authenticè certitudo hæc explicata à Pontificibus.

Prætermitto explicatam ab Ecclesiâ, & Patribus Scripturam pro immaculatâ Conceptione; cum enim conspirant Patres in exponendâ Scripturâ, irrefragabile certitudinis fundamentum est, vt in Sacrolyllo explicamus. Omitto etiam communem populi Christiani sensum, & alia validissima argumenta certitudinis sententiæ piæ. Adèd, vt dixerit Franciscus Suarez: *Iam hoc tempore existimo sententiam hanc tam esse probabilem, quam intra latitudinem opinionis esse potest. Quia reuera Sixtus Quartus plurimum illi fauet, cuius decretum Concilium Tridentinum approbat, & tota Ecclesia in illâ vehementer inclinât; quo fit, vt contraria sententia nullo, vel firmo, vel satis apparente fundamento iam nisi possit. Paulò ante dixerat, locutus de opinione minus pia: Obseruandum est, falso Medinam hoc loco docere, Ecclesiam, vel Pontifices tradere hanc opinionem esse probabilem; nunquam enim hoc dicunt; sed solum non esse erroneam, neque esse peccatum mortale illam asserere. Quod valdè diuersum est. Adde, quòd in vno tempore est probabile, discursu temporis posse improbabile fieri.*

Quòd si dicat aliquis, assertionem affirmatiuam vocari à Pontificibus opinionem, non sequitur inde, quòd dixissent eam probabilem: nam opinio nomen est indifferens, non determinatum ad probabilitatem, vel improbabilitatem, atque

De Vita Christi disput. 3. sc. 6.

atque æqualiter potest illi adiungi adiectiuum probabilis, & improbabilis. Imò etiam hæc sectæ, & assertiones reprobatae solent dici etiam opiniones. Vnde sanctissimus Innocentius X. in constitutione, edita anno 1653. in qua definiuit quinque propositiones contra Cornelium Ianfenium, sic concludit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & diffinitionem super prædictis quinque propositionibus factas approbare ullatenus alias opiniones, que continentur in prædicto libro Cornelij Ianfenij.*

De assertionem autem negatiua censeo, non solum ascendisse ad summum opinionis probabilis; sed transiisse in sententiam certam; adeò, vt secundum modum loquendi Augustini adnotauit Petauus in Theolog. dogmat. tom. de Incarnatione, lib. 14. cap. 2. *Reuelasse credendus est Deus Christianis integrum illum immaculata Virginis conceptum, hoc esse, eius tum notitiam aspirasse, tum quam Græci Ἀνεροοπτὰν, Latini firmam persuasionem nominant, tametsi nondum plena, & que in Catholicum dogma transierit, facta sit illius fides.* Itaque, præter certitudinem fidei, omnia alia sententiæ negatiuæ tribuitur. Vnde, etiam egregius Theologus Petrus Hurtado de Mendoza, quæstionem instituens de probabilitate vtriusque opinionis, respondet, neutram esse probabilem, quoniam assertionem negatiuam iudicet, & appellet sententiam certam; affirmatiuam autem opinionem non probabilem. Iacobus Granados controu. 2. tract. 1. sect. 3. Miranda quæst. 25. conclus. 5. Salaçar cap. 43. §. 2. Gundialuus Luzero in discursu de Conceptione, & multi alij graues Theologi asserunt piam sententiam (moraliter saltem) esse certam, & euidentem, nihilque prohibere, quoniam dici possit esse impossibile, moraliter loquendo, vt falsa existat: & de opposita dicunt affirmari posse, quòd, moraliter loquendo, est impossibile, vt vera sit. Aliqui addunt, sententiam affirmatiuam iam non mereri opinionis nomen, & de ea locutus Iacobus Granados, ait: *In primis enim ea doctrina potuit esse opinio, & reuera fuit tempore sancti Thomæ, & quandam non ita inhaeserat omnium ferè fidelium animis veritas immaculatae Conceptionis: & eodem modo diceret aliquis fuisse opinionem tempore Sixti Quarti, & Pij Quinti, licet tunc non esset opinio, quia modo sunt longè urgentiora, & firmitiora fundamenta, multòque magis veritas illuxit. Deinde, & melius respondetur, adhibendo aliam distinctionem. Etenim duplex est opinionis assertio: primum enim appellatur aliquid opinio, quia non desunt aliqui sapientes, & docti, quibus videri possit, & soleat, doctrina probabilis: & in hoc sensu fatemur opinionem esse, quòd Beata Maria sit concepta in originali. Deinde, appellatur aliquid opinio, qua generaliter, aut plurimum censetur doctrina probabilis, eo quòd non sint pro parte contraria urgentissima argumenta, quæ multos conuincant, aut omnino ad illam affirmandam trahant; & in hoc sensu negamus esse opinionem, quòd Beata Maria sit concepta in originali; & quoniam hæc est magis propria opinionis assertio, non censeo absolutè appellandam esse opinionem; sed sententiam, & placitum aliquorum, nec nostra sententia appellanda est opinio, sed sententia vera.* Emanuel Rodericus tom. 1. quæst. regular. quæst. 57. art. 2. inquit, satis indisertè (sed potius indiscretè) agere Verbi diuini Concionatores, qui ex suggestu, cum hac de re agunt, hanc sententiam vo-

cant opinionem, cum potius absolutè, & simpliciter vera sententia, ac verum dogma sit appellandum, quamuis non de fide. Aegidius Lulianus, lib. 3. quæst. 6. art. 1. §. 9. proposit. 5. non contentus prædicta certitudine morali addit, & dicit, piam prædictam sententiam physicè etiam esse certam, & indubitam, ita, vt à parte rei nullo modo sit falsa, & existimat id ab Ecclesia satis esse definitum, & declaratum; verba eiusdem expressè lubet referre, & sunt, quæ sequuntur: *Ecclesia Romana dum ex certa scientia Conceptionem Beatae Virginis, sub titulo Immaculatae, & ab omni labe originali immunem celebrat, statuit, & declarat, sententiam, que tenet Beatam Virginem sine originali fuisse conceptam, non solum simpliciter esse veram, sed ita esse certam, vt à parte rei nullo modo sit falsa.* Aliqui ex antiquis post Sixtum IV. rigidius censuerunt quòd non est opus referre. Quòd autem ad institutum meum attinet, satis est certitudo nostræ assertionis, siue moralis, siue physica fuerit. De probabilitate autem assertionis affirmatiuæ non est opus modò diiudicare. Quidquid sit, illud mihi est perspicuum, constans, & fixum, magnam esse reuerentiam, & obsequium Sedis Apostolicæ, certissimam habere piam sententiam, cum cedat in auctoritatem, & obsequium eiusdem Sedis, constituentis, & commendatis festum Cœptionis, & in honorem tot Pontificum, qui multis fauoribus eius deuotionem promouerunt. Et quidem Vniuersitates Parisiensis, Coloniensis, & Moguntina in Romanæ Sedis obsequium præstiterunt iuramentum de defendenda immaculata Conceptione, vt hoc pacto ostenderent certissimam illam habere; quandoquidem eius festum ordinauerint Pontifices; imò solidior deuotio esse colere immaculatam Conceptionem, ob reuerentiam debitam Apostolicæ Sedi, & eius obsequium quam solum spontaneo, pio, & tenero affectu ductos.

Consequenter ad dicta de certitudine huius veritatis, iuxta Concilium Tridentinum, & decretales Sixti IV. dicendum quoque est, omnes difficultates quæ contra illam obiciuntur, aut victas iam esse, aut nullas, hoc est, quòd illarum nulla sit habenda ratio, nec indigeant responsione. Nam cum res aliqua est vera, & certa à parte rei, quidquid contra hanc realitatem obicitur, apparens solum erit, non solidum, nec verum: nam nullum verum potest esse contra veritatem in se, & à parte rei. Itaque, si obiciant contrarij Scripturam, parùm refert, cum colligatur, & constet ex Concilio, & decretalibus Sixtianis, nihil reuera contra sententiam piam militare in scriptura. Si obicerent Patres, nihil efficient, cum similiter colligatur ex Concilio, non esse contra Patres; & quamuis in particulari aliquos obicerent, qui manifestè affirmatiuam opinionem docuissent, non obstarent, cum multitudo, aut traditio Patrum, iuxta Concilium, non obstat contra piam sententiam. Similiter respondendum esset obiectantibus Concilia, aut aliquod iudicium Ecclesiæ. Auctoritas quippè Concilij Tridentini, & decretalium Sixti, quasi per compendium satisfactio, & responsio cumulatiflima est ad similes difficultates; nec illi, qui certò videt Solem clarum, laborandum est amplius respondere opponentibus dubia, quam ipsa visibilitas solaris claritatis poterit satisfacere. Sic nobis laborandum non erat in respondendo difficultatibus aduersariorum.

Agnoscentis hoc doctissimus Iacobus Christophitanus, qui tempore Sixti IV. vidit promulgare eius constitutiones, dixit in comm. Insuper magnificat hanc sententiam: *In oppositum est veritas Fidei Catholica, quæ nulli veritati contradixit. Vnde, quia ex autoritate sacri Canonis, & sacrorum Doctorum probatum est, Virginem Mariam fuisse personaliter immunem, & præseruatam ab omni peccato, tam originali, quam actuali, & veniali, ergo omnes istæ autoritates in oppositum adductæ non sunt supradictæ positioni contrariæ, imò stant simul cum supradictæ positione in veritate; quia nunquam aliqua pars sacra Scriptura contradicit alteri, imò ratificat, & confirmat ipsam.*

Similiter, nec laborandum erat in cumulandis pluribus rationibus, & exquisitis eruditionibus pro immaculata Conceptione, quam certum est ita esse, idque ex Pontificibus, & Concilio docetur. Quis enim plura congeret argumenta ad probandam claritatem Solis, cum certa sit compendium multarum rationum, & maximæ eruditionis, certitudo est, quam præstat Pontificia, & Conciliaris autoritas, quæ licet non sit infallibilis de fide; quia illam non definierunt, est irrefragabilis argumentationibus, & in se, & re ipsa constans.

§. IX.

Canonica, & Orthodoxa fundamenta sententiæ piæ.

Nihilominus, vt procedamus à certitudine ad definibilitatem, oportebit ostendere, quomodo ex eisdem fundamentis, ex quibus Concilium definiuit filios Adæ peccato originali infectos gigni, ex eisdem poterit Ecclesia, quando velit, definire intemeratam Virginem sine vlla macula conceptam. In primis notandum est, quasi dimidium esse factum, nimirum ablatas esse difficultates, quæ contra definitionem huius mysterij possent opponi. Duo enim requiruntur ad definitionem: vnum est negatiuum, alterum positiuum. Negatiuum est, quod neque Scriptura, neque traditio Patrum, neque Concilia; neque iudicium Ecclesiæ sit contra rem definiendam. Hanc partem iam habemus conclusam ex Tridentino, & Sixtiani decretalibus; quasi dimidium iam sit præuentum, vt non sit opus amplius in hoc immorari. Ad positiuum veniamus, scilicet, quod res definienda extet in Scriptura, aut traditione, aut Conciliis approbatis, sitque iuxta iudicium Ecclesiæ. Ex his autem omnibus sequi, & inferri immaculatam esse Virginis Conceptionem, vt possit definiri, in sequentibus confirmabo.

Quod autem in Scriptura contineatur, satis manet probatum, & iterum postea probabimus. Supposita enim certitudine eius mysterij, in quo speciatim negatur Virgini peccatum originale, & locis Scripturæ, in quibus generaliter negatur Virgini omne peccatum, sequitur inde, quod singularis certa contineatur in generali propositione. Sicut enim opinionem affirmatiuam, quoniam falsa sit, diximus non contineri in Scriptura, & propositionibus eius generalibus, cum hæc sint veræ, & illa falsa, sic dicendum est, sententiam negatiuam culpæ singularis; nimirum originis in Deipara, cum sit vera, contineri etiam in vniuersali vera, neque est causa, vt excluderet illam Spi-

ritus sanctus, qui omnem veritatem comprehendit. Huiusmodi sunt salutio Angelica, *Aue gratia plena*, & illa laus Canticorum: *Et macula non est in te*. Quod enim nos per ratiocinationem colligimus efficaciter contineri in Scriptura, Sedes Apostolica per excellentius lumen, & diuini Spiritus assistentiam poterit decernere. Præterea, alia Scripturæ loca, quorum sensus, iuxta locutionem illius, possit verè extendi ad puritatem originalem, supposita eius certitudine extendi possunt ad continendam puritatem originalem Virginis. Inter quas autoritates possit etiam includi illa sancti Pauli ad Romanos: *Sed non sicut delictum sua & donum: si enim vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit*. Per illud nomen *plures*, iuxta Vulgatam, poterit significari immunitas Virginis à peccato originali, cum possit intelligere Spiritus sanctus gratiam Christi extensam esse ad plura indiuidua, quam extensum de facto fuit peccatum originale; nimirum ad Sanctissimam Virginem, cuius persona auget numerum eorum, qui participes fuerunt infectionis Adami. Quod si potest commodè hoc significari in illis verbis, & sit certum, cur negandum est de facto id significasse diuinum Spiritum. Hic etiam aduertendum est, quomodo Apostolus, postquam edixisset legem generalem de peccato originali Adami: *In quo omnes peccauerunt*; attingit immediatè post illam propositionem; & quos primùm dixerat *omnes*, mox vocat *multos*, cum ait: *vnus delicto multi mortui sunt*. Deindè, dans locum excessui, denotat plures participes gratiæ Christi, quam contracti peccati originalis. Ad hoc etiam referri potest Concilium Palestinum, cum non dixerit, in omnes transfusum peccatum originale, sed in genus humanum, loquens absque illa vniuersalitate.

Præterea, ex suppositione, quod Conceptio Virginis fuerit immaculata per originalem gratiam supplantantis peccatum originale, quod est caput peccatorum, ac propterea serpentis tartarei, quis audebit negare præuisum, & prædictum hoc priuilegium à diuino Spiritu, cum dixerit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c. ipsa conteret caput tuum*. Cum autem certitudo huius mysterij constet iuxta Sixtum IV. & Tridentinam Synodum, non temere dicitur in illa autoritate Scripturæ contineri immunitatem Deiparæ. Idem dici potest de aliis Scripturæ locis, tum verbaliter, tum mysticè, quæ denotant omnimodam Virginis puritatem, quoniam non est, cur in iis non comprehendatur originalis, quod superiori scientia innotescet capiti Ecclesiæ.

Veniamus ad traditionem Patrum. Cum enim traditio eorum sit ab Apostolis deducta, quod vocent Deiparam Immaculatam, inculpatisissimam, intemeratam, absque omni labe, sine vllò peccato, &c. quandoquidem certum sit (vt diximus) Deiparam esse sine originaria macula: cur ab ea traditione, & locutione excludetur puritas originalis, quæ ex suâ naturâ, cum vera sit, includitur in illa locutione generali. Vnde philosophandum omnino est de hac traditione, sicut de prædictis Scripturæ testimoniis, vt sicut in illis continetur sanctitas originalis Virginis, sic etiam in traditione comprehenditur, & ad summum Pontificem spectat vtrumque decernere. Præterea, sunt plura Patrum testimonia, quæ clarissimè negant

negant in Virgine peccatum originis, sicut negavit sanctus Amphilocheus, sanctus Augustinus, sanctus Sabbas, sanctus Andreas Cretenfis, Faustus Rhegiensis, sanctus Ildephonsus, sanctus Germanus, sanctus Damascenus, sanctus Anselmus, & alij; quorum egregia testimonia exhibui in epistola de doctrina Patrum. Cum tamen contrariam opinionem nemo ex antiquis, præsertim in vndecim primis Ecclesiæ sæculis, & amplius, clarè, & specialiter asseruerit, vt diximus in eadem epistola, & in fine nostrarum exceptionum.

Magna confutionis, imò deceptionis occasio multis fuit, ignorari ab antiquis vocari non rarè peccatum, quod non erat formaliter peccatum; sed annexum aliquo modo cum illo: ideò concupiscentiam non solum appellarunt peccatum; sed peccatum originale. Similiter, & debitum contrahendi peccati originalis, vocarunt etiam peccatum, imò, & peccatum originale: in quo sensu loquuntur plurimi, qui dixerunt conceptam Virginem in peccato; nimirum cum debito peccati contrahendi, non cum peccato formali contracto. Ideo, non negabant animæ virgineæ sanctificationem in primo instanti. Sanctus Anselmus satis explicuit illud de debito peccati, lib. de conceptu virginali, cap. 7. De concupiscentia autem extat in ipso decreto Concilij de peccato originali hæc declaratio: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari; quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

Procedo ad Concilia, de quibus eodem modo ratiocinandum est, ac de Scriptura, & traditione, cum plurima Concilia vocauerint Virginem, Immaculatam, Intemeratam, & alia huiusmodi epitheta omnimodæ puritatis, vt fecere antiqua Concilia, Ephesinum, Francofordiense, Nicænum secundum, Toletanum vndecimum, sexta Synodus, & alia: in quibus, præterea, quæ generaliter commendant puritatem Virginis indistinctè ad originalem, aut venialem, continentur nonnulla, quæ specialius, & expressius originalem munditiem confirmant, & proximius nostris temporibus Concilium Tridentinum, quod opportunè vocauit Virginem, immaculatam, cum eam dixit non comprehendere in suo decreto de peccato originali. Nec dubium est, quin hæc sacrosancta Synodus eximie fauerit immaculatæ Conceptioni, non solum negatiuè summouens omnes difficultates contra illam; sed etiam positiuè suadens illam. Etenim, postquam dixit, suam intentionem esse, non comprehendere Virginem in decreto generali, quod est pars negatiua: quæ quidem fuit magnus fauor, statim addidit id, in quo positiuè influxit in hanc veritatem definiendam tandem, cum addiderit: *Sed obseruanda sunt constitutiones felicitis recordationis Sixti Papa Quarti; quas innouauit.* Quod perindè fuit ac facere, quidquid in hac parte fecit Sixtus IV. quod tantundem fuit, ac suadere cultum immaculatæ Conceptionis, & velle, vt Conceptio Virginis per totam Ecclesiam vocaretur immaculata, adhuc in cultu sacro, sacrificijs, & Horis Canonicis. Hoc enim præstitit Sixtus IV. per suas decretales, in quibus præterquam quòd vocauerit Conceptionem Deiparæ immaculatam, ordinauit diuinum Officium, in quo voluit ab Ecclesia Romana acclamari præseruationem Virgineam, &

iteratò dici *Immaculatam* eius Conceptionem. Nec enim minùs excellenter sensit Tridentinum de immaculatione Marianæ Conceptionis, imò si excessus aliquis est, ex parte Tridentini videtur stare, cum super addiderit iis, quæ Sixtus fecit, adiiciens illam eximiam declarationem non comprehensæ Virginis in suo decreto. Quantus autem sit hic influxus, & fauor Concilij, potius expendi potest, quàm dici. Possent etiam aduocari alia prouincialia Concilia, licet minoris celebritatis, & approbationis pro immaculata Conceptione, vt Synodus Cæsaraugustana, celebrata anno 1378. in qua expressè asserta fuit præseruatio virginea.

De iudicio Ecclesiæ, & consensu satis sunt, quæ diximus supra de institutione huius festi Conceptionis, & eius celebritate, de qua extat traditio Ecclesiastica antiquissima, quoniam celebrabatur ante tempora sancti Sabbæ, qui floruit ante mille, & ducentos annos, & id videtur accepisse à sanctis Euthymio, & Theodotisto, à quibus multa alia attinentia ad cultum Ecclesiasticum accepit, vt notauit Simeon Thessalonicensis, dialogo contra Hæreses, aduertitque Sanctos, Euthymium, & Theodotistum id accepisse à maioribus. Deinde continuata, & propagata est temporibus sancti Andreæ Cretenfis, sancti Ildephonsi, sancti Decori, sancti Ioannis Damasceni, Basilij Macedonis, Leonis Sapientis, Manuelis Comneni, Federici Aquileiensis, sancti Anselmi, sancti Norberti, Concilij Basileensis, Sixti IV. & in dies ab hoc aduacta per totum orbem, & præcepta per Pium V. Hinc enitit præillustre Ecclesiæ iudicium, & consensus per tot sæcula annorum, & terrarum terminos circa immaculatam Conceptionem. Supponens itaque, & confirmans hunc Ecclesiæ consensum Clemens VIII. in Bulla, expedita Ferrariæ, iussit Catholicam, vt admittant omnes Ecclesiæ, & per eum instruant Fideles in Christiana doctrina, in eoque continetur in explicatione salutationis Angelicæ immunitatè Virginis ob originali, & actuali peccato, docendos fideles; quod nequaquam fieret, nisi id ita esse iudicasset Ecclesia. Ecce quomodo ex totidem, & similibus, aut eisdem principijs definiri potest, Virginem sine peccato originali esse conceptam, ac definitum est à Concilio Tridentino, cæteros filios Adæ cum illo fuisse genitos. Hoc satis doctis & piis.

Videndus est Tractatus de perpetuo obiecto festi Conceptionis.

Clemens VIII. in Bulla Pastoralis, expedita anno 1593.

§ X.

De Rationibus Congruentibus pro immaculata Conceptione, & singulari ad hoc exemplo.

HActenus velut rationum neruis, argumentationisque viribus hanc materiam pressimus, rationibus potius vti concludentibus, quàm congruentibus; has tamen non oportet contemnere: nam earum copia non solum solet congruere; sed potest concludere. Sed quia in hoc laborarunt feliciter multi Scriptores, & nos etiam in Sacrosyllabo §. 7. multas, & pulchras Scholasticorum antiquorum congruentias attulimus, quæ honorem diuinæ Maternitatis respiciunt, non est opus illas hæc congerere; sed satis est vniam commemorare, in quam præcipuè recidunt,

recidunt, scilicet, quod Matrem Dei deceat omnimoda puritas, cum eam sibi elegerit Deus in Sedem specialem, & singularem Thronum suæ Maiestatis, in Templum, & in sacrarium. Hæc ratio, quamvis videatur alicui solum congruens, pluribus videtur concludens. Nec nimirum, quod piis, & deuotis videatur concludens, quæ multis impiis, & Mahometanis visa est congruens.

Et planè plusquam congruit illa ratiocinatio disertæ Antonij Nauatri ex Dominicanâ Familiâ, cum immaculatam comprobans Deiparæ Conceptionem, dixit: *Quis vestrum parentes suos in summam celsitudinem non eueheret, si in potestate suâ esset pro libito suo, in eunctis eos mirabiles facere? Nam sicut dedecus est filio pater sine honore: ita in filij maiorem gloriam cedit parentum suorum sublimitas. Salomon continuo, vt regnare cepit, fecit Thronum Matri suæ ad dexteram suam, & Joseph Patrem suum Iacob nimis honorauit, in Ægypto in optimo loco fecit eum, & filios, & familiam suam habitare præ cæteris: si ergo vos cum suis mali, nostis bona dare patribus vestris, quanto magis is qui solus ex se bonus est, Deus, qui & nobis præcepit, honora patrem tuum, & matrem tuam.* Præterea, in hoc corpore Ecclesiæ mystico Beata Virgo medium habet, idè nuncupatur collum: *Collum tuum sicut turris eburnea*: collum enim inter caput, & reliqua inferiora membra consistit, & medium ex utroque extremo communicat, ac subindè cum caput Ecclesiæ sit Christus, ilque nec peccatum originale contraxit; sed nec contrahere potuit, quia non ex virili semine, sed ex Spiritu sancto fuit conceptus, & cæteri omnes non solum potuimus illo infici; sed nullus est, qui in eo non fuerit conceptus. Beata verò Virgo in medio existens participauit aliquid ab vnoquoque extremo: ab omnibus quidem posse cadere, siquidem ex conditione naturæ erat filia Adæ, sicut cæteri homines; à Christo autem non cadere, siquidem futura erat, de qua natus est IESVS, &c. Etenim supremum infimi attingit infimum supremi: arbores viuunt cum animalibus, non tamen sentiunt cum eis, animalia sentiunt cum hominibus, non verò intelligunt: supremumque Ecclesiæ Christus est, ilque cum sit iustus, duo habet, quæ iustum hominem constituunt, scilicet, declinare à malo, & facere bonum, sine peccato esse, & virtutibus abundare, & quamvis sine peccato esse quid magnum sit, maius tamen est gratia, & virtutibus, & omni perfectione esse præditum. Angeli enim boni non distinguuntur inter se ex eo, quod non contraxerint culpam, nam nullus eorum deliquit; sed iuxta maiorem, vel minorem eorum gratiam sublimiorem, vel inferiorem locum obtinent in illa æterna Beatitudine: igitur si omni labe carere est infimum Christi omnium supremi, & eius Mater est supremum omnium, qui sub Christo capite viuimus, & supremum infimi attingat infimum supremi. Hinc liquet, quàm decens sit, vt Beata Virgo omni peccato careret, vt Christus quidem ex natura sua; ex priuilegio tamen eius Mater, vt locus Christo in ea locando conueniret.

Nondum plenè ostenderat Dominus, quàm potens sit auxiliari in omnibus laboribus occurrentibus, & omnibus modis possibilibus: nam dupliciter potest homini subueniri, vel præseruando eum antequam cadat, vel ipsum iam elisum erigendo; partesque Medicinæ, vel præser-

uatiuæ sunt, vel curatiuæ pro iam lapsis, proximusque à carcere eripitur, vel soluendo debitum pro eo, antequam in carcere recludatur, vel iam inclusum educendo solutione illinc. In malis temporalibus hæctenus utroque modo manifestauerat Dominus omnipotentiam suam, præseruauit enim Deus Isaac, ne à parte immolaretur: & Iacob ab ira Labam, & Esau, quos valde timebat: & Ægyptum à fame illorum septem steriliū annorum: item & iam elisos sæpè erexit: Ionamiam à ceto deuoratum liberauit: & pueros in fornace Babylonie immisos: & Danielelem à leonibus laniandum: Lazarum quatruiduanum ad vitam reuocauit. Præterea, in malis spiritualibus, quoad peccata actualia utroque etiam modo subuenerat Dominus hominibus, sæpè etenim præuenit nos in benedictionibus suis, ne cadamus: *Nisi quia Dominus adiunxit me*, ait Psalmus, *paucè minus habitasset in inferno anima mea*; & non solum misericordia eius nos præuenit, sed & post lapsum nos sequitur vocando, & ad se trahendo ab ipsa fauce Tartari, Magdalenam, & Paulum. In peccato originali dumtaxat uterque modus soluendi nondum erat propalatus. Post lapsum quidem iam Dominus remedium indiderat Baptismi, nondum tamen ostenderat, quem, ne cum cæteris caderet, præseruauerit; sed vox plangentium est, illud Prophetæ, *Omnes cecidimus quasi folium: Omnes in Adam peccauerunt: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* At in Virgine non solum contractum originale peccatum abolere; sed ne contraheretur, præseruare posse exhibuit opere: posse quidem hoc omnes fatentur de Deo, siquidem omnipotens ipse est: at frustra esset potentia, quæ in actum non prodiret; maximè in his, quæ ad plenitudinem officij sui, nempe Saluatoris, à peccatis omnibus pertinebant.

Planè in die iudicij non videretur decens minus esse completam in hoc omnipotentiam, & misericordiam diuinam, nec gloriosum Iudici Christo, qui de diuinis præceptis rationem tunc accipiet ab hominibus, si ita Matrem ipse non honorauisset, vt minimus Angelorum cæli, innocentior quàm illa appareret in illo die: cum hi in toto æuo suo apparebunt innocentissimi sine vllâ culpâ, eorum tamen Regina, & Mater summi sancti, & omnipotentis peccatrix aliquando, & cum maculâ fuisset. Planè non videtur magis decens minus in hoc curasse Christum de honore Matris, & ostentatione suæ omnimodæ potentiæ, & misericordiæ, tum arcendo à Matre hanc minorem prærogatiuam, quod possent Angeli in publicitate illius Dei dicere, innocentiores esse ipsa sua Regina, tū exaltando sua misericordiâ, quod non defuerit in excellentissimo redèptionis modo etiam à peccato originali eam præseruans. Nam vt Antonius Nauarrus ait: *Si Deus Angelos fecit spiritus mundissimos, cur non eorum Reginam puriorem faceret? Vas mundum elegit Eliscus, in quo mitteretur sal sanaturum aquas Iericho: ita & vas mundissimum & ornatum omni lapide pretioso fuit Beata Virgo, in qua reconderetur Christus salus vera populorum, qui in aquis figuratur, iuxta illud Ioannis: aqua multe, populi multi: in maleuolâ animâ non introibit sapientia, nec in corpore subdito peccatis, alioquin derideret, & sanaret diabolus in voce insultationis, quod prius*

prius possederit in suam, quam postea Deus in Matrem elegit. Non sinit Deus, ut demon columbam assumeres ad decipiendam Euam (sub columbina enim specie, sicut sub vestimentis onium melius conregeretur simulata fraus, quam sub serpentina pelle (quia columbam assumpturus erat Spiritus sanctus in Baptismo Christi: ita nec illam, de qua nasciturus erat Filius Dei, decebat sedem fuisse unquam Satana.

Decuit Maiestatem diuinam in eâ gloriosissime consediisse, Filium Dei corporaliter in eâ sedendo per nouem menses, & Spiritum sanctum spiritaliter semper inhabitando in eius animâ; ad cuius rei exaggerationem, si aliqua potest esse, afferam historiam, quam disertè expendit eruditus Ioannes Antonius Velazquez in libro 2. de Conceptione, disertat. 1. Nemo est qui ignoret, eum quidem esse Regiæ Aulæ morem peculiarem, quandam in Soglio sedem, siue sellam esse vni Regiæ personæ destinatam; in qua alium præter Regem sedere pro piaculo habeatur: eaque de causa versus parietem reuerfa sit, vt vel inde de priuato eius vsu omnes admoneantur. Cuius quidem moris singulare extat monumentum, quod vt nostris Scriptoribus minime obuium, certissimæ tamen fidei est, cum ex libro Gundifalui de Ouiedo de Regiæ Aulæ Principis Ioannis Catholicorum Regum Primogeniti acerbo fato sublatis œconomia, qui in Bibliotheca Sancti Laurentij asseruatur, fuerit de promptum. Erat igitur Vallisoleti inclutus ille Rex Henricus Tertius virtutis veræ custos, rigidusque satelles: ille qui consummatus in breui, expleuit tempora multa, magnumque sui apud nos desiderium reliquit; aderatque ibi Infans Ferdinandus ipsius frater, & quidem germanus, illi qui Antequeram, & plures alias Vrbes, è Maurorum ditione extorsit, & subinde non minus virtute duce, & comite fortuna, quam Regio sanguine Regnum Aragoniæ, sibi, & nepotibus suis comparauit; cumque Rex in interiori cubiculo negotiis expediendis operam nauaret, Infans Ferdinandus Regem operiens, simul cum Aulæ Proceribus prope solium adstant, vel Aulæ consuetudinis oblitus, vel de proprii splendoris licentia Regiam sibi sellam accommodauit. Cum verò Rex è cubiculo repente ad fores processisset, & fratrem in Regia sella sedentem vidiisset (etsi ipse statim, Regia Maiestate velut fulmine percussus, exurgens, Regem capite discooperto debito obsequio fuerit reueritus) ardentibus in illum oculos coniiciens irati voce adstantibus præcepit, vt sellam illico è fenestra præcipitarent; hanc in fratrem fulgurans vocem: *Gratum mihi habe, quod non itidem te cum sella præcipitare inbeo.* His quidem verbis planum faciens, è re Maiestatis Regiæ esse propriam sedem, seu sellam habere, in qua nullus omnino, quantumuis clarus & eximia dignitatis fuerit, possit sine temeritate Maiestatis nota sedere: ex qua quidem historiola, siue Regia consuetudine, humana ad diuina, siue diuina ad nos transferentes ab hac Regiæ sellæ imagine opportunè omnimodam Mariæ puritatem, & ab omni labe originaria immunitatem adstruimus, & explicamus. Nimirum, si Regibus hic mos est, vt propriam sellam habeant, quin nemo illam, vel ad instans sine offensa Maiestatis occupare queat, qua ratione, aut modo cogitare quis poterit, in Maria, quæ propria Dei sella est, malum dæmonem atrocissimum Dei hostem aliquandò

Regia Maiestate consediisse? Siccine de glorificata, & digna Dei sede? Siccine de lucida omnipotentis Dei sede? Siccine de Numinis quàm excellissima sede: Siccine de vera sede Dei, vel vt semel dixerim, siccine de cœlo, in quo de industria is, qui operatur omnia secundum cõsiliū voluntatis suæ, parauit sedem suam, existimandum est; Audi consiliū Dei, & à minori dæmonis ausu rem totam disce.

Equidem ille meritissimas pœnas dedit, quòd elatus superbia dixerit in corde suo: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sededo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Quæ sanè mens, & verba eò collimarunt, vt superbus ille non tam stare coram Domino, qui Angelorum mos, & ministerium est, quam sedere: imò, & solium suum super astra exaltare, diuinam similitudinem, & Maiestatem à pari cum Deo sede affectando, atrociter contenderet. Sed his temerariis ausibus, mox vt è corde erupère, signifer cœlestis exercitus Michaël cum tota supernorum militum cohorte, armata manu occurrisse sic dicitur: *Factum est autem prælium magnum in cælo. Michael, & Angeli præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus.*

Nec omiserim denuò vim facere in Henrici Regis factum, sellam suam, in qua germanus eius ad instans federat, è fenestra præcipitari iubentis. Sed qua (inquis) de causa, quo crimine, quod sella facinus admisit? Quænam est hæc culpa sellæ, quæ præcipitari meruit? Eius quidem nulla fuit. Sed prudentissimus ille Princeps, qui Regiam Maiestatem iusta consilij lance pensitabat, ea quasi pœna non modò voluit castigare imprudens fratris factum; sed etiam commonstrare, sellam ab alio, quantumuis frater, & germanus Regis esset vel ad instans occupatam, Regis vsui non esse opportunam, qui communem cum alio sedem, vel ab ipsomet fratre semel attacktam habere non debet: verum si hæc sensa è Regia Maiestate esse omnino videntur, quomodo non eademmet ad diuinam illam, & augustissimam Maiestatem transferas, vt credas Deum, cui proprium est illud: *Gloriam meam alteri non dabo,* ardenti honoris sui zelo propriam sibi sedem parasse, adeòque vni soli secreuisse, vt minimè permiserit ab spurco illo, vel ad instans occupari, imò & contaminari. Pulchrè hac de re Sanctus Cyprianus serm. de Natiuitate Domini, de diuino Spiritu Mariam semper possidente, dicebat: *Possidebat domum suam, & templum, quod sibi consecrauerat, adornabat, seruabat sacrarium suum, & sanctimonia thalamum honorabat.* Obserua accuratas imagines domus, templi, & sacrarij, notanterque à Cypriano dictum, *Templum, quod sibi consecrauerat*; ab ipsomet, scilicet, primo conceptionis suæ instanti: notantissimèque additur, *seruabat sacrarium suum*, ne sacrarium nisi sacrum intraret, nam qua ratione sacrarium eius, qui puritatis amator, & custos est dici posset, quod malo dæmoni prius peruium fuit. Plura alia differit prædictus Ioannes Antonius. Sed hæc satis. Qui plures desideret congruentias, consulat Antonium Nauarrum, serm. 1. de Conceptione, & Dominicum Valtanasium in expositione Euangeliorum 2. part. concione 2. vtrumque ex sacra

Isai 14a
vers. 14a

Isai 42.
vers. 8.

S. Cyprian.

Gundifal.
Ouied.

Prædica

Prædicatorum Familia, ex qua plurimi egregie locuti sunt de immaculata Deiparæ Conceptione. Inter quos eminent venerabilis Hieronymus Lanuza, Episcopus Albarracinus, qui variis in locis pulchras congruentias huius mysterij affert.

Nolo tamen silentio præterire aliquas ex multis, quas aggregat Iacobus Christopolitanus in Cantic. *Magnificat*, tum ex parte Virginis Dei Genitricis, tum ex parte Filij, tum ex parte nostri, dicens: *Primò probatur sic. Nam illud est decens attribueri Virgini Maria Matri Dei, quod cedit in eius decus, & illud negandum, & remouendum, quod cedit in eius dedecus; sed Virginem Mariam in principio sui esse fuisse sanctificatam, & ornatam omnibus gratiis sibi possibilibus, & gratificatam, & Deo semper gratam, & acceptam, & factam habitaculum Dei, cedit in decorem, & honorem eius, & totum oppositum, scilicet, non fuisse ab originali culpa taliter præseruatam, cedit ipsi in magnum dedecus, & vituperium, contra eius dignitatem; igitur hoc est ab ea remouendum, & negandum, & illud privilegium attribuendum ad eius decorem, & honorem. Maior patet de se. Minor autem probatur: nam non potest esse maior decor, & decus, & honor alicui rationali creatura, quam esse Deo semper gratam, & acceptam, & factam habitaculum Spiritus sancti, nec potest esse maius dedecus, & vituperium, & infelicitas pro illo tempore, quam esse aliquando in ira, & odio Dei, & seruitute diaboli, prout tote Scriptura testatur. Sed si Virgo Maria primo instanti fuit sanctificata, sequitur primum, scilicet, quod fuit Deo grata semper, & accepta, & filia Dei adoptiua, & facta tabernaculum Spiritus sancti. Et si non fuisset præseruata a tali culpa per præmiam sanctificationem, sequeretur secundum, scilicet, quod fuisset in odio, & ira Dei, & ancilla, in seruitute diaboli: pro illa morula; ergo decens fuit ad eius decorem, & dignitatem Virginem Mariam fuisse sanctificatam in sua creatione, & animatione; prout dictum est. Secundo, hoc idem probatur ex parte filij sui, quod eam fabricauit, ut esset mater sua. Et hoc multipliciter. Nam primò decens est, ut filius decorer Matrem suam in quantum potest, & cõferre ipsi omnia, que faciunt ad decorem eius; sed omnia ista cedunt in honorem Virginis Matris eius; ergo decens fuit, ut Christus hæc faceret erga Matrem suam, postquam ipse ad suum libitum potuit ipsam fabricare, & tali honore, & ornatu decorare: quia quicumque filius hoc faceret, si posset, scilicet, fabricare sibi domum, aut matrem, aut sponsam sine aliquo defectu, cum omni ornatu, & decore. Item, hoc pertinet ad Christum, in quantum est sanctus sanctorum, ergo ad eum pertinebat sanctificare Matrem suam præ ceteris, postquam veniebat ad sanctificandum omnes: ergo singulari, & excellentiori modo debuit sanctificare Matrem suam, de qua debebat carnem assumere, & in ea maternaliter habitare. Item, hoc idem sic probatur. Nam si Deus in fabricando totam machinam mundi non deficit in necessario, & in his, que faciunt ad decorem vniuersi; ergo minus deficit in fabricatione sua Matris, de qua debebat carnem assumere ad recreandum genus humanum, & ad fabricandam Ecclesiam, & in qua carne de Matre assumpta nos debebat redimere. Et sic etiam in fabricatione illius sacri Tabernaculi virginalis in nullo debuit Christus deficere, postquam in eo singulariter non solum per gratiam, sed etiam per carnem debebat habitare. Tertio autem, hoc idem fuit decens ex parte nostri ad remouendum omne*

scandalum tam à fidelibus, quam ab infidelibus. Nam magnum scandalum infert, & generat in animo, & auribus audientium, dicere, Matrem Dei aliquando fuisse in odio, & ira Dei, & in seruitute, & captiuitate diaboli. Vnde anno Domini 1322. præsidente Ioanne XXII. in Sede Apostolica, venit quidam filius Soldani Armeniæ, Græca, & Latina lingua eruditus, ad nostras partes Latinas cum saluo conductu, ad videndum mores, & ritus Christianorum, & fuit receptus Auinione in Curia Papæ cum magno honore, qui quotidie intererat in solemnitatibus diuinorum officiorum, in quibus maxime delectabatur. Et accidit in die Conceptionis Virginis Mariæ, quod quidam ascendit ad prædicandum, in qua prædicatione voluit probare per quasdam authoritates sacre Scripturæ Virginem Mariam contraxisse culpam originalem. Quibus verbis auditis in tantum fuit scandalizatus ille filius Regis Armeniæ, ut surrexit à loco, & cum magno furore dixerit Papæ, & Cardinalibus, quod mirabatur de ipsis, qui erant capita Christianæ Religionis, ut talia tolerarent audire de Virgine Maria. Vnde etiam dixit, quod si quis talia dixisset de matre Mahometi, nullo pacto euaderet mortem. Et sic ille taliter scandalizatus reuersus est in regionem suam, qui ante deliberauerat Baptismum suscipere. Item, si ista contraria opinio non fuerit prohibita, scandalizabit multo tempore Antichristi, & sic nocebit multum Christianæ Religionis contra dignitatem nostræ Redemptionis. Et sic patet qualiter multis modis fuit decens, ut Christus fabricator Matris suæ decoraret eam tali dignitate, ut esset apta, & digna, de qua carnem assumeret, ne despiceretur ab infidelibus, & hæreticis. Et hoc probat Augustinus in lib. contra quinque hæreses, dicens in persona Christi: *Hæc, quam despicias Manichæ, Mater mea est, manu fabricata est mea. Ego Matrem, ex qua nascerer feci. Ego viam itineri meo parauit, &c.* In quibus verbis ostendit Augustinus, quod postquam Christus tanquam Deus, & sapiens Artifex ad libitum fabricauit Matrem suam: taliter eam fabricauit sine aliquo defectu, ne ab aliquo despiceretur, & cum tanto decore, & perfectione, ut esset apta, & digna, ut ex ea carnem assumeret, & ab omnibus veneretur. Hoc idem asserit de fide ad Petrum, part. 1. dicens, quod tali, & tam singulari gratia fuit illa Virgo præuenta, ut esset digna, de qua filius Dei carnem assumeret. Hoc idem asserit Anselmus, lib. de Conceptu virginali: dicens, quod decebat, ut illa Virgo tali puritate niteret, qua sub celo nequeat maior intelligi. Et sic patet, qualiter fuit decens Virginem Mariam in primo instanti suæ creationis fuisse sanctificatam, & ab omni culpâ præseruatam, quia aliter sequerentur omnia supra dicta incouenientia, nec possent dicta Augustini, & Anselmi de ipsa verificari. Hactenus ille.

§. XI.

De Gloria Redemptoris, plenitudine redemptionis, & maiestate singularitatis Christi, ex immaculata sua Matris conceptione; nec decessisse illum habuisse privilegium Conceptionis sine peccato, sed dedisse.

EX alia parte opposita opinio congruentiis ad eò est destituta, ut eam, quam maximi aliqui fecere, de privilegio singularitatis Christi, quod

quod solus fuerit sine peccato conceptus, indignam iudicem Maiestate diuinitatis suæ, ardentissima Redemptoris charitate, & altissimo Sacerdotij æterni munere, quasi inuideret Matri excellentissimam, & plenam redemptionem, cumque Redemptor peccatorum venerit, vellet esse honorem suum, non abstulisse peccatum ab ipsa sui Genitrice, & contra proprium redemptionis ministerium, aut plenitudinem eius, neminem per præseruationem, à peccato originali redemisse, cum à mortalibus, & multis venialibus per eiusmodi præseruandi redemptionem immunes fecerit. Quare decebat omnipotentiam Redemptoris, & plenitudinem redemptionis, vt saltem Matrem, ab originali præseruans, redimeret.

Profectò parùm hoc considerarunt, qui inculcant prædictam congruentiam; non enim honorificum est Christo, tanquam excellentius illi, dicere, priuilegium suæ singularitatis, esse peccatum, nec originale habuisse: planè non valde singulare est hoc (quod dicunt priuilegium) cum hanc excellentiam habeant innumeræ creaturæ, & possent plures habere. Angeli enim boni id habent, & mali possent habere, & Adam, atque Eua. Iniuriam magnam irrogat Christo, qui priuilegium singularitatis suæ summum & excellentissimum non constituit in plenitudine diuinitatis, sed in carentia peccati. Singularis vnica, & maior excellentia Redemptoris, est diuinitas, scilicet, quod Deus sit, & quæ hanc consequuntur incommunicabiles puris creaturis, vt Sacerdotium æternum, sanctitas naturalis, impeccabilitas essentialis, non autem impeccantia actualis, quæ communis est multis: tum etiam Redemptoris munus, vt auferat peccata mundi, nec potest credi esse priuilegium, & excellentiam talis, vt Mater eius non caruisset aliquo peccato, atque in ea defecisset Filium in proprio suo munere.

Illa est excellentissima singularitas Christi, quam dixit S. Ioannes: *Et Verbum caro factum est, &c. Et vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Vnde prærogatiua singularitatis Christi erit, siue potius gloria singularitatis Christi erit, siue potius gloria singularis, quod Mater eius accepit ab eo gratiam in sua origine. Eminentia singularitatis, non est cum inuidia nostrorum bonorum; sed potius est in largitione, suorum planè diuinorum donorum. In eo igitur est sua singularitas, quod sit Deus, & homo, vt ex plenitudine eius omnes accipiamus: factus est Deus homo, non vt ipse fuisset singularis sanctus, sed nos omnes; non vt ille solus esset sine peccato, sed nos etiam, vt nostra peccata tolleret, & communicaret suam sanctitatem. Etenim gratia, & charisma, quod potest communicari puræ creaturæ, non est dicendum priuilegium singularitatis Christi, aut esse singularem eius excellentiam: quippè in eo sit eminentia, & vnica singularitas Redemptoris, quod sit Deus simul, & homo, vt dixi; & in his, quæ consequuntur vnionem hypostaticam. Ista enim solum sunt singularia ipsius, tanquam incommunicabilia puris creaturis: cætera autem, quæ communicabilia, & communicata sunt, non pertinent ad eius singularitatem, & vnica eminentiam; sed longè inferiora remanent, & quodammodo con-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

temptus est Saluatoris, si quis eminentiam suam singularem constituat in minoribus, vt in carentia peccati, non in impeccabilitate; ratione vnionis hypostaticæ iniuria quoque est Christi, si penitius expendatur, dicere priuilegium singularitatis eius esse, conceptum fuisse sine peccato: nam hoc non est priuilegium in Christo, sed natura; non est exemptio ab aliqua lege; quia lex peccati nequaquam potuit illum comprehendere. Quare Conceptio sine peccato in Virgine, est priuilegium, & gratia, sed in Christo necessitas. Iniuriolus Christo est, qui in hoc vult illum priuilegiatum, & non priuilegiantem: potius enim eminentia singularitatis eius est, quod non sit illi hoc priuilegium; sed quod concedat. Quod non sit illi singulare; sed quod communique. Satis est singularitatis in hoc, quod tanquam homo Deus id communicare possit. Christi singularis excellentia est, quod sit conceptus de Spiritu sancto, vnita Humanitate Personæ Verbi diuini, quæ est incommunicabilis puræ creaturæ, manendo tali: hæc est Christi eminentissima singularitas; non autem quod sit conceptus sine peccato; nam hæc communicabilis est puræ creaturæ, & priuilegium fuit Matris Dei. Singularitatis propriæ excellentia non est in re communi; sed priuatâ. Nec aptè quis commendaret Maiestatem Regis Hispaniæ, si diceret, esse Comitem Flandriæ, aut Tirolis, cum plures sint potentissimi Comites; sed si diceret, magnum imperium habere in omnibus quatuor mundi partibus, quod illi soli est proprium; tunc exaltaret Maiestatem Hispani Monarchæ.

Verum est, quod Patres sæpè dicant, solum Christum non habuisse peccatum, sed hoc aiunt propter officium Redemptoris: quoniam non indigebat redemptione, & eiusmodi sanctus fuerit, vt ille solus non habuerit peccatum actu, nec potentia, & non commendant singularem eminentiam Christi, nisi quatenus per se caret peccato, & non per alium, qui illius fuerit Redemptor: per naturam diuinitatis suæ non per gratiam priuilegij, & quia essentialiter est impeccabilis; nimirum, quia homo Deus. Vnde, ipse est Redemptor noster, & satisfactor liberando, & præseruando; cuius maxima gloria est, non esse priuilegiatum, nec posse esse; sed priuilegiantem potissimum suæ Matris. Princeps enim non est priuilegiatus à legibus, sed absolutus, non subditus, sed Dominus, & priuilegiator, qui indulta, & priuilegia circa leges concedit.

Denique, singularis eminentia est Personæ diuinæ Christi, quod potuerit honorare suam Matrem, vt in ea incarnaret, & Verbum caro factum nasceretur ex ea, cum nemo alius filius antequam natus, possit eligere, & honorare matrem: meritoque indulsit priuilegium illi, quæ fuit benedicta inter mulieres, & placuit Deo cæteris creaturis; cum concessa sit gratia immaculatæ originis illi mulieri, quæ prima ex omnibus hominibus, & mulieribus offendit Deum, maledictique nos omnes per illam fuimus.

Ex his duo concludo; vnum, tam longè abesse immaculatam Deiparæ Conceptionem, vt obstat vniversalitati redemptionis Christi, vt potius sit complementum, & plenitudo eius. Alterum est, quod priuilegium Virginis Conceptæ sine peccato mire exaltat gloriam singularitatis Christi Priuilegiantis, per excellentissimæ

A a redemptionis

redemptionis modum; ita, ut ad maiorem Filij, & Matris gloriam hæc præseruatio videri posset necessaria. Plura de hoc diximus in speciali epistola.

Nec audienda est præscriptio illa dicentium, enituisse Misericordiam Redemptoris, imò exercuisse mirificè pietatem Filij maiorem extrahendo Matrem à summa miseria culpæ, quemadmodum enituit pietas Æneæ, & fratrum Siculorum in extrahendo parentes ab incendiis: quorum pietas alioqui non ita celebraretur. Sed absit, ut computetur lucrum Filij Dei damnus Matris & gloria Christi ignominia Mariæ. Quare illud dictum non est necesse, ut refellatur, quòd allegemus Christianum aliquem Doctorem: satis poterit responsum usurpari ex ethnico Philosopho. Videatur Seneca lib. 6. de Beneficiis; ut nequaquam sit desideranda ruina Genitricis ad exaltationem Filij, ne causam Christi faciamus similem illi, de qua ait cap. 34. *Qui optat amico aliquam necessitatem, quam adiutorio suo, fideque discutiatur; quod est ingrati, se illi præfert, & tanti estimat illum miserum esse, ut ipse gratus sit, & ob hoc ipsum ingratus est.* Item cap. 37. *Non seruat grati hominis affectum, qui bene de se merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse submoueat: qui etiam si bene cogitat, malè precatur. Ne in patrocinium quidem, ne dum in gloriam est, incendium extinxisse, quod feceris.* Rursus, cap. 38. *Demandes certè Athenis, eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnauit, cum probasset magnum lucrum optasse: quod contingere illi sine multorum morte non poterat.* Neque oblitus est Seneca exempli propositi Æneæ, & Siculorum, cum cap. 36. dicat: *Quis pius dicet Æneam, si patriam capi voluerit, ut captiuitate patrem eripiat? Quis Siculos*

*iuuenes, ut bona liberis exempla monstrarent, si optauerunt, ut Ætna immensa ignium: supra solitum ardens, daret ipsis occasionem exhibenda pietatis, ex medio parentibus incendio raptis: Nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum ut finiret, perseuerare maluit; nihil Decius, quòd morte patriam seruauerunt, si prius optauerant, ut deuotioni fortissima locum ultima rerum necessitas faceret. Granissima infamia est Medici opus querere. Multi quos auxerant morbos, & irritauerant, ut maiore gloria sanarent non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt. Cæterum, & exemplum Æneæ, atque Siculorum allatum ab aduersariis, minimè suo adæquatur instituto: nam Æneas non est medicatus aduersionem sui parentis; sed præuenit. Laus pietatis eius præseruatio fuit, non curatio: nec enim aliquod Anchisis membrum aduultum fuit, cum filius obstiterit, ne in illum ignis grassaretur. Idem accidit Siculis iuuenibus, quorum parentes illæsi euasere. Simile reputa Filio Dei euenisse, qui ab incendio generis Adamici, peccato originali grassante in omnes, præseruauit Matrem illæsam, sine vlla aduersione: iuxta dicta constat vere dixisse Leonardum Nogarol. epist. ad Sixtum Quartum: *Non deprimimus igitur Filium, si Matrem extollimus, quia ipsi à Filio omnia concedimus, non enim propria virtute. Sed innixa super dilectum suum. Media est Maria inter peccatores, & tantum Redemptorem. Redempti enim nos à peccatis. redempta plus ipsa, non à macula qua infuerit, sed infuisset, nisi dilectus Filius à longe intonnisset. Copiosa etenim apud Deum redemptio, qui non solum lapsos redimit, sed ex sua natura labe maculandam, unicam Matrem ne caderet, meritò retinuit.**





IOANNIS EVSEBII
 NIEREMBERGII
 SOCIETATIS

I E S V.

S A C R O S Y L L A B V S.

DE EXPLICATA AB ECCLESIA,
 & Patribus Scriptura pro immaculata
 Conceptione Virginis.

§ I.

Ex Ecclesiastica Scriptura expositione pia sententia certissima habenda est.



QUONIAM præcipua ad definiendum fundamenta, sunt Scriptura, & traditio, de vtraque simul non nihil agam; exindeque adiiciam etiam validum quidem certitudinis huius mysterij argumentum. De Patrum traditione fauentium immaculatæ Conceptioni latè egimus in nostris exceptionibus cap. 13. & in epistola de doctrina Patrum. Nunc illud addimus, eorum testimonia niti in autoritate sacræ Paginae, quam non parum vniiformiter explicant de omnimoda puritate Virginis, specificata etiam originali, nemine huic refragante. Vnde inconcussa apparebit hæc veritas. Quantam autem vim habeat traditio Patrum ab origine Ecclesiæ, nixa in aliquo Scripturæ loco, sine discrimine intelligentiæ ab illis explicato, nemo doctus ignorat. Canus lib. 7. de locis, cap. 3. ait: *In expositione sacrarum literarum communis omnium Sanctorum veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas. Quippè cum Sanctorum omnium sensus, Spiritu sancti sensus ipse sit.* Idem in lib. 12. cap. 7. *Consentiens eadem Sanctorum omnium, conspiransque Scripturarum intelligentia, ipsissima est Fidei Catholica veritas.* Nunc ostendam, quanta Sanctorum manus conspiraret pro immaculata Conceptione in vno Scripturæ loco, qui satis erit; nimirum salutatione Angelica. Nam sicut Tridentina

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Synodus, & alia Concilia per vnum dumtaxat Scripturæ testimonium definirunt peccatum originale infecisse genus Adami; sic etiam per illud Lucæ testimonium poterit Ecclesia definire à Deipara nequaquam fuisse contractum. Et quidem hunc locum futurum satis ad hoc, censuit Vniuersitas Complutensis, & alij Doctores, vt non semel notauit Ludouicus Miranda de Conceptione, quæst. 16.

Igitur, vt rem aggrediar, colligam plurimorum explanationes, vt cæterorum Patrum eluceat magnum fundamentum ad fauendum, & commendandum puritatem virgineam etiam in Conceptione sua. Etenim in Ecclesia, & Patribus video approbatum, includi in prædicto Scripturæ testimonio Præseruationem Deiparæ; nimirum in illis verbis Angelicæ salutationis, *Aue gratia plena, &c.* In primis ipse Ecclesiæ sensus communis intelligit in hac plenitudine gratiæ comprehendendi etiam gratiam originale. Imò ipsa Ecclesia, quatenus in Cathecismo Clementis VIII. per quem iste Pontifex iussit Ecclesiæ Fideles erudiri in doctrina Christiana, continetur hæc expositio; nam in explicatione Salutationis Angelicæ hæc dicuntur: *Gratia plena, quia quoad primum gratiæ effectum, scilicet peccati deletionem, Virgo sanctissima nunquam maculam habuit peccati originalis, aut actualis, mortalis, vel venialis.* Auget hanc considerationem, quod prædictus Clemens Octauus in eadem Bulla hæc addiderit: *Mandantes dilecto filio nostro, nunc & pro tempore existenti in Vrbe Vicario, & eius Officialibus in dicta Vrbe, & eius districtu, tam in publicis, quam in priuatis Scholis, & Ecclesiis alios doctrina Christiana libellos adhiberi, imprtmi, & iam impressos vendi, seu venales haberi, vel proponi minimè permittant, quinim sub pœnis præmissis contradiectores quoscunque, ad omni*

A a 2 nis

nia supradicta, inuolabiliter obseruanda auctoritate nostra cogant, & compellant. Hortamur autem in Domino venerabiles Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos uniuersos, ubique locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut quantum per eos fieri poterit, in docendo doctrinam Christianam, in eorum quisque Ecclesiis, Diocesis, & Parochiis, respectiue libellum huiusmodi, ut praefertur, approbatum, & iussu nostro editum, recipiant, & adhibeant, nec non recipi, & adhiberi curent, & faciant. Hæc prohibitio aliarum catechesium, & propagatio huius supponit in Pontifice certissimam immaculatæ Conceptionis veritatem. In praxi etiam Catechismi Romani, quæ apud plurimas Parochias Hispaniæ, inter sacra publicè legitur, eadem extat interpretatio Angelicæ salutationis, de carentia peccati originalis in Deipara. Vnde confirmaret suum antiquum dictum perdoctus vir Ioannes Germinianus, qui in Prædicatorum Religione floruit olim sub Clemente Quinto, qui conc. 6. de generalitatis mortis, dist. 6. iuxta editionem Parisiensem, anni 1611. hæc dixit: *Credit Ecclesia, & docet, eam non conceptam in peccato originali; sed speciali quodam, diuinoque priuilegio præseruatam fuisse.* In Gallia quoque, in Catechismo, & Christiana institutione Cardinalis Armandi sic dicitur lect. 3. *Nos credimus B. Virginem in gratia fuisse conceptam.* Et ibidem lect. 14. *Beata Virgo dicitur Benedicta in mulieribus, quia nulla fuit, nec unquam erit sine peccati macula concepta cum plenitudine gratiæ, sicut ipsa.* Per verbum credere, non significatur fidei diuinæ assertio, sed piæ veritatis assensus, & consensus.

Et quidem hanc doctrinam fuisse in Ecclesia antiquam, ut talem cognitam à grauissimis Doctoribus ex sacro Prædicatorum Ordine confirmari potest ex Catechismo Trigesimalario, quem venerabilis Ludouicus Granatensis destinavit ad Henricum Infantem Cardinalem, postea Lusitaniæ Regem, legendum in Ecclesiis, ut per illum instituerentur Fideles in doctrina Christiana: quod & factum fuit; qui cum scriptus Latine esset à Doctore antiquiore, selectus ad hoc fuit ab ipso Ludouico, studioque, & plausu aliorum Religiosorum suæ Familiæ denuò in lucem, & Hispanum stylum est traditus. Versionem fecit Reuerendus Pater Ioannes à Cruce, & iussu Inquisitionis reuisus, approbatus, & laudatus est à doctissimo P. Magistro Francisco Forerio, qui ob sua scripta celebris est inter sacre Scripturæ Interpretes. In prædicto igitur Catechismo Homilia 27. de salutatione Angelica, sic declarantur illa verba: *Gratiæ plena; hoc est, singulariter electa ab æterno à Deo omnipotenti, & annunciata mirabiliter ab initio mundi per Prophetarum reuelationes, atque in Conceptione sua custodita admirando, & singulari modo ab omni macula peccati, tam originali, quam suæ ipsius personæ. Denique complete adornata omnibus gratiæ donis.*

Nec enim ignorabat eruditissimus Ludouicus Granatensis, nec doctissimus Forerius, nec alij docti eiusdem Religionis, à multis Patribus, & priscis Doctoribus explicatam eiusmodi ad populos in Homiliis Catechisticis salutationem Angelicam de Immaculata Conceptione; cuius postea occurrent plura testimonia confirmantia Ecclesiæ intellectum.

In celebri etiam officio Sixti IV. quod præter

ipsum Sixtum, confirmarunt Innocentius VIII. Alexander VI. & Concilium Tridentinum in constitutionum Sixtinarum innouatione, atque per Ecclesiam Romanam decantatissimum fuit; commendatur virginæ gratiæ plenitudo, etiam in puritate eius originali, ut constat in lect. 4. iuxta testimonium sancti Cypriani, & sancti Augustini. Quod officium recitatum fuit nomine Ecclesiæ, & per exhortationem eiusdem Ecclesiæ; quare ipsa Ecclesia id affirmavit. In libris etiam Ecclesiasticis Græcorum, Menæis, & Euchologiis idem inuenitur. Præterea, Alexander III. in instructione Christianæ doctrinæ, missa ad Soldanum, explicat plenitudinem Gratæ Marianæ, in fauorem Conceptionis, ne alioqui non plena; sed solum esset semiplena gratia, de quo postea.

Epist. ad Soldan. Leonij.

Vt autem amplius pateat, quanti habenda sit hæc Ecclesiæ interpretatio, oportebit admonere, quid eadem iusserit Ecclesia sacre Scripturæ Interpretes, ut inde constet, quid ipsa obseruauerit. Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. in decretali Leonis, quæ incipit: *Suprema Maiestatis*; præcipit omnibus, qui euangelicam veritatem populis docturi sunt, ut sanctam Scripturam iuxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, explanent. Nec quidquam eis proprio sensu contrarium, aut dissonum adiciant; sed illis semper insistant, quæ à præfatorum Doctorum interpretationibus non discordant. Est præterea idem præceptum in Synodo Tridentina sess. 4. in hæc verba: *Decreuit sancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus Fidei, & morum, ad adificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.* Hactenus Concilium Tridentinum. Quod si ista sacrosancta Synodus hoc præcipit, quomodo non illa idem obseruauisset, dum innouans constitutiones Sixti IV. approbavit illam intelligentiam Cant. 4. *Et macula originalis non est in te*; quæ planè interpretatio ab Ecclesia facta est. Vnde, prorsus continetur puritas originalis Deiparæ in illa sacre Paginæ autoritate: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quando quidem ipsa Ecclesia hunc locum intellexerit etiam de carentia peccati originalis. Nam in ipsa Ecclesia, in quadam Antiphona in Officio de Conceptione, ordinato à Sixto IV. comprobato etiam ab Innocentio VIII. Alexandro VI. & Concilio Tridentino usitato; in Ecclesia Romana, hæc dicuntur: *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te.* Idem continetur in officio Cardinal. Quinonij approbato à Clemente VII. & deinde exactissime recognito, & confirmato à Paulo III. in particulari bulla, quæ incipit *Breniarium*, usitatoque ab Ecclesiasticis. Vbi iuxta regulam sancti Bernardi, sermone 3. de Natiuitate Virginis, nomen illud MARIA, & verba illa, *macula originalis*, sacris vocibus interposita, illarum sensum declarant. Etenim illæ voces intextæ, ac reliquis verbis sacre Scripturæ interlocatæ, ea ad distinctionem sensum omnino determinant. ac quod occultare videbantur, enucleant, ac manifestius exponunt. Quantam autem efficaciam habeat hæc verborum interpositio, satis luculenter

luculenter docet sanctus Bernardus, vt dixi, cuius hæc sunt: *Quoties Ecclesia in Scripturis sacris, verba alterat, aut alternat, fortior est illa compositio, quam prima positio verborum.* Hoc dixit, quoniam ab Ecclesia (cui ex officio, & iure proprio incumbit elatebrare recondita Scripturarum mysteria) plenius elucidetur, quod in eis obscurum continetur. Quod in præsentem maxime locum habet, cum hoc officium, præterquam quod à Sixto IV. summo Pontifice, vt nuper monui, fuit approbatum, satis comprobatum sit à Concilio Tridentino, quod eiusdem Sixti constitutionem confirmavit. Sed ante Sixtum IV. Bonifacius IX. Gregorius IX. & Urbanus VI. tum etiam Martinus V. approbarunt prædictum sensum in approbatione reuelationum sanctæ Brigittæ: in quibus immunitatem Marianam ab omni peccato fuisse diuinitus sibi reuelatam ostendit lib. 5. reuelat. 23. Iuxta prædictum Scripturæ locum, confirmavit ea quæ diximus Alexander V. in tractatu suo de Conceptione; qui, vt postea latius videbimus, dixit, se firmiter credere immaculatam Virginis Conceptionem propter deuotionem suam erga illam, & hunc Scripturæ locum, exhortaturque omnes Christi Fideles tanquam summus Pontifex, vt similiter sentiant, & omnibus viribus eam commendare: infra dabimus expressa huius Pontificis verba. Interim non omitam, quæ Petrus Montius, præscus author qui in eodem sæculo floruit, quo Alexander fuit assumptus, scribit lib. 1. de vnus legis veritate, cap. 77. de hoc, & aliis Scripturæ locis, de Conceptione intellectis ab Ecclesia: *In lege Scripturæ quamplures auctoritates comperimus, quæ ab Ecclesia commemorantur in Virginis laudem, nec vllam in contrarium legimus. Quæ quidem auctoritates non imperfectam, & maculatam assignant, imò totam perfectam, & ab omni labe semotam, quemadmodum habetur in Cantica Canticorum, vbi dicitur: Tota pulchra es amica mea, dilecta mea, formosa mea, speciosa mea, & macula non est in te. Et in Sapientia testatur: Ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso monstrauit. Et de similibus in Testamento veteri, & nouo plura habemus, nec vllam particulariter dicentem, Mariam in peccato labefactatam, nisi vniuersaliter loquendo dicunt omnes, in quibus auctoritatibus nihil prorsus certificari potest de Maria Virgine dixisse, & in fauorem plures palam, atque particulariter locuti sunt. Vnde pro certioribus clariora tenenda erunt, eo quod distinctè de ipsa Virgine agunt: præferim, quod omnia in Euangelis contenta, saltem aliquantulum in lege innocentis, naturæ, aut Scripturæ principium assumunt, nunc sic; Pulchra es amica mea, dilecta mea, & macula non est in te. Aut quod ista auctoritas est concedenda, vel neganda; non neganda, ergo concedenda: quoniam Ecclesia assumit de Beata Maria dictum esse, vnde concessa, nulla alia disputatione opus est ad cognoscendum, sine tenendum, sine macula Beatam Virginem processam esse. Hæc in illo capite, cuius titulum sic merito præscripsit. Quod Ecclesia in fauorem, & laudem Virginis multa celebrat, neque aliquid in oppositum. In iis verbis supponit, Ecclesiam sentire nihil esse in Scriptura contra immaculatam conceptionem; quod satis confirmatur ex Concilio Tridentino in suo decreto de peccato*

Ioann. Enseb. Op. Parth.

originali. Cumque in prædicto capite 77. solum attulisset testimonia veteris Testamenti, intellecta ab Ecclesia de Conceptione Virginis immaculata, adiicit in sequenti capite, hoc est 78. alia loca noui Testamenti, & in primis salutationem Angelicam, incipiens illud sic. *In lege gratiæ, Angelus ad Beatam Virginem loquendo ait: Ave gratia plena.* Ecce quantam certitudinem habebit hæc interpretatio Ecclesiastica duorum Scripturæ locorum, quoniam ad minus habebunt requisita necessaria certis interpretamentis iuxta Concilia Lateranense, & Tridentinum: esse autem consentaneam sanctis Patribus, constabit ex sequentibus.

§. II.

Ex concordia Patrum in explicanda Scriptura clarescit certitudo immaculate Conceptionis.

Veniamus ad sanctorum Patrum consonam interpretationem, nemine illorum refragante, eo modo, quo diximus, & non semel ostendimus in libro exceptionum, & epistola de doctrina Patrum memoranda sunt, quæ nuper diximus, & connectenda dicendis, scilicet, quanta sit vis vniuersalis sanctorum Patrum explicationis alicuius Scripturæ loci, tum etiam, quod ab Ecclesia ipsa sit commendata, imò facta explicatio salutationis Angelicæ *Ave gratia plena*, de omnimoda puritate Virginis, etiam originali. Nunc videamus, quomodo Patres conformes in eadem explicatione sint Ecclesiæ, & inter se vniuersales. Vnde, magna certitudo apparebit huius mysterij, quamuis similis explicatio non fuisset ab Ecclesia per se tantoperè commendata in libris Ecclesiasticis.

Primus omnium accedat sanctus Amphilochius, vetustissimus scriptor in orat. de Deipara, dum explicat illud, *gratia plena*, in salutatione Angelica, & ex illa gratiæ plenitudine infert prærogatiuas Virginis, inter quas complectitur puritatem originalem, dum dicit: *Qui antiquam Virginem sine probo condidit, ipse & secundum sine nota, & crimine fabricatus est.* Non comparat nudam creationem Mariæ cum aliis creaturis communem, sed cum creatione Eue propter donum gratiæ comitans illam. Consequenter ad hanc puritatem dixit: *Ave vndequaque intemerata Mater sanctitatis: Ave pelucidissime fons viuifici laticis.* Ibidem sic illam compellat: *O columba dealbata, & innocens; o spei nostræ sanctum Templum, in quo sanctitas omnis, & magnificentia residet.* Plenius c. 3. exceptionum egi de mente S. Amphilochij.

S. Amphilochius.

Eximius immaculatæ Conceptionis assertor S. Ildephonus, lib. de virginit. & parturit. Virginis eadem phrasi S. Augustini, & S. Fulgentij vtitur, ad occurrendum peccato originali, quod à Beatissima Virgine sapius, ac manifestissimè eodem libro remouet, vt ex his eius verbis liquet: *Constat illam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Eue soluta est, verum etiam, & benedictio omnibus condonetur.* Deinde subiungit: *Cum verò dicit, gratia plena, ex integro iram exclusam ostendit, & restitutam gratiam declarat.* Nec attenuat auctoritatem huius sancti, quod vt significaret carnem Virginis esse eiusdem speciei cum carne Adami, eam dixerit carnem peccati. De quo in except. cap. 14.

S. Ildephonus.

S. Fulgentius.

Sanctus Fulgentius in serm. de laudibus Mariae, iisdem verbis usus est, & eodem sensu, ait: *MARIA*, quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur, anscutra, salutationis Angelica, benedictionis divinae, & plenitudinis gratiae. Sic eam legitur salutasse: *Aue Maria gratia plena; benedicta tu inter mulieres. Cum dixit, Aue, salutationem illi caelestem exhibuit. Cum dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam prima sententia, & plenam benedictionis gratiam restitutam. Cum dixit, Benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expressit.*

S. Augustinus.

Sanctus Augustinus praeluxit utrique, Ildephonso, & Fulgentio, serm. 11. in Natali Domini dicit: *Cum dixit Angelus, Aue, salutationem illi caelestem exhibuit; cum dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam prima sententia, & plenam benedictionis gratiam restitutam. Neque enim ira prima esset in Virgine exclusa ex integro, & plena benedictionis gratia restituta, si in illa fuisset maledictum peccati originalis, & maxima poena diuinæ indignationis. Consonant hæc cum iis, quæ ex eodem Augustino citantur pro immaculata Conceptione, ex lib. de natur. & grat. cap. 36. vbi Virginem supponit tam plenam gratia, ut eam faciat vincentem peccatum ex omni parte, hoc est, ut interpretatur Bernardus serm. 4. super *Salve*, originale, & actuale. Satis perspicue idem sanctus Augustinus, serm. 18. de Sanctis dicit: *Impleta est Maria gratia, & Eva euacuata est culpa. Maledictio Eue in benedictione mutatur Mariae. In his verbis plenitudinem gratiæ in Virgine extendit usque ad exterminium, siue negationem culpæ Eue, denotat peccatum originale, quod non contraxit: nam si eius euacuatio fuisset solum remissio illius, non mirum esset, quia etiam pluribus, qui non fuerunt pleni gratia remissum est. Illustria etiam Augustini testimonia continentur in officio Sixti IV. vbi ex dictis Sanctorum, lectio 4. sic recitatur ex Augustino: *O Mater Domini, sicut in prima abundauit delictum, ita & in te superabundauit omnis plenitudo gratiæ; & ideo super omnes ignara delicti, idem charitas fecisti, ut non solum Maria non peccaret, sed nec peccatum cogitare posset, & super cæcos reseruasti ab omni labe peccati. Ecce in plenitudine gratiæ, quam annuntiauit Angelus Virgini, comprehendit sanctus Augustinus etiam gratiam originalem, quæ clarius explicatur in lect. 2. ex sermonibus sancti Augustini, cuius hæc sunt: *Magnificauit illum; qui se ab omni peccato reseruauit. Quis enim dicere poterit, sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit, nisi illa Virgo prudentissima, animatum Templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit, & praelegit ante mundi constitutionem, ut sancta, & immaculata Mater Dei filia ab æterno reseruata, incorrupta ab omni labe peccati? Idem testatur sanctus Cyprianus in lect. 4. cuius verba postea occurrent.****

Paulinus Aquileiensis.

Paulinus Aquileiensis consentit cum eisdem, lib. 6. contra Felicem, eademque ipsa inculcat verba Augustini, Fulgentij, & Ildephonfi, dicens: *Multata est prima Mater humani generis dolore, tristitia, seruitute: tribus è contrario clarissimis bonis Maria Virgo honorata est, salutationis Angelica, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Seruituti diaboli in Eva opponit plenitudinem gratiæ in Maria; quia nunquam fuit dæmonis mancipium.*

Sanctus Epiphanius, orat. de Laudibus Virginis, sic commendat originalem eius puritatem: *Gratia plena es, Beata Virgo, solo Deo excepto, cunctis superior existis. Natura formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico. Illud, natura formosior, idem est, ac à principio natura, existentia nimirum naturalis.*

S. Epiphanius.

Sophronius senior, amicus sancti Hieronymi, serm. de Assumpt. Mariae, ait: *Bene gratia plena dicitur; quia ceteris per partes praestatur; Maria vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum misericordia, & iustitia, quæ de cælo percipit; & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.*

Eadem, quæ Sophronij, fuit mens sancti Petri Chrysologi, serm. 3. de Annunt. vbi ait: *Aue gratia plena: quia singulis gratia se est largita per partes; Maria vero simul se totam dedit gratiæ plenitudo. Dixerat iam serm. 1. à sua formatione oppigneratam Deo, hoc est, conceptam in gratiâ.*

S. Petrus Chrysol.

Egregie Idiota declarauit, quomodo Beatissima Virgo plena fuerit gratia, dicens in Contemplatione eiusdem cap. 1. *Non defuit tibi paritas Angelorum non fides Patriarcharum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, aut humilitas Virginum. In summa, nullo genere vacasti virtutum, o Virgo gloriosissima; non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue originalis, siue actualis, siue mortalis, siue venialis non est in te, nec unquam fuit, nec erit; sed adest omnis gratia naturalium donorum, spiritualium charismatum, & caelestium donorum.*

Idiota.

Chrysippus Hierosolymitanus, orat. de Laudibus Virginis, sic asserit; & egregium, si perpendatur, exhibet testimonium: *Aue, tuum est verissime audire istud gratia plena; quia tecum est vniuersus laetitia thesaurus; totius laetitia, & gratia Rex, cum ancilla, cum speciosa inter mulieres speciosus forma præ filiis hominum, cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia, &c. Tecum est Conditor omnium, tecum inquam, ut ex te gignatur; tecum Conceptione, ut ex partu tuo generetur; tecum velut Deus, ut ex te sit Deus, & homo. Hactenus Gabriel verbis salutationis sinem imponit. Notandum est, quod dicat, *Tuum est reuera gaudere*: quasi solius Virginis esset verum gaudium, scilicet integrum, quod ex nulla parte haberet, vnde illi posset misceri causa iusta veræ tristitiæ, quæ solum est peccatum; quod si habuisset Beata Virgo originale, sufficientem causam haberet dolendi, quod aliquando fuisset inimica Dei. Addit etiam, Virginis proprium esse dici plenam gratia, verissime, siue omnino; nimirum cum tota latitudine veritatis, cuius capax esset: quare nunquam gratiâ vacua fuit, aut extitit priuata; maxime cum hæc referantur magis ad præteritum; etenim in Græco pro gratiâ plena est *νεχαριστουμένη*, quasi diceremus barbaricè in idiomate Latino, *quæ ingratiata fuisti*, siue gratia implata. Vnde Ludouicus Miranda, quæst. 16. postquam attulisset Scripturæ loca, quibus aliqui sancti homines dicuntur pleni Spiritu sancto, obseruauit: *Si prædictis in locis textus ipse Græcus consideretur, semper facta fuit locutio per verbum significans futurum. At cum sacra Virgini Angelus dixit, gratia plena, in eodè textu Græco habetur quoddam verbum, quod præteritum tempus designat, & idem pollet, ac si dixisset: *Aue;***

Chrysippus Hierosolymitanus.

Aue tota gratiosa: Aue gratia plena: sine nullo tempore non plena. Quod satis explicauit per aduerbium *semper* sanctus Iosephus Græcus in Menæis, dicens: *Aue igitur semper: Aue gratia plena.* Loquitur specialiter Chrysippus de gratia, & assistentia diuina, quam habuit Maria ante Incarnationem, quasi dispositione, vt ex ea Filius Dei, homo fieret; ideo dixit: *Tecum, vt ex te gignatur.* Et rursus: *Tecum, vt Deus, vt ex te sit Deus, & homo.* Quare etiam cum dixit in medio harum sententiarum, *Tecum Conceptione, vt ex partu tuo generetur:* intelligendum est de Conceptione passua Virginis, in qua, & à qua disposita fuit diuinitus sacratissima Virgo, vt ex ea Filius Dei gigneretur; neque enim istud potest intelligi de actiua Conceptione, quæ nondum erat, nec ipsa idoneè assignaretur dispositio ad se ipsam, nec sensum tam citò debuit variare Chrysippus. Accedit, quod nonnulli Patres, vt commendent dispositionem Deiparæ ad Conceptionem actiuam recurrunt ad passiuam, quod ea fuerit sine peccato. Sic Faustus Rhegiensis in resp. de Ratione Fidei, dixit: *Non enim violata est partu, que magis est sanctificata conceptu, que absque omni peccato concepta est in vtero:* Accedit ad hæc, quod postea in eadem Homilia meminerit Chrysippus Conceptionis Mariæ, eamque omnino liberat à peccato contracto, quamuis illius debitum habuisset; dicitque Mariam rosam genitam ex stirpe ferace spinarum, quare infert sic alloquutus Deiparam: *Obluiscere, o Virgo, populum tuum, populus enim à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert; populus imprudens tibi irreprehensibile, natura propaginis familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit, &c.*

sequentem conceptionem Christi absque peccato, sine vilo cum inobedientia Adami commercio; conceptio autem sine peccato, in qua non apparet lapsus Adami, solum contigit Christo, & Mariæ; Conceptio autem Mariæ prior fuit; ideo dixit primam reuocationem, non quidem dignitate, & causalitate, sed solum tempore: Christi autem conceptio, licet posterior tempore fuerit, fuit præcipua, & multis modis excellentior. Ibidem etiam vocatur Maria, *Virgo diuina, & Mater superimmaculata.*

Sanctus Cyprianus, sermone de Natiuitate Virginis, ait: *Vt Matri plenitudo gratie, vt Virgini abundantior gratia debeatur.* Explicansque hanc plenitudinem vsque ad immunitatem à communi iniuria peccati originalis, dixit: *Quoniam à ceteris differens natura communicabat, non culpa.* In Officio etiam Sixtiano lect. 4. recitatur hoc pro immaculata Conceptione testimonium eiusdem sancti Cypriani: *O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius Conceptio singularis.*

Sanctus Anthanasius, in sermone de sanctissima Deipara, ait: *Itaque Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, que illi per diuini Principatus rationem adsunt, vt omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominaretur, eo quod adimpletione Spiritus sancti abundaret.* Mox addit, quod rem concludit: *Neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor; sed per omnia tempora illi esse donatum.* Hoc est, non defuisse Virgini vnquam plenitudinem gratiæ in toto tempore suæ vitæ, ab ipso primo instanti.

Sanctus Sabbas in Menæis, die 19. Ianuarij, sic explicat eandem plenitudinem gratiæ: *Quidquid creatum est, supergressa es diuinitate gloria tue sanctitate, & gratia.* Quod si Deipara diuinitate, gloriæ, & gratiæ, quidquid creatum fuit supergressa est; quomodo non fuerit immunis à maculâ originali, quâ primi parentes caruerunt, creati in iustitiâ, & sanctitate? Idem die 3. Ianuarij, ode 9. ait: *In te primi parentis substitit lapsus.*

Sanctus Anastasius Sinaita libr. 2. in examen, postquam Euam cum Lunâ deficiente, & Eclipsim patier e composuit, sic demum atexit, declarans, quomodo Deipara fuerit gratia plena: *Adam non fuit deceptus, sicut dicit Apostolus; Eua autem decepta, cum à tenebrosi, & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defuisset eius lumen. Eius tamen luminis defectum restituit lux vera, que ex ipsa processit. Ex secunda, inquam, Eua, Christus tanquam ex quæpiam plena Luna Maria, que nunquam minuita, aut deficit, aut priuata fuit essentiali lumine, nempe sua virginitate: si quidem ei acclamauit Angelus: Aue gratia repleta, scilicet, propter Euam, que est Luna, que fuit malè habita, & vexata.* Non minuit vim huius sententiæ, quod lumē essentialē explicauerit virginitatem: quoniam non loquitur de virginitate solius corporis: hæc enim non potest dici lumen essentialē gratiæ, & sanctitatis: nam potest eius carentia componi cum eximia sanctitate ex lumine gratiæ: sicut accidit S. Annæ. Loquitur autē de integra virginitate, seu puritate Virginis, corporis scilicet, & animæ, cuius puritatem omnimodam vocarunt etiam patres integritatem, & virginitatem. Idem in serm. 2. de Annuntiat. dixit: *Solam illam inter Virgines gratia plenam, pulchram, immaculatam, sanctam Dei Genitricem.*

De hoc Faustus testimonio vide exceptiones, & dissertationes epistolicas.

S. Germanus Constantinopolitanus orat. in Natiuit. Virginis, inter alia, quæ ibi de Conceptione eius passiuâ disserit, sic salutatur conceptam puellam, accommodans illi tempori salutacionem Angelicam: *Aue gratia plena: gaude illuminata, per quam tenebra pulsa, luxque introducta. Aue gratia plena, per quam cessauit lex, & gratia inclaruit. Gaude gaudij principium, & execrationis terminus. Salue verè gratis referta. Dominus tecum, qui postea ex te, antea tecum; nunc quidem adaptans vterum tuum sibi dorsorium, tunc è carne tua magnum efficiens incarnationis mysterium.* Loquitur de duabus Conceptionibus Christi, & Mariæ: igitur iuxta sanctum Germanum adaptauit vterum Virginis. Dominus in Conceptione eius, vt digna esset Conceptione Verbi; in illâ Conceptione fuit Dominus cum Maria; in istâ fuit ex Maria; illa conceptio fuit prior, ista posterior. Rursus ait: *Aue gratia plena: aue gloriæ quoque plena: salue omnes letificans, salutare donarium. Salue aurea reuera spiritualium aromatum acerra, qua spirituale sacrificium Christus compositus è deitate simul & humanitate in igne diuinitate viuifica ipsius, ac spiritualis carnis boni odoris inconfusè, indiuisè ostendit. Salue non manu factum tabernaculum, atque à Deo conditum.* Qui hæc iuste ponderauerit, inueniet in plenitudine gratiæ, quam etiam dixit *Gloria*, à sancto Germano includi gratiam etiam Conceptionis Marianæ, quam sæpè in illâ oratione admiratur, vt postea videbimus: satis est nunc memorare illam Germani sententiam, in qua dicitur Deipara, *Prima primi lapsus primorum parentum reuocatio.* Hoc dixit propter

Sanctus Cyprianus, sermone de Natiuitate Virginis, ait: *Vt Matri plenitudo gratie, vt Virgini abundantior gratia debeatur.* Explicansque hanc plenitudinem vsque ad immunitatem à communi iniuria peccati originalis, dixit: *Quoniam à ceteris differens natura communicabat, non culpa.* In Officio etiam Sixtiano lect. 4. recitatur hoc pro immaculata Conceptione testimonium eiusdem sancti Cypriani: *O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius Conceptio singularis.*

S. Andreas
Cretensis.

Nolo obliuisci sancti Andreae Cretensis, qui cum clarissime testatus saepe fuerit immaculatam Conceptionem, prout non semel ostendimus, id etiam fecit in orat. de Salut. Angelica, dum plenitudinem gratiae in Maria, iuxta Angelum commendans, sic ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum. Salue letitiae organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compensatio est: Salue verè benedicta: Salue illuminata magnificum diuina gloria templum: Salue consecratum Regis Palatium: Salue thalame, in quo Christi humanitas desponsata est: Salue electa Deo antequam genita fueris: Salue diuina cum hominibus reconciliatio: Salue Thesauri vitae immarcescibilis: Salue Caelum, Solis gloria caeleste tabernaculum.* Comprehendit his encomiis puritatem Conceptionis Marianae, quam festiue celebrauit, compoluitque in illius honorem Canonem Ecclesiasticum, vocauitque Sanctam Conceptionem, quam in praedictis verbis satis supponit, cum praedicet Virginem electam antequam genitam, & veraciter benedictam, & caeleste tabernaculum.

S. Gregorius
Neocaesariensis.

Vetustissimus Pater sanctus Gregorius Neocaesariensis, serm. 3. de Annunt. ex eo quod fuerit Maria gratia plena, infert demersisse mortem Euae, cum adhuc existeret in utero sanctae Annae, scilicet in ipsa sua Conceptione; alioqui potius fuisset Maria demersa per mortem Euae; nimirum peccatum originale; tum etiam multis aliis modis omnimodam puritatem Virginis admiratur, etiam in origine sua; pulchra sunt eius verba: *Per mulierem mala fluxerunt, & per meliorem bona emanant. Aue gratia plena. Ne, quod mulier damnationis causa exiterit, erubescas. Iudicis enim, & Redemptoris tu Mater eris. Aue immaculata, viduati Orbis Sponsa simul, & Mater. Aue, que in utero Matris, Euae mortem demersisti. Aue animatum Dei templum. Aue caeli, & terra aequalens, dignumque domicilium. Aue naturae illius incomprehensibilis capacissimum receptaculum.* Haec iuxta Graecum. Non nihil enim addit Gerardus Vossius in sua versione, quod non est in originali, quare praestat versio Francisci Combeffis. Praclare etiam in Homil. 1. de Annuntiar. dixit idem Thaumaturgus: *Aue gratia plena; primum Angelus ipsam saluando compellauit. Dominus tecum, & non terrenus Sponsus; sed ipse sanctificationis Dominus, pater castitatis, incorruptionis auctor, & libertatis dator, salutis procurator, & vera pacis conseruator, atque largitor, qui ex terra virgine creauit hominem, & ex illius latere, ac costa Eua assumpsit: hic Dominus tecum, & rursus ex te.* Alludit ad formationem Adami, & Euae, simul cum gratia; quoniam similiter formata fuerit Deipara, vt Deus, qui ex Maria fuit in Incarnatione, fuerit cum illa in Conceptione sua. Mox addit: *Aue, ac gaude gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim verè est auere, atque gaudere: quoniam tecum diuina gratia, vt nouit; habitationem elegit: cum ancilla Rex gloria: cum speciosa speciosus forma praefiliis hominum: cum impolluta, qui sanctificat vniuersa: tecum Deus, & ex te Deus.* Ibidem ait: *Aue gratia plena, Dominus tecum, praesignificauit; quoniam cum ipsa totus gratiae thesaurus reconditus erat.*

S. Ioannes
Chryostomus.

Verba primae auctoritatis, allatae ex sancto Gregorio, habet etiam sanctus Ioannes Chryostomus, absque vlla differentia, nisi quod illud *Gratia plena*, saepius repetierit, vt significantius commendaret, quod in plenitudine gratiae

Marianae continerentur omnia priuilegia gratiae, sic ait: *Aue gratia plena, que in utero matris, mortem demersisti: Aue templum Dei animatum: Aue caelo, ac terra par habitaculum. Aue spatiosum naturae incomprehensibilis receptaculum: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Vnde, idem dicendum est de sancto Chryostomo, quod de sancto Gregorio Thaumaturgo.

Sanctus Proclus Constantinopolitanus, qui cum sancto Ioanne Damasceno, censuit ante existentiam Mariae, hoc est, antequam esset persona humana, immaculatam fuisse eius carnem, quam propterea dixit orat. 6. *ex mundo luto formatam*, id ipsum reducit ad plenitudinem gratiae eius in orat. 4. dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum, & ex te, & ante te.*

Arnoldus Carnotensis, tract. de Laudibus Virginis, ait: *Cum debite venerationis summa ad Christum respiciat, ex eius plenitudine roratum est desuper, quod Maria predicatur gratia plena, manifestum est, indiuiduam esse Matris, & filij gloriam, & commune viriusque praconium, cuius definitio omnem superat intellectum.*

Sanctus Theodorus Neof. orat. de Natiuitate Virginis, de ea dicit: *Quam nulla delicti labes infecit: Aue sanctuarium, fons diuina scaturigine fluens, omnis sanctimonia plena.* Mox addit: *Quem nulla excogitabilis corruptela maculat.*

Honorius Presbyter, in sigillo cap. 5. ait: *Columba mea Spiritu sancto plena, immaculata mea, ab omni sorde peccati segregata.* Alludit ad modum, quo dixit Apostolus de Christo: *Segregatus a peccatoribus*, propter carentiam totius peccati, etiam originalis.

Emanuel Palaeologus in orat. de dormitione Virginis, clarissime dixit: *Simul atque concepta fuit Beata Virgo, Deus illam gratia implebat, qui sibi futuram Matrem praestituerat.* Imò verò cum illa erat ipse, antequam esset nata.

Sanctus Eucherius, ad Euangelium Feriae 4. Dominicae 4. Aduentus, ait: *Quis unquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratiae dantur, haec autem gratia plena dicitur.* Negat in conferenda gratia Virgini, non solum quantitatis, sed etiam temporis mensuram; quasi omne tempus ab ipsa Conceptione sua tanto tempore ante Christi Conceptionem eam possederit; idcirco notanter subdit: *Quae cum gratia plena sit priusquam & concipiat, post Conceptionem quanta Dei abundauit gratia, quis cogitare possit? Haec autem sola inter omnes mulieres benedicuntur, quae adhuc sub antiqua praenaricationis maledictione tenebantur.* Similia inueniuntur in Eusebio Emiseno, Homilia de eodem argumento.

Tum etiam sanctus Bruno Astensis serm. super Missus est, ait: *Aue, inquit Angelus, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Non fuit sufficiens, aue dixisse. Addidit: Dominus tecum, & deinde eam benedixit quasi tribus vicibus, sub vna voce eam salutans. Qua in re diligens obsequium charitatis affectus, & reuerentia declaratur. Sed quis unquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratiae dantur: haec autem gratia plena dicitur, &c.*

Sanctus Bonauentura, serm. 2. de Deipara: *Domina nostra fuit plena gratia praeniente in sua sanctificatione, gratia scilicet praeseruatina contra foeditatem originalis culpa.*

Sanctum

S. Anselmus. Sanctum Anselmum, celebrem exaltatorem præseruationis Virginæ, allegat in eundem sensum sanctus Bonauëtuta in speculo Virginis cap. 7. vbi postquam commendasset plenitudinem gratiæ Marianæ, de qua etiam dixit: *O fœmina, plena, & super plena gratia*, addit: *Et ideo bene sic ait Anselmus: Tibi solum loquor, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum, inferna penetrarunt, cœlos superarunt; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, se latantur liberata; & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata.* Fuit sanctus indubitatus cultor immaculatæ Conceptionis, includens illam in tanta gratiæ plenitudine.

S. Bernardus. Sanctus Bernardus, serm. de aquæductu: *Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria*; ergo ipsi bonum originalis iustitiæ non defuit. Idem sanctus in illud Ecclesiast. 24. *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea*; sic explicat plenitudinem Marianæ gratiæ: *Merito in plenitudine Sanctorum detentio eius, cui nec fides defuit Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fecunditas coniugatorum, nec puritas Angelorum.* Sic comprehendit plenitudo gratiæ puritatem Angelorum, excludit omnino sordem originalem, & complectitur Conceptionem Virginis immaculatam, quàm non semel alibi affirmavit sanctus Bernardus, & nullibi dixit aliquid contra illam, prout in nostris exceptionibus ostendimus.

Petrus Rhemen. Petrus Rhemenfis, qui floruit tempore sancti Bernardi in Euangelio Metrico, sic breuiter describit plenitudinem gratiæ Marianæ.

Vnam nec macula natura reliquit in ista, Ad caput à planta transuolat iste decor. Notanter extendit à planta ipsa tantum decorem, quoniam supplantauit Maria caput serpentis, ne suum calcaneum submorderet.

Hugo Victorinus. Hugo Victorinus de Verb. incarnat. collat. 3. postquam multa dixisset pro immaculata Conceptione, ea tandem reduxit ad plenitudinem gratiæ, annuntiatam ab Angelo, dicens: *Ceciderunt primi masculus, & fœmina: & per eos, qui post eos erant, omnes de masculo, & fœmina. Et quia primus auctor culpæ deiectus est à fœmina: Auctorem gratiæ sine masculo concepit, & peperit fœmina: ut idem sexus initium gratiæ esset, qui peccati origo extiterat.* Propterea ait: *Ane gratia plena, Dominas tecum. Vere enim Maria gratia plena fuit, per quam gratia descendit super omnes filios hominum. Primum gratia super eam; postea gratia in ea; denique gratia ex ea.* Constat clarè ibi significasse immaculatam Conceptionem, cum dicat de puritate Christi, & Virginis: *Qualis agnus, talis Mater agni, ex munda mundus.* Ibidem ait: *In cœlo qualis Pater, talis Filius, & in terra qualis Mater, talis Filius. In cœlo cum Patre æternus, & immensus; & in terra cum Matre immaculatus.* Notandum est ad maiorem emphasim, non dixisse, qualis Filius, talis Mater; sed qualis Mater, talis Filius; supponens etiam in Conceptione sua sanctam fuisse Matrem, sicut Filius in sua, licet in Christo sanctitas fuisset essentialis, & per se; in Maria autem per priuilegium, & participata.

Abfalon Abbas. Abfalon Abbas serm. 22. ait: *Excellenter Maria dictum est gratia plena. Est autem gratia naturalium bonorum; est gratia spiritualium charismatum, est gratia cœlestium donorum. Plena gratia fuit naturalium bonorum; quoniam Spiritu sancto*

ei superueniente, integritatem naturalium, secundum dignitatem primæ conditionis, sola inter filias Eua accepit. Pleniùs de Abfalone egimus in epistola de Paralipomenis.

Cardinalis Vitalis de Furno in speculo morali, titulo de Beata Virgine, ait: *In ea fuit plenitudo gratiæ, qua fuit sanctificata in tabernaculum; in ortu exornata in habitaculum; in conceptu iraducta in cubiculum in obitu.* Ortum dixit natiuitatem in vtero, iuxta alios Doctores, imò iuxta Angelum, dicentem ad sanctum Iosephum, Christum natum, cum adhuc erat in vtero suæ Matris, nimirum, conceptum. Idem Cardinalis se explicauit, cum paulò ante dixisset: *De eius natiuitate exponitur illud: Fecit Beseleel Arcam de lignis Sethim, &c. Exod. 36.* Nota historiam, Beseleel interpretatur misericordia Dei. *Materia arca fuit de lignis Sethim. Ligna Sethim sunt impuribilia, albe spina similia, incremabilia, lenia.* Per hæc quatuor designantur quatuor beneficia, quæ virgo habuit per gratiam sanctificationis, contra quatuor vitia ex peccato originali contracta, secundum Beadam.

Cardinalis Vitalis de Furno.

Alter Ioannes Vitalis, qui fuit Hispanus, & floruit circa annum 390. in defensorio Beate Virginis, lib. 3. & 4. sæpè confirmat immunitatem ab originali culpa Beate Virginis, ex plenitudine gratiæ, quam illi annunciauit Angelus, in lib. 4. cap. 1. elicit hanc consequentiam: *Sancta virgo habuit plenitudinem gratiæ, ut in quodam esse totali; ergo ipsa fuit ab originali præseruata.* Quod deinde probat. In principio quoque eiusdem libri 4. ait: *In latitudine puritatis ab oxordio tuo inclusa, fueris abstracta penitus ab originali macula, siue culpa.* Itidem in cap. 5. ait: *Sicut se habet prima ætas aurea ad secundam, sic principium; nam sicut prima ætas aurea fuit plenitudinis natura, ita secunda plenitudinis gratiæ; sed illa ex vi plenitudinis nature attingebat virumque parentem à principio, ergo secunda ex vi plenitudinis gratiæ attingit virumque hominem à principio, nimirum Iesum, & Mariam ab ipsa eorum conceptione.* Oportebat notare distinctionem inter hos duos vitales: nam Cardinalis fuit Gallus, & antiquior, quoniam factus est Cardinalis à Clemente V. anno 1312. ne putetur vnus tantum, cum sint duo testes pro plenitudine gratiæ Mariæ etiam originalis: quia iste scripsit contra Montefonum, circa annum 1390. totisque viribus, & latissimè defendit immaculatam Conceptionem.

Ioannes Vitalis.

Rupertus lib. 6. in Cantica, non solum affirmat Virginem Beatissimam & lucidissimam esse, & gratia diuina plenam; sed etiam addit: *Libera es ab omni iugo peccati.*

Rupertus.

Tilmandus Dulmanensis in Corona lapidum, cap. 20. tam perspicuè extendit repletionem gratiæ Marianæ ad immaculationem Conceptionis, vt dixerit: *In ventre tue Matris gratia fuisti repleta, nulla sorde vnquam polluta, nullo contagio maculata.* Ecce quomodo negationem maculæ in Conceptione comprehendit in plenitudine gratiæ; sæpè, & clarissimè commendat hæc deuotus Doctor omnimodam Virginis puritatem, etiam originalem. Idem propterea in capite dixit, *vbtertatem plenitudinis munditia, gratiam Dei paræ.*

Tilmandus Dulmanensis.

Petrus Cameracensis Episcopus, & Cardinalis sanctæ Ecclesiæ, in meditatione super salutationem Angelicam, ait: *Ane Virgo Beata, ane Mater benedicta, ane sine ve Maria, & ideo sine*

Petrus Cameracensis Episcopus & Cardinalis.

sine va, quia gratia plena. Aue plena gratia, non solum creata, sed increata. Hanc carentiam totius vae, inibi explicitè dicit esse etiam carentiam peccati originalis, cuius verba infra dabimus.

Alexander Alensis.

Alexander Alensis, prout refert Gotschalculus Holenus, serm. de Conceptione dixit ad Virgine[m]: *Tota pulchra es, scilicet, per gratia plenitudinem, amica Dei Altissimi, id est, Mater dilectissima, & macula non est in te, nec originalis.*

Priscus Doctor.

Nec volo tacere quod priscus Doctor, cuius est sermo de visitatione in legenda adiecta ad historiam Lombardicam, sic ait: *Fuit plena odoribus omnium gratiarum, nec mirum, quia ut habet Horatius lib. 1. Epistolarum, quò semel est imbuta recens, servabit odorem. Vas enim, quod in principio suae naturae fuit repletum aliquo bono odore, servabit diu odorem illum: quia quod nova testa capit, inueterata sapit. Sic Virgo semper benedicta, ab exordio suae Conceptionis Deo plena fuit.*

Thomas de Kempis.

Accedat etiam Venerabilis Thomas de Kempis, qui sermone 4. ad Fratres, plenitudinem Mariae annuntiatam ab Angelo, sumpsit etiam extensivè pro tempore totius suae existentiae in rerum natura; unde aduertit, non dixisse Angelum, castitate plena, siue virginitate, quia solum fuisset semper virgo; sed gratia plena: quia semper fuit sancta, & omnibus virtutibus ornata. Idem ait: *Non tamen propter solam fatemur virginitatem, quoniam virginitas sola non est, nec sola placuit Christo. Nec Angelus inquit, aue castitate plena; sed aue gratia plena: ut virtutum plenitudo potius referatur gratiae quam castitati, vel innocentiae. Tam suavis denique odor inerat castitati, ut aeterni Regis Filius de sola nasci dignatus est Virgine, consecrans hanc in Matre, quam detulit postmodum in dotem sanctae Ecclesiae. Congruunt haec cum iis, quae in sermone 25. ad Novitios, dixit pro Immaculata Virginis Conceptione, ubi locutus de antiquis Patribus, ait: De quorum stirpe orta est Mater Dei MARIA, tanquam rosa inter spinas, sine spina. Et addit: Spirituale Dei templum, quod est Beata Virgo MARIA, ab omni labe pura, super omnia templa Sanctorum praeiteret.*

Iacobus Christop.

Præclare Iacobus Christopolitanus in comment. super Magnificat, qui præcipuum Scripturae locum, ad probandam Immaculatam Virginis Conceptionem, affert verba Angeli, gratia plena; dicitque eiusmodi intellecta à Patribus, praesertim Augustino, & Hieronymo, de plenitudine gratiae comprehendente etiam originalem, & tandem ait: *Nulla fuit gratia data alicui creaturae, quin fuerit data Virgini Mariae; sed primi parentes, & Angeli fuerunt creati in gratia: ergo hoc non defuit Virgini Mariae; & sic patet, quòd sententia data in Adam, & Eva de quadruplici morsu serpentis, non transiit in personam Virginis, eo quod ex singulari gratia, & privilegio fuit excepta ante legem latam, prout dictum est; ideo est dictum ipsi ab Angelo: Aue gratia plena, &c.*

Ioannes Bromiardus.

Ioannes Bromiardus, qui paulò post sanctum Thomam floruit, cum eum referant graues auctores ad primum saeculum Dominicani Ordinis, cuius filius fuit; in 2. part. summæ, cap. 3. extollit sapè plenitudinem gratiae Mariae, in qua tam clarè comprehendit originalem, ut Dixerit: *De aliis bene legitur, quod fuerunt in utero sanctifica-*

*ti, sicut in Ieremia, & Ioanne Baptista; non tamen illico ita fuerunt sanctificati, quin potuerunt venialiter peccare. Ipsa vero tam eminenter sanctificata fuit, ut nec mortaliter, nec venialiter peccarit, sicut patet per sanctum Thomam tertia parte de Christo, quaest. 37. artic. 6. In eadem etiam quaestione art. 2. ponit eius sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem in hoc, quod sanctificata fuit in sua animatione, id est, in coniunctione animae cum corpore, in utero matris suae, & non ante, quia sanctificatio, & mundatio fit per gratiam, cuius subiectum est anima. Nihil enim est capax gratiae, nisi anima rationalis. Sic ergo sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus, Psalm. 45. Unde, statim addit: *Nec leguntur Angeli aliquem ita specialiter salutasse dicendo, quod esset plenus gratia, sicut salutavit Mariam.**

Sanctus Bernardinus Senensis, tom. 3. serm. 12. art. 3, cap. 1. *Sicut (inquit) Filius Mariae est Sanctus Sanctorum: ita constat, quod Mater, quae ipsum portavit, est Sancta Sanctorum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, Tabernaculum Dei, Thronus Dei: ubi ergo est summa plenitudo sanctitatis humanae & Angelicae, ibi semper Virgo Dei Mater prima suae sanctitatis iecit fundamenta, ibi detinuit gradum, & plantam fixit virgineam. Notanda sunt illa verba, iecit fundamenta, quod factum est in Conceptione, quam sine peccato clarè asseruit ipse sanctus loco infra citando, & hic satis supponit.*

S. Bernardinus Senensis

In eundem sensum aduocandus est Gerson, qui sicut in duobus sermonibus de Conceptione Deiparae asseruit immaculatam eius Conceptionem, propter dignitatem diuinæ Maternitatis; sic etiam in sermone de Annunt. propter eandem maternitatem adscripsit Virgini plenitudinem gratiae, dicens: *Domina nostra altius nomē accepit, & perfectius, quod esse possit homini post nomen Filij sui. Et est, quod Mater Dei dicatur, melius eam appellare non possumus; quoniam per hoc habet veluti auctoritatem, & naturale dominium ad totius mundi Dominum, & à fortiori, ad omne id, quod huic subiectum est Domino, ita quòd in nomine suo omnia flectantur in caelo, & in terra, & in inferno, & miracula ostenduntur, per hoc accepit plenitudinem gratiae. Antea dixerat: Plena es gratia; plena per excellentiam, & superabundantiam.*

Gerson.

Richardus de Sancto Laurentio, assertor praeservationis animae virgineae, ut alicubi ostendi, lib. de Laudibus Virginis, cap. 4 ait: *Bene gratia plena: quia quamlibet gratiam totam habens, & nihil de suo contrario. Si nihil de peccato, quantum minus habuisset caput, & principium omnium peccatorum; scilicet, peccatum originale. Deinde, postquam dixisset: dignitatem primae conditionis solam inter filias Eva accepisse, subiicit haec pulcherrima verba: *Quomodo enim cum tota gratiae plenitudo descendisset in eam, vacuum aliquid reliquisset in ea? Sic etenim usquequaque impleta est gratia, ut nihil in ea culpa obtineret, nihil omnino culpa relictum esset, nec etiam cogitatio. Et nota quòd dicitur gratia plena, non gratiarum, aut gratiis, sicut Esther 15. dixisse legitur Assuero, *Facies tua plena est gratiarum, non enim mirabile videretur, si multis gratiis plena diceretur, neque tam una, quam plena ostenderetur, omnibus fortasse simul sumptis: sed ita gratiarum plena est, ut unaquaque gratiarum plena sit. Ecce non solum dicit, omnes fuisse gratias in Maria, sed totam gratiam singularum, hoc est, vniuscuique ex omnibus,***

Richardus de Sancto Laurentio.

omnibus, siue totarum gratiarum; quare in illa non defuit vna ex omnibus, gratia originalis. Sic enim verificatur: *Usquequaque impleta est gratia, ut nihil in ea culpa obtineret.* Postea addit: *De ea dicitur Eccles. 26. Gratia super gratiam mulier sancta, gratia super gratiam. Incassata enim erant in ea gratia, dum qualibet eam totam implebat, & occupabat, & quasi sibi propriam vendicabat.* Et rursum: *Gratia super gratiam, id est, super omnem gratiam.* Non ergo infra gratiam puritatis Angelicæ sine peccato originis. Verè enim gratia super gratiam fuit in Maria; quia nunquam fuit gratia super vacuum, aut priuationem gratiæ, nunquam super peccatum præcedens, quod expelleret; cum enim anima eius creata fuerit in gratia quæcumque alia gratia superueniens erat super gratiam. Tandem ait: *Ipsa autem sic usquequaque plena gratia fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa diuinitati uniretur, hoc est, nisi ipsa esset Deus. Hæc est plenitudo, de qua hic specialiter dicit Angelus: Aue gratia plena. Hæc ita propria est Beatissima Virginis, quod etiam Angelus proprium nomen eius tacuit, & hoc quasi pro nomine eius proprio posuit, ut plena gratia deinceps vocaretur.*

Propter hanc plenitudinem gratiæ piissimus seruus Dei Arneftus Pragensis Archiepiscopus, qui floruit circa tempora sanctæ Brigittæ, & Caroli Quarti, in lib. de excellentiis Virginis, cap. vltimo ait: *Tunc completa est conceptio, quando anima, & corporis simul facta est susceptio, & in ista conceptione potuit sanctificari, quod & factum fuisse piè creditur, alioquin, quidquid boni pura creatura dari potuit, ei minime datum esset.* Mox addit: *Gratia plena, illi soli singulariter congruit, quæ & ait: in me gratia omnis via, omnis videlicet creatura, quæ est via ad Deum cognoscendum.*

Deuotissimus, atque pereruditus Amedeus Laufenensis Episcopus Homil. 3. *Spiritus sanctus (ait) superueniet in te. In alios sanctorum venit, in alios venit; sed in te superueniet: quia præ omnibus, & super omnes elegit te, ut superes vniuersos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratia.* Tum subdit: *Omnes superas, præc vniuersis, non solum hominibus, sed & summis cælorum virtutibus.* Supponit in hisce verbis, Virginem originali gratia præditam fuisse, sicut Angeli eam habuerunt; quia alioqui eos, quantum ad plenitudinem totius gratiæ, non superasset, si hac vacua extitisset.

Beatus Laurentius Iustinianus, serm. de Annuntiat. multis demonstrat, quomodo fuit Maria plena gratia, ad eò, ut dixerit: *Ipsius gratiæ plenitudinem cælestis nuntius persensit, cognouit, manifestauit, & dixit: Aue gratia plena. Salutat illam tanquam, sibi Dominam, honoreque dignissimam, atque à Deo singulariter electam, atque dilectam.* Incipiens autem declarare gratiam Virginis, ait: *Quis (oro) huius Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui Conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo prius est sanctificata, quam nata. In ipso enim utero materno iam posita, super illam gratia sanctificationis effulsit, vapore ei quæ electa erat, ut pareret Deum. Nouerat opus suum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certissime agnoscebat. Hinc est, quod Virginem ipsam tam largo imbri spiritus irrorauit. Erat planè, sicut à carnis collusionione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea. Egregius planè assertor immaculatæ*

Conceptionis fuit iste sanctus Doctor, qui præter dicta, ter in operibus suis dixerit, omnes contraxisse peccatum originale, præter Christum, & eius Matrem.

Alexander Tertius, qui profectò dicit Magnus potest, ad eò egregiè sensit de plenitudine gratiæ Mariæ, ut in epistola ad Soldanum Iconij, dicit: *Hinc migravit sine corruptione iuxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, ut plena, non semiplena gratia esse probaretur, ut Deus Filius eius antiquum, quod pridem docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet Patrem, & Matrem honore præuenire, & ne caro Christi virginea, quæ de carne Matris Virginis assumpta fuerat, à tota discreparet.* Cum plenitudinem Mariæ gratiæ extendat, tum ad incorruptionem carnis, tum ultra vitam, quanto magis in illa comprehendit incorruptionem animæ intra limites vitæ, scilicet in principio ipsius vitæ; Conceptione nimirum. Hic etiam valde notandum, hoc dici à Pontifice Romano in Doctrinæ Christianæ instructione, quam misit ad illum Principem, ubi non nisi certissima diceret.

Sanctissimus ille Præsul Beatus Thomas Valentinus in serm. 3. de Natiuit. Virginis, explicans eius plenitudinem gratiæ, ait: *Ceteris Virginibus per partes, Maria verò tota se infudit plenitudo gratiæ.* Quam multis probans, subdit: *Decuit, & matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato.* Unde, non solum quando puella, sed quando paruula sanctissima, & in utero sanctissima, & in conceptione sanctissima. Paulò ante dixerat: *Quid vis dicere de Virgine, quod humilis, quod pura, quod sancta, quod gratia, & virtutibus plena: quæ gloria, quis decor, quis candor, quæ virtus, quæ gloria non decuit Matrem Dei. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus, qualem ergo faceret Artifex, qui elegit eam, ut nasceretur ex ea.*

Ad eò egregiè sensit Beatus Albertus Magnus de plenitudine virginalis gratiæ, necessariò etiam comprehendente originalem, & tam illimitata, ut ut opus fuisset explicari à Dionysio Rikelio lib. 2. de Laudibus gloriosæ Virginis, art. 2. cuius hæc sunt verba: *De plenitudine gratiæ Virginis venerandissima scribit Albertus in libro de laudibus eius: Beatissima Virgo gratia fuit plena: Primò, quoniam omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarum in summa habebat. Secundò, quia & illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quoniam eius gratia tanta fuit, quod pura creatura non fuit maioris gratiæ capax. Quarto, quoniam increatam gratiam, quæ Deus est, totam in se continuit. Hæc Albertus prolixè declarat, & sanè intelligenda sunt, cum certum sit, capacitatem animæ Christi maiorem gratiam suscepisse, quàm fuit gratia Mariæ dignissima. Verum ut tactum est, non decuit pura creatura in esse creato subsistenti gratiam conferri maiorem, quàm Virgini Matri Dei electæ; imò nec gratiam ei æqualem, sed valde minorem. Hæc mens Beati Alberti, & Venerabilis Dionysij, qui in multis aliis locis clarissimè testati sunt immaculatam animæ Virginæ creationem. De Dionysio omnibus notum est; de Alberto autem id speciali dissertatione in Epistolis meis de hac materia ostendi.*

Matthæus Cantacuzenus comment. in Cant. 6. sic explicat plenitudinem gratiæ Virginalis: *Supra omnem captum, & rationem est in te omnium pulchritudinum ordinata compositio, & concinna constitutio. In Græco est Syntaxis, siue Euarmostia.*

Nec

Arneftus
Pragens. Ar-
chiepiscop.

Amedeus
Laufenensis.

B. Lauren-
tius Iusti-
nianus.

Alexan-
der III.

B. Thomas
Villanoua-
nus.

B. Albertus
Magnus.

Matthæus
Cantacuze-
nus.

Nec hoc verificari posset, si defuisset Virgini pulchritudo Iustitiæ originalis, quam habuerunt Angeli, discordantemque in Virgine pulchritudines, si solum habuisset actualem; caruisset verò originali. Inter quas est quædam harmonia iuxta Augustinum, qui sensit, nullum adaluisse peccato actuali, qui contraxerit originale.

Albertus
Marquesius.

Alter Albertus, cognomine Marquesius, in Cœliloquiis cap. 76. ait: *Beata Virgo Maria velut luna plena fulsit in suo principio, quia in utero Matris concepta sine peccato originali.*

Ioann. He-
roltus.

Sed cur omittendus est, qui mihi nunc occurrit Ioannes Heroltus qui communiter vocatur discipulus pietate quidem, & congrua antiquitate venerandus, qui in sermone de Conceptione, qui est quintus de Sanctis per circuitum, plenitudinem gratiæ Mariæ accipit à Conceptione sua sancta, vsque ad abundantissimam refusionem in alios, iuxta illud sancti Bernardi: *Maria simul aperuit vniuersis, ut è plenitudine eius omnes homines accipiant.* Nec enim oportebat, ut gratia, quæ superfluebat aliis, defecisset sibi, vacuumque habuisset tanta plenitudo in Conceptione, quam mirè dicit fuisse sine peccato, cum sanctitate nimirum. Semel ait: *Virgo Maria in Conceptione præseruata est ab originali peccato.* Et rursus: *Maria immediate, postquam anima infusa est corpori, sanctificata est:* pro eadem sententia citat Magistrum Iordanum, iuxta eius doctrinam, dicens de Conceptione Virginis: *Cum anima infusa est, & unita corpori, & in eodem instanti sanctificata est.*

Hesichius
Hierosoly-
mitanus.

Claudat hoc Patrum, & Doctorum splendendum agmen Hesichius Hierosolymitanus, qui fortasse potuit Antesignanus esse, cum meo iudicio plenitudinem gratiæ Mariæ luculenter explicauerit, & honorificentissimè gratiam Conceptionis virginæ extulerit, prout modo explicabo. Nam à multis video minùs intellectum, quid vocauerit in Virgine complementum Trinitatis. Igitur hic antiquus Pater, quem puto non solum fuisse Presbyterum Hierosolymitanum, sed Episcopum, in Homil. 2. de Deipara vocat illam: *Arca arca Noë latiore, longiore, illustriorem.* Illa erat animalium arca, hæc autem arca vite; illa corruptibilium animalium, ista verò incorruptibilis; illa ipsum Noë; hæc verò ipse Noë factorem portauit; illa duas, & tres contignationes, & mansiones habebat; hæc autem vniuersum Trinitatis complementum. Hoc vltimum verbum est in Græco πνεύμα, quod secundum Plinium significat plenitudinem, sicut & apud Vitruuium plenitatem. Hinc apparebit, quantam habuerit plenitudinem gratiæ Deipara, ut omnino comprehenderet originalem, propter plena beneficia propria trium diuinarum Personarum, quæ in ea sunt perfectè completa, & cumulata. In primis aptè comparatur purissima Virgo arca Noë: nam sicut hæc sola, vniuerso naufragante mundo, salua facta est; sic Maria ex vniuerso humano genere salua fuit, & libera naufragio culpæ originalis, quæ cæteros filios Adæ inundauit. Deinde, sicut Arca Noë tres habuit contignationes, in quibus salua fuerunt quæ in illis continebantur; sic Maria habuit plenitudinem totius Trinitatis; hoc est, triplicem plenitudinem eorum beneficiorum, quæ attribuuntur tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis, quæ in illa integra, plena, & perfecta fuere; & ut ita dicam, quasi salua, cum in

cæteris hominibus velut absorpta videantur propter indignitatem, & naufragium peccati originalis. Cumque Patri attribuatur creatio, Filio redemptio, Spiritui sancto sanctificatio; hæc tria dona habuit Deipara cum tota sua perfectione, & plenitudine in summo gradu. Perfectissimum autem creationis beneficium est, ut non solum creetur mera natura; sed adornata etiam gratia, prout sortiti sunt Angeli, & primi parentes; hanc eandem perfectionem, & ornatum creationis habuit Genitrix Dei, & in ea sola integra, & quasi incolumis exitit inter reliquos filios Adæ. Excellentissimus item, ac felicior redemptionis modus est, cum non eripitur à captiuitate peccati contracti, sed præseruatur à contrahendo, etiam originali: qui etiam modus solum in Deipara enituit. Denique perfectissima sanctificatio est, cum non solum infunditur gratia; sed etiam conceditur inseparabilitas eiusdem gratiæ, ita ut nunquam fuerit separata à natura, nec sit separabilis: hanc quoque sanctificationem sortita est Virgo per priuilegium impeccabilitatis. Ecce plena, & perfectissima beneficia creationis à Patre, redemptionis à Filio, & sanctificationis ab Spiritu sancto, quæ integra in Maria fuerunt, cuius propterea complementum, & plenitudo gratiæ à Sanctissima Trinitate fuit. Accedit ad hæc, quod fuerit Hesichius sæpè contestatus immaculatam Conceptionem in eadem Homilia, dicens de Virgine: *Electa augustum natura nostra decus, gloria luti nostri, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam draconis abscondit, quam concupiscentiæ fumus non attingit.* Ibidem vocat illam: *Turturem mundum, columbam impollutam, nubem pluuias incorruptas continentem, speciem, cuius gemma Sole splendidior.* Paulò post: *Lucernam oris expertem, quæ à se ipsa ingiter ardeat.* Ibidem ait: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ, quæ est haud dubiè Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, merito illa est arca, & quia Sol existis, necessario Virgo vocabitur cælum; cum sis flos immarcescibilis, profecto Virgo erit planta incorruptionis, & paradysus immortalitatis.* Et tandem eam vocat: *Templum incorruptum, & Tabernaculum ab omni sordè liberum.*

Tanquam appendix ad illud de complemento Trinitatis, Hesichio videtur consonare S. Hieronymus serm. de Assumpt. cum ab eo vocatur Deipara, *Fons signatus sigillo totius Trinitatis.* Tum etiam S. Bruno, Signiensis Episcopus, qui communiter dicitur Astensis, & floruit paululum ante S. Bernardum in lib. 5. sent. cap. 1. similiter dixit de Virgine: *Est & fons signatus sigillo sacrosanctæ Trinitatis.* Signauit quippè Virginem Pater in creatione, Filius in redemptione, Spiritus sanctus in sanctificatione, prout paulò ante diximus, cum perfectissimo modo horum beneficiorum, qui excludit à B. Virgine peccatum originale. Vnde idem Sancto Bruno attribuit etiam Christo creationem Mariæ, quia in ipso dono creationis particeps fuit redemptionis per gratiam illi tunc donatam. Ideò vocans Beatissimam Virginem, Ciuitatem Dei, dixit: *Vnde & de hac Ciuitate, iure gloriosa, & magnalia dicuntur, non solum ab hodiernis, sed etiam ab antiquis Patribus, & Angelis. Nonne enim valdè gloriosum est, quod de ea ipse David, pater eius, in hoc eodem Psalmo, dicit: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Impossibile enim est, quan-*

tum ad alios homines, ut aliquis sit fundator Ciuitatis, in qua nascitur; quia antequam sit natus, non potest fundare Ciuitatem. Sed Christus, qui est Altissimus, per hoc, quod Deus est, ante omnia tempora fundauit Ciuitatem, id est, Matrem creauit, & tamen ut homo in fine temporum natus est in ea. In aliis locis fauet idem S. Bruno omnimodæ puritati Virginis. Hanc plenitudinem gratiæ pro immaculata Conceptione satis plenè allegauit in Concilio Basileensi anno 1436. Ioannes de Segouia.

§. III.

Alia Patrum Classis explicantium salutationem Angelicam pro immaculata Conceptione.

TAM constans hoc est apud Patres, ut pro periphrafi illius clausulæ *Gratia plena*, posuerint talia verba, quæ significarent præseruationem Virginis à peccato originali, aut supponerent sanctitatem eius à primo instanti creatæ eius animæ. Sanctus Fulbertus, qui centum ante sanctum Bernardum annos floruit, eruditione, sanctitate, & miraculis clarus, in expositione Angelicæ salutationis, ait: *Aue Maria electa, & insignis inter filias, que immaculata semper exististi ab exordio tua creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.* Hunc eundem locum citat Glossa ordinaria in cap. ad Romanos, videatur editio Lugdunensis anno 1590. Clarissimè etiam Ioannes Geometra, præsignis inter Ecclesiasticos vetustatis Græcæ Scriptores, hymno 3. dixit: *Aue primæni libera labe Patris.* Sanctus Amphilo-chius Iconien-sis, orat. de Deiparat *Aue superimmaculata.* Sanctus Iosephus Confessor in Menæis Græcorum, die 2. Ianuarij, Ode 5. *Aue cadentis mundi erectrix, nulli unquam culpa subiecta.* Ibidem ait: *Aue, que es pratum totius fragrantia sancti Spiritus.* Item: *Aue que es puteus semper uiuentis aqua.* Ibidem: *Aue igitur semper, Aue gratia plena.* Vbi supponit semper fuisse gratiam in Virgine, nullatenusque illi defuisse. Sanctus Andreas Hierosolymitanus in salut. Angelica: *Aue laticia organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compensatio, verè benedicta. Aue electa Deo antequam genita.* Item: *Aue sancta uirginalis tellus, ex qua nouus Adam ineffabili fitione formatus est.* Deindè: *Aue noua Dei Arca, in qua Dei spiritus delapsus quieuit.* Quàm apertè immaculatam Virginis Conceptionem affirmauerit hic sanctus Andreas, satis constat ex iis, quæ de illo afferimus in epistola de doctrina Patrum. De sancto Germano iam produximus aliqua; adhuc autem addemus alia, orat. de Natiuit. Virginis, ait: *Aue Mater immaculata, & uirgo acquisitionis. Salue pulchritudinis diadema, genere Regina, Regiisque ubique curata prerogatiuis. Gaude sacrum Christi delubrum, qui solum in adytis, sanctisque Sanctorum secundum ordinem Melchisedech sacrificauit. Gaude Virga Aaron, radix Iesse, sceptrum David, Regium indumentum, gratiarum corona, typus uirginitatis, non scriptum sanctimoniam folium.* In iis sententiis comprehendit puritatem originalem ex dictis apparet, & ex dicendis constabit. Sanctus Ioannes Damascenus in Menæis, die 22. Ianuarij: *Aue columba electa,*

que mentem habes pennis inauratis spectabilem. *Aue speciosissime turtur, eximia super omnes hirundo, passer-cule nitidissime, absque ulla nauis, uel umbra. Aue agno Dei nostri granida agna.* Idem die 27. Ianuarij: *Aue scaturigo dulcedinis. Tu nobis demonstraris pratum manu diuina constitum: odorifer item hortus existis, cuius germinum sator, & cultor extiterit Deus. Illæ voces constitum, & sator, referuntur ad Conceptionem passiuam Virginis, cum fuit diuina manu lata uirga Iesse semper florens. Et indidè Stropha 4. & 5. *Aue flos ex natura humana electa.* Et oda 7. *Aue munditiarum omnium promptuarium, &c.**

Non solum in Officiis Ecclesiasticis Græcorum hoc inuenitur, sed etiam Latinorum, in hymnis Missalis cuiusdam antiqui, quos affert P. Antonius de Balinghen, in Parnasso Mariano, sic canebatur.

P. Antonius de Balinghen.

*Aue, ò dulcis Maria,
Christi Mater, & filia
Vlla sine macula,
Tu à Deo fabricata
In conceptu præseruata
Nulla trahis scelera,
Aue Regina cælorum
Omni laude dignissima,
Quæ concepta es uiriorum
Sine labe purissima.
Salue Virgo singularis,
Vere sacra Margarita,
Salue quia stella maris,
Et sine labe concepta.*

Chrysiippus Hierosolymitanus in orat. de Laudibus Virginis: *Aue Solis ortus, qui nullam ferre potest occasum.* Nam si peccati originalis densa operiretur caligine, in tenebris extitisset, ac occasum passa esset. Sanctus Theodorus, Nouus cognomine, orat. de Natiuit. Virginis, multas eiusmodi periphrafas, quæ in idem recidunt de immunitate Virginis, congerit: *Aue rubus, conser-tum igni miraculum, quem rubigo peccati non tetigit; nam & plama fuit intacta. Aue urna, confectum ex auro uas, quam nulla delicti labe infecit. Aue sanctuarium, fons diuina scaturigine fluens, omnis sanctimonia plena. Aue liber sigillis signate, quem nulla excogitabilis corruptela maculat. Aue codex noue, quem nulla prorsus attingit corruptio. Aue aurum mundum, spiritus igne probatum in uita fornace, nullamque habens nequitia labem. Aue lignum impuribile, qua ad peccandum prone corruptionis vermem non admisisi. Aue illibata, omni reprehensione sublimior.*

Chrysiippus Hierosolymitanus.

S. Theodorus Nouus.

Tandem sic metricè interpretatus est sanctus Casimirus salutationem Angelicam in hymno de Beata Virgine part. 2.

S. Casimirus.

*Virgo salue, per quam ualua
Cæli patent miseris,
Quam non flexit, nec allexit,
Fraus serpentis ueteris.*

Per uerbum *non flexit*, notauit rectitudinem iustitiæ originalis; per illud *nec allexit*, constantiam actualis sanctitatis.

S. Fulbertus.

Ioannes Geometra.

S. Amphilo-chius.

S. Iosephus Confessor.

S. Ancreas Hierosoly-mitanus

S. Germanus.

S. Ioannes Damascenus

Ioann. Euseb. Op. Parth.

§ IV.

Tertius Modus explicata à Patribus salutationis Angelicæ pro immaculata Conceptione.

Alij Sancti, & Ecclesiastici Doctores confirmant idem, adnotantes insuper, per illud verbum *Aue* contrapositionem *Eua*, & *Mariae*, quæ fuit sine *væ* illius culpæ, quæ est deducta ab *Eua*. Vnde excipiunt *Virginem* à peccato originali: quæ expositio est ex communi sensu Doctorem, vt testatur doctissimus Thomista *Viguerius* in institut. Theolog. cap. 20. de mysterio Incarnationis, dicens; vbi loquitur de Annuntiatione: *Theologi, & Expositores duo dicunt: Primo, quod Aue, est dictio composita ex litera A, & ve, interiectione execrantis, & maledicentis, & sic significat absque ve, seu maledictionem, tam peccati originalis, quam venialis & mortalis. Secundo dicunt, quod hæc dictio (Aue) evertit è regione contraria, hoc nomen Eua, quod imposuimus fuit primæ mulieri, ad ostendendum quod Diua Virgo fuit totaliter contraria Eua. Ideo cantat Ecclesia, sumens illud Aue, mutans nomen Eua. Ipse quoque Viguerius postea aut ex propria sententia: Aue, hoc est sine *væ*, sine macula exteriori, & interiori. Ideo tota pulchra. Concludit hic negationem maculæ, etiam originalis, immaculatamque *Virginis* Conceptionem egregiè, atque iteratò in eo capite affirmat, & confirmat. Videamus iam aliquos Sanctos, & Theologos viros, antiquitate, & doctrina venerandos, qui hæc expositionem habent.*

B. Albertus Magnus.

Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana in Euangelium *Lucæ*, cum numerasset multa *væ*, à quibus libera fuit *Beatissima* Virgo supra omne genus humanum, inter illorum enarrationem, ait: *Est aliud triplex *væ*, scilicet culpa, pœna, ignorantia. Pœna culpa est triplex, scilicet originalis, actualis mortalis, venialis. Et tandem concludit: Sine isto multiplici *væ* fuit *Beatissima* Virgo *Maria*. Quid clarius? Idem repetit Albertus in libro de Laudibus *Virginis*, super *Missus est*. Sanctus Bernardinus Senensis tom. 1. Serm. 52. de salutatione Angelica: *Fuit enim Beata Virgo sine primo *væ*, id est, sine tyranno concupiscentia peccati originalis, quia sine eo concepta est, teste Salomone Canticor. 4. didicimus, qui ait: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, scilicet originalis culpa. Hugo Cardinalis, verbum Angeli dum explicat in Euangelium *Lucæ*: *Aue* (inquit) sine triplici *væ*, scilicet corruptionis, grauitatis, & doloris, quod incurrit *Eua* per peccatum, quod ab ea omnes mulieres (præter *Mariam*) quasi iure hereditario contraxerunt. Egregiè iam laudatus *Arnestus* Pragensis, in lib. de excellentiis *Virginis*, cap. vltimo ait: In totius veteris Testamenti serie non inuenitur vnum *Aue*; sed separatim *a, a, a*, propter triplicem incommodum peccati originalis, scilicet infirmitatis in irascibili, pronitatis in concupiscibili, cecitatis in rationabili; *væ, væ, væ*, propter triplicem scaturiginem peccati actualis, scilicet cordis, oris, & operis: *Maria* igitur sola fuit à *væ*. Hoc est, sine *væ*.**

S. Bernardinus Senensis.

Hugo Cardin.

Arnestus Pragensis.

Petrus de Alliaco.

Petrus de Alliaco Cardinalis sanctæ Ecclesiæ, in meditatione super salutationem Angelicam, deuotissimè dixit: *Audi igitur, o clemens Maria, tuam gratissimam salutationem, Aue. Nul-*

la tibi esse potest gratiosior, acceptabiliorne salutatione, eà, quam Deus per Angelum suum *Gabrielem* transmisit de cælo. *Aue* inquit, o *Virgo* saluifera, quæ *Eua* maledictione in benedictionem transferens, sola esse meruisti sine *væ*. Meruisti quidem non tuâ iustitiâ, sed diuinâ gratiâ, vt sola esses sine *væ* culpa venialis, & mortalis, & (vt piè creditur) etiam originalis. Hugo de Prato florido, serm. 2. de Conceptione, similiter interpretatur vocem *Aue*, per carentiam totius miseræ, & *væ*, illius; & quamuis in explicacione diuertat se ad effectus peccati originalis, siue fructus illius, quibus caruit *Beatissima* Virgo, supponit tamen sine ipsa radice fuisse, scilicet, sine ipso peccato originali, quod satis expresse rat in sermone primo, vbi ait: *Beatissima* Virgo potest dici nubes leuis; quia non fuit onerata pondere peccati. Quod amplius explicuit serm. 1. de omnibus Sanctis, dicens: *B. Maria* dicitur nubes leuis, quia ab omni sarcina peccati, tam originalis, quam actualis liberata. In eodem gradu immunem *Deiparam* facit ab originali, atque ab actuali.

Hugo de Prato florido.

Alexander Alensis commentariis in *Lucam* ad Euangelium super *Missus est*, sic ait: *Aue* gratia plena, Dominus tecum. In hac salutatione commendat Angelus quatuor in *Diua* Virgine: Primo, vniuersalem culpæ carentiam, cum dicit, *Aue*. Secundo, redundantem abundantiam gratiæ, cum subdit, gratia plena. Tertio, specialem *Dei* presentiam, cum addit, Dominus tecum. Quarto, singularem super mulieres prerogatinam, cum addit, benedicta tu in mulieribus. Ibidem: *O gloriosa Domina*, quæ & culpa caruit vniuersaliter, & gratia nituit abundanter, & Deum, habuit specialiter, & mulieres præcelluit singulariter. Dicit ergo *Aue*, quod dicitur, ab *A*, quod est sine *væ* quia sine *væ*.

Iacobus Ianuensis.

Iacobus Ianuensis in sermonibus aureis, siue *Mariæ*, serm. 16. *Virgo* Beata habuit magnam pulchritudinem. Tunc autem anima est pulchra, quando est sine peccati macula, & illud notatur cum dicitur: *Aue*, id est, sine *væ* alicuius peccati, siue originalis, siue mortalis, siue venialis. Ideo sponsus eam alloquitur, dicens *Canticor. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ipsa enim fuit pulchra, quia sine peccato originali. Fuit tota pulchra, quia sine peccato mortali. Et fuit *Dei* amica: quia tota pulchra amore cælesti.*

Idem Doctor eximius *Dominicane* Familiæ Ecclesiastes serm. 6. de Annuntiat. *B. Virginis*, sic loquitur: *Primo* namque habuit pulchritudinem, cum dicitur *Aue*, id est, sine *væ* peccati, fuit enim tam pulchra, quam fuit sine macula. *Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, ipsa enim fuit pulchra, quia sine peccato originali, tota pulchra, quia sine peccato mortali, & sine macula, quia sine peccato veniali, & non tantum fuit pulchra; sed habuit pulcherrima ornamenta.*

Petrus Ieremias, qui olim etiam in *Dominicana* Familia literis, & sanctimonia claruit, in serm. 1. de Annuntiat. *Virginis*, ait: In veteri Testamento legitur bene, sepius Angelos mulieribus apparuisse: sed eas non salutasse: sicut patet de *Agar*, *Genes. 16. & de Sarra*, cui Angelus promisit filium. *Genes. 8. Item de uxore Manue* *Iudic. 7. 3.* sed *Virginem* salutauit, vt innueret ipsam esse principium salutis humane: dixit ergo *Aue* primo sine *væ*, mutans nomē *Eua*, quia quicquid maledictionis fuit in *Eua*, in bene

Petrus Ieremias.

benedictionem conuertitur in *Maria*, tam egregius assertor immaculatae Conceptionis fuit hic Doctor, ut in serm. 2. de Natiuit. Virginis, dixerit: *Virgo Maria fuit sanctificata antequam nata, non a peccato quod habuit, sed a peccato quod habere potuisset.*

Gabriel Biel scholastica doctrina, & antiquitate celebris, in serm. 2. de Conceptione, loquens de Beata Virgine, tamquam de muliere forti, ait: *Procul de ultimis finibus pretium eius, Proverb. ultim. Innocentia finis est humani generis. Nam ab innocentia principium sumpsit. In innocentia enim creatus est Adam: ad innocentiam etiam reductur, cum omnes predestinati illuc assumuntur. Quo nihil ingreditur inquinatum. Ab his itaque terminis, siue finibus, a quo, & ad que, id est, innocentia, qui procul sunt a ceteris hominibus, pretium huius fortissime mulieris. Ceterum hominum peccatum non de innocentia; quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, Roman. 2. Sed iustificatione post lapsu: huius solius de ultimis finibus, id est, innocentia, recte pretium attollitur: quam nulla unquam nec originalis, nec actualis culpa maculauit; propter quod etiam Angelus a Deo ad hanc Theotocom missus, ab eius innocentia laudes exorsus est. *Aue*: quod interpretatum est sine vae: vti que macula, atque culpa. Subtiliter quoque in sermone 3. ait: *In prioribus festiuitatibus de Virginis Conceptione patuit; licet breuiter, quam apte ei dicatur Aue, quod secundum interpretationem sonat siue vae, & presertim prout illi festo conuenit; siue vae originalis peccati. Nunc superest tractare, quod non minus singulariter, & proprie ipsum verbum Aue ei conuenit, consideratum secundum oppositionem, quam habet ad nomen prime matris Eue. Quo respectu Ecclesia de ipsa canit. Sumens illud Aue Gabrielis ore: funda nos in pace, mutat nomen Eue. Componuntur enim hec due dictiones Aue, & Eua, ex eisdem tribus literis a, e, u, scilicet opposito ordine combinatis. Nam ea litera, que vnam initiat, aliam terminat; & e conuerso. Quod nequaquam mysterio carere putandum est. Et licet ipsum perfecte indagare non valemus: saltem ea, que ex Patrum sententiis huic mysterio congruunt, ut possumus, explicemus. Aptè siquidem aue ad Mariam Angelus personat: cui Eua opponitur. Quoniam veteris Eue conditionibus Virgo nouella aduersatur. Opponitur autem Eua Maria quantum ad personalia, & quantum ad propagationis principia. Quantum ad personalia; id est, propria personarum, siue actus personales Eua Maria opponitur, tam in earum productione, quam in conuersatione: quoniam Eua de massa innocentie, casta videlicet innocentis viri Ade formata, sibi innocentiam perdidit: nobis originale peccatum inuenit; Maria vero de massa perditionis, siue perditione concepta peccatum originale perdidit; primo innocentiam inuenit, eumque qui omnium diluit peccata, immaculatum edidit immaculata. Et paulo post non minus ingeniose, & pie, addit: *In personalibus, & quoad productionem, & quoad conuersationem Eue Maria opponitur. Quod congrue per vocabulorum Eua, & Aue oppositionem designatur. Eisdem enim literis componuntur, non autem eodem ordine, sed ordine conuerso. Sic Maria, & Eua eisdem constant naturalibus, corpore scilicet, & anima, anima que potentiis; sed oppositis actibus, opposita conuersatione, & usu. Significat autem e, litera, que semicirculus est, & imperfectus, hominem, cuius imperfectionem Propheta professus, imperfectum meum (inquit) viderunt oculi tui. Et Isai: cap. 4. Hominem propter suam imperfectionem, & fragilitatem***

Ioann. Euseb. Op. Parth.

tem seruo, gloriam quoque eius flori comparat decidendi. *A*, vero, quia prima littera est, principium representat, quod est Deus. Hinc in Apocalypsi frequenter repetitur. Ego sum Alpha, & Omega: principium, & finis. *V*, vero, quod ab vnione linearum in cono incipit, & ad diuisionem earundem tendit, vnionem in principio, diuisionem in fine figurat. Prima itaque mulier, que a sui amore cepit, se inordinate dilexit, omnia in seipsam ordinando sibi vnuit; sibi que subiici concupiuit: & ita a Deo, quem contempsit, se diuisit, recte Eua nominatur. Que vox ab *E*, quod hominem significat incipit; per *V*, quod cum principio, *E*, id est, homine vnionem, & diuisionem a finali littera *A*, id est, Deo important. Maria vero, que a Dei amore incepit, omnia in Deum ordinando, ac referendo, sibi nihil attribuit, nihil concupiuit, cum *A*, id est, Deo vnita, ab *E*, id est, se homine penitus diuisa, facta sibi velut vas perditum, ut in Domino se inueniret, apte per *Aue* saluatur. Ipsa est enim, que in Canticis Domino ait: Ego dilecto meo. & dilectus meus mihi. Libenter allegaui hæc ex Gabriele, serio quidem Doctore, & rigido scholastico, ne videantur prædictæ considerationes esse minoris grauitatis, quam pietatis.

Ioannes Vitalis in defensorio Beatæ Mariæ lib. 4. cap. 5. ait: *Aue sonat sine vae, id est, sine labe, & per consequens ipsa fuit sine vae originalis culpa. Sapienterque commendat Conceptionem Deiparæ immaculatam, ex eo quod fuit sine vae; allegatque antiquos Doctores, qui idem senserunt, & affirmarunt, ut doctissimum Richardum Mediauillanum, & Rationarium Parisiensem.*

Richardus de Mediauilla, qui fuit ex primis scholasticis antiquitate, & doctrina celebris, in tractatu super *Aue Maria*, supponens prædicta dixit: *Aue gaudens in prosperis. Lux distincta præ ceteris a rebus obscuris. A, vae cordis, & operis. Originalis. In rigore iuris. Vae quod est ignominia, vel labe ignoscencia. Te non maculauit. Tecum primum principium. Ne contraheres vitium. Iuste dispensauit. A te Mater, & filia Regis, qui potest omnia, peccatum secerno. Hæc summa decentia derogat contraria honor materno.*

Romanus Parisiensis, qui tanquam antiquus scriptor citatur etiam ab antiquis, eundem sensum habuit, quem ita citat Ioannes Vitalis in defensorio lib. 4. cap. 5. Romanus sic ait: *Imperio natura Dei sic fabricat eam, ne fax, ne vitium, ne nota fiedet eam; ut in lib. 7. epithal. iste auctor probat hoc idem per Aue Angelicum isti Virgini pronuntiatum, quia aue sonat sine vae.*

Similiter sanctus Antoninus, quamuis alioqui videatur propensus in opinionem affirmatiuam; at cum accessit ad explicandum verbum *Aue* in salutatione Angelica, non est ausus negare originem puritatem Virginis, etiam abique peccato originali, in 4. part. tit. 14. cap. 13. §. 4. ait: *Ostenditur ex hoc verbo singularitas Maria, sibi enim soli congruit hoc verbum Aue, quod deriuatur ab illo, quod est sine vae, quasi sine vae; vae autem importat miseriam: nulla autem pura creatura est, que sit sine vae, nisi Virgo Maria. Collocat Virginem solam in eadem sorte cum Christo; siquidem dixit, nulla pura creatura. Puriores autem creature sunt Angeli sancti, & infantes, qui obierunt in gratia, quos omnes supponit sanctus Antoninus habuisse aliquod vae; quo tamen Deipara caruit: & cum infantes habuissent vae peccati originalis, caruit illo sanctissima Virgo. Angeli licet non habuerunt peccatum originale, habuerunt periculum peccandi*

peccandi, hoc est, vā, siue miseria peccabilitatis. Virgo autem ex priuilegio nunquam habuit hoc vā, prout alibi aduertimus.

Richard. de
Sanct.
Laurent.

Sanctius
Porta.

Richardus de Sancto Laurentio, lib. 1. de Laudib. Virginis, & S. Bonauentura serm. 2. de Deipara, similia cum aliis multis habent. Locupletius tamen de hoc egit Sanctius Porta (qui floruit temporibus sancti Vincentij Ferrerij) serm. vltim. de Natiuit. Virginis, & in editione Marialis Lugdunensis anni 1513. est serm. quintus de Incarnatione, quem pronuntiauit coram summo Pontifice, dicitque inter alia: *Dies Angelus dici Virgini eructat verbum, scilicet, Ave gratia plena, Dominus tecum, & non diabolus nocti Eua, tenebrose indicat scientiam, Genes. 3. Erutis sicut Dij, scientes bonum, & malum. De qua quidem Eua, & Virgine, Beatissime Pater, ad propositum dico tria: Primum, quod per Euam innocentia perditur, sed per Virginem reducitur. Primum, Eua fuit nomen in statu natura lapsa; virago in statu innocentia, Genes. 3. & 2. Sed quis hoc reduxit nomen? Quis hanc reduxit rem, nisi Virgo; virago, syncopatum remanet Virgo. Secundum dico, quod per Euam triplex vā, triplex dolor acquiritur. In hoc termino, Eua est triplex interiectio dolentis a, e, cu, à quibus Virgo excipitur, prout superius. Tertium, & vltimum dico, & sequitur ex duobus primis, quod rectè per Euangelium, Ave, ubi conuertitur, & mutatur nomen Eua, Virgini proponitur, ex quo per Virginem Eua commendatur, & corrigitur. Aded autem placuit hoc illibatae Virginis encomium, & eius immaculatae Conceptionis elogium summo Pontifici, vt propter hunc sermonem constituerit Magistrum sacri Palatii ipsum Sanctium. Nec contemnenda est hæc consideratio de transmutato nomine Eua in Ave, cū n eam probauerit Ecclesia in hymno Ave maris stella. Hinc etiam Patres, tum Græci, tum Latini, propter significationem nominis Ave, quod apud Græcos est Gaude, contra tristitiam ab Eua inductam contraponentes Eua peccatrici Mariam inculpabilem, ostendunt huius omnimodam puritatem, expertem peccati delapsi à primis parentibus.*

S. Bruno
Astensis.

Quas considerationes supponens S. Bruno Astensis lib. 5. sentent. cap. 2. considerans genealogiam Christi, dixit: *Valde quidem ad rem pertinuit, vt Euangelista hanc lineam Christi generationis tam longam componerent, & ordinarent, quatenus sciamus non solum ex Patribus Dominus natus sit: verum etiam vnde mortem, & vnde vitam habeamus. Primum huius lineæ caput est Adam; secundum verò Christus. Hæc linea incipit ab Eua, & desinit in Mariam. In principio mors, & in fine vita consistit. Mors per Euam facta est; vita per Mariam reddita est. Illa è diabolo victa est, hæc diabolum ligauit, & vicit. Eadem inueniuntur in sancto Brunone Carthusiano, sermon. de Natiuitate Virginis.*

Hæc explicatio de gratia etiam originali confirmatur ex turbatione sanctissimæ Virginis, cum dicant aliqui ortam, quod eiusmodi salutaretur, cū esset filia Adæ, memor maledicti originalis, cuius se expertem illa saluatio supponebat, quod satis indicauit sanctus Andreas Cretensis sermon. de salutatione Angelica: *Verisimile enim est, vt de clara stirpe natam, & Danidis Filiam, haud ignaram diuinorum, qua in scripturis habentur, oraculorum fuisse, vt cogitationes suas statim conuerterit ad primi parentis lapsum, in animum secum voluens deceptionis prima casum. Consenta-*

S. And. cas
Cretensis.

nè ad hoc Richardus de Sancto Laurentio lib. Richard de
4. de Laudibus Virginis, col. 240. dixit: *Mirabatur, quomodo benedicta diceretur inter mulieres, cum sciret omnes mulieres maledictas esse in matre sua Eua: & idè cogitabat qualis esset ista saluatio, qua & mulierem dicebat, & benedictam.* Quam turbationem vt tolleret, Angelus appositè respondit: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Quasi diceret: Non est cur turberis, cū non habeas peccatum, propter quod timendum tibi erat; sed gratiam semper habueris. Hinc Basilius Seleuciensis, orat. de Annuntiat. Basil. Seleu-
ait: *Ne timeas Maria; timor est eorum, qui offenderunt; tu verò gratiam inuenisti apud Deum.* Appositè etiam sanctus Petrus Chryologus, S. Petrus
Chryolog.
serm. 2. de Annuntiat. *Verum est, quia qui inuenit gratiam, nescit timere.* Rursus in serm. 4. *Timeat, non qui inuenit, sed qui perdit.* Clarissimè Idiota Idiera.
in contemplat. Virg. cap. 6. *Inuenisti Virgo Maria gratiam cælestem, quia fuisti ab originali labe preseruata.*

Super alia verba Angelicæ salutationis; nimirum, *Dominus tecum, item, Benedicta tu in mulieribus.* Similia Patrum testimonia possent afferri pro immaculata Conceptione; sed dicta sunt satis, vt certum habeamus, quod tot Patres, Scripturæ innixi, testantur, donec Pontificia Cathedra (vt ex dictis potest) infallibile ostendat.

Verum, vt hoc magis confirmem, addo, præter tot Patres allegatos, neminem alium esse, qui immaculatae Conceptioni fauerit, qui huic loco non innitatur, quatenus ex illo constat, Mariam electam fuisse Matrem Filij Dei, cum hæc saluatio ad eam fuerit directa, quatenus talem, & secundum tantæ personæ dignitatem intelligenda sit illa plenitudo gratiæ, annuntiata ab Angelo. Cū igitur ex hoc loco certa sit maternitas diuina, & propter hanc dignitatem dixerint omnes sancti, & Doctores, qui id asseruere, conceptam Matrem Dei sine peccato; dicendum quoque est, omnes omnino innixos huic testimonio, cum aliis similibus authoritatibus id sensisse quicumque id docuerunt. Quoniam autem hi plurimi fuerunt, imò innumeri supposuerunt; & ex alia nullus sit in antiquitate, qui Matri Dei certò attribuerit peccatum originale in suæ animæ creatione, & vnione ad corpus: satis concors videtur hic Sanctorum sensus, & intelligentia ex diuina maternitate asserta in Scriptura; de quo ad Sedem Apostolicam attinet pronuntiare infallibilem sententiam. Etenim in his, quæ hæcenus collegi testimoniis Patrum, in sacra innitentium Pagina, nolo asserere, quod de fide sit pia sententia; sed quod certa existat, definibilisque per Scripturam, intellectam à Patribus. Nec quamuis ego dicerem, de fide esse, sufficeret meum priuatum iudicium, vt propterea notarem grauius affirmatiuam assertionem. Sed de maternitate Dei rursus latius agendum.

§. V.

De eodem Argumento ex capite quarto Cantorum.

Pergamus ad alium ex Cantibus Cantorum: Cap. 4.
locum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sancti etiam Patres Ecclesiæ, & vetusti scriptores eodem modo intellexerunt præfatum testimonium: sanctus Bernardinus Sen-
sensis

nensis tom. 1. serm. 52. de salut. Angelica, confirmans immaculatam Conceptionem, ait: *Teste Salomone, Cantic. 4. didicimus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; scilicet originalis culpa.* In eadem tempestate floruit Beatus Laurentius Iustinianus, egregius immaculatæ Conceptionis assertor, atque idcirco sermone de Natiuitate Virginis concludit, dicens: *Tota pulchra, absque delicto, sine mentis, & corporis deformitate.* In ipso quoque sancti Bernardini saculo floruerunt doctissimus Marsilius, & deuotus Perbartus, atque vterque probauit immaculatam Conceptionem Virginis, ex hoc Canticorum loco. Perbartus in lib. 4. Stellarij part. 2. art. 3. Marsilius in 2. sentent. quæst. 20. art. 3. cuius hæc sunt verba: *Sponsa in aliqua sui parte debet esse tota pulchra, & non esset hoc in aliqua parte, nisi Virgo ab originali fuisset præseruata. Ergo: minor patet, quia si fuisset aliquo tempore sub peccato originali, tunc illo tempore fuisset maculata. Ergo non esset Sponsa tota pulchra in Virgine. Nec in Christo. Quia ille est Sponsus. Et ergo licet sit candidus, & rubicundus, & totus desiderabilis. Canticorum 5. tamen hæc non est pulchritudo Sponsæ, sed Sponsi. Nec in aliquo alio; quia omnes alij rei sunt peccati actualis, vel originalis: & sic nusquam esset Sponsa tota pulchra.* Prædictis synchronos fuit eximius ille Theologus Gabriel Biel, qui sermonem secundum de Conceptione, sic concludit: *Credendum est, Beatam Mariam nulli unquam subiaccisse peccato, ut verè de ea dicat Ecclesia, sicut etiam verè canit: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, &c. Rectè ergo ei dicimus Ave, id est, sine vâ omnis culpe, &c.* In eodem tempore sancti Bernardini, deuotissimus Dionysius Rikel, præsignis in omni sacra eruditione scholastica, expositiua, & mystica, ut tribus magnis Scriptoribus æquialere possit, in lib. 1. de præconio Virginis, art. 13. dixit: *In Matris vtero Maria sancta fuit, eo abundantius, præ famulis Muer veneranda extitit. At verò tam excellenti puritate venustanda extitit puellaris caro, & eam super splendenti diuinitati viri dignum esset: ideoque ab omni prorsus macula præseruanda fuerat, quo tanto ministerio congrueret. Optimè ergo tibi optima Virgo competit quod in Canticis Spiritus veritatis asseruit: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Et denuò: Pulchra es amica mea, & suavis, & decora. Rursusque: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quoniam itaque tanta, ut nunc inductum est, sanctitas Mariam decuit, que fontem sanctitatis concepit, & protulit, ab originali quoque culpa immunis esse debuit: præsertim, cum decens appareat, ut hoc etiam honore Filius eius eam veneratus sit. Ad hæc autem, si tota pulchra est, ergo nec originalis culpe maculam accepit; ut putà ab originali, actualique culpa immoxia. Præterea, tanta, ut ait Anselmus, est Maria sanctitas, que sub Deo maior intelligi nequit. Nihil igitur culpe in ea vsquam locum sortitum est. Et hanc positionem defenderunt, qui sacra Virgini deuotissimi fuerunt, Anselmus, deuotissimus Bernardus, sanctus Thomas, & venerabilis Albertus, atque Egidius. In his verbis non solum habemus testimonium Dionysij; sed iuxta illius sensum sanctorum, Anselmi, Bernardi, Thomæ, Beati Alberti Magni, atque Egidij in idem conspirantium.*

In hac eadem tempestate enituit Iacobus Valentinus, Christopholitanus Episcopus, qui in Cant. 5. ait: *Tota pulchra es amica mea, quoad dispositionem membrorum secundum gradus digni-*

tatis, & officiorum, sicut dictum est, & tota es pulchra quoad ornatum virtutum, & macula peccati non est in te. Nam Christus caput huius Ecclesiæ fuit immunis, & liber non solum in persona, sed etiam in natura ab omni labe peccati. Virgo autem Maria fuit præseruata in persona per gratiam ante lapsum. Licet enim prædictum locum intelligat de Ecclesiâ, agnoscit de Virgine, præcipuo eius membro post caput eius Christum, verum esse, quod careat omni macula, etiâ originali.

Gostchalcus Holenus serm. 10. qui est de Conceptione sic ponderat locum Augustini: *Cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere de Beata Virgine mentionem. Et notanter dicit nullam, quia nec originalem, nec mortalem, nec venialem habuit maculam. Ideò benè dicebat ille sapientissimus Rex Hierusalem Canticor. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, &c.*

Aptè quoque Petrus Montius, lib. 1. de vnus legis veritate, vbi latè defendit Conceptionem Virginis immaculatam, in cap. 77. ait: *Quamplures auctoritates comperimus, quæ ab Ecclesiâ commemorantur in Virginis laudem, nec vllam in contrarium legimus. Quæ quidem auctoritates non infectam, & maculatam assignant, imò & totam perfectam, & ab omni labe semotam, quemadmodum habetur in Cantica Canticorum, vbi dicitur: Tota pulchra es amica mea, dilecta mea, formosa, columba mea, speciosa mea, & macula non est in te.*

Isdem etiam annis floruerunt S. Bernardinus, & eximius Doctor, atque Ecclesiastes Leonardus Vtinensis, qui Florentiæ in Curia Romana, & coram Patribus Concilij Florentini, in expositione Verbi Dei enituit; in sermone 46. de Assumpt. ait: *In lege diuinali continetur niueus candor, Sapient. 7. Candor est enim lucis æterna, & speculum sine macula. Hic candor puritatis refulsit in Beata Virgine, Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cuius puritas non est passa vllam impuritatem sibi permisceri, Sapient. 6. Nihil inquinatum in illa introiit, non enim sibi se immiscuit peccatum originale: quia fuit in vtero à Spiritu Sancto sanctificata, nec aliquod mortale, quia fuit Patris potentia roborata; nec aliquod veniale, quia fuit à splendore Filij illustrata, nec aliquod actuale; quia fuit ab igne Spiritus sancti inflammata. Prædictis coæuus fuit sanctus Cassimirus, qui in hymno de Beata Virgine, part. 2. iuxta hunc.*

Canticorum locum, immaculatam professus eius Conceptionem, ait:

*Pulchra tota sine notâ
Cuiuscumque maculæ.*

Circa hæc tempora floruit Alanus Varenus, cuius testimonium circa immaculatam Conceptionem alibi exhibemus; ipse quoque meminit huius loci, in sermone 4. de Laudibus Virginis, dicens: *Quæcumque igitur pulchra, quæcumque fortia, quæcumque sancta, & diuina sunt, ad hanc vnâ pertinent, in cuius laudem canit Sponsus, nec conceleberrè cessat: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, ob cuius insignem puritatem, & incontaminatum Sponsi cubile. Pulchra sunt gene tue, ait, sicut curturis. Conclufit sæculum sancti Bernardini Ioannes Maior qui in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. in hoc Canticorum loco non solum agnouit caruisse Virginem originali macula; sed explicauit per illum inductum fuisse Cõcilium Basileense, ad affirmandam immaculatam Virginis Conceptionem:*

B b 3 quippè

B. Laurent.
Iustinian.

Perbart.
Marsil.

Gabriel
Biel.

Dionys.
Rikel.

Iacobus Va-
lentinus.

Gostch.
Holenus

Petrus
Montius

Leonardus
Vtinensis

S. Cassimi-
rus,

Alanus
Varenus,

Ioannes
Maior,

quippè Concilium in sess. 36. decreuerat, sententiam piam fuisse consonam sacrae Scripturae; sed non significauit locum Scripturae, cui consonam iudicauisset; significauit autem hoc Ioannes Maior, dicens: *Per determinationem Concilij Basileensis in sess. xxxvj. conclusum est, quòd nunquam fuit Virgo subiecta originali, vel actuali, de qua Ecclesia canit: Tota pulchra es, & macula non est in te.* Non laudo in hac auctoritate Concilium Basileense, tunc temporis non legitimum; sed tot Episcopos, & Doctores, qui in illo adfuerunt, & hunc sensum tenere.

Ioannes
Menefius

Ioannes Menefius, qui ab aliis dicitur Beatus Amedeus Lusitanus, qui cum magna sanctitatis opinione claruerit Romae, tam Pontifici, quam Cardinalibus, ceterisque omnibus clarus, atque venerabilis, ut inquit Spondanus, & ex diuinis colloquiis, atque reuelationibus Apocalypsim composuerit, quae tunc acceptissima, postea à diuersis adulterata, primam illam auctoritatem amiserit; nihilominus quia ex raptu quarto inuenio allegata à grauib; Auctoribus quadam uerba de pulchritudine etiam originali Virginis, non puto in his adulterium aliquod commissum, ac propterea illa hic representabo: *Iustum, & rationale fuit, ut Mater Dei tanta puritate splenderet, & tanta pulchritudine fulgeret, ut sub Dei nostri pulchritudo nulla in terris, aut in caelis maior cogitari possit. Tota enim pulchra es, & nulla macula in te est, nihil in te horridum, nihil tetrum, omnia splendens, omnia rutilans, &c. Unica es columba sine felle, unica immaculata.* Ipse Menefius mirè praedicauit immaculatam Conceptionem, sicut & sanctus Andreas, quem induxit loquentem praedicta uerba.

Leonardus
Noguerol.

Leonardus Noguerolus in Epistola ad Sixtum Quartum, & in officio amplectitur hanc expositionem, illic supponendo librum Canticorum celebrare etiam immunitatem Virginis originalem, hic expresse dicens: *Tota pulchra es, & macula originalis non est in te.*

Sixtus IV.

Sixtus Quartus consequenter commendauit hanc explicationem in decretali, *Cum praerexcessa.* Accedat Discipulus, sed planè non ignobilis Doctor, ex Praedicatorum Ordine, qui ferm. 162. ait: *Prima dignitas M. r. a est, quòd eam ab omni peccato mortali, veniali, & originali mundauit, & custodiuit. Rari sunt, qui sibi caueant ab omni peccato mortali. Rariores sunt, qui caueant à veniali. Rarissimi, qui nascantur sine originali. Ideò rarissimi, quia non inueniuntur, nisi tres in nouo Testamento, scilicet, Christus, B. Virgo Maria, & B. Ioannes Baptista. De Virgine enim Maria dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Mundare accipit, ut solent alij accipere pro Praeseruare, tum quia aequaliter loquitur de peccatis actualibus, & originali, tum quia satis se explicuit, addens uerbum custodire. Eundem sensum habet sermo sequenti. Sed clarius ferm. 5. de Sanctis per circuitum, ubi ait: *Maria in conceptione praeseruata est ab originali.*

Stephan. Au-
relianensis
Episcop.

Placet quoque hic appendere alium Dominicanæ Religionis Doctorem, qui modò occurrit; is est Stephanus, Aurelianensis Episcopus, qui Homilia 75. in die Annuntiationis, ait de Beata Virgine: *Ita certè copiosa benedictione cumulata, ut excepta illa si dixerimus omnes, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. At cum de peccatis agitur, nullum prorsus, cum ea negotium habemus. Dilectus eius candidus, & rubicundus, electus in*

millibus. Illa tota formosa es amica, tota pulchra, & suavis, totum corpus lucidum, non habens partem ullam tenebrarum; sed nec macula, aut ruga in hac Sponsa inuenitur: quae Dei Mater electa, Virgo, & incorrupta in aenum permansit. Eadem confirmat Homilia 74. & fortassè clarius.

Paulò ante sanctum Bernardinum Ioannes Ger-
son in duobus sermonibus de Conceptione, qui extant in tom. 4. ex praedicto Canticorum loco probat praeseruationem Virgineam, atque utriusque sermonis hoc thema proposuit: *Tota pulchra es, &c.* Ante Gerfonem Sanctius Porta, ferm. 1. de Natiuit. Virginis (qui in Mariali editionis Lugdunensis, anni 1513. est decimus quintus) conferens illam cum libro, ait: *Composita enim est ex pergamenis Virgineis albissimis, à quocumque humore peccati totaliter desiccatis; propterea eius materia fuit pergamena virginea pulcherrima, sine quacumque macula. Ideò dicit sibi suus gloriosus Sponsus Christus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Satis perspicuè idem Porta priuilegiatam Virginem à peccato originali commendat, dum ait: *Hæc priuilegiatissima Virgo habuit mali carentiam; unde excipitur à regula generali.* Quod sæpè iterat; sed egregiè in sermone de Conceptione, qui extat in Mariali editionis Lugdunensis, anni 1513. hæc dicit: *Beata Virgo non habet maculam originalem, nec ueniale, nec actualem, & propter hoc dicit sibi Sponsus suus Christus Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula in te non est. Quia nullam habeat peccati maculam: in hoc super omnes sanctos fuit priuilegiata.*

Hæc elogia pulchritudinis, & puritatis Virginis, scripta à Porta, dum legeret seruus Dei venerabilis frater Carmelus, ex Ordine Beatae Mariae de Mercede, accidit, quod refert Bernardus de Vargas, in Chronico Ordinis Mariani de Mercede, tom. 1. lib. 2. cap. 3. *Quadam nocte genuflexus in cella sua, coram deuotissima Virginis Mariae imagine, dum legit, manibusque tenet primum, & deuotum librum, cuius Auctor est Frater Sanctius de Porta, dum uentum est ad illum locum, in quo Auctor iste delineamenta, & pulchritudinem Virginis Mariae ex sacra Scriptura locis depinxit, tunc in ecstasi per aliquod temporis spatium raptus, & ad se deinde reuersus calamum accepit, & in eiusdem paginae margine, hæc sua manu scripsit uerba: Ita est, & ego uidi. Et ex ea hora solebat quotidie ad laudem, & deuotionem Virginis Mariae nostras fratres inuitare, & pulchritudinem eius summis laudibus, & præconiis commendare; quibus inter alia dicere solebat: O Patres, & fratres mei, quàm bonum, & meritorium opus est Virgini Mariae deservire, quàm gratissima, simulque pulcherrima est cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Tota est pulchra, & macula non est in ea. Bene de ea scripsit Frater Sanctius Porta. Quae dum proferebat, non se à lacrymis abstinere ualebat. Praefata uerba sua manu in margine libri eius Auctoris exarata, non eo uiuente; sed post mortem eius, non sine admiratione inuenta sunt. Accidit hoc, ut ex aliis Auctoribus explicabitur postea, cum accessit ad commentandum seruus Dei Carmelus illum uersiculum Canticorum *Tota pulchra es, &c.* fuitque tunc illustratus de ueritate immaculatae Conceptionis, de quo postea Bernardo de Vargas consentit Marcus Salmeron, Generalis praedicti Ordinis, in saeculo 4. commemorat. 47. uterque enumerat opera, quae scripsit iste seruus Dei, qui inclaruit literis, doctrina,*

Ioannes
Gerfon.

Sanctius
Porta.

Bernardus
de Vargas.

Venerabilis
Fr. Carmel.

doctrina, & sanctitate. Vnde eius testimonium accedit, & commendat, auctoritatem Sanctij Portæ.

Alexander V. Luculentissima testificatio est Alexandri V. Pontificis maximi, qui assumptus est ad summum Pontificatum anno 1409. antea enim dicebatur Petrus Philargus, sed communiter appellabatur Petrus de Candia, qui aureum fecit tractatum de immaculata Conceptione, cuius meminere, & citant Benedictus Veronensis, Bernardinus de Buftis, & alij plures, atque ego ipse illum vidi, & legi manuscriptum, mutuatum à Reuerendissimo P. Fr. Petro Manero, Generali Seraphici Ordinis Ministro. Cuius tractatus vltima verba valde animaduerti, iisque concludit librum, & sunt sequentia: *Nulla ratione me ad hoc cogente, sed sola deuotione purissima firmiter credo, similiter fateor, quòd Beatissima Virgo Maria Dei Genitrix super Choros Angelorum exaltata, nunquam fuit sordibus originalis criminis deturpata. Cum sibi dicat Sponsus in Canticis Canticorum: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Et ad sic credendum omnes Christi fideles exhorror: quia ubi per ignorantiam à veritatis tramite deuiare potius volo, laudans dissimulare, quàm vituperans descere. Et idè parui ingenij virum reputo illum, qui propter rationes, quibus vtuntur Doctores, tenet vnã partem, vel aliam, cum huiusmodi rationes sunt de leui solubiles. Sola igitur deuotio, amantissimi fratres, moueat puritatem ab omni crimine Beatissimæ Virginis Mariæ, totis viribus commendare, ad cuius laudem, & honorem, iste articulus motus exiit, quoad profens in hoc terminatus.* In hoc testimonio Alexandri considerandum est præcipuum eius fundamentum ad asserendam Immaculatam Conceptionem fuisse deuotionem debitam Matri Dei, simul cum prædicto Canticorum loco: cætera autem argumenta Scholasticorum non ita æstimasse valida. Verùm hoc fieri potuit ante approbationem huius festi ab Ecclesia, & constitutiones Sixti Quarti, quæ extant in iure: nam ex illis validissimum iam sumitur argumentum, vt vltra pietatem etiam vis rationis luadeat, & cogat ad venerandam immaculatam Conceptionem: superioribus autem temporibus non ita constabat hæc veritas ex vi alicuius rationis, ex traditis ab Ecclesiasticis Doctoribus, qui nec explorarunt multitudinem Patrum, nec bene nouerunt festiuitatem antiquam in Ecclesia Græca in honorem Conceptionis immaculatæ, neque eiusdem traditionem. Deinde considerandum est, prædicta verba dixisse Alexandrum, cum iam fortallè erat summus Pontifex, alloquutus omnes Christi fideles tanquam communis Pater filios. Vnde hunc tractatum videtur, aut absoluisse, aut perfecisse post assumptionem suam. Vbi autem vsus est verbo *definire*, solum voluit significare certam assertionem, nimirum idem quod verbum *affirmare*: Fortasse hinc occasio fuit, vt nonnulli deciperentur, dicentes ab hoc Alexandro definitam hanc veritatem, de qua videndus est noster Ferdinandus Salazar.

Petrus Alliacensis locum hîc habet, qui super salutationem Angelicam egregiè, & perspicuè dixit: *Meruisti quidem, non tua iustitia, sed diuina gratia, vt sola esses sine vâ culpa venialis, & mortalis, & (vt piè creditur) etiam originalis. Vt insuper esses sola sine vâ miseria finalis, hoc est, pœne purgatoria, vel infernalis; vt tibi merito à*

Sponso suo intelligatur illud dictum esse in Canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sancta Brigitta etiam dixit lib. 5. reuelat. 13. *Maria fuit vas mundum, & non mundum. Mundum verò fuit, quia tota pulchra, & tanta immunditia non inueniebatur in ea, vbi cuspis acus infingeretur. Sed non mundum fuit, quia de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt filius meus de ea sine peccato nasceretur.*

Sanctus Vincentius Ferrerius, quem alibi ostendimus eximium assertorem immaculatæ Conceptionis, eandem sententiam sequutus in distinctionum libro in centesima distinctione commendans omnimodam Virginis puritatem, adè sine peccato, & sine vâ, vt quia purior fuerit Angelis, notet: *Angelus dixit Mariæ, Dominus tecum, scilicet, dixit Bernardus, plusquam cum mecum, Angelo, vel alia creatura, & placet istud verbum magis, quam quodlibet aliud, vt dicit sanctus Thomas: ob hanc omnimodam puritatem ait: Super omnes fuit clara in puritate, quapropter Spiritus sanctus de ea philocaptus, sicut aliquis mundanus, de muliere pulchra, & sine macula per os Salomonis fecit cantilenam vnã de ea, scilicet, Cantica Canticorum, in qua dicit cap. 4. Tota pulchra es amica mea, macula non est in te.*

Petrus Ieremias vetustus Ordinis Prædicatorij alumnus, in sermon. de purissim. Virg. ait: *Virgo Maria fuit in tantum sine aliqua macula, quòd Spiritus sanctus filocaptus de ea dixit: quam pulchra es amica mea, quam pulchra, & decora, & infra: Tota pulchra es amica mea, & macula non est, Cant. 4. Nota, vt dicitur pulchra, in anima sine cogitatione mala, &c. Secundo, in ore non loquendo malum, &c. Tertio, in toto corpore, quia nunquam in aliquo peccauit, &c. Vnde ait Anselmus, in libro de conceptu virginali: quòd decuit Virgo Maria ea puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi.*

Ioannes Vitalis in defensorio Deiparæ, lib. 4. cap. 2. alludens ad illud sancti Andree, & S. Dominici ait: *Sicut primus Adam fuit in agro Damasceno de terra virginea, & immaculata formatus, ita secundus Adam Christus de matre virgine, & immaculata incarnatus per id Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & quòd plus est, addit hunc fuisse sensum Catholicorum, tempore Albigenis, his verbis: Verisimile est, quòd ista erat opinio omnium Catholicorum, in Concilio Albigenis scilicet, Mariam fuisse sine originali, quia ex sua contrad. probant Albigenes, Christum filium Mariæ non fuisse verum Christum promissum in lege. Item lib. 3. quæst. 9. probat Virginem non fuisse conceptam in peccato, concludens: *Quia tunc sequeretur, quòd non fuit ab vtero tota pulchra, & sine macula contra Scripturam.* In alijs argumentis affert prædictam auctoritatem, vt probet immaculationem Conceptionis virginæ, seque remittit ad cap. 1. ad sermonem de immaculata ad cap. 1. quem fecit Parisiis, sub hoc themate: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.**

Circa tempora sanctæ Brigittæ vixit Matthæus Augustus, qui in comment. in Cantic. cap. 4. dixit: *Considerans ipsam totius prorsus labis expertem Deiparam totius orbis causam esse salutis ad ipsam diuino succensus Spiritu exclamauit, dicens: En tota pulchra es proxima mea, & macula non est in te.* In Græco est Panamomon, hoc est,

est, *super immaculatam*, dicere volens ascendisse supra omnem puritatem creatam, adhuc ultra iustitiam etiam originalem, si fieri posset.

Alanus Insulensis.

Doctissimus Alanus Insulensis, eruditissimus, & locupletissimus Scriptor, qui tempore Alberti Primi floruit, sic etiam commendat illud Canticorum cap. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Tota pulchra est, id est, in corpore, & anima. Amica mea, per gratiam, & per opera: & macula non est in te, venialis, & macula non est in te, venialis, & originalis.* Verum est, quod in textibus magis authenticis pro voce *originalis*, extat *criminalis*; sed non propterea videtur mihi diuersus sensus: nam criminale peccatum dixit, quod inimicitias ponit inter Deum, & hominem, & dignum est ex se aeterna Dei separatione. Hac eadem ratione Petrus Philargus, siue de Candia, qui fuit Alexander Quintus, in tractatu de Conceptione, passim vocat peccatum originale *crimen*, sicut & alij Scholastici fecerunt. Studiose non est vsus Alanus communi nomine peccati mortalis, ne puraretur loqui communi sensu de peccato actuali graui: quare aliam quaesuit vocem quae originale peccatum minus excluderet. Relinquo aliquo reputasse hic errorem Scriptoris, aut excudētis, qui pro *originalis*, posuit *criminalis*. Tum, negata primo loco veniali macula, negata pariter manebat mortalis: & quod reliquum manebat negandum, erat *originalis*, quam expresse, & clarissime alibi negauit idem Alanus. Scoti etiam testimonium constat ex sancto Antonino, qui in 1. part. tit. 8. cap. 2. haec scribit: *Alij dicunt non fuisse conceptam in peccato originali Virginem ipsam, & praecipue Ioannes Scotus, Ordinis Minorum, Doctor subtilissimus, & pro sua opinione allegant auctoritates, & assignant rationes. Et primo illud Canticorum. 4. tota pulchra es & macula non est in te. Et exponunt de Virgine, dicentes, ex quo quod non fuit macula peccati in ea, ergo nec originalis.* In iis verbis supponit S. Antoninus praecipuum fundamentum sententiae pie apud priscos Assertores illius, esse hunc Canticorum locum.

Bromiardus.

Bromiardus, qui antiquitus in Praedicatorio Ordine floruit, in sua summa part. 2. cap. 3. postquam dixit: *Fuit tota amabilis, pulchra, & decorata.* Et rursus de ea legitur, quod de nulla alia dici potest: *Tota pulchra es, & macula non est in te.* addit luculenta testimonia immunitatis virginis ab originali, nam praeter locum supra laudatum, ait: *Ipsa fuit mundata ab originali peccato, quod fuit incinerationis, & putrefactionis causa; cessante ergo causa, cessare debuit effectus.* Sic probat Assumptionem Mariae in corpore, & anima ad caelos, scilicet, ex immunitate ab originali culpa. Postea ait: *Filius Dei volens in aliquo loco, & de aliqua muliere naturam nostram assumere, & nobiscum morari, à principio mundi nullam inuenit pro hospitio dignam, quia omnes peccato originali, vel actuali, vel utroque infecti erant: Et tandem verò in fine mundi hanc mundissimam inueniens Virginem, in qua nullum erat peccatum, vel actuale, tanquam gaudens de fortuna optata inuenta dicere potuit: Haec requies mea, &c.*

Iacobus Vorag.

Iacobus Voragineus Episcopus Ianuensis, in sermonibus quadragesimalibus, sermone secundo Sabbathi secunda hebdomadae, ait: *De Beata Virgine dicitur, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ipsa enim fuit pulchra, quia ab omni peccato mortali penitus elon-*

gata. Ipsa fuit tota pulchra; quia in carne, & anima ab omni originali aliena. Ipsa fuit sine macula: quia ab omni veniali immunis effecta. Hoc ipsum ibidem testimonio sancti Thomae confirmat, dicens de Beatissima Virgine: *Fuit enim (ut pulchre deducit sanctus Thomas) sine peccato mortali, originali, & veniali. Rari sunt, qui sibi caueant à veniali, rarissimi, qui nascuntur sine originali.* Antequam Iacobum Voragineum insignis fuit Richardus de S. Laurentio, cuius plura testimonia attulimus pro immaculata conceptione, in speciali epistola; atque etiam asseruit illam ex hoc Canticorum loco, dicens in libro primo de laudibus Mariae: *Aue Maria, per hoc quod Maria dictum est Aue, id est, sine omni re, notatur immunitas ab omni peccato. Vnde & ei dicitur, Canticor. 4. Tota pulchra es amica mea, ab originali peccato sanctificata in utero, tota pulchra es ab actuali, mortali foemite penitus subingato, & macula etiam venialis peccati non est in te.* In eodem tempore Richardi Laurentini celeberrimi fuit Beatus Albertus Magnus, de cuius mente, & affectu circa praeservationem Animae virginis alicubi diximus, & iuxta eius sensum in Biblia Mariana, in Cantica cap. 4. dicit de intemerata Maria: *Ipsa est, quam tota Trinitas multiplici nomine ad se venire inuitauit.* Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea.* Glossa: *Immunis etiam à veniali peccato, & ideo, macula non est in te.* Paulò ante Beatum Albertum, Alexander Alensis ex proposito tractatum integrum de Beatae Virginis purissima Conceptione composuit super illa verba Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea.* Hic Alexandri tractatus videtur esse ille, de quo Ludouicus à Torre, priscus Doctor, in libro suo de Conceptione sic distinctè loquitur: *Item Alexander de Ales in suo Mariali, quod distinxit in sex libros, in fine tertij, recitando, quo modo miraculose corruptus fuit per infirmitatem, renocat quod in tertia parte concluderat, & affirmat, ipsam sine originali fuisse conceptam.* De sensu, & deuotione Alexandri Alensis, erga B. Virginem iuxta hunc Canticorum locum, haec refert Gotschalchus Holenus serm. de Conceptione: *Quae verba exponens Alexander de Ales, cum esset in fine vitae suae dicit: Tota pulchra es, scilicet, per gratia plenitudinem: Amica Dei Altissimi, id est mater dilectissima, & macula non est in te, nec originalis, nec venialis, nec mortalis. Et his dilectis, commendando animam B. Virgini, feliciter expirauit.*

Richard. de S. Laurentio.

B Albert. Magnus.

Glossa.

Alexander Alensis.

S. P. Dominicus.

Nec possum obliuisci, nec omittere sanctum Dominicum, cuius egregium testimonium extat in tabula Barcinonensi, de qua scripsit doctissimus Ludouicus Tena, Episcopus Tortosanus, in sermone de Conceptione; & plura habet regestum Franciscanum, dum enim S. Patriarcha Albigensibus maculatam affirmantibus Conceptionem obniteretur: Respondit, quod non erat verum, quod dicebant; quoniam Virgo Maria est illa, de qua Spiritus Sanctus per Salomonem ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Hoc ipso sancti Dominici tempore floruit Alexander Neckan, quem plures corruptè vocant Alexandrum Nequam, qui similiter interpretatus est hunc locum Canticorum; prout testatur disertus Theologus Petrus de Candia, qui vt dixi, postea fuit Alexander Quintus, qui eum pro sua opinione sic allegat: *Et pro ista parte est Alexander Nequam, & statim de eodè addit: exponēs passum illum, qui continetur in Canticis Canticorū, videlicet, Tota pulchra es amica*

amica mea, & macula non est in te: exclusit ab ea omnem fetorem criminis originalis, actualis, & venialis.

Hugo Victorinus.

Ante Alexandrum Hugo Victorinus lib. 3. Miscellaneorum, cap. 125, ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hodie Domina nostra insigni circumdata corona, ostendit Angelica dignitati suae celsitudinis privilegia: in quibus totius Paradisi gloriatur Cursus: Primum privilegium est, quod sine sorde, & sine viro concepit. In hoc enim immunem se in conceptu ostendit ab illo prescripto prophetico: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Adiungenda hinc sunt quae alibi pro immaculata Conceptione ex eodem Doctore attulimus, qui ut alij Patres fecere, ex puritate Conceptionis actiuae, colligit etiam passivam fuisse sine peccato. Synchronos Hugoni fuit Richardus de S. Victore, qui in lib. 2. de Emmanuele, de Beata Virgine dixit: *Tota pulchra merito, quia pulchra facie, pulchra mente, pulchra corpore quae etiam principibus tenebrarum terribilis fuit. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & fervor deuotionis, stupebant immunem à peccatis. Nemo enim tam sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum præter Mariam.*

Richardus de S. Victore

Adam Perfen.

Abbas Adam de Perfenia, quem alibi laudabimus, omnimodam Deiparae puritatem concelebasse, pro qua supponens hunc Canticorum locum, cum illius allusione ait: *Tu tota munda, tota candida, tota diuini rosis aspersione compluta, & de inuiolabili vtero Agnum singularis innocentia paris, & de inamissibili vellere sanctorum animas calefacis.* Et paulò post addit Virginem etiam alloquutus: *O via communis salutis expertis iniquitatis, & malitia, expertis molestia, & laboris. In te pax, & iustitia osculate sunt. Non tibi inesse distortum aliquid aequitas iustitiae sineret, nec aliquid inesse laboriosum pacis tranquillitas sustineret, tota es suavis, & clara, tota dulcis, & recta.* Hæc loquitur respiciens ad id, quod dixit sermone de Trinitate. *Quam recta est quae peccati maculam nesciuit: Et super Magnificat: Ne queras nodum in scirpo, alioquin si in Maria nodum criminis salus hominum inuenisset, quomodo in ea, & per eam nodosam perplexitatem mundani criminis absoluisset?* Cumque sacratissima Virgo incinuisset canticum Magnificat ea occasione, qua infans Baptista mundatus fuit à peccato originali in vtero matris, rememorata proinde Beatissimæ Virgini maiore gratia, quod in primo instanti suæ Conceptionis munda fuerit ab illo cum allusione ad ista, subscribit huiusmodi Abbas Adam: *Magnificat, inquit Maria, anima mea Dominum. Attende primitus ubi magnificat Dominum. Certè in montanis in ciuitate Iuda, in domo Zacharia; in montanis magnificatur dominus, qui in campestribus blasphematur. In campestribus erant, qui secundum Prophetam blasphemauerunt sanctum Israël, & alienati sunt retrorsum. In campestribus inquam maledictionis, & confusionis Adam, & Eue, qui per dira carnis integritate ab alienati à veritatis altitudine, fecerunt sibi campestria, quippe qui veritatis montana perdididerant, & virtutis. De valle itaque mundane vanitatis, de profundo humane corruptionis, de campestribus communis iniquitatis exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione. Tandem in sermone de Purificatione. Quid impuritatis, quid sordidum contrahere potuit, ex qua omnis puritas emanauit?*

Opportunè nunc accedat venerabilis Amedeus Lautaniensis, homil. de Beatæ Virginis obitu ait: *Tota pulchra es mater mea, & macula non est in te. Tota ait pulchra es, pulchra es in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu, usque ad finem.* In verbis satis aperte infert immunitatem ab originali peccato, cum dicat pulchram fuisse Virginem ab ortu, nimirum ab ortu in vtero, hoc est, in conceptione alioqui si voluisset significare ortum ex vtero, nimirum natiuitatem, diminutissimus esset, imò falsum diceret cum Deipara fuisset pulchra per gratiam ante natiuitatem suam. Cumque idem Amedeus sæpius indicasset, Virginem præseruatam à peccato originali in conceptione sua, ab hac profectò intelligendus est tribuisse perpetuam pulchritudinem Mariæ. Circa eadem, quoque tempora floruit Beatus Iosephus Hermanus, qui iuxta hunc Canticorum locum, commendans puritatem conceptæ sine labe Virginis sæpe vocat pulchram nimis. In opusculo 3. ait: *Virgo pura, pulchra nimis, intus, foris.* Et rursus, quasi per paraphrasim illorum verborum, *Tota pulchra amica mea, sic canit.*

Amedeus Laufan.

Iosephus Herman.

*Tibi clamo: Rosa, Rosa:
Pulchra nimis, & formosa:
Super omnes amorosa.*

Ante Richardum, & Hugonem Victorinos, Adamum Perfenium, & Amedeum, Abbas Rupertus, & ante Rupertum Psellus floruit. Vtrumque allegauimus alicubi pro immaculata Conceptione Personæ virginæ: vterque etiam in commentariis in Cantica intellexit de eximia puritate virginis prædictum locum, *Et macula non est in te.* Tantus vir fuit Michaël Psellus, ut de eius præstantia hæc tradiderit memoriæ Anna Commenas libro quinto Atexiados, loquens de Italo quodam: *Michaëli Psello dedit operam illi late inelyto homini, non tam cura Magistrorum sapientium, quorum limina non multum triuerat, quam indolis præstantia, & velocitate mentis diuinitus adiuta (id videlicet impetrantibus ardentissimis per crebras vigilias continuatis matris eius precibus, in Templo Cyri, ad sanctam Imaginem Dei Maris, haud sine feruentibus lacrymis fundi soliti) in eminentissimum sapientie, atque eruditionis omnis apicem euecto: quippe qui ad Græcorum litteras, atque artes omnes, quas perfectè norat, etiam Chaldaeorum disciplinas adiunxerat, famamque meruerat doctissimi omnium, qui tunc essent.* Eadem penè, ac Pselli interpretatio est Eusebij in Cantica, quam edidit Ioannes Meursius, nisi quod non exprimat in speciali nomen Deiparae.

Amedeus Laufan.
Rupertus Abbas.

Psellus.

Eusebius.

Appositè quoque memorandus hinc est Beatus Petrus Damianus, qui floruit circa annum 1050. is in sermone de Assumptione locutus de Deipara, ait: *Tota pulchra, quia tota deificata, macula non est in te, quia Spiritus Sanctus superueniet in te, qui te mundauit.* Quam munditiem statim declarat, dicens: *Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Ade non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem Lucis aeterna conuersa est.*

B. Petrus Damian.

Ante Psellum, & Petrum Damianum, sanctissimus, & sapientissimus Idiota, perspicuè quidem Idiota lib. de contemplat. Virginis, cap. 2. sic ait: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, vel erit.* Plures etiam annos ante Idiotam doctissimus

sumus

Alcuinus.
Ambros.
Ansbert.

simus Alcuinus, qui floruit circa annum 780. Sin minus Ambrosius Ansbertus, qui floruit anno 890. secundum Bellarminum, vtriuslibet sit illa homilia de Beata Virgine, quae reperitur in homiliario Alcuini, praedictum sensum probat omnino, dicens: *Tu ergo pulchra es ut Luna, quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio.* Scilicet, non habuit vicissitudinem à peccato in gratiam.

S. Ioann. Damascenus.

Ante hos omnes sanctus Ioannes Damascenus, egregius Assertor immaculatae Conceptionis, in oratione prima de Natiuitate Virginis, alludens ad verba dicta Canticorū, & ad omnimodam puritatem Virginis, etiam originalem, quam sapissimè testatus est, dixit: *Tota Spiritus Thalampus es gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua.* Ante sanctum Ioannem Damascenum, floruit sanctus Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, qui tam aperte adhæsit immaculatae Conceptioni, vt expressè dixerit in Menæis, Deiparam fuisse *conceptam filiam Dei.* Atque in orat. in Natiuit. Virginis, multa consequenter ad hæc dixit, & quidem non minus conspicuè. Locutus enim de Conceptione Sanctæ Annæ, cum concepit Virginem, ait: *Quid hac, quæso generatione prolis magis inuolutum, & venerandum? Vox enim Græca ἀσπιρίωτες, hoc significat. Quid clarius? Ibidem, de eadem Virgine in Conceptione sua loquens, ait: Eos perpetuus effloruit.* Indidem etiam vocat carnem Virginis, *Honorificam Deo conditionem.* Item ait de eadem Virginis Conceptione: *Meminit & Dauid, & iusiurandi, quod ipse iurauit, fore, vt è semine eius Christus existeret. In quo, lapsa nostro genere, instar scenæ opus adificauit, inopinabile asserens miraculum super admirandum prodigium.* Sic vocat Virginem in Conceptione sua, quia in semine Dauid, quod immediatum fuit S. Ioachim, hoc opus ædificatum est; Virgo scilicet admiranda. Ibidem etiam vocat Deiparam, *Gratiarum coronam,* quoniam ipsa, sicut circulus, non est experta principium gratiæ, nec finem, sed semper eam habuit, dum fuit, nec cæpit esse in ea posterius, quam cum ea. Ab eodem etiam dicitur: *Arca sanctuarij, & vndequaque abscondita auro, & illustrante Spiritu, ex auro confecta vna.* Tandem, postquam multa dixisset pro originali munditia Virginis, adaptat ipsi illud Canticorum: *Tota pulchra es proxima mea, tota pulchra, & macula non est in te.* Confirmans hoc pacto puritatem eius sine vlla macula, etiam originali.

S. Ildephonsus.

In sæculo antecedente sanctum Germanum præluxit illi S. Ildephonsus, cui attribuit nonnulli aureum tractatum de Corona Beatæ Virginis, & quidem, vt testatur Petrus de Alua: *In sancta Ecclesie Toletane Bibliotheca, pluteo, seu arca 1. num. 13. antiquissimis scripta characteribus inuenta est, atque è reconditissimo illo Sacratio transscripta. Secundo, quia in eodem Codice, vbi hæc corona extat, alia reperiuntur eiusdem sancti Ildephonsi opuscula sub eius expresso titulo, & nomine, nunquam aliàs typis mandata.* Quæ factum esse sanctissimi Præfulis verisimile profectò videtur, sicut & tractatum esse non indignum deuotione sancti Ildephonsi, nec dissimilem in stylo verum omnino est. In quo tractatu commendatur sapissimè omnimoda Virginis puritas, etiam originalis, atque in cap. 18 hæc habet: *Tu Domina semper fuisti clara, & serena, sincera, mundissima, & amœna. Tu enim es semper tota pulchra, tota formosa,*

In Biblioth.
Vigali.
tom. 2.

tota immaculata, & tota speciosa. Macula nulla fuscari, nulla sorde maculari, omni gratia illustrari. Sancto Ildephonso vetustior est sanctus Andreas Cretensis, qui sæculo vno ante sanctum Ildephonsum floruit, habetque antiquitatem mille & centum annorum. Hic magnus immaculatae Conceptionis assertor, etiam in orat. 3. de dormit. Virginis aliàs 2. eandem confirmat ex hac Canticorum auctoritate; postquam enim puritatem omnimodam Deiparæ multis modis commendasset, dicens: *O purior omni auro, o virginialis terra, ex qua nouus Adam, & secundo illo vetustior prodit. Cælum, ac cæli naturam puritate supergressa es.* In Græco est, *sanctitate;* quia non loquitur de puritate materiali cælorum; sed de spiritali cælestium Spirituum. Postea addit. *Corpus suauè fragrans, corpus intemeratum, corpus boni plenum, remissionem scaturiens, seu fonte manans incorruptionem: corpus, ex quo diuinitatis conciliatio, corpus in quo sit consummatio, per quod est salus. Tu enim es illa verè pulchra, & macula non est in te.* Alia multa dicit in eadem homilia, quæ fauent sanctitati virginæ conceptionis. Ibi ait: *O sancta, & sanctis sanctior, atque totius sanctitatis super sancte thesaurè.* Item: *Tu tremenda dispensationis magnificum opus, in quod desiderant Angeli prospicere. Tu Dei pulcherrimum domicilium.* Tum etiam: *Hæ primitia communis, necessitudinisque omnium conditoris Dei ad proprium figmentum. Hæ diuinorum contractuum subsistens, veraque sponsio, eximia pulchritudo, sculpta à Deo statua, diuini Archetypi egregiè expressa imago.* Tandem: *Omnium miraculorum, si quæ vsquam, modoque enaserunt, aut fuerunt consummata, sedes.* Idem sensus potest attribui sancto Hieronymo, siue potius Sophronio eius familiari, qui in serm. de Assumpt. Virginis loca Canticorum, imò ea, quæ in cap. 4. sunt, & immediatè adhærent loco prædicto, explicat de Beatissima Virgine, & eius omnimoda puritate, sic enim ait: *De ipsa Salomon in Cantico, quasi in laudem eius: Veni, inquit, columba mea, immaculata mea. Iam enim hyems transit, imber abiit, & recessit. Ac deinde, inquit, veni de Libano, veni coronaberis. Non immerito igitur venire de Libano iubetur: quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritum virtutibus, & dealbata niue candidior, Spiritus Sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus representans: quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & iustitia; quæ de cælo prospexit: & idè immaculata, quia in nullo corrupta.* Cum enim in cap. Cant. 4. continuata dicantur hæc verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano, veni, &c.* cum hæc vltima declaret Hieronymus, siue Sophronius de omnimoda Virginis puritate, dubitandum non est, eam declarationem deduxisse etiam ex antecedentibus, & *macula non est in te.*

Andreas
Cretens.

S Hieron.
Sophronius

Egregiè quoque idem suadet auctoritas S. Augustini serm. de Incarnat. *Hominem peperit Virgo decora, Virgo Sponsa, tota pulchra, tota speciosa, flos florum, pulchritudo Virginum, cæli Regina, mundi gloria, o digna digni, o immaculata immaculati, o sancta sancti, o Maria splendor mundi, gloria cæli, qualem filium nobis peperisti, o felix femina inter ceteras benedicta, cuius venter fuit reclinatorium Dei, sacrarium Spiritus sancti, lectus eburneus Christi, thalamus diuine Maiestatis; quanta sanctitatis putauimus animam tuam fuisse,*

S. August.

fuisse, quæ ad imaginem Dei condita, & facta consistit, cum caro tua tantum placuerit creatori, ut de ea sibi faceret pallium laudis & lorica[m] victoriosi certaminis, tu tota pulchra, tota formosa, tota delictabilis, & tota gloriosa, tu macula nulla fucaris, tu omni decore vestiris, tu omni sanctitate ditaris, tu super omnes Virgines sancta in carne, tu super omnes Angelos, & Archangelos sancta in mente, tu cunctas feminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos spiritus excellentia sanctitatis, tu plena Deo, tu plena Spiritu sancto. Ergo initium Angelicum, & plusquam Angelicum in gratia, & sanctitate habuit; illi enim initio suo pleni gratia non fuerunt, hæc autem omnium beatissima creatura ab ipsis Angelis semper gratia plena reuerenter pronuntiatur.

Multi alij ex hoc Canticorum loco probant immaculatam Virginis Conceptionem. Atque, ut non nihil dicamus de Græcis Ritualibus, in Menæis die 16. Iulij, Ode 8. Canonicis primi, de sanctis Patribus Conciliorum Oecumeniorum, in clausula hæc recitantur: *Tota pulchra es, ô Virgo, planè tota pulchra, tota nihil nisi nitor, & species lucis, tota item Phosphorus, seu diem, ac Deum afferens stella.* Nolo in argumentum producere, quod nonnulli ex aliquorum Rabinorum traditionibus dicunt legi illum locum huiusmodi: *Tota pulchra es amica mea, & macula originalis non est in te, neque fuit.* Satis est, quod apte differuit Galatinus de hoc loco, pro immaculata Conceptione, de qua etiam interpretantur illum grauissimi Scriptores, tum scholastici, tum expositiui; Suarez, Vasquez, Bellarminus, Valentia, Granados, Miranda, Genebrardus, Delrius, Gislerius, & innumeri alij ex recentioribus. Afferam tamen antiquioris Doctoris testimonium, nimirum Ioannis Vigerij Theologi Dominicanæ, qui in libro institutionum, capite de peccato originali, in hunc modum scribit *Si dicatur, quòd Dina Virgo non habuit peccatum originale, licet processerit ab Adam, secundum rationem seminalem: dicendum est, quòd ipsa sola speciali gratia præuenta fuit, & præseruata, eo quòd fuit præuisa esse Mater, & domus Dei. Vnde Psalmista: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. Et de illa Salomon: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ex quibus auctoritatibus potest haberi privilegium, maximè autem ex auctoritate Ecclesie, quæ non potest errare.*

Alter affecla S. Thomæ, ex eadem Prædicatorum Religione eruditus Antonius Nauarrus, qui sæculo præterito floruit, tom. 1. ferm. 2. de purificatione, ait: *Sola Beata Virgo est, quæ peccati immunis prædicatur, & ex privilegio singulari Spiritus sancti gratia præuenta decantatur immaculata, & tota pulchra es amica mea, macula non est in te, ipsaque purissima.* Et in ferm. 1. de Conceptione dixit: *Si venialis culpa in Beata Virgine à fidelibus denegatur, quanto magis originalis est ab ea semouenda; venialis, quippe Dei gratiam non tollit, originalis verò cæli portas in æternum claudit. Per excellentiam B. Virgo appellatur Amica, & Formosa Dei, ibi, tota pulchra es amica mea.* Iis consentiunt ex Dominicanis Hieronym. Lanuza in congruent. Concept. Alphons. Cabrera in considerat. Euang. concl. 1. de Concept. & alij.

Lib. de fundatorib. Marianis, c. 43. Nec indigna memoria est Apostolicus ille vir, Franciscus Salesius, operibus, & doctrina verè sanctus Episcopus qui *sodalitatem Amicij* (ut refert Marracius) *erexit, quam nomine Conceptionis*

B. Virginis Maria vocari voluit, quia intemerata, sacratissimaque illa Virgo, saluatoris nostri Genitrix, absque originalis peccati labe concepta. Cui deuotioni fauit, si non cælestis, admirandustamen casus, qui accidit in quadam Virginis celebritate, quem huiusmodi refert idem Marracius: *Dum solemniter in collegiata Aede Amiciensi celebraret, ecce per rimam magna fenestra vitrea, qui in choro ad epistola partem erat, ingressa est candidissima columba, quæ postquam aliquantulum per totam Aedem volitauit, super humerum Episcopi in throno sedentis, in quo sculpta est arbor Iessæ, & in eius sic sedentis gremio requieuit, ubi ab assistentibus capta est. Stupentibus omnibus, & dicentibus: sanctus est Episcopus noster, & verè sanctus: quam sanè opinionem diu conceptam, continuus, & non interruptis virtutum actibus confirmabat. Celebratis Vesperis in laudes sacratissima Virginis, arrepta columba occasione, eam esse columbam Dei inquit, & amicam illam, cuius vox dulcis, & facies decora, totamque pulchram, & formosam absque macula, tam abundè, suauiter, & piè effusus est, ut visus sit verè columba illius habere vocem, quæ lacte est lota, & residet iuxta fluentia plenissima. Eadem habet Carolo Augustus in vita Salefij, lib. 8.*

Vide Baling. in Kalend. Mariano in Decembr.

Nec mirum, quod hic locus accipiatur de Conceptione Deiparæ immaculata ab Ecclesia militanti, si à triumphanti celebretur de eadem, prout testatur narratio illa, quæ extat in historia generali Fratrum Marianorum de Mercede, per Alfonso Raimundum lib. 7. cap. 18. proditaque est memoriæ à Francisco Torres, lib. de Concept. c. 2. Melchioro Roderico, lib. de Agricultura animæ, Ioanne Alloza in suo cælo stellato, lib. 1. cap. 11. stella 32. atque atque aliis, & est sequens: *Venerabilis frater Carmelus, Ordinis B. Mariae de Mercede, cum in Cantica Canticorum eruditus scriberet Commentarios, tandem ad verba illa perueniens capituli quarti: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, anxius hærebatur scire desiderans, quid his verbis intenderit Spiritus sanctus; & raptus in ecstasim, visionem habuit, in qua Beatissimam Virginem conspexit, & Angelos coram dulciter decantantes pulchram in sua conceptione, & sine macula extitisse. Ipse verò postea firmavit: Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te: ego vidi id ipsum spiritus Angelicos decantare. Et hæc cum gaudio sapius repetens, ac totus in purissima Conceptionis mysterium absorptus ab eo loco, nec scribere deinceps aliquid potuit, nec commentari.* Stephanus Corbera in vita D. Mariæ Ceruellon cap. 39. enumerans insignes Scriptores Mariani Ordinis de Mercede, sic loquitur de hoc seruo Dei: *Carmelus super Cantica Canticorum, cum scribebat super versiculum, Tota pulchra es amica mea; cumque apparuisset illi Beatissima Virgo circumfusa maiestate, & splendoribus glorie, dixit, ita est, nam & ego vidi.* Hæc sunt coniungenda cum iis, quæ supra attulimus ex Bernardo de Vargas: nam vna, eademque est historia, scilicet, quòd cum interpretaretur librum Canticorum Carmelus, accedens ad commentandum illud, *Tota pulchra es amica mea*, cum legisset, quid scripisset circa hoc Sanctius Porta, raptus, & visio hæc accidisset. Quod si quis contendat duos fuisse Carmellos, parum ad institutum meum attinet, nisi quòd pro vno duos testes habeam.

Illud aduerto cum nostro Ambrosio Peñalosa in suis vindiciis, quòd licet argumentum sumpsum

ex sensu mystico Scripturæ, videatur infirmum; id tamen euenit, quando ignoramus, an ille sensus mysticus fuerit à Spiritu sancto intentus: quapropter si nobis constiterit Spiritum sanctum illum sensum mysticum intendisse, inde argumentum efficax ad dogmatis comprobationem deduci potest, vt bene Vasquez 1. part. disp. 17. cap. 5. obseruauit: siquidem Spiritus sanctus sensum falsum, quantumuis mysticum, intendere nequit. Cæterum ex quadruplici capite possumus agnoscere, an Spiritus Sanctus aliquem sensum mysticum voluerit significare, nempe ex Scriptoribus Canonicis, vel ex communi Patrum consensu, vel Ecclesiæ interpretatione, vel ex reuelatione facta particularibus Sanctis.

Quamuis autem nullus Scriptor Canonicus prædicta verba Canticorum B. Virgini nominatim attribuerit; attamen sancta Brigitta hunc sensum fuisse ab Spiritu sancto intentum, in prædicto loco sibi reuelatum inuit. Insuper non solum Patres communi calculo præfata verba B. Mariæ, vel Ecclesiæ adscribunt; sed etiam ipsa Ecclesia de Immaculata Virginis Conceptione loco citato interpretatur. Præterea argumentum Canticorum iuxta sensum literalem esse amorem, & verba reciproca Christi ad Ecclesiam interpretes communiter fatentur, etiam illi, qui sponsum Salomonem, & filiam Pharaonis, vel aliam sponfam, scopum prædicti libri esse autumant, vt videri potest in Sherlogo, anteloquio 1. sect. 4. & 5. Quare illa verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* In sensu literali, saltem Ecclesiæ dicta esse oportet: vnde ea de aliqua persona humana debent verificari.

§. VI.

Alia Scriptura loca, quæ Ecclesia intelligit fauentia immaculatae Virginis Conceptioni.

Afferam dumtaxat, quæ notauit Iacobus Christophopolitanus, qui tempore Sixti IV. floruit doctrina, & eruditione. Hic doctissimus vir in Canticum *Magnificat*, locutus de puritate etiam originali Virginis, hæc habet: *Hanc dignitatem publicè confiteatur, & cantat vniuersalis Ecclesia de Virgine Maria in epistola, siue lectione, attribuendo ipsi illud Ecclesiastici 24. in persona sui dicens: Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam, &c. per hoc volens ostendere Ecclesiæ, quod ab initio, igitur ab aeterno Virgo Maria fuit creata in gratia secundum æternū propositū, igitur fuit prædestinata, vt simul esset creata, & sanctificata, & gratificata per gratiam præseruantem ab omni malo, & confirmantem ipsam in omni bono. Ad hoc idem propositum vniuersalis Ecclesia Romana cantat ipsi illud Proverb. 8. in festo sua natiuitatis, scilicet, Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Et ante omnes colles ergo parturiebar, &c. quasi dicat Dominus Deus ab aeterno in suo proposito possedit me per gratiam, igitur proposuit me possidere per gratiam, & ab aeterno proposuit, ne per aliquod instans, & tempus Diabolus possideret me per aliquam culpam: sed à primo instanti creationis mea anima, essem semper Deo grata, & accepta quia*

nondum erant abyssi marine, nec erat facta aliqua creatura, & ego iam concepta eram in gratia in diuino proposito. Igitur aliquod peccatū nondum erat in me, & ego iam concepta eram per gratiam: igitur antequam macularer aliqua culpa, fui per gratiam, & cum gratia concepta in mea conceptione anime, quia anima mea simul fuit creata in gratia, & in carne concepta, & infusa, vt patebit, & sic isto modo ab initio fuit creata, & ab aeterno concepta, & per gratiam possessa in diuino proposito. Scilicet sanctissima Virgo.

Illud etiam de capite serpentis conterendo à muliere celebratum fuit ab Ecclesia in Officiis de Conceptione, atque vim eius auctoritatis aptè ponderat ipse Iacobus in iisdem commentariis super *Magnificat*, dicens: *Totum fundamentum primum, vnde habetur, quod omnes filii Adam fuerunt obligati ad originalem culpam, deducitur ex peccato primorum parentum, & ex sententia eis infligta propter illud peccatum: quia audientes vocem serpentis preuaricati sunt præceptum Domini. Vnde ex sententia ibi data, & ex dictis sacra Scriptura recolligitur, quod serpens antiquus quadruplici morsu momordit primos parentes, cum tota sua posteritate, scilicet morsu culpa in anima, & morsu morbide concupiscentiæ in carne: & morsu erumnarum, & miseria in conceptu, & partu mulierum, & morsu doloris, & incinerationis, & putrefactionis corporis in morte. Et iste morsus vltimus cum duobus primis fuit communis filiis Adam per naturalem generationem propagatis. Sed antequam Deus promulgaret istam sententiam, acceptauit, & exemit Virginem Mariam ab hac sententia, vt patet in eadem Scriptura: ergo Virgo Maria non subiicit, nec fuit obnoxia illi sententia. Hoc patet in text. Genes. 3. nam antequam ferret sententiam contra hominem, post maledictionem serpentis, dixit ipsi: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Postea verò dixit mulieri multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui. Ex quo patet, quod primò tulit sententiam contra mulierem, eo quod primò fuit seducta, & peccauit, & postea seduxit virum. Ideo duplici pœna speciali fuit plexa, & punita, scilicet pœna erumnarum in conceptu, & partu, & pœna subiectionis sub potestate viri. Exinde promulgauit sententiam generalem contra utrumque, cum tota eorum posteritate, dicens: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vita tua: spinas, & tribulos germinabit tibi; per quas spinas, & tribulos, non solum intelliguntur spina, & tribuli, qui generantur in terra ad laborem, & tadinm nostrum, & ad impedendam eius vbertatem: sed etiam intelliguntur spine, & tribuli fomites, & spinosa concupiscentia infligta in nostra carne ex morsu serpentis, & postea Deus subdit sententiam mortis cum incineratione, dicens donec reuertaris in terram, de qua assumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et sic patet quadruplex morsus serpentis, & sententia generis promulgata contra primos parentes cum tota eorum posteritate. Sed antequam promulgaretur ista sententia, facta fuit exceptio de Virgine Maria, per hoc, quod dixerat Deus serpenti: Ipsa mulier conteret caput tuum, quod non fuit impletum in Eua, nec in alia muliere, nisi in sola Virgine Maria; prout omnes Doctores doctores dicunt: ergo si sola Virgo Maria*

contrinuit

contriuit caput serpentis, prout ante sententiam latam fuit predictum: ergo serpens non potuit morderi Virginem Mariam illo quadruplici morfu, quia aliter non contriuisset caput serpentis. Nam manifestum est, quod non momorderit eam morfu corruptionis ærumnarum, & dolorum in conceptu & partu Filij Dei, nec morfu incinerationis, ut iam communiter tenet tota Ecclesia; ergo minus momorderit eam morfu originalis culpa: aut alterius peccati, quod maximè ipsam vulnerasset, & defficiendam reddidisset. Et sic non contriuisset caput serpentis, quod est contra sacram Scripturam, & contra speciale priuilegium ibi iam Virgini Maria collatum, & contra exceptionem factam ante legem latam. Sed diceret aliquis, quod ante illam legem latam, & exceptionem factam, iam Adam erat sauciatus in corpore, & anima, & iam incurrerat sententiam mortis pro se, & omnibus posteris. Ad hoc respondetur, quod peccatum primorum parentum fuit personale, & ideo obligauit eos solos ad pœnam sensus æternam. Sed nondum erat lata sententia quoad illud peccatum cum tali onere, ut quoad pœnam damni transfiret ad posteros originaliter, nisi usquequo lata est supra dicta sententia, cum expressè Dominus dixit serpenti: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius, &c. Ex quibus patet, quod illam sententiam de nouo tulit, & promulgauit Deus contra semen, & posteritatem primorum parentum, ut diabolus, & semen eius, qui sunt sequaces eius, semper insidiaretur calcaneo. Iterum, ut morderet carnem, & sensualitatem vniuscuiusque in sua origine, à qua quidem carne transfiret culpa originalis in Adam per solum consortium, & transfiret peccatum mortale, & actuale per consensum voluntatis annuentis concupiscentiæ. A quo morfu, & insidiis serpentis excipitur Virgo Maria conterens caput serpentis per gratiam prouenientem, ne ipsam aliquo morfu posset morderi, ut patet in litera secundum communem expositionem omnium Doctorum. Hactenus ille, qui post pauca addit: Sententia data in Adam, & Euam de quadruplici morfu serpentis non transiuit in personam Virginis, eo quod ex singulari gratia, & priuilegio fuit excepta ante legem latam, prout dictum est. Ideò est dictum ipsi ab Angelo: Aue gratia plena, &c. Nam Bernardus, & omnes Doctores asserunt, quod sola Virgo contriuit caput serpentis, propter illud priuilegium ante legem communem latam sibi collatum, & promissum: quia aliter non contriuisset caput serpentis, nec fuisset gratia plena, nisi ab omni morfu serpentis fuisset præseruata per gratiam, & modo, quo dictum est.

Verùm ut omittam, quæ Patres censent de hoc loco in fauorem immaculatæ Virginis sine labe conceptæ, apponam auctoritatem sancti Gregorij quam huiusmodi citat Ioannes Vitalis in defensorio B. Virginis, lib. 4. c. 2. In papali Sede B. Gregorius præsidens, sacram Virginem sic salutauit, dicens.

Salue, Aue sancta parens,
Omni prorsus labe carens,
Salue Virgo inclyta.

Aue Virgo radix Iesse
Cuius mundus saluus esse
Meruit, per merita.

Salue mundi lux, & vita,
Ioann. Euseb. Op. Parth.

Pretiosa margarita,
Per quam mors occiditur.
Aue Mater gloriosæ,
Per quam caput venenosi
Serpentis occiditur.

Ex quo patet ipsam omni labe caruisse, & omnè venenum culpa ex vi gratiæ repulisse. Hæc Ioannes Vitalis.

Nec ipsius Vitalis omittenda est sententia, maximè cum eidem concordet alleget sanctum Augustinum, & Doctores. Sic cap. 8. ait: De Virgine Matre habet Genes. 3. cum notatis per Augustinum, & Doctores, plenitudinem gratiæ sanctæ Virginis Domino reuelante contra diabolum. Ipsa conteret caput tuum, &c. Sed principale caput diaboli est culpa naturæ, quia per hanc eminet, & principatur super genus humanum, plusquam ex culpa personæ: ergo hæc culpa à Virgine fuit contraria, &c.

Et quidem efficaciter probatur contineri puritatis originalis Mariæ in hoc loco, si consideretur pœna postea lata à Deo in mulierem, scilicet, partus cum dolore, & corruptione, iuxta sensum sancti Augustini, & sancti Thomæ circa modum generandi, & pariendi in statu innocentiae: nam ea, quæ ante hanc sententiam pronuntiata fuerunt in serpentem de inimicitias cum muliere, Maria scilicet, quæ expers fuit illarum Eux ærumnarum, exceptio pœnæ illius fuit, simul & culpæ. Ad hoc probandum suppono, quod ex sancto Augustino dixit sanctus Thomas 1. parte quæst. 98. artic. 2. Ad 4. dicendum, quod sicut Augustinus dicit 14. de Ciuitate Dei, in illo statu nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Ita enim potuit viro coniugis, salua integritate feminei genitalis, virile semen immitti, sicut nunc potest, eadem integritate salua, ex viro Virginis, fluxus menstrui cruoris emitti. Vt enim ad pariendum non doloris gemitus, sed naturalis impulsus fœminæ viscera relaxaret, sic ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque coniungeret. Ex quo etiam colligitur (pro infra dicendis) concipere sine libidine, esse pariter effectum proprium status innocentiae, hoc enim denotant illa verba; sed ad concipiendum non libidinis appetitus, &c. Hoc supposito producam disputationem doctissimi viri aduersus eos qui negantes immaculatam Conceptionem, dicebant quod si Virgo esset concepta in iustitia originali, naturali consequentia sequeretur, quod debuisset parere sine dolore, nec haberet speciale difficultatem credendi partus sine dolore: nec esse speciale miraculum, nec articulum.

Ex his argui sic potest: parere sine dolore, & læsione virginitatis, est effectus connaturalis iustitiæ originalis, & status innocentiae: ergo non est distinctum miraculum, neque est distinctus articulus à Conceptione Virginis cum integritate innocentiae: ergo si Virgo peperit sine dolore, non contraxit originale peccatum. Antecedens constat ex S. Thoma. Prima consequentia probatur, quia si parere sine dolore esset effectus connaturalis conceptionis Christi de Spiritu sancto, non esset distinctum miraculum, neque distinctus articulus ab illo, neque haberet speciale difficultatem credendi, neque indigeret expressa, & distincta diffinitione, uti isti Aduersarij fatentur: atqui est proprietas

consequens & effectus connaturalis status innocentiae, & conceptionis in iustitia originali: ergo non erit distinctum miraculum, neque distinctus articulus à Conceptione Virginis cum integritate innocentiae, ac proinde sine contractione peccati originalis. Hinc etiam probari posset, non solum esse diffinibilem Conceptionem immaculatam, sed etiam prorsus proximam diffinitioni, hoc argumento. Quando diffinita est aliqua veritas, ex qua naturali sequitur alia, non censetur specialis difficultas credendi, illa, quae sequitur ex diffinita: sed veritas, ex qua naturali consequentia sequitur non contractio culpa originalis, est diffinita: ergo posita veritate diffinita, non est specialis difficultas in credenda conceptione immaculata: sed veritas, quae connaturaliter sequitur ex veritate diffinita, est proxima diffinitioni: ergo Conceptio immaculata est proxima diffinitioni. Maior probatur ex doctrina ipsa Aduersariorum, quia si esset connaturaliter connexus partus Virgineus, cum Conceptione Christi de Spiritu sancto, partus virgineus non haberet specialem difficultatem credendi, & sic non esset distinctus articulus, ut ipsi dicebant. Quod etiam sic potest probari: Christum esse risibilem, non est expressè diffinitum, & solum, quia sequitur legitima consequentia: ex eo quòd Christus sit homo non habet specialem difficultatem credendi, neque constitueret distinctum articulum esse risibilem. Sic etiam, ut docet S. Thomas, Christum esse passum, mortuum & sepultum, solum constituunt vnum articulum, quia vnum ex alio, naturali sequitur consequentia. Minor probatur: quia partus Virgineus habet connaturalem connexionem cum statu innocentiae, & ex illo à posteriori bene colligitur status innocentiae, sicut à priori partus virgineus, ex statu innocentiae, quia ille est effectus istius: sed diffinitus est partus Virgineus Mariae: ergo diffinita est aliqua veritas, ex qua naturali consequentia sequitur iustitia originalis, at per consequens non contractio culpa.

Nequit etiam dici, quòd illa maior est vera, quando veritas diffinita, à priori infert aliam veritatem, non verò quando à posteriori, quia hoc libere diceretur: nam sicut valet argumentum à causa ad effectum à priori, sic à posteriori ab effectu ad causam, & in naturalibus evidens est consequentia, sic euidenter probamus à posteriori esse Deum: *Inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur*: sic etiam est certum, quod si diffinitum esset Christum esse risibilem, erroneum esse negare, Christum esse hominem, sicut nunc est error negare esse risibilem. Ex quo poterat, si liceret, efficax confici argumentum, probans proximam diffinibilitatem: sed timeamus ne videamur aduersarios censura afficere, quod absit; argumentum erat hoc, ex doctrina eorundem. Tunc aliqua veritas est proximè diffinibilis, quando propositio ei opposita est error: sed propositio opposita sententiae neganti, posset vi argumenti, si liceret, inferri error: ergo sententia negatiua est proximè diffinibilis. Minor, quae sola probatione indiget, probatur: quia tunc aliqua propositio est error, quando opponitur conclusioni deductae ex duabus praemissis, altera de fide, altera naturali consequentia ex ea, quae est de fide deducta, vel naturali lumine cognita: sed sententia negans contractionem culpa originalis in Beatae Virgine, est conclusio

deducta ex duabus praemissis, altera de fide, altera naturali consequentia ex ea deducta, vel naturali lumine cognita: ergo, &c. Minor probatur, quia conceptio, cum iustitia originali est veritas connaturaliter deducta ex partu Virginis, ut docent sancti Augustinus, & Thomas: sed partus virgineus est veritas diffinita: ergo conceptio in iustitia originali deducitur ex duabus praemissis modo dicto.

Confirmatur idem: quia ex verbis sancti Thomae est etiam effectus iustitiae originalis concipere sine libidine: ergo Virgo concepta est in iustitia originali: unde pulchre Origenes hom. 1. de diuersis, colligit immunitatem Virginis ex Conceptione sine libidine his verbis: *Audire, quòd Virgo in utero accipiet, non ex desiderio parum concipiens, quae neque ex persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta*. Ecce iuxta Origenem est dicendum, conceptionem virginalem non fuisse ex desiderio, quia neque fuit decepta, neque infecta serpentinis peccati originalis afflatibus. Praeterea non desunt PP. qui dicant in statu innocentiae, non esse homines multiplicandos per coniunctionem maris, & foeminae, sed alio modo nobis ignoto, ut docet Greg. Nyssenus de opificio hominis, Hieronymus, & alij: ergo cum Virgo sic conceperit, bene colligitur à posteriori caruisse culpa originali; sicut enim, ut Aduersarij dicunt, vbi est reatus praenae, vel poenaltatis, necessario sequitur fuisse culpam, regulariter loquendo.

Hactenus ille Doctor. Meus autem animus est in his referendis fulcire dumtaxat veritatem nostri asserti, & iudicare ex hoc Scripturae loco, piam probari sententiam, non autem alios diiudicare, vlla nec notare censura opinionem affirmatiuam, quod nec fieri ex praedictis potest, cum non omnes, qui eam tenent, sequantur supradicta principia. Adeo tamen milita sententia lata in serpentem pro immunitate Deiparae, ut inde illam probent non pauci ex discipulis S. Thomae. Vnum, qui nunc occurrit, afferam Stephanum Aurelianensem Episcopum hom. 74. dicentem. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis. Hanc de sponsa sponsi sententiam trahit Ambrosius ad Virginem. Quam pulchrum nimis, & delectabile est, nobilissimam Principem grauibus, & maturis passibus incedentem conspicerem, non nudatis plantis, non lacero calceo rusticarum fumarum more, quae fimo, luto, & sordibus discalceatos pedes passim immergunt. Huius verò regali ex progenie ascendente filia, pariter & Sponsa Principis; o quam pulchri, quam ritè impositi gressus in calceamentis. Non sic Eua mater, quae principatus sui, & originis insigniter oblita, nudo pede, id est, destituta sua relictitudine, suo decore, proprio affectu gradiens ad mortem, mordetur ab angue: qui cum munitam sentiret calceamentis hanc Principis filiam Princeps mundi huius, nec momordit, nec in ea quicquam habuit, nec cubitali illius formicam contingere valuit, sed tota pulchra est, non habens maculam, aut rugam. Haec est, quae contriuit caput eius. Eadem interpretatio est Ruperti super eundem Canticorum locum. Alter etiam ex eadem Religione S. Dominici obuius mihi apparet, nec omittendum duxi, is est disertissimus Ildephonus Gironius in suo promptuario, qui cum in concione prima de Conceptione dixisset de B. Virgine: *Huic grandi operi intra uterum matris Anna, diuinus Artifex primam manum admouere dignatus est: statim enim ut corpus fuit debitè organizatum,**

nizatum, infudit animam gratia, & celestibus donis plenam. Itaque (ut Augustinus dicit de Angelis) Deus erat cum sacro illo foetu, simul condens naturam, & largiens gratiam: tantamque gratia plenitudinem hoc die alma Virgo suscepit, ut excesserit gratiam omnium Angelorum, & sanctorum. Rursus in 2. concione idem confirmans ait: Custodivit quoque Filius Dei paradysum suum, dum domum virginalem deliciarum suarum servavit ab omni culpa: neque in hunc paradysum inuenire potuit ingressum callidus serpens; fuit enim conclusus hortus: imò ipsa Virgo contriuit serpentis caput. Hoc testimonium maximi quidem facio, quatenus in eo reperio auctoritatem magni illius Theologi Dominici Bannes, celeberrimi sacrae Theologiae Salmanticae Primarij professoris, qui approbationem, & commendationem harum concionum testatam reliquit, dicens: Has conciones legi, atque perlegi expertus, & meam expectationem vicisse, & se ipsum huius operis excellentia superasse. Hæc dixit in admonitione ad lectorem, quæ reperiretur in editione Moguntina anni 1605.

Tandem pro locis Scripturæ, quibus Ecclesia est vsa ad celebrandam immaculatam Conceptionem, notat ille qui vocatus fuit egregius Doctor Petrus Ciruel. Darocensis, qui Compluti olim, & Salmanticae floruit, in expositione Missalis c. 116. de Officiis Virginis Mariæ, &c. *Nec mirum si ea que vel de divina sapientia, vel de sancta Ecclesia scripta sunt, etiam valeant de Virgine Matre Dei conuenienter satis intelligi: omnia enim, que se transferunt, propter aliquam similitudinem sunt, ut Aristoteles dicit in 6. Topic. Hæc autem applicatio illarum Scripturarum ad Virginem Mariam, licet in Biblia sit sensus spiritalis, in hoc tamen officio est sensus litteralis.*

Verum non habet opus animaduersione ista locus ille Geneseos de inimicitia inter mulierem, & serpentem, quia ipse sacer Textus omnino litteralis est, & intentus à diuino Spiritu, prænuncians victoriam Deiparæ de antiquo serpente diabolo, aded vt disertissimus Simeon Narbonensis Archiepiscopus, homil. de Natiu. Virg. volens ex Scripturæ auctoritatibus probare immaculatam Virginis Conceptionem, noluit alio vti testimonio ex sacra Pagina, dicens: *Non afferam aliud, quam quod scriptum est Genes. 3. ubi Deus dixit serpenti, ei maledictionem imprecans: Inimicitias ponam inter te, & mulierem. In hoc immorari volo, & animo id fixum habentis cupio, ad percipiendum Virginem fuisse sine peccato conceptam, & natam. Deus dixit serpenti, quod inter eum, & mulierem continua seminaturus esset dissidia. Si sieres se haberet, vt sacra Virgo peccato originali occubisset, ideoque in terram fuisset proiecta, vt nos omnes ex utero sue matris, verum quidem est, quod fuisset bellum serpentem inter, & Virginem. At, quodnam bellum? Bellum de quo serpens reportasset victoriam. Hæcine Dei erat intentio dum dixit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, vt serpens de muliere victoriam reportaret? Quod si ita foret, non maledictionem planè, sed benedictionem serpenti Deus fuisset imprecatus. Sed dum dixit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ipsa contereret caput tuum; id denotat; ipsa victoriam in te obtinebit. Sed, rogo, qua ratione victrix euasisset; nisi quod peccato originali superior semper fuerit: nam si eo grauata fuisset, statim demonis potestati subiacuisset. Cum igitur à Deo pronuntiatum sit,*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

quod inter serpentem, & mulierem bellum suscitaret, id intelligitur, quod mulier de diabolo victoriam consequeretur; quod verum esse nequaquam posset, si in peccato originali concepta foret.

Prædicta Scripturæ loca satis vrgent pro immaculata Conceptione, & cum iisdem aduersarios Ioannes Segouia, vir (vt inquit Aeneas Syluius, & ex eo Spondanus) moribus, & doctrina illustris, qui Cardinalatum Felicis dimisit: cuius tractatus de immaculata Conceptione relatus iuridicè, & allegatus fuit in Concilio Basileensi, inueniturque Matrili manuscriptus in Archiuo Regio Congregationis pro immaculata Conceptione.

§. VII.

Idem confirmatur ex locis Scripturæ, in quibus B. Virgo asseritur Mater Redemptoris nostri, prout intelligitur à Patribus.

DEnique, vt omittam alia Scripturæ testimonia, memorabo illud Matth. 1. *De quo natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et quod dixit sancta Elisabeth: *Et unde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* Tum sanctus Ioannes Euangelista, cap. 2. *Erat Mater Iesu ibi, & alia.* In quibus Beatam Virginem veram nostri Redemptoris Matrem fuisse significatur. Patres siquidem communi consensu dignitatem diuinæ maternitatis ita extollunt, vt ex ea Deiparam, iam Virginem, iam pulchram corpore, iam immunem à peccato, etiam veniali deducant: quia eo ipso, quod ea in sacro Textu Mater Domini declaratur, eam Virginem pulchram, sine fomite peccati, puram, & liberam ab omni peccato, etiam veniali inferunt. Cum autem peccatum originale turpius sit & foeminam Deum parituram magis dedecet, ideo, sicut prædictæ prærogatiuæ in locis Scripturæ citatis virtualiter includuntur: ita immunitatem eiusdem ab originali in eo denotari necesse est.

Planè incontaminationem, & omnimodam Virginis puritatem ab omni peccati genere tribuit S. Ephrem maternitati diuinæ: quippe orat. 2. ad sanctissimam Dei Genitricem, sic auspiciatur: *Immaculata, & intemerata, incorrupta, & prorsus pudica, atque ab omni sorde, ac labe peccati alienissima, Virgo Dei sponsa, ac Domina nostra, que Deum, & hominem, mundo mirifica, ac gloriosa Conceptione tua peperisti.*

Similiter S. Iosephus Græcus in Menæis, die 8. Ianuarij, ode 7. dixit: *Salus mea est Dominus ille, qui te incontaminatissimam Matrem elegit.* Eadem ratione die 15. Augusti, Mariam vocauit *unicam ab omnibus natis intactam.*

Sanctus Theodorus Neos, orat. de Natiuitate Virginis, ait: *Maria quid purius, quid mundius? Terra est, in qua peccata spina non orta est. Terra est, non vt illa prior maledicta, cuius etiam fructus pleni sunt spinis, & tribulis; sed in qua benedictio Domini, & cui benedictus fructus ventris: Maria noua secunda creationis Dei Massa, sanctissima generis primitia.*

Sanctus Sophronius Hierosolymit. siue iunior, in epistola ad Sergium, ait: *Vicium intactum virginis ingressus castitate lustratam Maria sancta, præclara, & que Dei sunt sapientis, & ab*

omni contagione libera, & corporis, & anima, & intellectus, incarnatus est, qui erat incarnatus.

S. Andreas Hierosolymit.

Sanctus Andreas Hierosolymitanus, in Canone de Conceptione Deiparæ, Ode 3: ait: *Anna incontaminatam Dei Gentricem in utero concepit. Egregiè quoque post Odam 6. sic loquutus de Angelo apparente sancto Ioachimo, ait: Pura Dei Matris sanctam Conceptionem annuntiavit.*

S. Damascenus.

Sanctus Damascenus in Menæis die 12. Augusti, ait: *Equidem videbaris, o Virgo, esse filia Adami collapsi, at reuera eras tu ipsa Genitrix Dei, eundem restituentis in integrum.*

Alanus Magnus.

Alanus Magnus in sententia num. 11. ait de Christo: *Circumcidit conceptionem Matris à culpa.*

S. Stephanus Sab.

Sanctus Stephanus Sabaita, die 1. Ianuarij, ait: *Te inquam, o benedicta, & ab omnibus maculis munda, velut Deiparam magnificis extollimus vocibus.*

Georg. Nicomedienfis.

Georgius Nicomedienfis, die 24. Martij: *Esto paratus, o diuina munditie Liber; quippè tibi sancti Spiritus digito inscribetur Sapientia diuina*

In Euchologio Græcorum, in Officio nouitij dicitur: *Non est præter te innocens quisquam, immaculata Dei Genitrix.*

S. Epiphanius.

Sanctus Epiphanius, Orat. de Laudib. Virginis, vocat illam: *Lilium immaculatum, ouem immaculatam, qua peperit Agnum Christum, & inuencam, nunquam inquam expertam, qua vitulum genuit.*

S. Augustinus.

Sanctus Augustinus, lib. 1. de natura, & gratia, cap. 36. ait: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem. Unde enim (scu potius, inde enim) scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

S. Methodius.

Sanctus Methodius, in orat. de Simeone, ait: *O cunctis celsior generationibus, quæque inter creata omnia, tum visibilia honorabilior enituisi. Felix radix Jesse, & ter beata domus Dauid, in qua genuinasti; Deus in medio tui, & non commoueberis; sanctificauit enim te Tabernaculum suum Altissimus. Alibi plenius de Methodij mente.*

S. Theodorus Studita.

Consentaneè sanctus Theodorus Studita, in Canone SS. Imaginum: *Sanctis sanctorum, & omnibus creatis excelsior, tu sola facta es, siue apparuisti in rerum natura Mater simul, & Virgo Dei Genitrix.*

Faustus Rhegiensis.

Faustus Rhegiensis in responsione de ratione Fidei, scribit dictum de Maria Virginis generatione: *Porta erat clausa, & non est aperta, tanquam si interrogaretur, cur aperta non esse; adiecit: Quia Dominus transiit per eam. Porta clausa, id est, signaculum pudoris, immaculate carnis integritas. Non enim violata est paru, quæ magis est sanctificata conceptu, quæ absque omni peccato concepta est in utero. De hac Fausti auctoritate plenius in lib. except. & in epistolis egimus.*

S. Gregorius Nacianzen.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in epistolâ ad Nemesium: *In multorum (inquit) hominum ore hic sermo versatur, Dei hominem, id est, Christum ex Virginis sinu ortum esse, quem, id est, sinum Virginis, Spiritus sanctus cum Dei magni Templo coagmentauit, Templum sanctum extruens, Mater enim virgo, Templum Christi fuit, Christus autem Verbi. Postquam hunc locum retulisset noster Valentia tom. 4. in 3. part. disp. 2. quæst. 2. art. 1. addit. De ipsa etiam Virgine, quatenus fuit Tem-*

plum Dei, dicere videtur, quòd fuerit sancta extracta, id est, formata.

Sanctus Basilius, serm. in Natiuit. siue Incarnat. *Ex sanctitate compacta caro, digna erat, ut deitati unigeniti uniretur.*

S. Basilius.

Leo sapiens, Homil. de Annuntiat. dixit: *Cum adhuc, o Virgo, in lumbis paternis continereris, primogenitus tuus clamabat: Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam; audisti verè, & obliu es populi tui, & sortis, & domus paterna: sortis videlicet illius quæ Eua primogenitrix toti generi distribuit.*

Leo Sapiens

Sanctus Gregorius Nyssenus, Homil. 3. in Cantic. *Oportebat (inquit) Matrem vitæ, tam Conceptionem à letitiâ suchoare, quàm partum in letitia perficere. Nimirum ait ad eam Princeps ille Angelus: Gande per gratiam. Qua voce mœstitiâ illam abigit, quæ rerum initio propter peccatum partui est imposita. Quemadmodum gaudium opponit per antithesim mœstitiæ partus in Virgine, ita quoque gratiam peccato illi, ex quo mœstitiâ illa in aliis mulieribus habet ortum, videlicet peccato originali. Adicienda hic erant quæ cap. 13. exceptionum de mente Nysseni afferimus.*

S. Gregorius Nyssenus.

Sanctus Petrus Chryologus, serm. 140. ait: *Peruolat ad Sponsam festinus interpres, ut à Dei Sponsa humana desponsationis arceat, & suspendat affectum, neque auferat à Ioseph Virginem; sed reddat Christos; cui est in utero pignoriata, cum fieret.*

S. Petrus Chryologus.

Sanctus Cæsarius Nazianzenus, dialog. 3. ait: *Pro loco Virginis, nimirum Ena, perpetuam Virginem sanctam Matrem suam suscitauit, pro illius pœna: huic salutem per proprium seruum Gabrielem misit, in hac sanans, quæ illa deliquerat. Alibi hæc expendimus.*

S. Cæsarius Nazianzenus.

Sanctus Anselmus, serm. de Conceptione: *Angelos, alios peccantibus à peccato seruauit, & feminam Matrem suam futuram ab aliorum peccatis exortem seruare non potuit? In æternitate consilij sui statuit, Eam dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & tunc inferiorem gratiam Angelis datam, in consortium conceptam esse crederemus hominum peccatorum.*

S. Anselmus.

Sanctus Ambrosius, serm. 22. in Psal. 118. inducit Christum dicentem: *Suscipe Me, non ex Maria, ut incorrupta sis Virgo; sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.*

S. Ambrosius.

Sanctus Bernardus, serm. 13. de Cœnâ Domini, ait: *Non est in filiis hominum magnus, vel paruus, tanta præditus sanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem immaculatam, peccatum non facientis.*

S. Bernardus.

Sanctus Gregorius Magnus, lib. 1. Reg. cap. 1. *Potest huius montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creature altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros usque ad solium Deitatis erexit. Hic includi puritatem originalem Virginis in cap. 13. exceptionum expendimus.*

S. Gregorius Magnus.

Auctor Homiliæ de Annuntiat. in Menæis, die 25. Martij: *Providentia singulari perfecit, ut sacra Virgo ab ipso vita sua principio tam omnino existeret pura, quàm esse puram decebat illam, quæ tanto bono, id est, Christo digna existeret.*

Anonym.

Odo Cameracensis in expositione Canonis, dist. 3. postquam dixisset, idèd Christum vocari Hostiam immaculatam, quia conceptus sine omni maculâ culpæ, addit: *De purâ ab omni peccato*

Odo Cameracensis.

cr editur

creditur conceptus & natus; ideo immaculata, nimirum Hostia. Mox addit: *Ab immaculata ergo sumpta est hæc Hostia; ideo, & ipsa immaculata.* Alibi diximus, causalitatem illam ideo solum esse à posteriori, non à priori; nimirum quoniam Filius Dei natus fuerat de Virgine, decebat illam immaculatam fuisse sine peccato originali, propter honorem diuinæ maternitatis.

S. Proclus.

Sanctus Proclus, orat. 6. de Deipara, locutus de sancto Iosepho, ait: *Non meminerat potuisse eam effici Dei Templum, quæ ex mundo erat formata luto.*

S. Zeno Verou.

Luculenter sanctus Zeno in sermone de natiuitate, qui incipit *insusceptibilis*, docet, quia natus ex Maria filius Dei, nullum in illa consensisse peccatum, nec sordem, dicens: *Non Filius, Matris, aut suis est ullis sordibus delibutus: neque enim reuera aliquid circa se habere posset immundum, qui humani generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus.* Ecce quod non potuit habere circa se immundum, nec in se, nec in Matre, scilicet, peccata, sordes, & maculas: & cum Christus caruerit peccato, & maculâ originali, sic decuit ut eius mater eadem careret, ne filius Dei haberet circa se in Matre maculam, & peccatum originis. Deinde, si non decuit habere Matrem Dei sordes naturæ physicas, nimirum sordes partus naturalis, quanto magis debuit carere spiritualibus peccati? Sanctus etiam Cyprianus dixerat de oper. Card. *In natiuitate Christi deuotam dilectâ soboli exhibuit clientelam: ipsa atretractabat, amplectebatur, iungebat oscula, porrigebat mammam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla natura contumelia in puerperio.* Confirmat hoc, quod indicauit sanctus Zeno: nam si dolor partus dicitur contumeliâ naturæ, cum non sit culpa, sed pœna illius, ac proinde femota à Dei Matre, quanto magis ipsa culpa originalis, quæ est maior contumelia humanæ naturæ, ab eâ debuit excludi?

Ioannes Rusbiochius.

Eleuatus ille contemplator Ioannes Rusbiochius lib. de septem amoris gradibus, cap. 3. similiter inquit, exclusisse Deum à Matre sua (ut ex eâ nasceretur) maculam, & dolorem, scilicet culpam, & pœnam, ex peccato originali in mulieribus, dicens: *Ab omni aternitate vnâ ex toto mundo sibi dignissimam elegit Genitricem, & à qua concipi dignatus est ex Spiritu sancto, gestarique castis eius visceribus, & absque vlla macula, & sine dolore nasci ex eâ Matre, simul & Virgine.* Excluit etiam à Deipara maculam originalem ipse Rusbiochius lib. 2. de ornatu spiritualium nuptiarum, cap. 77. *Intemerata Dei genitrix semper Virgo Maria, quam nos vitalem dicimus Paradisum, gratiam, quam Adam perdidit, etiam cumulatiorum multo inuenit: est enim Mater pulchra dilectionis.*

Leontius Episcopus.

Leontius, Episcopus Neapolis in Cypro, homo, homil. in Simeonem, inquit: *Purus ille, ac incontaminatus vnâ cum Incontaminata, ac innupta Virgine, ac Matre.*

S. Theophanes.

Sanctus Theophanes Nicænus in Menæis, die 23. Februarij: *O à cunctis sordibus incontaminata, & super omnes inculpato inculpatisima Domina.* Hæc excellentia dicta in Theotocio refertur ad maternitatem diuinam, cui debita fuerit tanta puritas.

Godfrid. Abbas.

Godfridus Abbas, serm. 3. ait: *Habitabit in nobis, id est, in carne nostra; nostram dico, secundum carnis proprietatem, & non secundum peccatum.* Ioann. Euseb. Op. Parth.

cati originem. Ipse enim sanctam in sancta, immaculatam in immaculata Matre animam suscepit, & carnem. Videantur alia ibidem.

Sanctus Bruno Carthusianus, commentar. in S. Bruno Carthul. Psalm. 101. de Virgine loquens: *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitam agnouimus, quæ quia digna fuit, Dominus de celo in terrâ aspexit.* Alludit ad dictum S. Andreae.

B. Petrus Damianus

Beatus Petrus Damianus serm. 3. de Mariæ Natiuitate, ait: *Quid rogo, vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cœli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium? In Christo enim, sicut per Paulum dicitur, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ & ipsam super excedit celsitudinem Angelorum.*

Iuo Carnotensis, serm. de Natiuitate Domini, Iuo Carnotensis. sic loquitur: *Quomodo Matrem carnis suæ sanctificauit, deinceps audiamus, ut inde lateat Catholicus, immundus confundatur hereticus; omnem quippè neuum, tam originalis, quam actualis culpa in ea deleuit. Sicque carnem de eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit.*

Sapientissimus Pfellus lib. 3. interpretationis Pfellus in Cantica ad cap. 6. *Vocauit sanctissimam Dei genitricem Mariam illam immaculatissimam, quam omnes omnium hominum generationes vocibus nunquam cessantibus Beatissimam predicant; quia totius mundi peperit Saluatorem.* Paulo post: *Vt electa columba est vna illa (sola) quæ Christum genuit Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate profecto Cherubim, & Seraphim antecellit.* Hoc testimonium solet tribui Beato Theodoro.

Sanctus Thomas in Epist. ad Galat. lect. 6. S. Thomas coniungens cum Christo Mariam propter maternitatem eiusdem, ait: *Virum de mille, vnum reperiri, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inueni quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali, excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria.*

Isidorus Thesalonicensis, orat. de ingressu Isidorus Thesalonicensis. Virginis in sancta: *Decebat etiam illius congressus qui concipienda Virginis causa fuit, primordialem & antecedentem causam non esse aliud, quàm Dei congressum, ut quò fieri posset sola purissima, propheticum quoque illud euitare posset: In iniquitatibus conceptus sum; possetque de se ipsa affirmare: Solam non in peccatis concepit me mater mea.*

Petrus Comestor, lib. de immaculata Conceptione, tribuit illam maternitati diuinæ, quòd creata fuerit Maria à suo Filio, dicens *Ipse fundauit eam; ipse, non alius, non vetus Adam, sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam preclarum, tam insigne surgeret adificium. Alioquin si veteris ruina mansere ruina, si veteri superadificatum est, vetus Adam, & non ipse fundauit eam Altissimus.*

Petrus Comestor,

Sanctus Vincentius Ferrer, serm. 1. de Natiuitate Virginis: *Quando corpus Beate Virginis fuit perfectè organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, Altissimus sanctificauit Tabernaculum suum.*

S. Vincentius Ferrer.

Ioannes Geminianus inter doctissimos Dominicanæ Religionis viros, in primo eius sæculo annumeratus, in distinct. 2. funeb. serm. 4. ait: *Omnes qui concipiuntur in mundo ex ipso peccato Adæ, in ipsa sui conceptione contrahunt originale peccatum;*

Ioannes Geminianus.

peccatum: excepto Christo, qui non eodem modo, quo alij est conceptus, scilicet, non ex virili semine; sed mystico spiramine carnem sumens. Vnde quod in ea natum est, scilicet, ex sanctissima Matre eius, de Spiritu sancto est. Idem nunc sentit Ecclesia de Virgine Maria Matre Domini, intemerata, & immaculata. Hæc iuxta editionem Lugdunensem antiquam, anni 1515, & aliam 1526. præclare hîc Doctor Immaculata Conceptione in sermon. 6. dixit: *Attendat pius lector, & Christiana veritatis cultor, quod ab uniuersali hac sententia, uti modernorum tenet Ecclesia, excipitur Virgo Maria in conceptione purissima, quæ per gratiam præuenientem præseruata creditur, & colitur.* Hæc in aliis editionibus alterata inuenio; sed sensu eodem, nec minori energia; fortasse sunt diuersæ traductiones Latine ex vulgari, & patrio idiomate.

Oddo Asten-
fir.

Oddo Astenfis, in commentariis super Psalmos, quo tempore sancti Bernardini scripsit, & dedicauit ad S. Brunonem, Episcopum Signinum, ad illud Psalmi 96. *Nubes, & caligo in circuitu eius, ait: Vterum tuum Beata virgo solius Dei gratia madefactum, hanc nubem vocauerim, Tu enim, ex illa nubes leuis, super quam Dominus venit in Ægyptum.* Dixit, *solius Dei gratia madefactum, quia nequaquam submersa fuit diluuiio cõmunis peccati.* Idem Oddo, super illud Psal. 18. *In Sole posuit Tabernaculum suum, ait: Tabernaculum suum, id est, uterum Virginis: Maria namque stella maris interpretatur. Posuit igitur Tabernaculum suum in Sole, quia de hac stella fecit solem.* Sensus eius est, quod caro Virginis fuisset fabricata purissima tanquam stella, quoniam præparata fuit, ut ex ea Christus accepisset carnem: scilicet præparata fuit ad diuinam maternitatem.

B. Thom.
Valent.

Beatus Thomas Valentinus, serm. 3. de Natiu. Virginea, ait: *Decuit, & Matrem Dei esse purissimam sine labe.* Et mox addit: *In conceptione sanctissima.*

Guillelmus
Parisiensis.

Guillelmus Parisiensis iunior de Festo Conceptionis q. 3. *Absurdum est credere Virginem Mariam fuisse aliquando in odio, & indignatione Filij sui Christi, obligatam supplicio, cum esset Mater Dei charissima.* Multa alia addit, refutando in Virgine peccatum originale.

Nicolaus
Cusanus.

Nicolaus Cusanus, tom. 2. ad illud Cantic. *Sicut lilium, inter alia dixit, sola electa Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit.*

Barthol.
Sigulus.

Bartholomæus Siculus, ex quo idem refert, & confirmat S. Bernardinus serm. 49. de amore glorioso: *Credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quod eius Mater fuerit plusquam Eua, & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali.* Quod si dixeris hunc sermonem non esse S. Bernardini; sed Danielis de Perziliis, parum refert. Imò habebimus nouum assertorem immaculatæ Conceptionis eiusdem temporis cum S. Bernardino.

Ioannes
Taulerus.

Ioannes Taulerus, sermone de Purificatione, locutus de puritate originali Virginis, ait: *Præuenit hoc sapientia aeterna, nolens electissimum Templum suum aliqua labe aspergi.*

Iulius II.

Iulius Secundus in bulla *Ad statum*, dicit: *Gloriose Virginis anima à creatione sua tota facta fuit celestis, & singularis Regis aeterni thalamus.*

Henricus
Suso.

Venerabilis Henricus Suso, in Dialogo sapientia, c. 16. præclare dixit: *Ecquid tibi in montem venit, aut qui tamen affectus eras in illa tua sempiterna incommutabilitate, & incommutabili aeter-*

nitate, cum tam præclare conderes creaturarum omnium purissimam, elegantissimam, atque dignissimam? Meritò sanè dicere tum poteras: *Ego cogito cogitationes pacis. Nimirum Domino Deus, ex abyfso essentialis bonitatis tua fecisti ex ea nasci splendorem gloriae tuae unigenitum Filium tuum.*

Nec omittendus est S. Antonius Paduanus, de quo alibi plura pro immaculata Conceptione, nunc addo, quod dixit in Dominica duodecima post Trinitatem: *Primus Adam de terra virgine factus fuit, in quo significabatur, quod secundus Adam de benedicta terra Maria Virgine erat nasciturus.* In illis verbis, de terra benedicta, alludit ad illud S. Andreae, qui dixit, de terra nunquam maledicta.

S. Antonius
Paduanus.

Alexander de Ales, quod testatur Gotfscalcus Holenus serm. de Conceptione, dixit: *Amica Dei Altissimi, id est, Mater dilectissima, & macula non est in te, nec originalis.* Ibidem refert idem Gotfscalcus alia verba eiusdem Alexandri ad illud: *Nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram, Prou. 4.* De hac auctoritate inquit Alexander de Ales, *Omnes (inquit) denoti Mariæ exponunt hanc auctoritatem sic, nec dum erant abyssi, id est, profunditates originalis peccati, & ego iam concepta eram. Nam abyfusus dicitur ab eo quod est sine, & bisusus quod est quoddam luminosum subtile, & candidum factum textrico opere, quorum contraria sunt in peccato originali, quod est tenebrosum per priuationem lucis gratia, & grossum per damnum perpetuum, atque turpe per carentiam dilectionis diuinae. Nondum ergo erant abyssi, id est, peccati originalis profunditates: & ego iam concepta eram; scilicet, præueniente Dei gratia.* Hæc Alexander.

Alexander
de Ales.

Theodorus Abucara, in opusculo 4. loquens de corpore Adami, ante lapsum ait: *Sempiternus Dei Filius Adamæum corpus assumpsit, hoc est, ipse sibi ex purissimo sanctissima Virginis Mariæ sanguine illibatum, & ab omni macula peccati liberum finxit.*

Theodorus
Abucara.

Gennadius Scholarius, dialogo 1. ait de Filio Dei: *Igressus est puram, & immaculatam Virginem, & suscepit carnem, & homo factus est.*

Gennadius
Scholar.

Prudentius, hymno 3. loquens de victoria Virginis de antiquo serpente, ait:

Prudent.

*Vipera proteritur pedibus,
Edere namque Deum merita,
Omnia Virgo venena domat.*

Seuerus Alexandrinus in Precationibus de Filio Dei, dixit: *Incorporatus est ex sanctissima, & laudatissima Virgine pura Dei Genitrice Maria.* Et in Precatione ad Mariam: *Salue sancta Maria, Mater Dei, Regina cæli, porta Paradisi, Domina mundi, pura unica es, o Virgo.*

Seuerus
Alexandrinus.

Petrus Cellensis, lib. de Panibus, cap. 21. ait: *Filius est sanctus sanctorum, Mater est sancta sanctorum. Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de Matre sine macula, in quo cremantur holocaustomata, dum condemnantur peccata.*

Petrus Cell.

B. Laurentius Iustinianus, tractatu de casto conubio, c. 7. sic habet: *Quotquot ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Dei, & hominum homine Christo Iesu, & eius Matre, sub hac peccati lege sunt conditi.*

B. Laur. Iust.

Timotheus Presbyter Constantinopolitanus, in Simeone inquit: *Super omnes inculpata, & omnibus modis sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in ea.*

Timotheus

Rupertus Abbas ad illud Propheticum: *Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est*

Rupertus
est

est de terra viuentium. Lib. 2. in Isaiam, cap. 19. ait: Ineffabile, quod de carnis generatione hic rectè intelligitur: quia abscissus est de terra viuentium, de terra inquam non morientium, sine non mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt. Vel de terra viuentium, id est, de terra virginica, per sanctum viuificatam spiritum abscissus est.

S Hiero. Sanctus Hieronymus in sermone de Assumptione Dominae nostrae: Peperit illum ex quo concepit: illum portauit à quo creata fuit, ille est Auctor Mariae, qui natus est ex Maria.

Petrus Montius Sic refert hunc locum Petrus Montius in cap. 76. lib. 1. & adnotat sequentia: Et non dicit, quod ex Ioachim, & Anna nata fuerit, nisi ex Deo, tanquam principali auctore B. Virginis: & hic non potest accipi alio modo, quam pro conceptione, vel generatione, cum in verbis suis factos à creatis distinguat.

Origen. His omnibus antiquorum vltimo loco adiicio Origenem, vt saltem, propter antiquitatem non sit contemnendus in celebri illo testimonio homil. 1. de diuersis, in Matthæum, vbi maternitati diuinæ satis ascribit immaculationem Mariæ, dicens: Mater eius, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater eius, cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini, & Regis, omnium plasmatore, & creatoris cunctorum, illius qui in excelsis est sine Matre, & in terra est sine Patre: huius itaque vnigeniti Domini dicitur hac Mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti, immaculati, vna vnica, vnica vnici. Hunc locum postquam attulisset Petrus Montius lib. de vnici legis veritate, c. 76. addit: Licet Origenes canonizatus non sit, propter tria fundamenta, in hoc loco integram sibi auctoritatem praeberere tenemur. Primo, quod sapientissimus erat, & multa bona scripsit. Secundo, quod Ecclesia tanquam in optimam expositionem hac verba in officio posuit. Tertio, quod Hieronymus inquit: Vbi Origenes bene, nemo melius, & vbi malè, nemo peius. Nunc sic: Aut quod in hoc loco bene dixit, aut malè, non malè: quia si malè, Ecclesia non posuisset hoc in officio: igitur bene, & quia vbi bene (veluti per Hieronymum testatur) nemo melius, & non potest esse bonum, nisi verum sit. Sequitur, quod in hoc loco Origenes optimè dixerit, & appellat Dominam nostram intactam, atque immaculatam: igitur sicut quocumque peccati fomite.

§. VIII.

Ipsa Sacra Scriptura supponit in maternitate Dei includi immunitatem à peccato originali. Quod etiam ex Scholasticis confirmatur.

PRæter tot Patrum suffragia, potest etiam considerari ipsam sacram Scripturam satis indicasse Matrem nostri Redemptoris decuisse immunitatem à peccato originali, & reuera ab eo fuisse immunem, cum nullibi eam explicet sanctificatam in vtero, sicut de Ieremia, & Ioanne Baptista significauit, quoniam hi habuerunt peccatum originale, à quo in vtero expiati fuerunt. At Beatissima Virgo nunquam illud habuit; quod optimè expendit perdoctus, & antiquus Scholasticus Marsilius, qui in lib. 2. sentent. quæst. 20. artic. 3. hæc habet: Nusquam in sacra Scripta habetur, quod fuit sanctificata de peccato originali, si-

cut habetur de sancto Ieremia, Ierem. 1. & sancto Ioanne Baptista, Luca 1. Et quare hoc Scriptura non expressit de Virgine, sicut de minoribus ea? Certè videtur, quod ex eo, ne Matrem Domini, quandoque sub peccato fuisse assereret, quod in crimen laesa Maiestatis Regina cœli aliquo modo redundaret. Hæc Marsilius. Antè Marsilium, alius magnus Doctor Thomas Argentina, in lib. 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. loquutus de immaculata Virginis Conceptione, dixit: Fortè diceretur, quod de isto Virginis priuilegio nulla sit in sacra Scriptura mentio, & ideo non videtur aliquid de hoc esse tenendum in proposito. Respondeo, quod sicut de sanctificatione Ioannis Baptiste in vtero matris, sic mentio in Euangelio, & non de sanctificatione Mariae, quamuis omnes fideles credant eam esse sanctificatam in matris vtero: quia non debuit esse deterioris conditionis, quam Ioannes: tamen pro tanto Scriptura non faciunt mentionem de Maria sanctificatione: quia quilibet fidelis hoc pia mente pro certissimo debet supponere. Sic à simili dico de supradicto gloriosa Virginis Mariae priuilegio.

Sufficit enim ad intelligendam quamcumque excellentiam Virginis, maternitas diuina; propterea consentaneè ad dicta B. Thomas Valentini, in sermone tertio de Natiuitate Deiparæ, ait: Antequam conciperet Filium Dei, iam idonea erat, vt esset Mater Dei. Sed qualis est hac dignitas? Vtique habet quaedam infinitatem esse Matrem infiniti, & omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, vt esset idonea Mater Dei? Hic iam flectat lingua carnis, excedit enim intellectum, & loquelam Virginis magnitudo, non modò nostram, imò, & suam. Fecit (inquit) mihi magna, qui potens est. Sed quam magna? Nescio an ipsamet voluit comprehendere suam magnitudinem. Vnde melius eam silentio veneramur, sicut scriptum est: Tibi silentium, laus secundum translationem Chaldaicam, vbi dicimus: Te decet hymnus Deus in Sion; quia verè omnis laus silentium est, & cum finierit homo, laudare, tunc incipit, imò nec locutus est. Propter quod sancti Euangelista de eius laudibus silent, quoniam ineffabilis est eius magnitudo: satis fuit de ea dicere: De qua natus es Iesus. Redeo ad Scholasticos.

Aliam Marsilij considerationem, quam ibidem habet, nolo subicere; quoniam maximè commendat omnimodam puritatem Matris Dei, quia, inquit: Sequeretur, quod in futuro iudicio infimus Angelus bonus appareret cum maiori innocentia, quam cœli Regina, & totius pudicitia Domina. Consequentia trique non videtur bene sonare, & consequentia tener: quia nullus Angelus bonus vnquam fuit debitor eterne mortis pro toto aëre suo; ergo suus status est status innocentia. Virgo Maria si erat in peccato originali, erat pro tunc eterne mortis filia; saltem, secundum presentem institutum: ergo cum ipsa in futuro iudicio representabitur iuxta totum statum suæ vitæ, ipsa representabitur pro aliquo tempore, vt maculata, vt mortis filia: vt in anima nõ iusta, nec innocens. Sed dicitur: in hoc apparebit maior Filij sui misericordia, ex quo eam, & omnes alios de maculis liberauit. Sed salua reuerentia non videtur valere. Nam perfectior est status innocentia, quam resurrectionis à culpa, qui est penitentium, cum hunc Christus sibi accepit; & in hoc primum hominem condidit. Et non est verisimile, quod propriam Matrem in statu inferiori reliquit, quam mediatricem Dei, & hominem instituit. Secundo, etiam nobilius apparet sua misericordia in

Thomas
Argentina

B. Tho.
Valent.

Lucæ 12

Psal 46

Marsilius

Matre, si eam ab originali macula, quam contraxisset non præserruata, præserruasset, quam si iam infectam renouasset. Egregiè quoque in artic. 2. probans immaculatam Conceptionem, dicit: Deum hoc facere decuit, scilicet, animam Virginis ab originali macula præserruare. Persuadetur primò sic, quia dicit venerabilis Anselmus de conceptu originali cap. 18. Decens nempe erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit cogitari, Virgo illa nueret: cui Deus Pater unicum Filium suum, quem aequalem sibi ab eterno genitum, tanquam se ipsum diligebat, dare disposuit: modò si peccato originali fuisset obnoxia, maior puritas sub Deo posset cogitari, que fuisset in Virgine: pura, si tanta fuisset, & nunquam sub labe culpa, &c. Secundo, quia hoc decuit Dei Filium observare in propria Matre, ad quod quemlibet purum hominem suo precepto voluit obligare; sed Dei Filius, quemcumque filium alium, ut matrem eius propriam, non solum à culpa, que damnat, sed etiam à qualibet minori macula, que defædat, quantum potest præserruet, voluit obligare: ergo hoc decuit eum de culpa, respectu propria matris. Patet maior, quia non precipit Deus, nisi ea, que decent, & ergo ea in actionibus suis implet. Patet minor, quia alias filius non honoraret matrem suam. Quinta suppositio, magis decuit Deum Virginem Matrem præserruare a macula mentis, quam à dolore corporis; patet, quia anima hominis est præstantior corpore. Item, quia anima est expressior imago Trinitatis. Item, quia macula mentis sine proportionem grauior est omni dolore carnis. Nec præmittendus est, quod 1. articulo dixerat: Quia decuit eam præserruare ab originali peccato: ergo ab eo fuit præserruata. Consequentia tenet, quia ut dicit venerabilis Anselmus, omne includens indecentiam, impossibile est apud Deum, etiam quantumlibet paruam. Et est manifestum, quia perfectissimo omnis imperfectio repugnat. Deus autem est in perfectione immensus; unde & ei omnis imperfectio repugnat: constat autem, quod omnis indecentia aliquam imperfectiorem necessario includit; quia quod omnimodè perfectum est, omnimodè decens est. Antecedens patet, quia dedecus esse videtur non minori puritate produci humani generis saluatricem, quam producta fuit eiusdem generis exterminatrix, scilicet Eua mater nostra, qua genus humanum exterminauit, sine omni peccato producta est, ut habetur Genes. 2. quia facta ex costa viri sine peccato fuit: ergo etiam decuit humani generis saluatricem, qua fuit Virgo Maria, sine omni peccato produci. Traxi moras in referendis testimoniis huius Doctoris, cuius celebre doctrinæ nomen, tantum fuit, ut de illo cecinerit Antiquitas:

Quam superat Phœbus radiantia sydera cæli,

Ut cedunt magno flumina parua mari.

Tantum Marsilius Sophia præcellit honore

Heidelbergensis lux, & origo Scholæ.

Fuit Marsilius Princeps, & fundator olim Scholæ Heidelbergensis.

Planè doctissimi Scholasticorum imitati sunt antiquos Patres in annectenda diuina maternitate cum omnimoda puritate, atque huc tandem tendunt eorum rationes, sicut illæ Gabrielis, Biel, qui etiam fuit Princeps, & plantator Vniuersitatis Tubingensis, in 3. sentent. dist. 3. q. 1. vbi ait: Nam perfectissimus mediator habet perfectissimum modum mediandi, respectu alicuius persone, pro qua mediat: Christus est perfectissimus mediator: ergo, &c. Est autem perfectior modus mediandi, præser-

uando à peccato, quam post peccatum reconciliando. Hunc ergo habuit respectu alicuius persone: & manifestum est, quod respectu nullius persona habuit excellentiorem actum mediandi, quam respectu Virginis: ergo eam præserruauit. Item, Christus principalius conceditur esse reparator originalis, quam actualis mortalis; sed quosdam præserruauit ab actuali mortali; ergo aliquem ob originali, non alium, nisi Mariam igitur, &c. Item, ad benignitatem pertinet Dei Matris seruare honorem; quoniam legem soluere non venit, sed implere. Lex enim, ait Augustinus, sicut honorationem matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Cum ergo Christus potuit Matrem ab inhonoratione peccati, que utique maxima est, præserruare: credendum est hoc omnimodè fecisse. Nec impedit, quod concepta nondum Mater fuit: quia quod nondum fuit in exhibitione, semper fuit in æterna prædestinatione, nec enim temporaliter, sed ab eterno in Matrem Dei electa est. Itaque, ad effectum misericordiæ, siue pietatis, & honoris debiti Matri, & huius nominis dignitatem reducunt tandem Scholastici, & Patres Conceptionis Marianæ puritatem, tanquam consentaneam, & connexam maternitati diuinæ. Ad eam autem connexuit idem Gabriel maternitatem diuinam cum immaculato conceptu; ut ipsam passiuam Virginis Conceptionem appellauerit quasi originalem Christi Conceptionem; & planè memoranda sunt illius verba in sermone primo de Conceptione, circa finem: *Principalissimè est conceptio Virginis veneranda, quoniam singularem ordinem habuit illa Conceptio ad initia nostræ redemptionis. Nam illa conceptio formatio fuit substantia corpulenta, à Filio Dei postea pro nostra assumptiones assumenda. Ac per hoc conceptio futura Matris Filij Dei fuit quasi quedam originalis conceptio Christi. Ex quo etiam hoc patet: quod factum conceptionis hoc respectu magis ad corporis formationem referendum est, quam anima sanctificata infusionem. Filius siquidem Dei pro nobis incarnandus, nihil de anima Beatissima Virginis assumpsit. Sed tantum de corpore Virginis, eiusque purissimis sanguinibus (ut Damascenus ait) Spiritus sancti operatione formatum corpus sibi hypostaticè vniuit. Quapropter, non solum animatio Virginis, sed corporalis substantia, eius formatio, merito est omnibus veneranda. Sic quoque gloriosa Crucis, in qua ad horam pendens Christus, mortem gustando, à mortis gustu nos omnes liberauit, inuentio, ac de terra effusio, similiter & exaltatio mundo venerabilis est: quanto magis eius corporis formatio summè veneratione colenda est; in quo Saluator mundi nouem mensibus quiescit, ac de eodem conceptus est & fetus, & in lucem prodiit huius mundi. Optimè quoque idem Gabriel in sermone 2. vbi fatis scholasticè locutus est, postquam ostendisset conceptam in gratia Virginem, aut sine peccato originali, non derogare diuinæ omnipotentia; addit: Nec sapientia; quoniam omnino decet sapientiam, ut Agnus Dei immaculatus de immaculata generetur, ideo elegit Virginem corpore. Et quare non potius mente, cum deierit sit corruptio mentis (qua est per peccatum) quam corporis? Minus denique fuisset dedecus Matri nasci ex matrimonio, quam concipi in peccato originali. Nam illud sine culpa fieri potuit; istud verò non, quia peccatum culpa est. Nec derogat bonitati Diuinæ, quia omnino decuit, ut Filius diligens Matrem, omnia prohiberet, que Matris honorem denigrare poterant. Nec iniustitia: quia satisfactio fuit perfectissima, sicut Redemptor perfectissimus;*

Idè Gabriel.

Gabriel Biel,

Gabriel Biel,

Elissimus; ideo debuit perfectissimum modum redimendi in aliquo exequi. Non licentius quam in Matre. Iustum denique fuerat ut electa super omnes in gloria, privilegio singulari gauderet in statu vie. Sed sunt, qui post natiuitatem purgantur per sacramenta. Sunt qui ante natiuitatem in utero. Dignum ergo est, ut ipsa, quae omnes praecellit, praeseruetur in conceptione sua.

Thomas Argent.

Doctissimis Marfilio, & Gabrieli praeluxit doctissimus etiam Thomas Argentina, qui in 3. sent. dist. 3. q. 1. artic. 1. haec habet: Decuit Dei Filium Virginem Matrem ab huiusmodi macula praeseruare. Quia hoc decuit Dei Filium in propria Matre obseruare, ad quod obligatur quilibet purus homo ex precepto diuino; sed quicumque filius si posset matrem suam praeseruare, etiam a minori malo, quam fuerit originalis culpa, ipse ad hoc tenetur ex precepto diuino, quia alias non honoraret matrem, nec in maxima necessitate ei subueniret: ergo, &c. Praeterea, Anselmus in libro de conceptu virginali, ait: Nempe, decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam se ipsum diligebat, ita dare disposuit, &c. Ad probationem Corollarij suppono cum Anselmo, quod minimum inconueniens apud Deum est impossibile. Tunc arguo: Illud, quod decet aliquem facere, & nullam habet de impotentia excusationem, si hoc non facit, aliquo modo pro inconuenienti sibi poterit imputari: sed Virginem praeseruare ab omni macula Dei Filium decuit, ut patet ex secunda conclusione, & ipse hoc potuit, ut patet ex prima conclusione: ergo aliquo modo inconueniens esse videtur, quod hoc non fecerit, & per consequens impossibile, ut ex propositione Anselmi patuit. Istud etiam patet per Augustinum, in libro de natura, & gratia, ubi ait expressè: Quod cum de peccatis agitur, nullam de Maria Virgine vult fieri quaestionem.

Francisc. Mayroni

Ante Thomam Argentinam floruit illuminatus Doctor Franciscus Mayronis, qui in 3. sent. q. 2. art. 2. haec habet: Decuit, quod Christus Matrem suam, ne peccatum originale contraheret, praeseruaret: quia agens beneuolum circa effectum sibi gratum, nihil omittit de contingentibus; sed Deus est agens maximè beneuolum, & puritas Virginis Matris sua fuit sibi maximè grata: ergo decuit, quod nihil omitteret de contingentibus, quin ipsam ab originali praeseruaret. Et paulò post: Augustinus loquens de Assumptione Virginis, dicit, quod non decuit, quod Christus corpus B. Virginis subiiceret incinerationi, vel corruptioni: sed maior est anima corruptio, quam corporis: ergo Christus multò magis non permisit, quod anima Virginis subiaceret macula peccati originalis. Item, si Christus Matrem suam permisisset incurrere peccatum originale, peius sibi fecisset, quam si eam perpetuò pœna sensus puniuisset: unde B. Virgo in puris naturalibus constituta, prius pœnam aeternam elegisset, quam peccatum originale. Probo: quia magis quis debet fugere odium Dei, quam pœnam aeternam: sed peccatum originale est Deo odiosum magis, quam peccatum actuale: igitur. Rursus in art. 3. Augustinus sic inquit: Cum enim de peccatis agitur, de Maria nolo facere mentionem, propter Christi reuerentiam. Sed aliqui hoc exponunt de peccato veniali. Contra: maior irreuerentia est Christi habere Matrem suam peccatum originale, quam veniale. Ergo magis est de originali auctoritas exponenda. Et hoc patet per dictum Ioannis, quod ibidem subdit Augustinus: si

Lib. de natura, & gratia circa mediū.

Epistol. 1. cap. 1.

dixerimus quòd peccatum non habemus, &c. Quod non potest intelligi nisi de peccato originali: quia ipsa Mater Dei veniale nunquam habuit, & dicere potuit, quòd peccatū veniale non habuit. Item, hoc idem confirmatur per legē: quærit lex, an Princeps subiiciatur legi, quam condidit: & respondit, quòd nō, sed Augusta legi subiicitur. Sed vult tamē, quòd ex privilegio non subiiciatur legi: & tamen ista lex est de dictamine iustitia iusta legis naturalis; quæ lex est Philosophorū, qui secundum rationē processerunt, sed Christus legem naturalem iustitia non minus seruauit erga Matrem suam, quam Augustus erga matrem vel uxorē: igitur Beata Virgo de iure municipali non fuit subdita legi communi; Christus autem legem condidit de contractione peccati originalis: ergo. Item in artic. 4. ait: Lex quarit, & Princeps, quæ sit lex melior, quæ unquam fuit facta. Respondet legis consultus, quòd illa, quæ dicit sic, legem, inquit, scire, non est verba legis dicere; sed intentionem legislatoris habere, & diligenter inquirere. Sed Deus institutor legis, ut probatur piè, & rationaliter, Matrem suam ab hoc iure esse exemptam voluit: igitur magis hoc est intelligendum, quam verba legis, & Codicis.

D. de legib. s. L. Princeps legibus, c. Proposuit de concess. Præbend. A. L. subiacet

D. de legibus, L. scire leges, vide rationē huius capitis & requir. de appellationib. &c. Marchio 1. 9. 2. 1.

Ludouic. Veron.

Nimum hoc ipsum premit disertissimus Ludouicus Veronensis, quem alij dicunt à Torre, cuius tractatus de Conceptione, editus fuit Brixiæ, anno 1486. inter alias probationes hanc afferens: Culpa originalis peccati est maxima pœnarum, imò maior quam carentia visionis diuina, ut patuit supra in veritate quarta; ergo istam gravissimam pœnam Christus meruit auferre à Matre; ergo praeseruat. Confirmatur ratio: quia si Christus non reconciliasset Matrem per remotionem talis pœna, quæ est in peccato originali, deuenisset in tantum malum ipsa Virgo benedicta, quòd secundum dictamen rationis debuisset ipso tunc velle annihilari, vel saltem esse in inferno, quam esse in tali peccato. Hoc videtur valde absurdum, & inconueniens, quòd Mater tante dilectionis deueniret ad tantam ruinam, quòd ipsa debuisset potius velle non esse, quam esse in tali peccato: ergo inconueniens est dicendum, quòd Christus non praeseruauit Matrem à tali pœna originalis culpæ; inconueniens autem in Deo arguit impossibilitatem, ut patuit veritate nona, ergo, &c. Assumptum verò, scilicet, quòd ipsa debuisset velle nō esse, vel esse in inferno, quam in culpa originali, patet per Theologos in 4. circa finem, concludētes, quòd licet damnati, ut subiiciuntur pœna, non debeant velle non esse, tamē ut subiiciuntur culpa, deberent citius velle non esse, vel esse in infernali semper pœna, quam subiici culpa. Cuius ratio est: quia pœna sensus est offensio patientis, sed culpa est offensio Dei, qui est super omnes creaturas; quam, ut non quis incurrat, deberet velle non esse, eo modo, quo non esse, vel esse in pœna, cadit sub rationali appetitu; quia nisi intelligatur in bono sensu, propositio esset falsa absolute, sed bene intellecta, est vera. Et sic est verum, quòd Virgo Maria debuisset citius velle non esse, vel esse in pœna inferni, cum sui offensione, quam esse in peccato cū offensione Dei.

Alex V

Audiendus quoque est Alexander V. summus Pontifex, in tractatu de Conceptione Deiparæ: Vir in diuinis (ut loquitur Trithemius) Scripturis eruditissimus, & in Philosophia Scholastica magnisè doctus, declamator sermonum celeberrimus, qui olim in Gymnasio Parisiensi publicè Scholæ præfuit, & docendo, ac scribendo magnas, & ingenitè laudes acquisiuit. Consentaneè quoque Possesinus de eodem Alexandro Quinto dixit,

Vit

Vir sanè sanctitate, doctrina, magnanimitate præstantissimus. Hic tantus Doctor, non tantum in commentariis in libro tententiarum; sed in speciali tractatu de immaculata Cõceptione, eam magnificè commendat, atque inter alia in prædicto tractatu appositè ait: *Filius debet honorem exhibere matri, secundum legum decentiam, qui suæ non derogat dignitati: sed Dei Filius fuit Filius Virginis, ergo debebat sibi exhibere, vel saltem decens erat, ut omnem honorem suæ Matri exhiberet, qui suæ non derogabat dignitati, cum ipsam sine originali fuisse conceptam non derogat honori Filij, cum adhuc in ipso sint alia gratia excellentiores, imò prætenditur honor Filij, quòd sua Mater nunquam fuit peccatrix; sed quòd decens erat, quòd istum honorem à suo Filio recepisset, hoc est, quòd dicit Beatus Hieronymus in sermone de Assumptione Beate Mariæ: Non, inquit, est dubium, quin totum ad gloriam, & laudem Christi pertineat, quicquid suæ Genitrici impensum fuit, ac solemniter exhibitum. Ex quo colligitur, quòd omnis honor impensus Matri, redundat in Filium; & per consequens etiã omne vituperium impensum Matri, redundat in Filium: igitur decens videtur, & honorabile, quòd Christi Mater non dicatur peccatrix. Si ergo hoc iudicat ratio, quòd alij debent sentire de Matre Christi: quanto magis ipse Christus hoc debuit facere, ut saltem hoc facere, fuit congruum secundum decentiam honestatis. Hactenus ille. Præterea, cum in fine tractatus, ut supra vidimus, dicat idem Pontifex, non aliis Scholasticorum rationibus, sed sola deuotione ductum firmiter credidisse immaculatam Deiparæ Conceptionem, eam rationem solam admisisse, est necessè, quæ fuit causa deuotionis; nec enim deuotio irrationalis debet esse, sed cum ratione, quæ absque dubio est, quòd Maria est Mater Dei, quoniam diuinam maternitatem decet immaculatio conceptus.*

Petrus
Montius

Multa de maternitate diuina pro immaculata Conceptione habet Petrus Montius lib. 1. de vnius legis veritate, carpam aliqua: in cap. 66. probat: *Quòd Christus de ordinaria potentia non potuit Matrem labefactari sinere. Probatio hæc est: Dicimus in Deo duplicem esse potentiam, alteram absolutam, & alteram ordinariam. Sed quæcumque istarum sit, solum extenditur ad hoc, quòd non contradicat substantiæ, aut diuine ordinationi, contra quas nulla illarum esse potest. Quòd manifestè cognoscimus Deum non habere potestatem creandi alium Deum sibi similem, nam prima, atque infinita causa contradiceret, quum duo prima, & duo infinita esse omnimodo repugnet, nec aliter de ordinaria potentia dicimus: quamuis hoc diffusius in alia parte tractabitur; hic autem dicimus, quòd secundum ordinariam institutam, stante institutione Deus non potest peruersos saluare, ne quidem bonos condemnare; tunc enim suæ ordinationi aduersaretur. Et per hanc viam ad Christum deuenimus; qui Deus, & homo est, nec quicquam agere potuit, quòd sibi repugnaret: quæ de re necesse fuit, ut suam Matrem omni gratia plenam crearet, aut quòd in aliquo puncto inhabilem non reliquisset. Quia hoc manifestè Filio contradiceret. Quum omnes sciamus sibi fuisse maiori honori, atque sanctius, totale remedium adhibuisse, antea quàm in necessitatem incideret: & sicut in pluribus locis probauimus, quatenus Deo licuerat penès libitum agere; ex quo nemo præter se ipsum superior, & secundum quòd de colendis maioribus præcepit, meritò erat suam Matrem veneraturus.*

Audaçter etiam, sed quòd argute dictum, est, cautè legendum, & sanè intelligendum erit in c. 80. ait: *Aliqui difficillimum esse arbutantur, quòd Domina nostra Christo similis esse potuit, quòd non contrahendum originale peccatum, nec coniciunt, quomodo in aliis rebus gloriosa Virgo maiorem haberit prærogatiuam, quam ipse Christus. Maior enim dignitas est esse Matrem, quàm esse Filium, & Matrem Dei, quàm mulieris filium: & sic etiã post partum maiori laudi ascribitur esse Virginem, & generare. Idcirco, quum in iis rebus tanta excellentia Matrem Christus decorauerit, æquū est, quòd eam in conceptione liberam fecisset ad Filij similitudinē, in quantum eam in aliqua labe dimiserit; quãuis non equaliter digna fuisset in gradibus perfectionis. Et in cap. 53. postquã refutasset cõceptam Deiparam in peccato, concludit: *In hoc verò rectius potest dici, quòd Deus ostendisset se inuidum esse, quàm permittendo Matrem mori, ut legem gratiæ imitaretur; tum etiam hic fuisset habenda pietas de matre, ex eò quòd propter Filij dignitatem esset maculata. Item in cap. 50. sic inquit: Nam quum Deus sine-ret Matrem suam maculatã esse, videretur fecisse quemadmodum quedam animalia, quæ dum obesse nequeunt detrimentum inferentibus, lapides, aut propria membra eorum mordeant. Attamen considerandum est, Deum non fuisse eiusdem consilij, & imperispicacia ut omnino propter culpã populi, carnes, & membra sua maculari permisisset. Tum etiam in cap. 85. fatur sic: *Inter Christianos communiter tenetur, Dominam nostram absque macula conceptam fuisse, & omnes alij, ut Hebræi, & Mauri inquit, & annuunt, quòd si Domina nostra Mater Dei fuit, in conceptione eius nulla intercedit macula, licet Mauri absque quòd teneant Christum fuisse Deum, aiunt Dominam nostram primam fuisse inter natas mulierum, & Hebræi quoque tenent, Matrem Messie magnas habituram prærogatiuas, quamuis non concedant Messiam esse Deum, & hominē; positis vero eisdem conditionibus, quas nos dicimus: omnes inquit, nullam in Matre Christi labem esse potuisse.***

Operæ pretium quoque erit memorare, quæ differit Alanus Varenus diuinis, & humanis, Theologicis, & Philosophicis literis clarus: de quo multa habet Petrus de Alua, quamuis Antonio Petrus de Alua. Possuino, & Gesnero non fuisset ita notus, eumque dicit floruisse sæculo decimoquarto. Hic doctissimus vir sermone primo in laudes Deiparæ, locutus de cõmunionem inter Filium Dei, & Matrem eius, sic ait: *Ineffabilis ibi, & alternans vicissitudo est. Respicit filius matrem, & suo lumine clarissimam facit. Et talium fulgorum patiens conspiciat filium mater, sacratioris luminis effecta particeps, aueos venerabiliter suscipiens de diuinitate radios; illis supra caprum omnem inter suscipiendū coagens: tanta ibi inuenta sympathia, & diuiniore concordia, ut nullibi melior, aut sonior fuerit unquam comperta. Vterque speculum sine macula, rosa sine spina, & lilium inter spinas densissimas candidissimum. Ut quicquid venerationis in filio est, hoc totum in Matrem referatur. De Filio dictum est: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eã non cõprehenderunt. De Matre: Quæ est ista quæ ascendit de deserto? In medio quippe deserto squallentis sæculi, & asperrimis conuallibus antea posita, tamen contra naturam deserti amplissimam in Dominica horrea comportabat frugem. Et propterea subdit: *Deliciis affluens, pulchrè omnium genera ex diuinis prodibant diuina Matris fulgoribus.***

Verè

Verè virga Aaron, quæ fronduerat, & multiplicem produxerat fructum. Lux Dominus est, & ipsa, illa lux est, de qua loquitur Scriptura: Fiat lux, & facta est lux. Si enim beatissimi Angeli lumina sunt spiritualia, manentia, nunquam peritura, quomodo non talis quadam lux, imò omni eà luce longe superior Domini Mater erit; quæ Solem peperit iustitia, quæ suis radiis vniversum illustrauit mundum, & multiplici dissipato errore veram lucem innexit: lucem quidem statim, æternamque, non deciduam. Qualis, & quanta hæc est, quæ inter mulieres, imò pulsquam omnes mulieres, benedicta est: Supra quã Eua benedicta, quæ nulli Eua maledictio potuit esse obnoxia: pulchrior Rachel; fecundior Lia, magis ipsa Rebecca Spiritum sanctum referens, & verioris selectrix populi, tãta data benedictionis mediatrix, & melior quadam causa. Non hæc Moyse Ethiopissa, propter quam Deus in Aaron, & Mariam succenset, quæ candidior Sole, Luna, & omnibus hyderibus est. Iudith Oloferni caput amputat, Abigail sua mansuetudine, & humilitate promeretur Dauid amplexus: Betsabæ interiore magis, quàm exterior pulchritudine Salomonem paritura, in cubiculum Dauid asciscitur. Esther eleuata in populis, Regio prætergresso edicto, regis sese offeri, populum liberatura conspexit. Hæc vna omnibus fungitur muneribus, celsioribus dignata meritis. Omnes longè superans sequetioribus incomparabilis mysteriis.

Viger.

Pia quoque sunt verba eximij discipuli sancti Thomæ, Ioannis Vigerij, congrua antiquitate, & eximia doctrina venerandi, in instit. Theol. cap. 20. de myster. Incarnati. ait: De hoc Incarnationis matrimonio exponi potest prophetia Ade cõsentientis matrimonio Eua, ex costa sui lateris formata, dicentis: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quia natura humana in Christo est corpus ex ossibus, & carne Christi, hoc est, ex Dina Virgine, quæ dicitur specialiter caro Christi, propter specialem præseruationem à peccato originali. Alij enim omnes sunt natura filij iræ, & per consequens diaboli: quia habent characterem eius, scilicet, originale peccatum.

Qui autem neruose vrget, vim, seu necessitatem annectendæ immaculatæ Conceptionis ad maternitatem diuinam tanquam illi debitæ, mihi videtur esse doctissimus, & disertissimus Theologus, & disertissimus interpres Iacobus Perezus de Valentia, qui sub Sixto Quarto floruit; nam super Magnificat hæc dicit: Christus tenebatur de debito, & debuit præseruare Virginem Matrem suam à tali culpa per talem sanctificationem, & decorare causâ talis dignitatis. Ista conclusio probatur. Primo, in quantum Filius, & sanctus sanctorum: nam ad Filium sanctum pertinet de debito, imò obligatur in quantum potest, & decens est, decorare, & honorare Matrem suam; sed Christus est verus Filius naturalis, & carnalis Virginis Marie, ut dictum est, & dicitur, ergo tenebatur, & obligabatur honorare eam tali honore, & dignitate, postquã potuit, & fuit decens, ut dictum est; quia aliter non decenter honorasset Matrem secundum decentiam suam. Item, hoc idem pertinebat ad Christum, in quantum sanctus sanctorum: quia ad sanctum pertinet omnia disponere, & in finem optimum, secundum decentiam, ordinare: ergo postquam Christus tanquam sanctus sanctorum, venit ad sua membra sanctificanda, & in debitum finem ordinanda, debuit Virginem Matrem suam præ ceteris sanctificare, & in debitum, & nobiliorem finem, sibi possibilem, ordinare, eo quod ex ipsa debebat illam car-

Iacobus
Perez.

nem assumere, cum qua insurabiliter omnia debebat sanctificare. Item, hoc idem debuit facere Christus, tanquam legislator. Nam ipse, qui dederat legem de honore parentum, debuit illam legem obseruare, sicut in ceteris obseruauit, qui in omnibus primò cepit facere, & postea docere, ut patet Actuum 1. & Luca 11. ergo sicut honorauit Matrem in seruanda obedientia, ita magis debuit eam venerari, ab omni labe præseruando, & omni gratia decorando in principio sui esse. Vnde, omnes illa decem rationes, quas facit Augustinus in libello de Assumptione Virginis Marie, ad probandum, quod non fuit incinerata in sepulchro, magis probant hoc propositum, quàm illud. Ex supradictis ergo tribus conclusionibus, infertur vnum corollarium, siue corollaria conclusio, scilicet, quod de facto Christus præseruauerit Virginem Matrem suam ab omni culpa, tam originali, quàm actuali, & veniali per talem sanctificationem. Hæc probatur: nam Christus hoc potuit, & cum decentia debuit hoc facere; ergo fecit: quia potuit cum decentia Virginis, & sui, & nostri, ut probatum est per supradictas conclusiones; sed istam consequentiam posset quis negare. Nam multa potuit Deus facere; quæ non fecit; puta, facere hominem impeccabilem, & aliter hominem liberasse: sed tamen ista non fecit. Ad hoc respondetur, quod licet Deus omnia illa potuisset facere; tamen, quia non tenebatur, nec obligabatur facere, idè non fecit: sed quia decebat eum, & tenebatur tanquam Filius, & Sanctus, & legislator dignificare, & honorare Matrem suam, eo modo, quo dictum est; idè fecit. Vnde, causa, quare in Christo illa consequentia, & non in nobis, est ista: nam si homo diues potest decenter, & obligatur facere eleemosynam, & non facit; hoc accidit ex aliqua passione impediente, puta, auaritia: sed in Deo nulla potest esse passio impediens ad bonum; ergo si potuit hoc decenter, & debuit facere de necessitate, coguntur dicere, quod fecit absque præiudicio suæ libertatis: imò cum decentia suæ Maiestatis, & officij suæ legationis. Et sic pater, qualiter illa sanctificatio facta in principio creationis, & animationis Virginis Marie, præseruauit eam ab omni malo, & confirmauit eam in omni bono.

Antiquior prælaudatis Scholasticis fuit Hermannus Schildius doctissimus Theologus, & interpres, qui fecit pulchrum tractatum de Conceptione Virginis gloriose, in quo probat multis rationibus, Beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali ex parte ipsius peccati, dicens: Peccatum originale tres habet maculas. Prima est, quæ facit hominem natura iræ filium. Idè secundum Apostolum ad Ephes. 2. Omnes nascimur filij iræ. Si igitur, contraxisset peccatum originale, tunc per tempus, vel instans fuisset filia iræ, quod est inconueniens, & falsum. Secunda macula est, quæ facit hominem sub potestate Sathane. Quod pater: quia per exorcismum expellitur Sathanas à baptizandis antequam per Baptismum originale peccatum tollatur. Vnde Gregorius in homil. 14. dicit, quod Sacerdotes in exorcismo demonia eiiciunt: sed si fuisset Beata Virgo in peccato originali concepta, tunc fuisset pro aliquo momento in potestate Sathane, & quicquid in ea fuit, fuisset in potestate Sathane. Etiam fuisset verum dicere, quod totus Christus, & illa materia de qua formandum erat corpus Christi, fuisset omnino in potestate Sathane; quod omnino falsum est. Tertia macula est, quæ condemnat hominem in eo conceptum statim ad mortem æternam, saltem quantum ad pœnam damni, per quam in Adam omnes moriuntur: & per vnus

vnus delictum intravit mors, ut dicit Apostolus, & Augustinus in lib. de fide ad Petrum dicit, quod puniuntur sempiterno igne; si ergo fuisset concepta in peccato originali, tunc fuisset condemnata ad mortem eternam, & etiam corpus Christi, quod adoramus, fuisset aliquando damnatum ad mortem, & multe sequerentur absurditates, quas humana aures ferre non possunt, & obstupescunt. Hæc ille Doctor cum aliis multis rationibus ibidem.

Multa eiusmodi reperientur in aliis Scholasticis, & omissis notioribus fauent diuinæ maternitati affirmantes eius Conceptionem immaculatam. Henricus de Hostio in Epist. contra Guar. part. 3. cap. 11. probat hoc multiplici ratione, concludens: Si contingat in hac materia deficere minus malum, est deficere per superabundantiam, quam per defectum, quia secundum Aristotelem prodigus est minus malus, quam parcus. Item, Petrus Thomas in Epistola ad Ioannem Infantem Aragoniæ, hoc idem affirmat. Similiter & Ioseph. de Basilea 1. quæst. responsionum suarum. Landolphus Archiepiscopus Neapolitanus in 3. dist. 3. Tum etiam Franciscus Astensis in 3. q. 6.

§ IX.

Eadem Explicatio de Matre Dei omnifariam purissima, confirmatur ex Theotociis Ecclesiasticorum Officiorum apud Græcos, & diuersis Ritualibus.

Id ipsum stabilitur ex iis laudibus, quæ in Ritualibus Græcanicis in honorem Matris Dei passim inueniuntur, maximè in Theotociis, quæ ad singulas Odas appenduntur, quæ Theotocia sunt clausulæ in fine Odarum adiectæ ad honorandum in Maria diuinam maternitatem; idcirco Theotocia dicuntur à celebri illa Græcorum voce *Theotocos*, quæ idem significat ac *Mater Dei*, & post Concilium Ephesinum maximè fuit decantata. In his itaque Marianis laudibus, quas in honorem diuinæ maternitatis miscet Ecclesia Græca, communiter celebratur omnimoda Virginis puritas, etiam originalis, tanquam comprehensa in excellentia Matris Dei. Vnde corroboratur, quod dicimus, ex iis Scripturæ locis, quibus asseritur Beata Virgo Mater Redemptoris nostri, intelligi etiam à Patribus, & ipsa Ecclesia immunem fuisse à labe originali. Tam nota sunt, quæ dicimus, in Ritualibus Græcis, ut satis sit pauca ex multis colligere. In Menæis die 4. Ianuarij: *O nauis omnibus libera Virgo.* Die 20. Februarij: *Tu omnium sanctissima peperisti sanctum sanctorum, pura omnino sanctitatis domus.* Et die 23. dicitur Deipara: *A cunctis sordibus immaculata, & immaculatissima super omnes.* Dei 13. Iulij: *Sola in te ignoras maculam omnem.* Die 17. Martij: *Te reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem.* Die 15. Augusti: *Creatura unica ab omnibus nauis intacta.* Die 18. Ianuarij: *Constat, quod ab aeterno munda extiteris.* Die 12. Februarij: *Gratia dona te ab omni nauo immunem fecerunt.* Die 12. Martij: *Christum sanctum sanctorum peperisti, o sanctum sanctitatis Tabernaculum.* Die 25. Iunij Ode 3. *Velut Sol quidam cum Luna coniunctus, inclutus Ioachimus cum Anna radium Virginis produxit, è quo deinde radio sese ipsius diuinitatis splendor diffudit.* In Sacro Græcorum Libro, Triodio nun-

cupato, quo vtuntur pro Diuinis officiis celebrandis à Septuagesimâ vsque ad Octauam Pentecostes, in cuius Liminari paginâ legitur, librum illum exaratum à S. Colmâ, auctum verò à Theodoro, atque Iosepho Studitis, & aliis Patribus. Multa huiusmodi inueniuntur. Afferam duntaxat, quæ habet CANON EPINICIVS, siue VICTORIALIS à THEOPHANE CONFESSORE conscriptus, suis Odis distinctus. Et dicitur ad Matutinum primâ Dominicâ Quadragesimæ, quando Sacra Imaginum erectio Constantinopolis celebratur. Qui festus dies, Orthodoxia nuncupatur. Quem CANONEM affert Baronius tom. 9. ad annum 842. ibi Ode 9. dicitur iuxta Græcum: *Sublata est prima Matris Eua maledictio per Te, cum Tu vniuersorum Dominum ineffabiliter Pura pepereris.* Idem Ode 7. *Supra cælestes choros exaltata es totaliter Pura, dum Tu sola Creatoris omnium facta es Mater: gaudentes igitur clamamus, Benedicta es inter mulieres, Domina vndequaque immaculata.* Et Ode 4. *Incarnatum Diuinum Verbum cum pepereris, effecta es Gratia plena, Sanctificatio Deum decens.* Ode 5. dicitur *Dei Genitrix penitus immaculata*, in Græco est *Panachranotos*; sicut etiam in Ode 3. vocatur *Panagnos*.

In Anthologio nouo, die 26. Octobris dicitur: *Sine noxa in medio spinarum reperis velut purissimum lilium, conuallium flos, o Dei Mater.*

In Euchologio Græcorum, in Officio Nouitij: *Non est præter te innocens quisquam immaculata Dei Genitrix.*

In Lucernario vocatur: *Virgo super omnes, seu omnibus modis immaculata.* Plurima ex Euchologio alibi dedimus, nec opus est in his amplius hætere.

Sensus Ecclesiæ Græcæ quoad puritatem originalem debitam Dei Genitrici, constat etiam ex Cathemerino: nam in inuocatione venerandæ Trinitatis, & Beatorum sanctorum, iis verbis inuocatur Deipara: *Gloriosissima Mater Dei nostri Deipara, ac semper Virgo Maria; honoratior Cherubin, ac gloriosior incomparabiliter Seraphim.* Et paulò ante: *Incontaminata, impolluta, incorrupta, immaculatissima, sanctissima, ilibatissima, venerandissima, Dei beneficio gratissima Deiparens.*

Ex libris etiam Ecclesiasticis apud Latinos idem fulciri posset; sed satis est commemorare initium illud orationis in Officio Sixtiano, quæ sic incipit: *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum preparasti.* Ipse Sixtus Quartus in Extravagante, *Cum præexcelsa*, in qua prædictum Officium commendauit, & festum immaculatæ Conceptionis stabilii, omnia refert ad excellentiam Matris Dei.

Consequenter ad dicta Ioannes Geometra, Ioannes Geomet. eximius inter Græcos olim Doctor, in hymnis, quos composuit in honorem Matris Dei, qui propterea vocantur *Theotocij*, puritatem eius originariam sæpè commendat, quasi spectantem & consequentem ad dignitatem Matris Dei; idè dicit expressè *Virginem liberam a labe primi parentis.* Item: *carnisse crimine nostra vitiositatis; siue secundum textum Græcum, nequaquam fuisse vulneratam nostra culpa.* Et similia.

Quanti autem sit facienda ista Patrum, & Ecclesiastica interpretatio excellentiæ Genitricis Dei, explicatioque diuinæ maternitatis in Maria, vt proinde intelligatur in ea dignitate puritas, origina

originalis, colligitur ex simili Patrum argumentatione à diuina maternitate ad puritatem integritatis corporalis, colligentes, Mariam fuisse temper Virginem, quia fuit Mater Dei, & à posteriori, quia fuit Virgo Mater Christi, colligunt esse Deum eius Filium; omiffisque aliis argumentationibus, fupponitur de fide veritas perpetuæ virginitatis Marianæ in Concilio Ephesino, in quo Proculus, siue Proculus Cyzicenus, tom. 6. Concilij cap. 7. sic argumentatur: *Si ea, que genuit, Virgo non permansit, neque is, qui natus est, aliud, quam purus homo extitit.* Eodem modo argumentatur Theodorus Ancyranus, in eodem Concilio, & tomo, cap. 10. & in Appendice cap. 2. Patres etiam, qui Synodum Chalcedonensem celebrarunt, in Prophonetico sermone, siue allocutione Chalcedonensis Concilij part. 3. dicunt: *Dei Genitrix propter eum, qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, vterum obfignauit.* Appositè sanctus Ignatius martyr, epist. 13. ad Heronem: *Decebat (inquit) Creatorem non consueto, sed peregrino, & admirando vti partu, utpotè omnium opificem.* Ferè similia verba habet sanctus Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, non longè à fine. Et sanctus Augustinus, serm. 7. de Natiuitate dicit, hoc modo fuisse natum Christum, ut *Eum hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret aterna Virginitas.* S. Leo, serm. 2. de Natiuitate: *Noua (inquit) natiuitate genitus est, natus ex Virgine, sine matris integritatis iniuria, quia futurum hominè Saluatorè talis ortus decebat, qui & in se haberet & humane substantiæ naturã, & humane carnis inquinamèta nesciret.* Et infra: *Nò cogitetur parientis còditio; sed nascentis arbitrium; quia sic homo natus est, ut volebat, & poterat.* In his vltimis verbis earum gratiarum, quæ spectant ad excellentiam Matris Dei, mensuram adhibet sanctus Leo, possibilitatem, ut idem sit possibile fuisse, ac de facto habuisse. Idèò sanctus Ambrosius, epistol. 81. dixit: *S. doctriinis non creditur Sacrodotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum, dicentium: Quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat. Hæc est Virgo, que in utero concepit, Virgo que peperit Filium.* Simile argumentum procedere potest circa immaculatam Conceptionem.

§ X.

Intelligentia diuina Maternitatis simul cum puritate originali, confirmatur ex tertia Synodo generali, iuxta intellectum Patrum Græcorum.

Accedit ad hæc, quòd postquam fuisset definitum in Concilio Ephesino, sanctissimam Virginem esse, & appellari debere *Theotocoon*, hoc est, Matrem Dei, adiueta fuerit in Ecclesia deuota commendatio summæ eius puritatis, quasi quæ diuinæ maternitati omni ex parte fuisset debita. Idcirco cum nominabant Patres, maxime Græci, Dei Genitricem, non solitariè id faciebant, sed adiunctis aliquibus epithetis, quæ maximam eius munditiem extollebant; quæ copulatio encomiorum Virginis facta est iuxta constituta in Concilio Ephesino, prout illud Patres Græci intellexerunt, quorum sensum explicuit Photius

Ioann. Euseb Op. Par.

Constantinopolitanus, in epistola de septem Synodis Oecumenicis, ad Michaelè Bulgariæ Principem, vbi locutus de Concilio 3. quod fuit Ephesinum, ait: *Declaratum est autem; Dominum nostrum Iesum Christum in vna, eademque Persona, ut verè, ac piè à Patribus traditum est, adorandum, ac predicandum, & immaculatam eius, semperque Virginem Matrem, propriè, & verè appellandam summis cum laudibus Dei Genitricem. Quæ enim Dei verbum: cum in carne nasci vellet, genuit, iure Dei Genitrix vocata, celebrataque est.* Consonat his Priscus Anonymus in tractatu contra Græcos, quem anno 1252. promulgarunt Constantinopoli Patres Dominicani, vbi de Conciliis Ecclesiæ loquitur, in titulo de tertia Synodo, quæ fuit Ephesina, in qua damnatus fuit Nestorius, ait de illo: *Dicta Synodus persenerantem in dicta blasphemia deposuit, tanquam Iudaicè ἀδελφοποιεῖν, & propriè, & verè Dei Genitricem, omnifariam sanctam Virginem Mariam demonstrarunt, & eum, qui ex ipsa sine semine incarnatus est, Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei, & Deum verum predicauerunt.* Componenda sunt illa verba, *Omnifariam sanctam demonstrarunt*, cum iis, quæ in epistola Photij, iuxta intellectum Ephesinæ Synodi dicuntur, & in libro Exceptionum expendimus. Neque enim dicitur solum *demonstrarunt Dei Genitricem*, sed additur insuper, & *Omnifariam sanctam*; sanctitas autem, quæ omnifariam est sancta, debet etiam comprehendere sanctitatem puritatis originalis. Similiter & Photius non solum dixit, iuxta præscriptum Concilij Ephesini, appellandam *Dei Genitricem*, sed etiam *Immaculatam* scilicet, propter omnimodam eius puritatem subintellectam in appellatione Matris Dei. Illud etiam obseruare oportet, laudes, & elogia illa, cum quibus, iuxta Concilium Ephesinum, nominanda erat Dei Mater, in magno vsu fuisse apud veteres, atque inde sumpserunt aliqui argumentum ad stabilendam virginitatem Mariæ, quòd simul cum diceretur Mater Dei, diceretur etiam Virgo. Idcirco sanctus Epiphanius hæresi 78. dixit: *Ex ipsis enim nominibus etiam virtutis signa elucet.* Quapropter benè obseruauit Canisius, lib. 2. cap. 8. *Nec potest à quoquam negari, Ignatium, Iustinum Irenæum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, hoc est, vetustissimos Ecclesiæ Scriptores, hunc obtinere morem, hæcque loquendi formulam libenter amplecti, ut non sine Virginis additamento Mariæ soleat meminisse. Quid multatulus vna omnium Christi Mater virginis appellacionis decus.* Simile argumentum militat pro immaculata Conceptione, cum etiam prisce Patres, cum nominabant Matrem Dei, soliti sunt addere illibatam, incontaminatã, intemeratã, imò exaggerantiùs incontaminatissimam, omni ex parte intemeratam, supra omnes inculpato inculpatisimam: & alia huiusmodi, sicut fecit Photius, referens decretum Concilij Ephesini, cum nominauit Deiparam, adiecit encomium *Immaculate*; & rursus in fine epistolæ dixit *Immaculatissima*. Confirmat dicta puritatis elogia in appellanda Matre Dei, vsitata fuisse à prisce Ecclesiæ Patribus calumniã Iudæorum aduersus illos, quam Andronicus Constantinopolitanus, dialogo contra Iudæos, cap. 38. ita refert: *Quid tantopere Mariam extollunt Christiani Cherubinis augustiorem, cælis sublimiorem, solaribus radiis puriorem appellantes; siquidem femina ex Davidica gentis, Anna*

Priscus anonymus;

Photius;

S. Epiph;

Photius;

Andronicus Constantinopolitanus;

Proclus Cyzicen.

Theodorus Ancyranus.

S. Ignar. martyr.

S. Augustinus.

S. Leo.

S. Ambr.

matre, & Ioachimo parente. Hæc obiecta à Iudeis supponunt, olim apud Christianos decantatissimam fuisse immunitatem à peccato, omnimodamque puritatem Matris Dei. Qui plura desiderat, poterit consulere, quæ diximus in exceptionibus cap. 8. & 9. Aduertendum denique est ob eandem causam post Concilium Ephesinum celebres deinceps, & in dies celebriores fuisse festiuitates Natiuitatis, & Conceptionis Virginis, utpote commendantes puritatem Dei Genitricis ab ipsis vitæ primordiis ortu, & conceptu.

Hoc ipsum incrementum festiuitatum sacrissimæ Virginis post quatuor Ecclesiæ sæcula, & negatam illi ab Hæreticis maternitatem diuinam, probat etiam quam consequens sit, & decens Matrem Dei omnis puritas, & laus: nam cum hæc dignitas sit tanta, non ad eam suæ deuotionis vela olim laxauit Ecclesia propter idololatrias, festa Virginis minus introducens, ne Ethnicis imputarent illi diuinitatem, cum primum eorum iudicium videretur dandum esse Matri à Filio quidquid posset, & haberet, cum apud illos multiplicitas Deorum non repugnaret: cauendum propterea fuit ne occasio illis daretur concedendi Virgini, quod concedi non posset puræ creaturæ. At cum prudens Ecclesiæ pietas esset concedere Matri Dei quancumque excellentiam, cuius esset capax mera creatura, sicut & negare, quod est solius Dei, ideò propter Ethnicos temperauit aliquandiu demonstrationes suæ deuotionis: sed postea propter hæreticos eas expandit: ne illi tribuerent Deiparæ plusquam est, nimirum diuinitatem, & ne isti tribuerent minus, scilicet, aliquod peccatum, & defectum, qui ipsam non decebat, ut ita similis haberetur filio in omnimoda puritate, non autem æqualis in diuinitate. Vnde Simeon Narbonensis Archiepiscopus, tom. 2. in die Natiuitatis Virg. dixit: *Beata Virgo post obitum suum fuit glorificata, imò etiam longè excellentius quam ceteri omnes. Quis non obstante festum Assumptionis eius in primitiua Ecclesia non fuit celebratum, licet non dubitaretur eam esse glorificatam. Vnde hoc procedebat? Ecclesia, quæ à Spiritu sancto regitur, prudens, ac sapiens non ideò hoc faciebat, quòd nollet extollere sacratissima Virginis virtutes, atque eius laudes celebrare: sed ob id, quòd populus idololatra, qui primis fidei orthodoxæ rudimentis imbuebatur, esset rudis, ne forte Virginem filio suo adæquare vellet ipsique diuinitatem attribueret, non est factum in ipso Ecclesiæ exordio, ut eiusdem Virginis festa celebrarentur. Sed postea paulatim, ut sese obtulit occasio, & oportunitas requisit, introducta sunt. Nam cum Hæreses aduersus eam orta sunt, & visum est populum Christianam sufficienter edoctum esse quo pacto celebrare deberet festa Sanctorum, aduertens Ecclesia nonnullos Hæresarchas omni conatu intendere ad reddendam Virginem Mariam pluribus sanctis inferiorem, imò ad usque virginittatis eius impugnationem; & aliunde nullum amplius superesse periculum, ne populus in hanc idololatriam rueret, scilicet eam filio adæquando; è contra Hæreticos conari eam ad eam deprimere, ut persuadere conarentur eam esse peccatricem: tunc Ecclesia instituit, & sancte celebravit, quòd foret, & nata, & concepta absque ullo peccato, & macula originali, & similiter, quòd esset glorificata, & exaltata in caelos in corpore, & anima super omnes Angelos, & Archangelos.*

Hinc etiam fuit mos Catholicorum antiquus, in veneratione Deiparæ manu terram attingere, ut iudicaret eam non adorare ut Deam: sed venerari post Deum, ipsique tribuendum quicquid post Deum excellentius, purius, & sanctius est, sine macula ullius peccati: quo alludit Lucas Tudenensis lib. 2. cap. 21. aduersus Albigenes, qui ex contradictione peccati originalis inducebant Mariæ Filium non esse verum Christum, promissum in lege, ut testantur Ioannes Vitalis lib. 4. defensorij, cap. 2. & Godeschalcus, serm. de Conceptione; verba autem Tudenensis hæc sunt: *Cunctorum Deum, Dominam, & Reginam Genitricem Dei, Mariam Virginem inuiolatam, corde humili, deuota mente, adoratione dulci veneramur præ cunctis sanctis, illi gratias, & laudes persoluentes, per quam libertati sumus de infernalibus pœnis. & reddimur gaudiis sempiternis. Cum eius nomen sanctissimum diuinis profertur obsequiis, dexteram manum nos humiliter inclinantes, & adorantes, in terram ponimus, ut ipsam de terra humani corporis fateamur de masculo, & femina, matrimonio legitimo, procreatam: atque de ipsa Dei Filium, verum corpus, non phantasticum assumpsisse, in Matre virginittatis gloria permanente.* Alludit ad discrimen inter Christum, & eius Matrem, quoad carentiam peccati originalis: quòd Christus sine priuilegio caruerit illo, quia natus de Virgine: Mater autem eius ex priuilegio; cum nata fuerit ex matrimonio.

§ XI.

Conclusio, & obseruationes memoranda.

Quid ex dictis videbitur concludendum, ex tot nimirum Patrum manipulo, siue potius exercitu explicantium Scripturam pro omnimoda Deiparæ puritate. Plures quàm centum produximus in aciem sanctissimos, plerisque, omnes eruditione, aut scriptionis antiquitate commendatos. Numeret illos, qui voluerit. Hi sunt: (ne scio an omnium meminerim.)

S. Amphilochius.	S. Germanus.
S. Ildephonsus.	S. Ioannes Damascenus.
S. Fulgentius.	S. Casimirus.
S. Augustinus.	S. Brigitta.
S. Epiphanius.	S. Ephrem.
S. Petrus Chryfologus.	S. Stephanus Sabaita.
S. Cyprianus.	S. Sophronius iunior.
S. Athanasius.	S. Methodius.
S. Sabbas.	S. Theodorus Studita.
S. Anastasius Sinaita.	S. Casarius Nazianzen.
S. Andreas Cretensis.	Sanctus Gregorius Nyssenus.
S. Greg. Neocæsariensis.	S. Basilus Magnus,
S. Ioannes Chryfost.	S. Gregorius Nazianzenus.
S. Proclus Constantino-	S. Ambrosius.
politianus.	S. Gregorius Magnus.
S. Theodorus Neos.	S. Bruno Carthusianus.
S. Eucherius.	S. Thomas Aquin.
S. Bruno Astenfis.	Sanctus Vincentius
S. Bonauentura.	Ferrer.
S. Anselmus.	Sanctus Theophanes
S. Bernardus.	Nizenus.
S. Bernardinus Senensis.	Sanctus Antonius Pa-
S. Hieronymus.	duanus.
S. Fulbertus.	
S. Ioseph Confess.	

Beatus

Beatus Laurentius Iustinianus.	Victore.
Beatus Thomas Villanovanus.	Rupertus Abbas.
B. Albertus Magn.	Pfellus.
Beatus Petrus Damianus.	Alcuinus.
Paulinus Aquileiensis.	Ambrosius Ansbertus.
Sophronius Ienior.	Georgius Nicomedienfis.
Idiota.	Leo Sapiens.
Chryfippus Hierofolymitanus.	Faufus Rhegienfis.
Arnoldus Carnotenfis.	Iuo Carnotenfis.
Honorius Presbyt.	Ifidorus Thefalonicenfis.
Emanuel Paleologus.	Leontius Cyproneapolitanus.
Eusebius Emiffenus.	Godfridus Abbas.
Petrus Rhemenfis.	Oddo Aftenfis.
Hugo Victorinus.	Venerabilis Henricus Sufo.
Ablalon Abbas.	Theodorus Abucara.
Gerfon.	Gennadius Scholarius.
Richardus de Sancto Laurentio.	Aurelius Prudentius.
Arneftus Pragenfis.	Petrus Comeflor.
Amedeus Lauanenfis.	Nicolaus Cufanus.
Alexander Tertius.	Bartholomæus Siculus.
Dionyfius Rikelius.	Ioannes Taulerus.
Matthæus Cantacuzen.	Iulius Secundus.
Albertus Marquesius.	Guillelmus Parifienfis iunior.
Hefichius Hierofolymitanus.	Herneus.
Ioannes Geometra.	Oddo Cameracenfis.
Alexander Alenfis.	Hugo Cardinalis.
Sanctius Porta.	Et alij magni nominis ex antiquis Theologis.
Alanus Infulenfis.	
Richardus de Sancto	

Ecce quanta fit hæc fplendidiſſima Phalanx, cuius, licet dimidiam partem ſubtraxeris, magna, & validiſſima manet.

Qui deſideraret plura Patrum teſtimonia pro immaculata Conceptione, conſulat noſtras diſſertationes Epiftolicas, & exceptiones Concilij Tridentini. In Breuiariis quoque antiquis inueniuntur non pauca, quæ minimè contemnenda ſunt, quòd nonnulla in editis Sanctorum operibus non inueniantur, ſed veneranda: quòd à pluribus Eccleſiis fuerunt admiſſa cum debito examine, & circumſpectione. Et quidem abſque dubio antiquitas nota, & certa erant, cum inueniam aliqua allegata ab antiquiſſimis Scholaſticis, ſicut eſt illud Auguſtin. allegatum, in lect. 2. Officij Nogarolis, quod reperio latè relatum apud ſolemnerem Doctorem Henricum de Gandauo, in quolibeto 15. illudque egregiè explicat. Similiter teſtimonium Richardi Victorini, quod extat in Officio Buſtiano, die 5. lect. 1. quod doctiſſimus Ioannes Bachon, in 4. ſentent. diſt. 2. quaſt. 4. latè allegat, vidit, & legit adèd exactè, vt citet folium Codicis, quare non temerè, nec iniquè præſumendum eſt contra antiquitatem, maximè Eccleſiaſticam.

Aduerſarij autem parum ad hoc attendentes, & plurimum placito ſuo dantes, nunc affirmant talia Patrum ſcripta, prout conſultum magis ſibi putant. Sic Vincentius Bandelus in ſecunda parte ſui tractatus, ratione 11. abſolutè inficiatur ſermonem Auguſtini de Natiuitate Virginis, vbi inuenitur auctoritas illa, quæ allegatur pro immaculata Conceptione, in ſecunda lectione Officij Nogarolici, dicens: *Reſpondeo, quòd illa auctoritas non eſt Auguſtini, nec talis ſermo in rerum natura reperitur.* Verùm in ratione ſecunda

Ioann. Eufeb. Op. Parth.

eundem ſermonem pro ſe allegat, dicens: *Vnde Auguſtinus in ſermonem Natiuitatis Virginis ſic dicit. Magis ingenuè Gandauenſis vtramque auctoritatem eiufdem ſermonis admittit, allegat, & explicat.*

Perpendatur omnia, quæ hæcenus diximus, productis tot Patrum, imò ipſius Eccleſiæ teſtimonijs explicantibus Scripturam pro incontaminata Conceptione Virginis; tunc tiam, quòd neminem ex antiquis Patribus conſtet contrarium tenuiſſe, prout in libro exceptionum oſtendimus. Quamuis enim aduerſarij non paucos allegauerunt pro opinione affirmatiua, Egidius Luſitanus ſatis conuincit, eorum teſtimonia non eſſe legitima, ſed adulterata, aut falſa, aut prauè intellecta. Magna enim æquiuocatio (vt ita dixerim) olim fuit circa has voces, *peccatum originale*, quibus utebantur pluriſimi antiqui (quod neceſſe eſt ſapè memorare) non ad ſignificandum peccatum formale contractum in anima; ſed ſolum debitum peccati contrahendi, aut ius commune cui obnoxij ſunt omnes filij Adami per generationem naturalem procreati. Vnde, multi qui dixerunt animam Virginis fuiſſe creatam in gratia, & ſine culpa, ij ipſi dixerunt fuiſſe conceptam in peccato originali, ſignificantes carnem eius in prima conceptione fuiſſe obnoxiam peccato originali. Vnum ex pluribus proferam teſtem, omni exceptione maiorem, antiquitate, & doctrina celebrem, doctiſſimum Scholaſticum, Ioannem Bachonem, qui in 2. ſentent. aſſimularat negantes Virgini originale culpam, iis Hæreticis, qui illam negabant fœminam. Nec minus leniter loquitur lib. 3. Quodlibetorum, quaſt. 13. vbi ait: *Dicere, quòd Beata Virgo fuit privilegiata, nede facto contraheret originale, temerarium eſt.* Nihilominus fuit egregius aſſertor præſeruatiõis animæ virginæ, & quòd magis mirum eſt, ſanctificationis ſuæ carnis, etiam ante animationem; adèd, vt cenſuerit debitam eiufmodi carni infuſionem animæ ſimul cum gratia, nec proinde iudicauit contraria omnino leniſſe, vt docet, & oſtendit in 4. ſenten. diſt. 2. quaſt. 3. art. 3. dicens: *Dico, quòd mox per privilegium ſpeciale in hora conceptionis fuit cauſa, & neceſſitas contrahendi originale in Matre Dei extineta, vt de iure priuato ea in animatione non contraheret originale, quo notatur culpa, & macula in anima: licet attendens ad ius commune, aliter dixerim.* Ibidem ait: *Quia caro Mariae in conceptione carnali (in quantum per concubitum genita) caruit iuſtitia originali, ſeu promptitudine ad obediendum ſpiritui, idèd prius fuit in ea cauſa, & neceſſitas, quæ concepta erat in originali, quàm cauſa, ſecundum quam futura erat Mater Dei.* Et paulò poſt: *Poſtquam in eſſe carne Mariae, quæ propter conceptionem apta fuit ad rebellandum ſpiritui, ſtatim Deo prædeſtinante poteſt corrumpi inobedientialis carnis ad ſpiritum, quæ eſt cauſa originalis.* Amplius ſe explicuit in artic. 5. nam cum ſciſſet, carnem Virginis in primo puncto conceptionis carnalis, conceptam fuiſſe in peccato, hoc eſt, cum debito, & de iure communi, & cum neceſſitate ad culpam in perſona animata; docet tamè, hanc neceſſitatem illicèd extineta in carne Virginis, etiam ante animationem, & adueniſſe illi carni ius, & neceſſitatem ad gratiam; ac proinde, illam carnem fuiſſe venerandam. Vnde, inter alia inquit: *Qua ratione ex lege ſtatuta caro contrahit neceſſitatem culpa, & deteſtationis; eadem ratione, & neceſſitatem ad gratiam,*

Egidius Luſitanus

Ioannes Bachon.

Ioannes Bachon.

Vincentius Bandelus

& *venerationis*. Nam leges prioriores sunt ad benignitatem, quam ad severitatem: ergo si gratia illa sit specialis forma, & perpetua, omnimoda, ut est de gratia *Marris Dei*, erit specialis ratio venerandi. Plenius explicui in exceptionibus, maxime c. 17. & in dissertationibus Epistolice, hunc bonum loquendi Antiquorum, *Conceptam fuisse Virginem in peccato*; siue addatur originali, siue non, nequaquam negare præservatam fuisse Virginem à culpa originali: nec inficiari gratiam ipsius animæ infusam in primo suæ creationis instanti, in quo fuit unita corpori.

Ioannes
Bromiardus.

Nec desinam hoc commemorare quod Ioannes Bromiardus perantiquus Dominicanus Ordinis Scriptor in vno eodemque capite suæ summæ, quod est tertium secundæ partis, dicit semel, Conceptionem Virginis fuisse in peccato, & ter affirmat, ipsam Virginem non habuisse peccatum originale, nimirum personam Virginis, siue animam eius. dicens: *Sanctificata fuit in ipsa sua animatione, id est, in coniunctione anima cum corpore*: & hanc dicit fuisse mentem sancti Thomæ. Quod animaduertendum duxi, ne minus periti, & indocti formident, si audierint aliquos ex Antiquis dixisse conceptam in peccato Virginem; sed intelligant, quo sensu id dictum sit. Et plura examinent: nam inuenient sæpè sæpius illos fauisse potius immunitati, & præseruationi animæ virginæ, de qua nunc procedit controuersia. In mentè que teneant, quod scripsit Gerson, serm. de Conceptione, in appendice, loquutus de Doctoribus, qui scripserunt de immaculata Conceptione Virginis: *Interdum videntur dicere contraria, non tamen dicunt*. Comprehendit quippe hic doctissimus vir antiquorum Doctorum scripta.

Obseruandum quoque est, quod notauit Aureolus, nobilis, & ingeniosus Doctor ex antiquis Scholasticis, qui postquam lib. 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. art. 4. allegasset locum Augustini pro Immaculata Conceptione, quem citauit Henricus de Gandauo, & mox in dist. 4. quæst. 1. art. 1. citasse inter alia testimonia pro eadem immaculata Conceptione Richardum Victorinum in sermone eodem, cuius mentionem fecit Ioannes Bachon, addit: *In hac quaestione magis est adhaerendum auctoritatibus, & testimonio Sanctorum, quam rationibus demonstratiuis. Sunt autem allegata auctoritates Sanctorum pro qualibet parte; sed videndum est, quæ sint proponenda. Videtur, quod ista ultima, quæ probant ipsam non fuisse conceptam in peccato originali, quia se habent ad alias primas, sicut priuilegium ad ius commune: quia illæ sunt auctoritates generales, quæ non faciunt mentionem de re proposita, illa autem sic. Præterea, non sunt auctoritates pro illa parte multum solemnæ, nisi loquentes in generali de communi lege, ut sunt auctoritates Canonis, Augustinus, nec aliquis istorum descendit ad Mariam in speciali. Sed in aliis fit specialis mentio de Maria, ut patet in auctoritatibus Augustini, Anselmi, &c. Sicut ergo priuilegium derogat iuri communi, sic ultima auctoritates primis. Secundum hanc doctrinam, imò iuxta veritatem, plus ponderis habent pauca auctoritates, quæ specialiter, siue indiuidualiter loquentes de Virgine, asserant ex priuilegio caruisse peccato originali, quam mille, quæ ex lege communi, & generaliter dicunt omnes filios Adæ concipi cum illo, quominus sanctissima Virgo excipiat per priuilegium personale à gene-*

rali iure. Istæ auctoritates promulgant regulam vniuersalem: illæ explanant exceptionem singularem. Consentaneè ad dicta scripsit Ioannes Maior in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. *Si mille auctoritates vniuersales oppositum dicere videantur: hæc una specialis omnes specificat, & exponit. Sicut in materia rescriptorum generali speciale derogat: & in modo loquendi, & expostorum hæc est regula communis. Idem tenuit noster Richardus in quodam sermone de hac materia habito, hoc est, de conceptione: quem alter conterraneus conuenientibus oculis sequutus est.*

Confirmatur item ex Petro Aureolo, & Ioanne Maiore, sicut ex Henrico de Gandauo, & Ioanne Bachone, non esse apocryphas auctoritates pro immaculata Conceptione, quæ citantur in Officiis Ecclesiasticis antiquis, licet non inueniantur in operibus Patrum editis, cum inueniantur in prisca Scholasticis, qui doctissime, exactissime, & valde circumspectè scripserunt ante illa Officia. Ille autem sermo Richardi Victorini, citatur à Perbarto lib. 4. stellarij, part. 2. art. 3. afferens initium, siue thema illius, tanquam satis cogniti, aut celebris multis dicens: *Richardus de Sancto Victore in sermone, Nondum erant abyssi, dicit: Non decuit, ut caro Maria qualitercumque foret obnoxia culpa: nam Dei sapientia indignum credimus, ut quam ad lucem prædestinavit puritatis, tenebris sineet inuolui, nec erat ingratus matri propria, qui in omnibus matribus præcipit honorem exhiberi. Hæc ille. Cæterum in aliquibus Scholasticis propter abbreviationes editionum antiquarum citatur per compendium hic sermo huiusmodi in ser. nondum e. ita ut putarent nonnulli dici in sermone nondum edito, vel euulgato; quod nequaquam ita est legendum; sed in sermone, qui incipit: Nondum erant abyssi. Hæc notauit, ut errorem, in quem aliquando incidi, aliis tollam.*

Vt clariùs dicta constent, oportet audire illuminatum antiquitatis Scholasticæ Doctorem Franciscum Mayronem qui in 3. dist. 3. quæst. 2. artic. 4. postquam egregiè asseruisset Conceptam ex diuino priuilegio Virginem sine peccato, addit, etiam dici posse conceptam in peccato; huiusmodique locutos aliquos sanctos Scriptores, eo tamen sensu, ut nequaquam negent conceptam Virginis personam cum gratia, per singularem Filij sui prærogatiuam. Vnde, eius doctrina eneruat vim earum auctoritatum, quæ simpliciter dicunt Virginem conceptam in peccato, ut intelligendæ sint solum de debito peccati, & quantum est ex se; quod sic comprobatur: *Non obstante quòd Beata Virgo fuerit præseruata à peccato originali: verumtamen propter dicta Sanctorum possumus dicere, quòd originale aliquando contraxit: quia cum aliquid de se, & quantum est de se, habet defectum, quantumcumque per virtutem extrinsecam eripiatur: tamen potest dici istud istum defectum habere. Istud probatur quadrupliciter ex testimonio Scriptura: primò per illud Isaiæ, Ecce vos omnes ex nihilo estis, & opus vestrum ex eo quod non est: sed nulla creatura, nec etiam illa, quæ primò fuit creata, fuit simpliciter in nihilo; nec modò aliquid creatum est simpliciter nihil: est igitur intelligendum quòd creatura, quantum est de se, esset nihil, & opus eius omninò deficeret, nisi à Deo sustentaretur. Item omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, &c. Non est vsque ad unum, sed plures ex Scriptura testimonio boni erant,*

Et erant, igitur per Prophetam dicere vult Spiritus Sanctus, quod quantum est ex se, proueni erant ad malum, nisi à Deo præsauerentur. Item omnis homo mendax: sed Martyres fuerunt homines, & tamen non fuerunt mendaces, secundum Augustinum; sed Martyres quantum ex se fuit, fuerunt mendaces; sic & Beata Virgo quantum ex se, & erat, fuit, & fuisset peccatrix, nisi à peccato præsauerata fuisset. Item Iob 4. Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles quantum ad bonos Angelos, secundum Gregorium, & in Angelis suis reperit prauitatem, quantum ad malos; sed boni de facto steterunt immobiliter in bono, & sic fuerunt Dei gratia confirmati; igitur instabiles fuerunt de se: sic Beata Virgo quantum fuit de se, peccatum originale habuit, licet non haberet, à Deo prænata fuerit; igitur potest dici, quod de se modo predicto, & prolato ex Scriptura contraxit originale.

§. XII.

Explicatio Verborum apostoli, de peccato originali.

VT penitus hanc materiam laeuigemus, & ad vnguem planam demonstremus, oportebit tandem ostendere, quomodo nullus potest reperiri scrupulus in illis verbis Apostoli, Omnes in Adam peccauerunt. Nam post celebrationem festiue Conceptionis, & constitutiones Sixti Quarti, & clarius post Concilium Tridentinum, satis perspicuum est, nihil in hac auctoritate pugnare contra priuilegiaria Deiparæ Conceptionem, vt ostendi in Theoria. Quod si aliquis desideret explicationem, cur hoc ita sit, vt non comprehendatur Deipara? In ipsa sacra Scriptura illam habemus. Constat enim ex c. 15. Esther, vbi dicitur vniuersalis omnium, simul cum exclusione vnus. Quippe Rex Assuerus dixit Estheri: Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Quid Clarius? Ecce explicatum in Scriptura illud omnes, quod dixit Paulus, vt iam non sit necesse comprehendere inter omnes Mariam. Accedit, quod hæc explicatio non est vtunque, & indifferens, seu abstracta; sed immediate de Beatissima Virgine, quatenus fuit per Estherem figurata, iuxta sanctos Doctores, & Scriptores Ecclesiasticos, imo ipsam Ecclesiam. Sic habent sanctus Hieronymus Epistol. 112. Sanctus Bernardus Sermon. de Assumpt. sanctus Thomas in Præfat. ad Epistol. Canonic. sanctus Bonaventura de specul. Beatæ Virginis cap. 3. Sanctus Antonius Paduanus lib. 5. concord. part. 8. titul. de Assumpti. & Natiuit. Virgin. Idiota part. 8. contemp. 18. de B. Virgine Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana, in libr. Esther. Venerabilis Arnestus Pragensis de prerogatiu. Virginis, capite 125. & seqq. Deuotus Richardus de Sancto Laurentio, lib. 1. de laudibus Virginis, cap. 6. & sapè. Ioannes Gerson tract. 4. in Magnificat. Glossa in cap. 2. & 5. Esther. Vitalis Cardinalis in Speculo, titulo de Maria; tum etiam doctissimus Ioannes Vitalis Hispanus, qui post Cardinalem Vitalem floruit, sed in eodem sæculo ante annum 1400. in defensorio B. Virginis, lib. 4. c. 8. Armandus Vellouius in collationibus in Psalm. collat. 20. Ioannes Maior in 3. sentent. distinct. 3. quæst. 1. Leonardus Noguierolius in Officio Conceptionis, & per consequens Sixtus IV. in suis Extrauagantibus, Dionysius Rikelius de laudibus Virginis, lib. 1. artic. 11. Daniel Agricola in Corona coronarum Beatæ Virginis, cap. 6. & rursus in 8. corona, & stella 12. Antonius Rampogolius in libr. de Figuris Mariæ Virginis, Catherinus in lib. de Conceptione, Canisius libr. de Beata Virgine, capite 2. & libro 5. cap. 23. Delrius in Flor. Mar. sermon. de Assumpt. Non est opus memorare Neotericos, cum sint innumeri.

Nec solum Deiparæ vticumque fuit figura Esther, sed specialiter etiam in priuilegio immaculatæ Conceptionis, vt constabit postea ex multis testimoniis. Verum non Ecclesiastici tantum Doctores, sed ipsa etiam Ecclesia intelligit, quoad puritatem Conceptionis fuisse figuram Beatæ Virginis Estherem. In Officio ordinato à Sixto Quarto, & commendato per Bullam Cum præcelsa, recitatioque in Ecclesia, hoc continetur. Etenim in responso primo Lectio- nis, tertij Nocturni, sic dicitur: Omnes moriemini, quia in Adam peccastis. Quid habes Esther eleuata in populis; ego sum frater tuus, noli metueri, non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Hæc verba non sunt relata ab Ecclesia, sicut Lectiones; sed prolata vt preces: est enim oratio Laudis, in qua commendat priuilegium Deiparæ, attribuens hoc dictum ipsi Deo, cui nefas fuisset imputari mendacium, aut dictum fallum. Iis consentanea sunt, quæ benè adnotauit noster deuotus, & eruditus Spinclus, dicens in Throno Dei, cap. 25. Esther 8. scriptum est; Iudeis autem autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium, quod de vniuerso hominum genere, morti æterna addicto, cui Beata Virgo, pulcherrima mulierum, Cant. 5. Subuenit, cuius speciem Rex concupiuit, quæque mundo electa, vt Sol affulsit, merito pronuntiaripotest, vt docet S. Bonaventura in Speculo, cap. 5. & hoc quidem elogium Ecclesia usurpare solet, cum in festis Beatæ Virginis canit: Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerso mundo; ex te enim ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. Ecce ex Ecclesiæ sensu Conceptio Virginis lata lux fuit omnibus, sicut exaltatio Estheris Iudeis. Consentaneus quoque Ecclesiæ Albertus Magnus, cum non conceptionem explicite; sed natiuitatem Virginis Ecclesia Romana tunc celebraret, dixit in Biblia Beatæ Virginis, de eadem super Esther hanc clausulam: Ipsa etiam est, que in natiuitate sua, & per suum ortum in mundum, totam Ecclesiam luce gaudij immensi perfudit. Esther 8. Iudeis, id est, Christianis, noua lux, id est, Maria oriri visa est, quando scilicet nata est, & ipsa gaudium iustorum, depressorum, & tripudium omnium Sanctorum. Quod nobis prestare dignetur Christus Iesus. Quod iam distinctius, & explicitè accipit Ecclesia etiam de Conceptione Virginea; cum antea solum copulatum, & implicitè intelligebat in Festo Natiuitatis, quæ (vt in libro exceptionum diximus) vttramque olim comprehendebat Natiuitatem in vtero, & ex vtero. Appositè quidem Ioannes Vitalis in defensorio Beatæ Virginis, lib. 4. cap. 8. Non fiat Reginam esse electam, quin sit legibus soluta, Esther 15. Non pro te, sed pro omnibus hæc lex posita est: sed sancta Virgo erat Regina electa: ergo & legibus culpæ soluta. Aptè quoque Ioannes Maior in 3. sentent. dist. 3. q. 1. per similitudinem Estheris, exceptit Beatam

Virginem à communi lege, dicens: *Adam est productus sine peccato & similiter Eua; sed non deicit Eua primam matrem concipi, & produci sine peccato, & Virginem concipi in peccato. Secundo sic: Dina Virgo est Regina cœli, & Imperatrix orbis: ergo nec deicit Virginem in peccato nasci, cum Imperatrix Augusta est absoluta à communibus pœnalibus, ut Assuerus fecit in Esther.* Supponit hoc argumentum idoneè intelligi de Conceptione Virginis; quàm inibi immaculatam fuisse acriter defendit. Richardus etiam de Sancto Laurentio, agnoui pariter figuratam in Esther Virginem, sine labe conceptam, lib. 14. de laudibus Virginis.

Luculenta etiam est ratiocinatio Cardinalis Petri Alliacenſis, circa Estherem, pro immaculata Virginis Conceptione; quæ huiusmodi ferè est: Priuilegium Virginis, communi lege peccati, & originis tabe immunis, satis indicant, quæ Estheri dixit Assuerus: *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, & tange sceptrum; & festinus exiliuit de Solio, sustentans eam in vlnis suis.* Excepta lege peccati Maria semper fuit; præuenta est diuina Dominicæ Passionis virtute. Seruatur, ne cadat contactu virgæ aureæ, hoc est, sui Filij cruce, cui primitias suorum dicauit meritorum. Pro ea potissimum exiliuit de Solio suo, inclinans cœlos, & descendens, vt adiuuaret eam Deus mane diluculo. Mane adiuuit Baptistam, sed Mariam manè, & diluculo. Ioannes nascitur sanctus, Maria concipitur. Ille habuit aliquando in vtero sanctitatem: Maria nec in vtero vnquam habuit peccatum; semper habuit sanctitatem. Diuinis vlnis sustentatur præuenta, quæ Deum maternis sustentatura erat vlnis. Quæ in vtero gestatura Deum erat, deicit, vt in vtero semper sustentaretur à Deo. Debit in vtero semper sancta esse, cuius vterus totius sanctitatis Fontem concludurus erat. Esther placuit Assuero: *Et inuenit gratiam in conspectu illius, & præcepit eunuchis, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo Regis.* Accelerata est gratia Mariæ, cum omnium comitatu excellentissimarum virtutum, quarum præcipuarum vsum non seriùs habuit, quàm fuit. Non priùs vixit, quàm amauit Deum.

Ad hæc accedit deuotissimus Arnestus Pragensis (cuius egregium testimonium pro immaculata Conceptione iam attulimus) qui in lib. de Prærogatiuis Virgins, cap. 126. confirmat dicta de Esthere, & Maria, contraponens illis Vasthi, & Euam, sic dicens: *Vna est puella peregrina, & pauper, & paruula, quam adamanit Rex Assuerus, qui est Deus super omnia benedictus, & bonus in secula, amen. Et inuenit in conspectu eius gratiam, & misericordiam super omnes mulieres, & imposuit diadema super cepum eius, & fecit eam regnare pro Vasthi, id est, pro Matre Eua, matre seua. In quibus omnibus datur nobis intelligi: quod etsi sint sine numero, sine in cœlo, sine in terra, siue virtutes Angelicæ, siue anima sancta, que regnant cum Agno, vel regnabunt, & Agnus Dei cum illis. Vna est tamen Regina Reginarum, nomine Maria, quam viderunt Regina cœtera, & laudauerunt, & beatissimam prædicauerunt. Id est, in superlatiuo gradu, & summo Beatam.*

Apè etiam Vitalis de Furno Cardinlis, in speculo morali, titulo de Beata Virgine, agnoscit puritatem originalem Virginis, addumbratam in

Esthere, sic enim ait: *In ea fuit plenitudo gratiæ, qua fuit sanctificata in Tabernaculum in ortu; exornata in habitaculum in conceptu; traducta in obitu.* Hæc enim est illa Esther formosa valde quantum ad primum, & incredibili pulchritudine quantum ad secundum; omnibusque oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Dueta itaque est ad cubiculum Regis Assueri, qui intelligitur Beatitude, id est, Dei. Dicit, *sanctificatam in ortu, iuxta alios Doctores, pro sua conceptione passiuæ; nimirum, sancta in ortu, qui est in vtero, non ex vtero: nam ante hunc iam erat sanctificata.*

In illo quoque apparet, Esther fuisse figuram, quoad carentiam maculæ originalis, Mariæ, quod dicatur de illa: *Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa.* Quippe Deiparæ pulchritudo spiritalis tanta est, vt nonnullis fuerit visa incredibilis: atque idcirco pulchritudini eius originali noluerint assentiri: qui tamen possent audire, quod laudatus Arnestus dixit de Beata Virgine, iuxta id, quod dictum fuit de Esther: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora; erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur: non dicit, admirabili pulchritudine, nec incomparabili, quod plus est, nec ineffabili, quod est amplius, nec inexcogitabili; quod plus sonat, sed incredibili, quod est largius, & amplius: multa autem non possunt intelligi, aut excogitari, quæ possunt credi.*

Hanc eandem exceptionem docuit Iodocus Clitoveus, qui magnificè docet in libro de puritate Virginis, cap. 8. & 9. *Quid mirum (inquit) si ea obligatio contrahendi culpam prima productione obstringat filios Adæ: eam tamen non detinet, quæ à Deo præordinata est, vt illud graue iugum æternæ mortis debitum à nobis remoueretur? Non igitur pro ea, sed pro omnibus cæteris, hæc lex contrahendi ab origine culpam posita est.*

Itaque multis modis exhibetur à Doctoribus Esther figura Deiparæ sine labe originali conceptæ quod planè etiam est iuxta sanctum Thomam, qui in præfatione in Epistolas Canonicas, legem mortis latam ab Assuero contra Iudæos, intelligit legem peccati, inductam cum peccato originali, dicens: *Per peccatum primorum parentum, per falsam suggestionem Aman proditoris perpetrata, à Rege Assuero, scilicet Deo, sententia damnationis totius generis fuit lata. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris: quod dictum est Adæ, non solum pro se, sed & pro sua rota posteritate.* Ibidem dicit, Deiparam significatam per Estherem, docens consequenter, quod sicut Estherem non comprehendit lex Assueri, de ingressu ad Regem, ac proindè multò minus de occisione Iudaica, licet esset tam vniuersalis, *Vt occiderent omnes Iudæos à puero vsque ad senem, paruulos, & mulieres.* Sicut dicitur cap. 3. Esth. ita nec Mariam sententia damnationis humanæ, & lex peccati originalis. Cumquè in illa lege Assueri, licet dicebantur omnes damnati, vna Esther non comprehendebatur: sic, nec in lege mortis originalis comprehenditur Maria, licet dicatur, *Omnes in Adam peccasse.*

Agnouit hoc doctus & disertus sectator sancti Thomæ, Antonius Nauarrus, ex Dominicana Familia, tom. 1. serm. de Conceptione. dicens: *Ipsa sola est, cui ex filiis hominum donatum sit, ex virili semine procedere, originalis labis immunem. Et iustè quidem: nam si à lege communi quosdam excipi insistit*

Capite 125.

ex causis legimus, Assuerus enim inquit sua coniungi Esther: Non propter te lex hæc est posita; & licet statutum est hominibus semel, & in breui mori, Elias, & Henoch adhuc viuunt, præter taxatum communem annorum vite hominum numerum; dies enim annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni sunt, si autem in potentatibus octoginta, & amplius eorum labor, & dolor, & hi duo quandiu plus vixerint, omnibus patet. Et qui tempore iudicij ultimi in consummatione seculi inueni fuerint, si Hieronymi sententia inhaeremus, non morientur omnes, iuxta illud Pauli. Deinde, nos, qui viuimus, qui residui sumus, rapiemur obuiam Christo in æra. Cur ergo non Beatissima Virgo à lege tam durâ peccati originalis excipienda erit? Paulò post addit: Fremuit absque dubio Satban, quòd fugerit manum suam præda ista; superbi enim plus sentiunt discessum vnius, quàm genus flexionem multorum. An amplius contristabatur de integritate inflexibilis Merdochei, quàm eum latificabat aliorum omnium exhibitâ sibi reuerentia: at tamen fremat peccator, & inimicus tabescat, quantum voluerit, dummodo Beata Virgo sublimior euadat in hoc, quod Rapzaces iste, id est, diabolus in eam non miserit sagittam suam, qua omnes deiicit vulneratos. Eidem consentit ex eadem Prædicatorum Familia, & sancti Thomæ Schola. doctus Magister Balthasar Arias, in Festiuitatibus Sanctorum, in Homilia de Conceptione, vbi ait: Omnes in Adam peccauerunt; sed ex hac lege generali excepit Deus Dominus noster per privilegium sacratissimam Mariam, quemadmodum Rex Assuerus, ex quadam seuera lege, quam constituerat damando ad mortem, excepit dilectam suam Esther, & dixit illi: Non propter te, sed pro omnibus hæc lex incurrendi peccatum originale, omnibus est constituta, sed non sanctissima Virgini. Tertius accedat ex sacro Prædicatorum Ordine, doctus Magister Dominicus Valthanus, qui in expositione Euangel. 2. part. & concione 2. dixit: De iure in rebus odiosis appellatione Ecclesie non venit Ecclesia Cathedralis, & multò minus in illa vniuersali, Omnes in Adam peccauerunt, venit electa a Deo in Matrem suam. Rex Assuerus iusserat, neminem sine facultate sua speciali ad se ingredi; cumque ingressa fuerit Regina Esther, uxor eius, non postulata facultate, atque idcirco propter hoc afflictâ, ipse Rex illam solatus est, dicens: Non propter te posita est lex, sed propter alios; & secundum iuris peritor: Princeps in odiosis absolutus est à lege.

Nec mirum, quòd recentiores idem teneant. Vnde non immeritò quidam interpretes dixit: Cum Esther Regina, non vocata, ingressa esset ad Regem, contra legem faciens, merito quisquam suspicari posset, illam & legis transgressorem, & eius poenam incurrisse, sed sine dubio falleretur. Tu enim maximè, & à legis obligatione, & ab eius poena incurrenda libera extitit, ut clarè ab Assuero Rege eidem denunciatum est illis verbis: *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metueri; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Quid perspicue in adumbrata Ethere Virgine, scilicet, Maria, contigisse conspicies: cum enim in sua conceptione ab originali peccato labefactanda, & in seruitutem redigenda visa est. Tum maximè ab eius seruitute, & tyrannide libera extitit. Alius quoque disertus Scriptor, dixit: *Viderint qui quondam dixerunt, Virginem Deiparam incurrisse peccatum originale, quia omnes in Adam peccasse dicuntur. Scilicet, Assuerus, Christi figura, sue Estheri Deipara antitypo verè hic dicit: Non pro te, sed pro om-**

nibus hæc lex constituta est. Itaque, id, omnes, quod sensum implicare videtur, figuram figurato apprimè quadrare luculenter ostendit.

Cæterum, hæc comprobatio personarum typica, non est minoris habenda, cum ad maiestatem, & excellentias diuinæ maternitatis spectaret præsignificari non solum verbis, & rebus, sed personis. Vnde meritò dixit Dionysius Carthusianus in artic. 11. lib. 1. de laudibus Virginis: *Quoniam præstantissima, ac diuinissima Genitrix Christi præceteris ineffabiliter excellentius, atque propinquius spectat ad ipsum, decentissimum fuit de ipsa, tam in lege natura, quàm in lege scriptâ, præcedere varia, ac præclara oracula, signa, varicinia, & gesta mirifica, supernaturalia quoque mysteria.*

Alibi etiam in Scriptura explicatum inuenio, præterquam in libro Estheris, non esse necessarium comprehendere Virginem in illo vniuersali nomine, nimirum, in ipso Apostolo, qui postea dixit multos, quos antea dixerat omnes; te quidem explicans, & aperiens ianuam, ut aliqua persona posset excludi, quemadmodum videtur exclusisse Apostolus, cum dixit, donum gratiæ Christi in plures abundasse, quàm ij, qui peccato Adami fuerant infecti; nimirum, abundasse in Beatissimam Virginem Mariam, quæ illo peccato caruit, quæ sola sufficit, ut plures fuerint participes gratiæ Christi, quàm peccati originalis.

Locutus est huiusmodi Apostolus, attendens magis ad omnia genera, & nationes hominum, quàm ad personas omnes singulorum, ad naturam communem, quàm ad indiuiduum personale, ad ius, quàm ad factum in aliquo singulari, iuxta institutum suum sermonem in principio illius epistolæ. Quoniam primis quinque capitibus reprimit factum, tum Iudeorum, tum Gentilium, docetque tam hos legem naturæ, quàm illos legem Moysis violasse; ideoque omnes esse sub peccato, & consequenter egere Salvatore Christo: quodque ex fide, & gratia Christi, non autem ex operibus legis Mosaicæ, vel naturæ, petenda sit iustitia. Itaque, illud omnes, potius retulit ad vniuersalitem nationum Romanorum, Barbarorum, & Iudeorum, ut nullum fuerit genus humanum quod non indigerit gratia Christi, cum omnes ex Adam descenderint, in quo natura humana peccaminosa est facta, quod aptè adnotauit Iacobus de Valentia, in Cantic. *Magnificat*, pagin. 2109. dicens: *In primitiua Ecclesia fuit magna controuersia inter conuersos de Iudaismo, & conuersos de Gentilitate. Nam illi de Iudaismo gloriabantur de natura sua, & generatione sua, eo quòd descendebant ex Abraham, Isaac, & Iacob, quos Deus elegerat in populum peculiarem; & sic putabant se habere maiorem gradum hic, & in futuro, & præcedere conuersos de Gentilitate in gratia, & sic despiciebant eos, impropertantes eis detestabiles ritus, & superstitiones prædecessorum suorum. E contra autem, conuersi de Gentilitate gloriabantur de natura sua, dicentes: se habuisse Imperatores, & Reges, & Philosophos, & floruisse in dominio mundi, & omni scientia, & arte, & despiciebant Iudaos, quia semper fuerant Deo rebelles, & apostata à lege pro maiori parte, & occisores Prophetarum, &c. Et sic utique tam Iudei quàm Gentiles conuersi gloriabantur de natura sua. Hoc autem presentiens Apostolus, scripsit Epistolam ad Romanos conuersos, ex utroque populo, volens sedare hæc vanam altercationem, in qua constatur ostendere, quòd nullus potest gloriari de*

Leander
Montanus
nec. s.
Eth. Com.
ment. 1. §.
19.

Celada ad
cap. 15. §.
297.

natura sua; sed de gratia, quam unusquisque per Baptismum accepit in Christo. Nam tam Iudaei, quam Gentiles descendunt ex Adam, per libidinosa generationem, in quo omnes peccauerunt, & fuerunt venundati, & obligati ad poenam illius peccati; & sic secundum naturam nihil trahimus à parentibus, nisi malum, & peccatum, & penas eius: quia tota humana natura fuit vitata, & corrupta in Adam, de qua corruptione, & peccato nemo potest liberari, nisi per gratiam Christi; & sic concludit: Quod omnes in Adam peccauerunt, & egent gratia Dei, scilicet, Christi. Et idem, tam Iudaei, quam Gentiles conuersi non possunt gloriari de natura sua peccatrice, & vitata, sed debent gloriari, & agere gratias de gratia Christi, per quam personaliter sunt liberati a peccato naturae, quod ex Adā, & parentibus contraxerunt. Haec tenet Iacobus de Valentia, qui tandem concludit: Sic ergo quando Apostolus dicit ad Romanos, Quod omnes in Adam peccauerunt, non loquitur de peccato personae, sed de peccato naturae, de cuius natura nobilitate, & dignitate ipse gloriabatur: quia omnes in Adam peccauerunt, id est, fuerunt venundati in eo, & ad culpam, & poenam damni illius peccati in eo obligati, à cuius peccati dubio omnes fuerunt per Christum personaliter liberati, aut per gratiam praeuenientem, aut subuenientem, sed non asserit Apostolus, quod omnes personaliter peccauerimus in Adam. Hinc est, quod non dixerit, omnes peccauimus, ne videretur stringere sermonem solum ad omnes suos populares, seu nationem Iudaeorum; sed extendere ad omnes populos, & nationes, genusque humanum; eadem causa iam dixit omnes, iam dixit multos; quia comprehendit omnes populos, & genera hominum, & voluit excludere Virginem. Inde, non omnes personae de facto contraxerunt peccatum originale; sed multae, scilicet, ceterae, praeter Deiparam: nam in alios filios Adam, & omnes ab eodem descendentes populos, & nationes grassata est culpa originis.

Constat etiam ex Epistola ad Hebraeos, vti Apostolum voce vniuersali omnes, non totaliter, & poenitens, strictè, sed cum latitudine, vt admittat aliquam exceptionem, cum in cap. 11. numerasset aliquos Patriarchas antiquos, & inter illos Enoch, qui adhuc viuit, ait: Defuncti sunt omnes isti. Quapropter dicunt sanctus Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & ex eis Ribera, omnes vocari penè omnes: excipitur enim vnus Enoch, quem constat non esse defunctum; sed translatum. Sic Genes. 46. vers. 17. dicitur Iacob venisse in Aegyptum cum omni sua progenie, omnia, id est, penè omnia: constat enim excipi Ioseph, qui iam erat, & praesidebat in Aegypto. Sic enim solemus loqui vniuersaliter, etiam si vnus, vel alter excipiat.

Accedit ad haec, quod argutè aduertit Petrus Montius in lib. 1. de vnica legis veritate, cap. 67. vbi proponit: Quod auctoritas Apostoli non dicit, omnes in Adam peccasse; quod sic comprobatur: In iuribus Ciuilibus legitur, quod in generali colloquio, qui loquitur, excipi solet; & penes hanc sententiam videtur, quod sanctus Paulus non peccauerit in Adam de originali peccato, eum ait: Omnes in Adam peccauerunt; quod in eadem auctoritate propalatur, dicendo: Omnes in Adam peccauerunt; & dicere debebat: Omnes in Adam peccauimus, vt sine exceptione de omnibus intelligeretur, & de primis, & secundis personis nihil restat, nisi de tertiis. Et quum neque de primis, neque de secundis perso-

nis loquitur, de virtute sermonis, non de omnibus sine exceptione loquebatur. Affero hanc auctoritatem ad ostendendum, quod non sit solum considerandus rigor litterae, & sonus dumtaxat nudi sermonis: nam quamuis rigor solius litterae huius sententiae, Omnes in Adam peccauerunt, non cogat comprehendere Paulum, quia non dixit, peccauimus; at nihilominus Concilium Tridentinum collegit ex eo loco, ipsum etiam Apostolum peccasse in Adam, & peccatum originale contraxisse. Quare licet rigor litterae videatur comprehendere Virginem in sua vniuersalitate, nihilominus eam noluit comprehendere Concilium.

Praeterea, ex aliis Apostoli locis colligitur, suam mentem non strinxisse solum ad rigorem litterae, cuius exemplum afert ipse Montius, addens ad dicta: Etiam de Deo loquens Apostolus, inquit: Qui solus immortalitatem habet, & idem Apostolus immortalitatem habet, & idem Apostolus firmiter tenet, quod Angeli, & anima immortales sint; sed in modo loquendi, seu causa maioris perfectionis, solus Deus, aut, immortalitatem habet. quoniam verò Deus integra perfectionis est, & sine quacumque immutabilitate; ita, quod aliter sunt glossanda verba, quae iuxta litteram sonent. Vbi aduertendum est, maiorem vim habere propositiones negatiuas, quam affirmatiuas, & illa, solus Deus immortalis est, aequiualeat huic negatiuae, nullus immortalis est, nisi Deus. Et tamen includuntur ex communi sensu mortalitatis innumeri Angeli. Hoc ipsum confirmat idem Montius ex alia auctoritate Christi, propositionis vniuersalis negatiuae, dicens: Christus in Euangelio dicit: Inter filios mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Et haec verba tanta auctoritatis sunt, & magis expressa, quam verba Pauli, dicentia. Omnes in Adam peccauerunt. Et determinatè habemus, quod Christus, & Domina nostra ex mulieribus nati essent, & multo maiores, quam sanctus Ioannes. Ex communi itaque hominum regula excipiebantur tamen, si surgere pro natiuitate accepit: nam committeret pro resurgere à peccato ista auctoritas exponitur; qua de causa ad propositum nostrum erit, quoniam Christus, & Beata Maria à peccato non resurrexerunt. Et sic Augustinus, exponendo hanc auctoritatem, videtur praecise, aut saltem principaliter tenere, quod dum verba Christi dicunt: Non surrexit maior Ioanne Baptista; hoc resurgere, de peccato originali ad gratiam intelligatur. Quocirca Augustinus ipse de Christo, & Matre eius nusquam intelligit, quod resurrexerint, quum maiores Ioanne Baptista sint, & nemo surgit, quin prius cadat. Et in hac expositione, quamuis aliam auctoritatem Augustini non haberemus, sola haec sufficit ad manifestè probandum, secundum ipsum, qualiter Domina nostra ab omnibus peccatis fuerit immunis. Et quod verba Christi dicant, surgere, propter originale peccatum, sanctus Thomas, & nonnulli alij Doctores taliter se habere affirmant; sed tamen sanctus Thomas postmodum vult, solum Christum extrahere. Et quoad veritatem, & religiosorum sententiam, Domina nostra est maior Ioanne Baptista. Vnde, non decet intelligere, quod surrexit.

Confirmat hunc loquendi modum Scripturae Ioannes Maior in 3 sentent. dist. 3. quaest. 1. respondens ad vniuersalem propositionem sancti Pauli, & similes, dicens: Ille sunt vniuersales vera vniuersalitate loquendi, & non vniuersalitate logica: nunquid est modus sacrae Scripturae dicere, quod omnes mortui sunt in deserto, quicumque in-

gressi sunt Ægyptum; & tamen Iosue, & Caleph, teste eadem Scriptura, non sunt mortui in deserto, cum omnes singulares erunt vera demptis duabus. Scriptura loquitur vniuersaliter, quia pauca sunt dua singulares comparatiuè ad omnes. In opposito non est nisi una instantia, respectu innumerabilium plurium singularum verarum; de Humanitate Christi, nunquam reuocabitur in dubium, cum illa fuit diuinitus formata, & non per coniunctionem seminum; quoniam enim Christus non descendit secundum rationem seminalem Adæ, non excipitur ab ea regula vniuersali, quæ loquitur de natis, secundum communem legem propagationis ab Adam, sicut manus non excipitur à regula vulgari, dicente nomina secunda declinationis in vs. sunt masculini generis, illegitimè natus irregularitatem contrahit, ne capiat ordines, nisi cum eo ante ortum dispensatum fuerit. Et sic privilegio est ab regula excepta Virgo in presentiarum. Natus tamen legitimus non excipitur, sicut nec Christus. Ergo post peccatum Adæ, & Eue, solum inter omnes homines est vna singularis falsa: quid ergo mirum, quod Scriptura, & Sancti vniuersaliter loquuntur. Insuper, si dicerem aliquid indefinitè, vel vniuersaliter, non loquens in particulari de aliqua materia, cum deuenio ad particulare, expono quomodo illud intelligo: illud dictum, omnia vniuersalia dicta exponit, sicut inter arguendum diximus, etiam ipsa fuisset in originali peccato (sicut ceteri) si non fuisset preseruata.

Multas alias ex aliis Scripturæ locis auctoritates vniuersales adnotant Doctores, quæ non modò vnam, sed multas exceptiones habent. Imò, ipsa lex Assueri, licet dixisset: *Non pro te, sed omnibus hæc lex constituta est*; excipiens solum Estherem, habuit alias exceptiones: nam Herodotus qui lib. 1. 3. 8. refert illam, testatus nemini apud Persas patuisse in Regiam aditum, nisi Regis iussu; excipit tamen illos, qui tyrannis è medio tollendis operam nauassent. In libro Numerorum, cap. 32. dicitur: *Omnis vir Bellator, armatus Iordanem transeat*. Quod non obstrinxit vniuersos: nam legimus Iosue 4. solum quadraginta millia transiisse, & multi alij remansere citra; quia iusta de causa excepti sunt ab vniuersali illa, scilicèt, custodia urbium. In cap. 3. dicitur: *Omnis Leuita, quos numerauerunt Moyses, & Aaron, iuxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino à mense uno, & supra, fuerunt viginti duo millia*. A quo numero excepti sunt trecenti, qui iusta de causa non sunt inclusi in illa propositione: quoniam totidem essent inter ipsos primogeniti, post egressum ex Ægypto procreati, quia alium è erant Deo dicati, nec venire poterant in aliorum Leuitarum numerum. Nam Leuitæ pro primogenitis aliarum Tribuum commutandi, ac in eorum locum substituendi, Deoque appropriandi erant. Ita Comestor, Abulensis, Lyranus, Dionysius Carthusianus, & Caietanus. Considerandum quoque est, quod dicitur Genes. 46. *Cuncta anima, quæ ingressa sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressa sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex*. Quæ propositio vniuersalis non adequatur omnimodo: nam in vers. 27. septuaginta numerantur. Insuper, Act. 7. vers. 14. Sanctus Stephanus numerat septuaginta quinque. Itaque, in primo computo non comprehenduntur Iacob, & Ioseph, ac eius duo filij Ephraim, & Manasses, qui si addantur, conficiunt numerum septuagenarium. In Actis verò Apostolorum san-

ctus Stephanus numerauit etiam quinque nepotes Ioseph; nimirum, Machir, filium Manasses, & Galaad filium Machir, item Sutulaam, qui omnes in Ægypto nati erant; vt patet ex Numerorum cap. 26. & ex 1. Paralipom. 7. tantæ varietatis in numero est capax vox illa vniuersalis cuncta.

In cap. 25. Numerorum dicitur: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum Sacerdotij sempiternum*. Hæc vniuersalitas temporis habuit alicuius temporis exceptionem; siquidem, vt constat ex lib. 1. Reg. cap. 2. post Phinees pronepotem translatus fuit Pontificatus ad Heli, qui erat de familiâ Ithaman; vt ait Iosephus lib. 5. antiquitat. cap. vlt. & lib. 8. cap. 1. Quod fœdus videtur cum exceptione, & conditione fuisse; nempe, si eius posterii in Fide, ac Dei cultu constantes perseverassent, ita Dionysius Carthusianus. Vnde, resipiscentibus posteris Phinees tempore Dauidis, & Salomonis Pontificatus ipsis restitutus fuit, quem retinuerunt semper, saltem vsque ad Herodis tempora, quando non amplius iure successionis; sed pretio, vel gratia Principum hic honor obtinebatur. Itaque, fuit illi pactum Sacerdotij sempiternum vsque ad finem Synagogæ; licèt per tempus breue interruptum. Et sic Caietanus ait, promissionem hanc fuisse iuris, non facti. Eodem modo dici posset, quod aliquandò etiam non negauit Caietanus, vniuersalem sancti Pauli, intelligi de iure, sed non de facto, vel pactum cum Adamo fuisse conditionatum, excipiendo eam, quæ eligenda erat Mater Dei, si incarnatio fieret.

Quid mirum, si propositio vniuersalis habeat aliquam exceptionem singularem, cum inueniamus in Scripturâ propositionem singularem cum exceptione ipsius, etiam singularis, vt sic se accommodet Spiritus sanctus, dum loquitur homines, ipsi modo loquendi humano? nam in cap. 41. Genesios dicitur: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni*. Sunt verba Iosephi, qui tamen ipsemèt postea prolixè respondit Pharaoni, explicans ei somnium. Itaque, quamuis dixit, *absque me*, non fuit sine ipso Iosepho: vnde habuit exceptionem dictum eius, vt causa secunda, & instrumentum; nam vt tali fuit responsio cum Iosepho ipso, at, vt causa principali fuit sine Iosepho. Est Hebraismus *absque me*, id est, non ego ex meâ sapientiâ; sed Deus per me, tanquam per instrumentum respondebit, & somnium explicabit. Confirmatur ex textu Græco; nimirum: *Abique Deo non respondebitur salutare Pharaoni*. Sic Virgo, licèt, vt mulier fuit filia Adami; at, vt electa ad incarnandum Verbum, fuit Mater Dei, & hoc debuit præualere, vt de facto non peccasset in illo, quamuis, vt sola mulier peccauisset de iure, in multis aliis, vt se accommodet Scriptura modo locutionis humanæ, non sequitur rigorem sonantium verborum. In libro Iudicum, cap. 9. dicitur vers. 18. *Interfecistis filios eius septuaginta viros*. Et tamen ex toto capite, & ex præcedenti, vers. 3. manifestè colligitur, occisos fuisse tantum sexaginta octo. Nam Abimelech vnus ex fratrum numero, fuit interfector, Ionathas verò natu minimus, fugit, & mortem euasit. Etenim Scriptura sæpè ponit humano more numerum plenum, ac rotundum, neglecto minore, vel maiore, etiam si aliquantulum crescat, vel decrescat, v. g. Numeror. cap. 11. Vocantur septuaginta seniores, cum reuera fuerint septuaginta duo: ita libro Iudicum è contra adduntur

adduntur duo, qui non fuerunt interfecti, licet & ipsi de fratrum numero essent. Sed non opus est in hoc maiores moras trahere: sat est dicere, quod Deus idiomate humano loquutus, locutioni hominum se adaptauit, qui frequenter in vniuersalibus excludunt aliqua particularia. Sic dicimus: Concionator commouit omnes ad lacrymandum, omnes concurrerunt ad nundinas: quamuis nonnulli id non fecissent. Vnde, non mirum, quod propositio Apostoli vniuersalis, Deiparam vnam non comprehenderet, cum tanta ratio sit eam excludendijac dicit Anselmus in lib. de Conceptione Beatæ Mariæ, cap. 5. *Ille assertor veritatis, & à Filio tuo, iam cælo presidente, vas electionis cognominatus, omnes homines in Adam peccasse fatetur: vera vtrique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio; sed cum eminentiam gratia Dei in te considero, sicut te non intra omnia, que facta sunt, inestimabili modo cõueor: sic nec lege aliorum in tua formatione demeritam fuisse opinor, singulari, & humano intellectu impeneirabili diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione liberrima.* Vnde Ambrosius Spiera in sermonibus Sabbatinis de Beatâ Virgine, Sabbat. 4. Dominicæ Quadragesimæ, considerat. 2. conclusione 1. ait: *Propter ea, primò dico, quod omnes propositiones vniuersales ille adducta, vel similes, que adduci possent, ut quod omnes peccauerunt, omnes declinauerunt, &c. distingui debent: quoniam aut intelliguntur de vniuersali simpliciter, aut de vniuersali accommodato, sicut distinguitur in 1. sentent. dist. 46. cap. 5. Vniuersale simpliciter omnia distribuit, ut ista Omnia, que voluit Deus, fecit in cælo, & in terra: vniuersale accommodatum distribuit tantum secundum quid, ut hæc: Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quod intelligitur de omnibus illuminatis secundum Augustinum. Nõ ergo illæ vniuersales simpliciter vere sunt; sed secundum quid, ut omnes peccauerunt, qui scilicet sub tali lege nati sunt, & non præseruati.*

Quare non solum, iuxta communem hominum loquutionem, seu modum loquendi potest aliquando non comprehendere potest aliquando non comprehendere particulare indiuiduum in generalitate vniuersali, sed iuxta phrasim, & stylum sacrae Scripturæ, imò ipsius æterni Verbi Christi Domini, qui postquam dixisset: *Omnia quacunquæ audiu à Patre meo, nota feci vobis.* Postea, excipiens multa: ab illa voce vniuersali, *omnia*, addidit: *Adhuc multa habeo vobis dicere.* Quod si Christus in illa propositione vniuersali non comprehendit plura, quid mirum, quod Apostolus vnam dumtaxat Deiparam non comprehendisset?

Vltra omnia dicta, imò etiam contra communem modum loquendi sufficeret epiikeia, vbi ratio dictat sequendum potius sensum, & intentionem, quam verba loquentis. At, verò in hac clausula Apostoli: *Omnes in Adam peccauerunt;* concurrunt omnes rationes epiikeiæ, ut non comprehendatur in ipsa sacratissima Deipara, cum tot sint in Dei Matre rationes restringendi illam vniuersalem, quod apices iuris requirunt, Iurisconsultorumque doctrinæ indicant, quæ reducuntur ad sequentes.

- I. *Ad id quod æquum est, & secundum naturalem rationem restringuntur.*
- II. *Secundum ius commune.*
- III. *Secundum subiectam materiam.*
- IV. *Ad habiles, & idoneos.*

- V. *Ita ut nõ cõprehendant insolita, vel excessiua.*
- VI. *Non extendantur ad exemptos.*
- VII. *Non habent locum in constitutione odiosa.*
- VIII. *Intelliguntur secundum mentem proferentis.*
- IX. *Accipiuntur ita, ut non sequatur absurdum.*
- X. *Et ut non comprehendant ea, quæ à sapientibus reprehendi possunt.*
- XI. *Et ut ad verisimilitudinem reducantur.*

Quibus omnibus restringendi regulis, si consideretur iuris rigor, & ius rationis, restringitur illa propositio Apostoli vniuersalis, ut non extendatur ad Dei Matrem, prout late, diferte, & iuridice demonstrat Ferdinandus de Vergara, in defensione iuridica, cap. 4. qui videri potest. Quod si secundum ius humanum, ciuile, gentium, & naturale excludenda erat Beatissima Virgo ab illa lege generali, non est dubitandum quin secundum æquitatem diuinam exclusa sit.

Extat quidem in Scriptura illustris epiikeia per prædictas regulas circa obseruationem Sabbathi, in 1. Machab. lib. cap. 20. vbi cum quidam, ut ad literam obseruarent legem quietis, noluerunt in die Sabbathi pugnare, & omnes ad interuentionem deleti sunt ab inimicis; alij autem interpretantes legem Sabbathi non violari pro defensione vitæ, decreuerunt etiam in illo die Sabbathi pugnare. De quibus dicit sacer Textus: *Et prosperatum est opus in manibus eorum.* vnde Ioannes Segouienis tract. de Concept. in allegat. 2. ait: *Ecce patet, quod vbi euidentia rationis contradicit, licitum est legem non obseruari, imò non obseruando obseruatur. Et de hac dispensatione, vel declaratione, quod sic deberet lex illa intelligi, non legitur, quod isti, qui hoc statuerunt, habuerunt ad hoc nouam à Deo contra illam legem privilegij concessionem, dispensationem, aut reuelationem celestem, quod sic illa lex deberet intelligi; sed innitendo prouidentia rationis processerunt ad opus intrepide. Attendendum etiam est, quod fecerunt contra sensum, secundum quem lex fuerat obseruata iam ferè per annos duos mille. Ita est in materia de Conceptione Virginis. Omittò, quod Christus dixerit, licuisse in Sabbatho benefacere.*

Tandem considerandum est, diuersam omnino esse rationem alterius propositionis vniuersalis, quæ extat in Canticis Canticorum, in fauorem immaculatæ Conceptionis, scilicet: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nam tot rationes, quot habet propositio vniuersalis Apostoli, ut non comprehendatur in illa Beata Virgo concepta in originali, siue per epiikeiam, siue per communem loquendi modum, continet etiam vniuersalis illa Canticorum, ut negetur Deiparæ deformitas culpæ originalis. Præterea, vniuersalis hæc ex Canticis est fortior, cum sit cum replicatione, continens duarum vniuersarum vim, vnius affirmatiuæ, alterius negatiuæ; quæ maiorem vim solet continere. De quo etiam videri potest idem Ferdinandus.

Quod si adhuc aliquis ex contrarium sentientibus, refragetur prædictæ explicationi, meminerit Concilij Tridentini, & constitutionum Sixti IV. cum quibus nequit stare alia explicatio de rigore vniuersalitatæ, imò meminerit sui, & eorum, qui secum conueniunt, & sæpè ex vniuersali eximunt aliquam particularem, contrahuntque generalitatem in modo loquendi; quare facile

facile possunt conuinci argumento ad hominem, prout fecit Petrus Montius, qui lib. 1. de vnius legis veritate, c. 68. sic præscribit: *Quod Thomista nolunt exceptionem facere in eo, quod Apostolus dixerit: Omnes in Adam peccauerunt, quamuis eiusmodi exceptio ab eis in aliis locis assumatur. Quod sic probat: Vbi sacra Scriptura ait de Adam, & Eua: Ne forte immittant manum suam, & comedant etiam de fructu vite, & viuant in æternum, isti exponunt in æternum, pro longo tempore, & non pro semper. Et hic Thomista exceptionem faciunt, quamuis Deus absolute dicat: Ne comedant, & viuât in æternum. Quoniam initio nobis duas arbores tribuit, unam gratia, alteram maledictionis; quarum altera vite, & altera mortis: & quemadmodum per Scripturam apparet: Homines nec senectute, nec quouis alio morbo perituri erant; nec semper in hoc terrarum orbe moram habituri, nisi in prospera etate ab hac vita in aliam transirent. Quinimo naturali cursu nequaquam potuissent humana corpora corrumpi, dum de arbore vite cibarentur: & taliter intelliguntur verba auctoritatis, propter quod Deus ex Paradiso Adam expulerit, ne de eo fructu comederet, ut potuisset à quacumque naturali senectute se tutari; eo magis quod aduersantes liberè Mariæ Virginis Conceptioni asserunt, quod propter comestionem de fructu vetito omnes omnino morimur; & non est magis ratio, quàm fructus mortis adducat mortem, quàm fructus vite vitam, imò minus.*

Præterea, illa Angelica verba, *Gratia plena, quæ æquiualent vniuersali propositioni, id est, omni gratia, siue omnibus gratis donata, & pro omni tempore vite, illi contrahunt, ita, vt excludant primum instans, excipiantque gratiam originalem: hæc instantia planè derogat eorum instantias, & argumenta. Tandem si instent, quod vniuersales Scripturæ intelligendæ sunt cum omni rigore, cogentur indè hæreses multas dicere; nam tenebuntur fateri Enoch mortuum esse, cum postquam illum inter alios Patres antiquos numerasset sanctus Paulus, dixerit, *defuncti sunt omnes isti;* & alia huiusmodi.*

Ex quibus constat, non fuisse læsam Virginem per sententiam cõmunis damnationis. Rectè Arnoldus Carnotensis, in opere sex dierũ dixit: *Hoc doloris priuilegium prima mater reliquis matribus dereliquit, & nulla omnino in tota natura huius successione excipitur, exceptà illà, qua sola concepit de Spiritu sancto virgo, & maritalis ignara confortij, penitus aliena fuit ab huius conscriptionis chirographo.*

Illud etiam commemorare pretium operæ erit. Valdè placere Hæreticis argumentationem ab vniuersalibus, omnem exceptionem excludentibus, hærentes nimium litteræ, quod tutum non

est: nam teste Paulo 1. Corinth. 3. v. 6. *Littera occidit*: hoc est, in errores & hæreses inducit scriptura secundum solam litteram accepit, vt exemplis constat: Idè Iudæi pertinaces manent, & venturum adhuc Messiam autumant, quia cap. 11. Isaia. Vbi de potentiâ Messia agit, secundum litteram intelligendam esse voluit. Vnde de iis Paulus 2. Cor. 3. v. 15. *Vsq̃ in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

Sabellianos in errorem induxerunt verba Ioan. 10. vers. 30. *Ego & Pater vnum sumus*: quæ quia iuxta litteram intelligenda censuerunt, vnam tantum in diuinis personam esse concluderunt.

Ariani ex verbis Ioan. 14. v. 28. *Pater maior me est*: deduxerunt Christum non esse Deum; sed inferiorem Patre. Prætereo alios innumeros, qui nudam litteram secuti, in hæreses prolapsi sunt, vt videre est apud Becan. l. 2. c. 5. n. 14.


Specialiter non displicet Hæreticis nimia contentio explicandi iuxta litteram illud Pauli: *Omnes in Adam peccauerunt*, quippè ipsi multa falsa dogmata superstruunt in similibus vniuersalibus, nolentes admittere exceptionem: sic negant Sacerdotum cœlibatum fuisse in Ecclesiâ Primitiua, propter illa Apostoli verba: *Honorabile conuuiuium in omnibus, & thorus immaculatus.* Heb. 13. v. 4. Si in omnibus, inquit, ergo etiam in Sacerdotibus. Negant etiam Lutherani dari opera supererogationis, propter illud: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, & omnibus viribus tuis*: ergo, inquit, nihil superest quod Deo non sit debitum & consequenter nihil supererogare possumus, cum quantum facimus, tantum ac multo amplius Deo debeatur. Præferunt etiam Matrimonium Castitati, ex illo Pauli: *Propter fornicationem autem vnus quisque suam uxorem habeat* 1. Cor. 7. §. 2. En, inquit, mandatum, quod libertatem tollit. Item non distinguunt inter peccatum mortale, & veniale, propter illa verba: *Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius.* Deut. 27. v. 16. ergo quisquis contra legem quomodocumque peccauerit, sub maledictum cadit: nulla igitur peccata non sunt rea maledicti: quare quod aliqua sint venialia, non habent ex naturâ suâ; sed merâ Dei misericordiâ non imputante vt mortalia. Idem confirmant ex illd: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Iac. 2. v. 10. Negant etiam Purgatorium, propter illa verba Sap. 3. v. 1. *Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tangit illos tormentum mortis, seu malitia*; ergo nullum Purgatorium esse potest. De his hæresibus, & earum confutatione, videri pote Coturius & alij Controuersistæ.



IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII
E SOCIETATE

I E S V.

DISSERTATIONES EPISTOLICÆ
de Immaculata Conceptione
Deiparæ.



EPISTOLA I.

De gratia Deiparæ debita in
Conceptione sua.

*Ad Illustrissimum D.D. Christophorum Crespi de Valdaura,
Vice-Cancellarium Coronæ
Aragonica, & Clauicularium
Ordinis de Montesa.*



ENERANDA est curiositas, quam non ingenium acre, sed voluntas stimulat deuota, quam non tam acumen mentis, quam affectus excitat cordis. Quærit à me Illustrissima Dominatio tua, an sicut aliqui Doctores asserunt, non solum caruisse Beatam Virginem peccato Originali, sed etiam eius debito, dici etiam posset non solum conceptam fuisse in gratiâ, sed etiam cum debito eiusdem gratiæ. Cui interrogato libens satisfaciam, cum in gloriam Intemeratissimæ Virginis cedat: prius tamen, quam descendam ad id, quod iuxta Theologiæ leges dici potest, præstruam viam ex Iurisprudentiæ regulis, in quâ aded tua Claritudo eminent: cui nonnihil placet in hac parte blandiri; sicut enim libenter nauita de ventis, de tauris narrat arator; sic etiam placidè de eisdem narrationes audiunt. Nec mihi displicet meminisse eius eruditionis, quæ post humanas litteras auspiciis eruditionis mihi præstitit: cum enim insipida mihi essent bonarum artium studia, acumina ciuilium

Legum, prudentissimæque Iurisperitorum responsa excitarunt appetitionem sciendi. Atqui, vt ad rem veniam, constat mihi, publicè id assertum in Vniuersitate Complutensi, ob summam dignitatem Matris Dei, cui ex decentiâ debitum erat concipi in gratiâ, & principium suæ existentiæ habere meliori & honorariori modo, quam vlla alia pura creatura. Maxima quidem virtus est harum vocum, *Conceptio Matris Dei*, vt inde liceat intelligere eximiam eiusdem Conceptionis puritatem & sanctitatem, quæ Diuinam decent Maternitatem. Sunt aliqua, sub vno titulo plurima conlectaria trahunt, multaque subintelliguntur, licet non explicentur, comprehenduntque quàm significant: sic accidit, vt *Conceptio Matris Dei* subinferat exclusionem peccati Originalis, carentiam debiti eius, & gratiam sanctificantem, & hanc cumulatissimam. Quod si in Iure humano audita *Patriciatus* dignitas subintelligatur libertas non modò à seruitute, sed à patria etiam potestate; quid mirum (imò mirum esset, si aliter esset) si dignitas Maternitatis Diuinæ afferat secum libertatem filiaæ Dei, & neget seruitutem peccati. Egregia sunt Iustiniani Cæsaris verba, *Instit. quib. mod. Ius patr. potest solui. §. Filiusfamilias; Ex Conceptione nostra summa Patriciatus dignitas, illico Imperialibus codicillis præstitis, filium à patria potestate liberat: quis enim patitur patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filium relaxare; Imperatoriam autem Celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate? Quis etiam parietur Imperatoriam Celsitudinem posse filium alienum à patriâ potestate liberare; Diuinam autem Maiestatem, eam quam sibi Matrem elegit, non valere à seruitute diaboli eximere? Idem Iustinianus tit. de Adoptionibus §. fin. ait: In nostra Constitutione etiam eum seruum, quem dominus actis interuenientibus filium suum nominauerat, liberum esse constituimus.*

Quod

Quod si non substantia, sed nomenclatura filij liberat à seruitute humanâ, quanto magis Diuina electio Matris non voce & specie tenus, sed substantialiter, propriè & verè eximet à seruitute diabolicâ? Quod enim iure humano consonum rationi videtur, cur iuri diuino sentiendum minùs consentaneum? Decuisse illa iudicauerunt Consultissimi periti Iuris fas & decens, plus autem decuisse videtur Maternitatem Diuinam, quod sine dubio ita iudicant Angeli: quæ enim decent maximè, connexa sunt, quæ ius humanum non vult separari, & diuinum vult coniungi. Tum etiam maxima cura fuit Imperatoribus Romanis, ne serui Christiani mancipia Iudeorum fuissent; sic in Codice Theodosiano, Honorius & Theodosius Imperatores, lib. 16. titul. 7. *Ne Christianum mancipium Iudeus habeat*, lib. 5. quæ est descriptum ad Asclepiadotum & Marilianum Consules, edicunt: *Christiana mancipia Iudeorum nemo audeat comparare. Ne fas enim estimamus religiosissimos famulos impiissimorum emptorum inquinari dominio. Quod si quis hoc fecerit, statuta pœne absque omni erit dilatione obnoxius.* Pœna hæc erat libertas serui, post eius denuntiationem, vt dictum fuerat in Legge antecedenti. Quod si non tolerarunt Imperatores religiosos homines subditos esse impiis Iudeis; quomodo sanctissimam Dei Genitricem permitti à Deo posset, subditam aliquando fuisse seruituti peccati? Præterea, hoc ipso quod aliquis testator designaret seruum suum tutorem filiis suis, quamuis nullâ factâ mentione libertatis, liber iam ille seruus manebat, sicut & seruus heres institutus: & hæc etiam spectant quodammodo ad MARIAM, cuius tutelæ & protectioni commisit Deus omnes filios suos, & ipsa heres prior fuit CHRIS TI, tum naturaliter, tum supernaturaliter. Plures alij casus sunt, ex quibus alia consequuntur, nullâ factâ de iis mentione: quapropter non mirum, si suppositâ electione Dei in Matrem suam sequatur inde exemptio eius à seruitute peccati. Quod si ad filios spectat rationem & curam habere seruitutis suorum parentum, vt in libertatem afferantur; ad ipsum Deum Filium MARIÆ spectat, eam seruitute exemisse. Hoc aded iustum visum est Consultis Iuris, vt etiam inuitis parentibus facultas datur filiis eorum libertatis procurandæ. Conspicua sunt verba Vlpiani in lib. 1. ff. de Liberali causâ, vbi ait: *Si quando is, qui in possessione seruitutis constitutus est, litigare de conditione suâ non patitur, quod forte sibi, suoque generi vellet aliquam iniuriam inferri: in hoc casu æquum est, quibusdam personis dari licentiam pro eo litigare, vt puta parenti, qui dicat filium in suâ potestate esse: nam etiamsi nolit filius, pro eo litigabit. Sed etsi in potestate non sit, parenti dabitur hoc ius, quia semper parentis interest filium seruitutem non subire. Versâ vice dicemus: Liberis parentum etiam inuitorum eandem facultatem dari, neque enim modica filij ignominia est, si parentem seruum habeat. Idcirco visum est, cognatis etiam hoc dari debere.* Rationem mox reddit Caius in Leg. sequenti: *Quoniam seruitus eorum ad dolorem nostrum, iniuriamque nostram porrigitur. Nec satis est dicere, liberaffe Deum Virginem MARIAM à seruitute peccati Originalis, postquam illud contraxisset: nam seruitus non est solum dolor & iniuria filiorum dum permanet in parentibus: sed etiam macula est adhuc post eorum*

Ioann. Enseb. Op. Parth.

libertatem. Vnde dixit Modestinus l. 7. in fine, ff. de Natalibus restituendis: *Libertinus, qui natalibus restitutus est, perinde habetur, atque si ingenuus factus, medio tempore maculam seruitutis non sustinisset.* Maculam seruitutis vocat, non statum seruitutis præsentem in seruo; sed præteritum in liberto. Tum etiam maxima fuit Iustiniani Cæsaris prouidentia in arcendâ seruitutis infamiâ à nobilium prosapiis, ac propterea abrogauit Senatus consultum Claudianum, per quod, si mulier libera contra domini denuntiationem alieno seruo se iunxisset, serua pariter manebat: cuius abrogationis rationem hanc affert Imperator in lib. 1. C. de senatus consulto Claudiano tollendo. *Ne ea qua libera constituta est, semel decepta, vel infelici cupidine capta, vel alio quocumque modo contra natalium suorum ingenuitatem deducatur in seruitutem & sit pessimum dedecus cognationis sue fulgori: vt qua forsitan decoratos dignitatibus habeat cognatos, hæc in alienum cadat dominium, & dominum pertimescat forsitan cognatis suis inferiorem.* Quomodo potuit Dei prouidentia deesse, quin præueniret, ne sua Mater in pessimum seruitutis dedecus deduceretur, suæ diuinitatis fulgori non satis decens, si in alienum caderet dominium; & turpissimum quidem subiecta potestati tenebrarum, & mancipium dæmonis?

Accedit ad hæc, quod nobilitas non solum defluit in liberos, sed quandoque solet in parentes refluxere. Homer. lib. 14. Odyssææ cecinit, Castorem, Hilacis filium, apud Cretenfes ob nobiles & gloriosos liberos pro Deo cultum fuisse. Seneca Seneca. dixit etiam lib. 3. de Beneficiis, cap. 32. *Quid si quis in tantum processit, vt aut eloquentiâ per gentes enotesceret, aut insitiâ, aut bellicis rebus, & patri quoque ingentem circumfunderet famam, tenebrasque natalium suorum clarâ luce discuteret: non inestimabile in parentes suos beneficium contulit? An quisquam Aristonem & Gryllum, nisi propter Xenophontem, ac Platonem filios, nosset: Sophroniscum Socrates exspirare non patitur. Ceteros enumerare longum est, qui viuunt ob nullam causam aliam, quam quod illos liberorum eximia virtus tradidit posteris.* Iacobus Monachus Homiliâ de Natiuit. Virginis consentaneè dixit: *In omnibus quidem, si quos humano more contigit parentes effici, vt vel secularium dignitatum splendoribus auctos videant liberos, aut virtutum luce illustres redditos, aut strenuum quid, ac magnum dissonasse, quo fortitudinis laudem habeant, non modicum inde decus comparant ex communionem nature, vna gloria ac celebritatis comparticipes effecti.* Saturninus Iuriconsultus, vt refertur in l. 1. §. 1. ff. de Senatoribus dixit, Consulares feminas non solum esse vxores Consulium, sed etiam matres, quibus Consulares honores ob dignitatem filiorum communicabantur, præsertim cum filij id voluerunt: cui consonat Iustinianus Imperator, Authent. de Consulibus, §. *Si autem*, collat. 8. siue Nouellâ 105. cap. 2. loquens de vxoribus Consulium, ait: *Decet enim frui eas & coniugis claritate. Si verò non copulatus est vxori, his satis est, nisi mater eius constat iam Consulatu digna, & prius honorata, & velit eam vna frui secum schemate. Et hoc in solâ matre præbemus. Alia verò non decorabitur mulier penitus, præter coniugem & matrem: & illa quidem omnibus modis; quoniam vxores coruscant radiis maritorum, hoc lege dante: matres verò, si Consul hoc voluerit. Nam neque filia, neque soror fortè, neque vxor filij*

Ee

Et multò magis, si nec pertinens ad genus sit. Hoc enim purè illicitum existeret. Nec contemnenda sunt, quæ commentatur Nicolaus Antonius Gizzarell. decif. 10. num. 8. in fine, loquens de hac Nouellâ, inquit: Mater gaudeat dignitate filij. Dicit ibi Accutius, esse ibi casum specialem; sed refugium miserorum est, qui ibi non exprimitur, vt sit speciale; sed quòd matres Consulium, Consulibus volentibus, gaudeant. Ergo textus considerauit affectionem & voluntatem filij, ex cuius dignitate mater honorari debet, ipso volente, quia interest etiam filij matrem honorari. Et non est vulgare ibi, sed tantum si filius velit. Et sic interesse affectionis filij videtur considerari. Et hic videtur casus noster, & possunt iura prædicta concordari cum lib. 1. de Senatoribus, vt scilicet ille textus non habeat locum filio volente, vt hic, & hæc tamquam lex nouissima Iustiniani declaret, vel limitet, de illâ procedat filio nolente, vel tacente, secus filio volente, vt hic.

Quid igitur dicemus? ane Deo, qui vult etiam inimicos amari, defuit erga Matrem suam affectus, quò minus illam vellet honorare, & præsertim in eo honore negatuo, excludendo eam à seruili conditione, & ignobili peccantis protoplasti pœna, cum in pœnis potissimum maxima habeatur ratio filiorum in dignitate eminentium, ne eorum parentes pœnis ignominiosis afficiantur, vt constat ex L. *Moris* 9. §. *Parentes*, ff. de Pœnis; vbi Ulpianus postquam dixit, Decuriones non esse afficiendos viliorum pœnis, ait: *Parentes quoque & liberi Decurionum in eadè causa sunt?*

Vt hoc ampliùs declaremus, proponemus exemplum (quandoquidem simile est impossibile) proximum quodammodò ex humanis rebus. Nec enim quia à minori ad maius est, minorem efficaciam habebit; etenim homo purus eligere non potest matrem naturalem, poterit tamen iuxta electionem suam habere nouercam aut matrem adoptiuam. Fingamus potentissimum Imperatorem aliquam feminam in matrem adoptiuam eligere; quid inde sequeretur? Quid subintelligeretur? Scilicet, omni decoratam nobilitate & auctoritate, prout talem filium decebat. Si fuisset ex ancillis suis, quis dubitaret liberam euasisse? si aliena serua, quis non diceret teneri ad libertatem eius obtinendam, aut liberalissimè redimendam; Quid si occultam diu naturalem matrem inuenisset, eamque declarasset suam esse? hoc ipso, licet serua esset, in regiam venerationem extulisset; sin minus faceret, dedecus & opprobrium filij esset. Quis igitur potest iudicare gloriam CHRISTI fuisset, reliquisse suam Genitricem in seruitute peccati per Originalis contractionem labis, cum simile factum fuisset inter homines ignobile, vituperandam & propudiosum?

Concludo itaque: Ex quo fuit electa Sacratissima Virgo in Matrem Redemptoris, subintelligendum pariter, & speciali priuilegio esse excellentissimum Redemptionis genus illi decretum, tum gratiam habitualement in primo suæ creationis instanti, tum exemptam pacto Adami, sin minus, condonatum illi debitum peccati, & in integrum restituta illi natalia, non dico, quæ natura haberet ante peccatum, imò quæ ex pacto Dei, si Adam non peccaret, sed cum abundantioribus gratiis. Nam vt constat ex civilibus legibus, si

Imperator Romanus illâ liberalitate vsus sit restituendorum natalium erga alienos seruos, cur Deus Omnipotens non eâ vteretur erga Matrem suam? Hoc satis apertè supponit S. Augustinus Serm. 11. in Natali Domini, & cum eo S. Fulgentius, & S. Ildefonsus, affirmantes in Beatissima Virgine *ex integro iram exclusam prima sententia, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Nec enim ex integro fuisset ira exclusa, & plena benedictionis gratia restituta, si sacratissima Virgo aliquid minus habuisset, quàm haberent filij Adam in statu innocentia, quibus debita foret gratia. Eodem sensu dixit Honorius Papa I. in Rescripto suo, quod extat in Synodo sexta: *Quia profectò à Diuinitate assumpta est natura nostra, non culpa illa* (alij legunt in illâ) *profectò, que ante peccatum creata est, non que post præuicationem vitata.* Et infra: *De sancta & Immaculata Virgine nullum experiens contagium vitatae naturæ.* In his verbis satis indicat, restituta in integrum Beatissimæ Virgini natalia status innocentia. Hoc ipsum supponit

Honorius
Papa.

Andreas
Ierolymita-
nus.

Andreas Ierolymitanus Orat. 1. de Natiuit. cum dixit: *Ante omnes generationes, vniuersæ creaturæ Auctori fuit electa, nempe MARIA Dei Genitrix, à Deo illud vocatum nomen, è cuius utero processit induus carnem maior ille Deitate: quamque sibi is in templum admirabili planè compegit ratione.* Cum igitur dicat electa ante omnes generationes, intelligendū saltè est, ante omnes generationes futuras obsoletè filiorum Adam, cum peccato Originali, & consequenter electam saltem cum aliis generationibus conditionalibus in statu innocentia, quibus debita foret gratia. Nec piget referre pulchra ipsius Andreae verba, quibus de Conceptione Virginis locutus, multoties idem supponit: *Hodie namque Creatoris omnium creatum delubrum ex edificatum fuit, ac creatura, diuinum Creatori, noua decentique ratione præparatur hospitium. Hodie natura prius è terrâ orta, Deitatis primitias accipit, puluisque ad supremum gloriæ apicem sublimis excurrere contendit. Hodie ex nobis nostri loco Adamus, primitias Deo offerens, MARIAM primitias facit, totiusque conserpensionis antè subacta massa, ad generis reformationem per eam in panes formatur. Hodie magnus Virginitatis retegitur sinus, inuiolatumque verè incorruptionis margaritum Ecclesia vt sponsa induitur. Hodie clara hominum ingenuitas prima à Deo formationis manus recipit, atque seipsam postliminio reddit: quemque vitiositatis ignobilitas speciei decorem obscurauit, nunc natura nata eius matri adhibens, qui est speciosus, optimam, planeque diuinam formationem accipit, proprieque, ac verè formatio instauratio fit, instauratioque deificatio, illaque principalis, exemplaris per similitudinem expressio.* Multa hic ponderari possent, si opus fuisset immorari properantibus ad metam. S. Sabbas Mæneorum Collector, die 18. Ianuarij, Ode 6. de sancto Cyrillo: *De te enim sola, inquit, publice constat, quod ab æterno munda existeris, vt que possidebas Iustitiæ Solem.* Hæc mundities ab æterno non potest verificari singulariter in Beatissimâ Virgine de possessione gratiæ, vel solâ fruitione; sed de iure, & debito illius per electionem Matris Dei, omni priuilegio exornandæ, & gratia condonandæ.

Quapropter, licet Virgo Sanctissima ex carentiâ debiti careret propterea peccato Originali in suæ animæ creatione, licet habituali gratiâ non fuisset decorata, sicut ij, qui in naturâ purâ nascerentur;

nācerentur; voluit nihilominus Deus eam in eo primo instanti locupletissima gratiā ditare, imò etiam si inclusa fuisset in pacto Adami, & obstringeretur debito generali, id decretum de locupletissima gratiā donandā **MARIÆ** præcipuum fuit post electionem ad Maternitatem Diuinam, aut simul cum ipsā, indeque condonatum illi debitum; ita vt cum illo non fuerit concepta: quod sanè dicere, impossibile Deo sic fecisse, scandalum mihi est. Si autem possibile, cur non factum, cum integrum fuerit **CHRISTO** ius Redemptionis, & Virgini gratia reparationis, quia comprehēsa in pacto, & liberata per **CHRISTVM**, non solum à pœnā illius, tum à debito ipsius pœnæ, ita vt Beatissima Virgo in propria personā non fuerit obnoxia peccato, sed in radice, hoc est in parentibus, vt inquit Catherinus & Corduba.

Hoc satis est, vt *Beatissima Virgo fuerit proprie redempta sicut dominus arboris habet sibi obligatos fructus, antequam nascantur, & ideo potest illos vendere vel redimere. Et iuxta hunc modum facile intelligitur, quomodo Beatissima Virgo potuerit simul esse obnoxia peccato, & nunquam esse in peccato, quia scilicet fuit obnoxia in alio, & antequam existeret; caruit autem peccato in se, simul ac esse incepit.* Hæc verba Francisci Suarez de Vitā **CHRISTI** disput. 3. sect. 4. in quibus ea similitudo arboris, cuius fructus, antequam nascantur possunt vendi, & rursus redimi, ostendit Beatissimam Virginem, antequam conciperetur, non solum conceptione personali, quā per infusionem animæ facta est persona humana, sed conceptione feminali, per quam primò concipitur foetus, potuisse obnoxiam esse peccato, & mox exemptam eā obligatione. Sicut etiam & filius seruæ, quem dominus liberum voluit esse ex pacto præstito, antequam mater nuberet, obnoxius fuit seruituti ante liberalitatem & condonationem domini; post illam tamen liber fuit debito seruitutis, non solum antequam animaretur, sed etiam antequam conciperetur. Adicio, si Beatissima Virgo, vt par est, & decuit Maternitatem diuinam, restituta in integrum fuit natalibus, non solum puræ naturæ, sed in statu gratiæ, si Adam non peccasset, cum omnes eius filij nascituri erant cum gratiā; sequitur inde, non solum caruisse Virginem debito peccati, sed etiam gauisam esse debito quodam gratiæ: etenim, si Adam non peccasset, sed stetit fidelis pacto Dei, omnibus eius filiis debita esset gratia cum nascerentur; & dici potuit ipsos habuisse debitum gratiæ. Similiter & Beatissima Virgo restituta per priuilegium ad illa natalia, sicut filiis Adami innocentis & fidelis deberetur gratia Dei ex lege communi: sic **MARIÆ** deberetur gratia **CHRISTI** per speciale priuilegium. Accedit ad hoc ex decentiā quādam deberi Matri Dei gratiam in primā suā creatione, ne impuriore creata esset, quàm aliæ creaturæ, quæ gratiam simul cum naturā accepere, quales sunt omnes Angeli; imò vt purior esset quàm illi, oportebat eos excedere in prærogatiuā creationis, vt non solum adæquaretur illis in possessione gratiæ, sed antecederet in debito ipsius gratiæ per **CHRISTVM** in honorem Maternitatis eius; quamuis enim Angeli creati sunt in gratiā; ante creationem tamen non debebatur illis gratia, nec iuxta naturam suam, nec ex priuilegio aut promissione Dei; Sanctissimæ autem Deiparæ non solum fuit

Ioann. Euseb. Op. Parth.

data gratia in primo instanti creatæ animæ; sed debita etiam fuit ex honore Redemptoris Filij, & prærogatiuā Maternitatis Diuinæ, vt nulla alia creatura pura gloriosius, & honorificentius, & purius, magisque à peccato remote fuerit creata.

Confirmantur dicta, quoniam contingeret in scriptis, hoc est in Scripturā Diuinā, promissio donandi Beatissimæ Virgini gratiam Originalem. Quapropter ex promissione diuinā promulgatā necessitas illam habendi subsequitur. Nam cum debitum peccati Originalis nihil aliud sit quam necessitas contrahendi illud, ita ad debitum gratiæ sufficit necessitas habendi illam; nec enim minorem vim debet habere promissio Dei liberalis in sententiā pœnali, quam interminatio pœnalis in pacto liberali. Atque, vt opportunè nobis adest Ioannes Bachon, qui debitum gratiæ tribuit etiam animæ Virginis, in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 3. artic. 5. *Quæ ratione ex lege statuta caro contrahit necessitatem culpæ & detestationis; eadem ratione & necessitatem ad gratiam, & venerationis. Nam leges priores sunt ad benignitatem quàm ad severitatem.* Sicut enim filij Adam contraxerunt peccati Originalis debitum propter interminationem diuinam in pacti fractione; idque ex lege & pœnā paternā omnibus communi; sic etiam Sanctissima Dei Genitrix ex priuilegio subsequenti gauisa est quasi iure, seu *condictione* (vt iuridice loquamur) gratiæ ipsi iam debitæ post diuinam promissionem, contentam in authentico diuinæ Scripturæ instrumento. Hæc autem promissio est illa Domini sententiā in dæmonem, sub serpentis nomine, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*: cum hęc significetur exemptio Virginis à peccato Originali, sequitur eam exemptionem futuram etiam esse per habitum gratiæ habitualis, non simpliciter per carentiam debiti, aut per simplicem priuationem peccati, ex condonatione diuinā, sine habitu gratiæ. Nec enim perfecta oppositio dæmoni esset, si Virgo solum careret peccato, si simul etiam careret gratiā. Quapropter, vt perfectæ inimicitia intercederent, gratiā donanda erat Virgo. Idem colligitur ex aliis Scripturæ locis & figuris, quibus comprobant Doctores puritatem Virginis Originalem: in iis enim non tantum significatur puritas negatiua, quatenus est exclusio solius peccati, sed positiua gratiæ, & diuinorum charismatum pulchritudo. Hinc pariter sequitur, extinctum debitum peccati per condonationem diuinæ priuilegium, quod comprehenditur etiam in illā sententiā Dei. Postquam enim dixit, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, propter donationem gratiæ in primo instanti necessariæ ad perfectam oppositionem cum dæmone, addit; *Ipsa conteret caput tuum*: quibus verbis significatur perfecta etiam victoria de diabolo per extinctionem debiti, quò minus contraheretur ipsum peccatum Originale. Rectè propterea significauit hoc post illud: nimirum perfectam victoriam in extinctione debiti post perfectas inimicitias in donatione gratiæ; quia victoria post inimicitias est. Itaque post decretum & promissionem gratiæ donandæ Virgini, quæ impediret peccatum Originale, secuta est condonatio debiti per relationem ad gratiam promissam, siue ipsa condonatio fuerit facta per aliud decretum & indulgentiam Dei, siue per

Ec 2 ipsum

iplum, in quo decreta fuit grati. Et quidem hoc modo fieri posse nonnulla suadent, quia sicut terminus diuinæ interminationis ex fracto Adami pacto, scilicet priuatio gratiæ debitæ, & peccatum Originale in primo instanti creatæ animæ non potest stare simul cum termino diuinæ promissionis ex priuilegio & indulgentiâ speciali, scilicet gratiâ, in eodem primo instanti concessa; quia gratia impediēt peccatum: sic nec viæ, & iura ad illos terminos possunt esse simul integra, sed posterius extinguit prius: nam eo ipso modo, quo accidit in terminis, vt gratia impediāt peccatum, continget etiam in viis & iuribus, vt decretum, & promissio gratiæ danda in primo instanti creationis animæ exinguat etiam vim prioris interminationis Diuinæ, siue debitum incurrendi peccatum in ipsâ formatione fœtus. Itaque quasi ipso iure extinctum manet debitum peccati post promissionem, quæ operata est debitum gratiæ. Hoc declarari potest exemplo humano, in quo ratio naturalis dicit, & secundum eam explicant sapientissimi Consulti Iuris, Paulus, Neratius & Pomponius, compensationes ipso iure fieri cum liquidæ sunt; ita vt debitum vnius extinguatur ipso iure per debitum alterius: nam si Petrus deberet Ioanni mille aureos soluendos post annum, & pœna imposita moræ, & cum vsuris; Ioannes verò paulò post promisisset Petro duo millia aureorum, ipso facto, siue ipso iure careret Petrus debito mille aureorum, & cessarent vsuræ, & pœna moræ extingueretur. Sic etiam cum filij Adam obstringantur Deo pro gratiâ debitâ, quâ priuantur, ac proinde incurrant peccatum Originale, si alicui ex filiis Adam promississet Deus abundantiorē gratiam donandam in primo instanti, extingueretur prius debitum priuationis gratiæ, cum minimè eâ priuatus conciperetur. Illud planè constat ex lib. 4. ff. de *Compensat.* vbi Paulus Iurisconsultus allegans auctoritatem Neratij & Pomponij, ait: *Verum est quod & Neratio placebat, & Pomponius ait, ipso iure eo minus fideiussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest. Sicut enim cum totum peto à reo, malè peto; ita & fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, quam reus condemnari potest.* Notanda sunt illa verba: *Cum totum peto à reo, malè peto:* in quibus planè indicat extinctum esse debitum, & conditionem spirasse in alium per posteriorem promissionem propriam. Dionysius Gotofredus in hanc Legem notat ex Bart. quòd ad impediendam causam vsurarum valere debet, L. 11. i. eod. l. 5. C. eod. & pœna ob moram soluendæ. Sic etiam extinctum fuit debitum peccati in Virgine per debitum gratiæ in Deo. Quod gratiæ debitum innititur non solum in decentiâ maternitatis diuinæ, & fidelitate & constantiâ diuinæ promissionis; sed in quodam etiam æquitatis aut iustitiæ iure, orto ex iustitiâ Dei vindicatiuâ, quâ puniuit serpentem; vt quemadmodum serpens supplantauit feminam, inducens illam in peccatum; sic etiam alia femina supplantaret serpentem per cumulatiſsimam gratiam, quâ impediuit aditum peccato Originali. Et sicut filij Adam iustissimè nascuntur sine gratiâ debitâ, in pœnam Adami violantis pactum Dei; sic etiam & MARIA Sanctissimæ iustissimè fuit debita gratia in pœnam serpentis feminam seducentis: nam illa sententia Dei actus iustitiæ fuit, & Deus tenebatur eam exequi propter veracitatem & iustitiam


suam. Hoc satis erat, vt dici posset gratiam esse debitam Virgini ex sententiâ Dei iustissimi Iudicis. Posset quoque dici debitam illi fuisse ex pietate Dei erga Matrem suam, atque decore diuinæ Maternitatis: nam sicut dicebamus, non modò oportuit ingenuam fieri Virginem, excluso debito peccati; sed in integrum restitui illi natalia status Innocentiæ: ex hac Dei indulgentiâ erga Matrem, sequitur deberi illam honorari gratiâ decore in primâ suâ Conceptione: sicut & decorandi illâ forent posteri Adami innocentis, & pactum Dei adimplentis. Etenim si illis filiis Adam debitam fuisse gratiam iure dicitur, cur non poterit etiam dici debitam fuisse Matri Dei? Præterea, ex fidelitate aut constantiâ Dei posset etiam tribui Sanctissimæ Virgini hoc debitum gratiæ: nam si illa verba, *Ponam inimicitias inerte, & mulierem*, non fuissent promissio Dei, sed declaratio sui propositi & decreti, pertinet ad constantiam Dei illa adimplere: si autem fuerint promissio Dei, debetur Virgini gratia ex fidelitate diuinâ. Hæc verò promissio Dei videtur facta Adamo & Heuæ, qui præsentēs aderant pronuntiationi diuinæ sententiæ aduersus serpentem, & in solatium & leuamen amaritudinis eorum, illam Deus illis præsentibus promulgauit. Deinde cum Moyses Pentateuchum scripsisset, quod est fœdus Dei antiquum cum hominibus, pro Ecclesiæ suæ bono & solatio extensa videtur pollicitatio ad totum genus humanum, saltem ad Ecclesiam fidelium. Id ipsum comprobatur typicè Arca, & aliæ figuræ veteris Testamenti, quæ potissimum erant promissiones Dei de mysteriis CHRISTI, & Matris suæ: sicut enim promissiones noui Testamenti anagogicæ sunt de Ecclesiâ in cælis triumphanti, sic & allegoricæ erant in veteri Testamento de Ecclesiâ CHRISTI in terris militante. Ipsi quoque Virgini Matri suæ futuræ videtur hæc promissio facta in Canticis Canticorum, cum locutus cum eâ, dixit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, iuxta expositionem superius adductam.

Hoc planè decebat diuinam liberalitatem, vt gratiam, quam sibi placuerat vniuersæ naturæ humanæ largiri, eam non amitteret; sed in vnum eiusdem naturæ indiuiduum lucratus seruaret cumulatam. Nam vt Leonardus Nogarolis scripsit in epistolâ ad Sixtum IV. *Decebat naturam nostram, seruasse MARIAM humani generis innocentiam, ne toti speciei inferas iniuriam. Quâ ex re canitur: Tu honorificentiâ populi nostri. Quod & ipsi denique damnati affirmare poterunt. Nonne & ipsi confusi redduntur, cum in MARIA immensam in humani generis naturam conspiciunt Dei charitatem? Offensus est, & modelam, ac medium prabet ad delendum peccatum. Nam præferuat, vt se hominem, in ipsam veniens, faciat, salutem quarens hominum. Gaudeant peccatores, cum tantam ac talem in cælis apud Deum Patrem sentiunt sine maculâ Adnocatam, quam pro eorum redemptione præseruatam cognoscunt. Confidant iusti, quia tanta Regine meritis optatum finem adipisci potuerunt. Latentur Angeli, quia eorum Regina Angelorum sapit innocentiam. Taceat demonum superbia, quia maculate Regine non subiacuissent, qui iam inflati Christo subiacere abhorruerunt. Beati Dei potentiam laudent, sapientiam admirentur, bonitatem, & gratiæ largitatem summâ reuerentiâ reuerentur.*

Quòd

Quod si aduersus dicta aliquis obiiciat illa, quæ ex Alberto Magno in 3. Sentent. ad 3. solent Aduersarij allegare: *Dicimus Beatissimam Virginem contraxisse Originale peccatum, nec fuisse sanctificatam ante Conceptionem, nec in Conceptione, sed post Conceptionem. Dicere autem oppositum est heresis condemnata à beato Bernardo, & ab omnibus Magistris Parisiensibus.* Respondeo, Sanctum Bernardum nihil condemnasse tamquam hæresim, solum refutasse opinionem Lugdunensium tamquam falsam, & submittentem se Ecclesiæ iudicio. Deinde, Parisienses excessere in illâ condemnatione, cuius Decretum propterea reuocatum fuit. Tum prædicta verba non sunt Alberti, sed ista; *Dicimus, quod Beatissima Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & oppositum dicere, est heresis damnata à beato Bernardo, in Epistolâ ad Lugdunenses, & à Magistris omnibus.* In his autem verbis loquitur Albertus de sanctificatione per gratiam habitualem, quod verissimum est, non de sanctitate, quam aliqui Doctores carni Virgineæ tribuunt ante animationem, ex carentiâ debiti peccati, separatione à profanis, & diuinâ benedictione: illâ scilicet sanctitudine, cuius sunt capacia etiam inanimata. Tandem idem dico ad Albertum, quod ad obiectantes sanctum Bernardum, sanctum Bonauenturam, & sanctum Thomam respondit Ioannes Maior in 3. distinct. 3. quæst. 1. *Pro tempore suo probabiliter locuti sunt, quia non constabat veritas istius conclusionis, sicut modò constat, ut patet per Concilij, Sixti IV. & Vniuersitatum determinationem, & crebra miracula super illâ Conceptione facta, nec erat festum Conceptionis in tantâ celebritate celebratum tunc, sicut modò.* Quid diceret nunc Ioannes Maior post Decreta Pauli V. & Gregorij XV. & post noua miracula in confirmationem huius mysterij? Quid tandem dicam, nisi quod gloria Immaculatæ Virginis à generatione in generationem propagatur, & amplius illustratur à sæculo in sæculum? Optime propterea dixit Franco Abbas Affligemienfis, in Opusc. de Gratiâ Dei, Tom. 7. *Generatio præterit, & generatio aduenit: Laus MARIÆ nullâ umquam generatione deficit. Laus MARIÆ fons est indeficiens, qui quantò longius extenditur, tantò amplius impletur, & quantò amplius impletur, tantò latius dilatatur. Iure ergo MARIÆ omnis generatio benedicit, per quam omnis generatio benedictionem promeruit. Beata est enim, non solum generali cum ceteris electis beatitudine, sed speciali præ cunctis mortalibus munere.*

Satis hæc sunt epistolari dissertationi, ne ultra progressus, in Commentaria illam conuertam. Ipsa gratiarum locupletissima Deipara oret pro tuâ Illustrissimâ Dominatione, vt sine culpâ seruetur, & Diuinâ ditetur gratiâ.



EPISTOLA II.

De Canone Ecclesiastico Græcorum de Immaculatâ Conceptione, & indubitata antiquitate Festi eiusdem.

Ad Illustrissimum ac Reuerendissimum Dominum D. Claudium D' Achey, Archiepiscopum Bisontinum, Sacri Romani Imperij Principem.



E M A, quæ remotissimos quosque præsentis reddit, docuit me in hac Aulâ Catholicâ, Illustrissime Princeps, singulare tuum in Sedem Apostolicam studium quo emines, & Spiritum Dei, quo Ianuissimum nuper apud Burgundiones profligasti; imò pietatem, quâ Immaculatam in conceptu suo Virginem ita prosequeris, vt quasi piaculum sit aliter inter tuos sentire, qui experti Matris optimæ in bello crudelissimo præsentissimum auxilium, ne dum ipsi immaculatè conceptæ, vbique in ciuitatibus, vrbibus, oppidis & villis Burgundiæ Hispanæ aras erexerunt; sed & muros tuos sub auspicijs tuis, vexillis explicatis ad victoriam præeuntibus, eidem consecrarunt. Et ne qui sexus à laude vacaret, etiam Virginum ac Viduarum, quæ, teste Prudentio, intactæ, ac secundi ignis nesciæ sunt, associationis Virginis sine maculâ titulo, Sede Apostolicâ probante, varij cætus vbique coaluere: neque ruri silent agrestium ora, qui aratro incumbentes, rusticâ, sed sanctâ, & mutuâ salutatione, gloriam, laudem, honorem, Virgini in conceptu suo Immaculatæ vouent.

Ambio ego symbolam conferre, & animos addere tuis mysterium prædicantibus, ostendens certam antiquitatem eius cultus, & maiorem claritatem suæ veritatis ex Canone Ecclesiastico Græcorum, composito à sancto Patre Andrea Ierololymitano, Episcopo Crentensi, cuius licet memini in meis Opusculis, non satis expendi, nec vindicaui, à quibus tam clara, & læta lux non adeo perspicua videtur affulsisse. Siquidem eruditus Frater Franciscus Combefis, benè meritis alioqui de multis vetustis Patribus, in Notis ad dictum Canonem, & versione eiusdem Latinâ minùs fauere videtur Immaculato Deiparæ conceptui. Oportebitque integram Canonis tantæ auctoritatis tueri vim, hoc est ostendere. Satis enim munita manebit, si intellecta. Planè, ad conuincendam antiquitatem Festi huius incontrouersam, nihil amplius desiderari posset, quam hic antiquissimus Canon Ecclesiasticus, in quo tam conspicuè celebratur Festum Conceptionis Virgineæ in vtero S. Annæ; quod nec ipse Franciscus Combefis, licet non applaudit nostræ sententiæ, negare potuit; imò ingenuè illum inseruit inter Opera sancti Patris Andrea Crentensis, quæ in publicam emisit lucem. Tum etiam in No-

tis ad illum hæc profus fatetur: *Est hoc Festum longè Græcis antiquius quàm Latinis; siquidem eo iam olim celebri, præsentem Canonem edidit Andreas ille Ierosolymita, Cretensis Archiepiscopus, longè Anselmo antiquior.* Idem censuit alter translator eiusdem Canonis, Simon Wangnerckius, & à nemine dubitatum est Andream Cretensem fuisse illius auctorem; qui floruit, secundum Canisium & Posselinum, anno 550. secundum Coccium & alios, anno 570. Vnde sequitur Festivam Conceptionem multò antiquiorem fuisse, quam cum sanctus Anselmus eam cœpit propagare in Europâ, imò vetustior, quàm cogitarunt hæcenus Suarez, Galatinus, & alij doctissimi Scriptores, tum Scholastici, tum Scripturarij, qui eam Festiuitatem retulerunt, & quidem trepidè & dubiè non ultra tempora sancti Ioannis Damasceni; nunc autem certò constat valdè antiquiorem esse: quoniam sanctus Damascenus floruit circa annum 720. ferme post sanctum Andream Cretensem ducentos annos. Ceterùm, quamvis sciamus indubitanter celebratam fuisse sæculo sexto; nescimus tamen eius initium constanter & certò. Adèd autem celebris fuit hæc Festiuitas post annum 500. ex testimoniis sancti Sabbæ, Andree Cretensis, & aliis; vt sufficiens fundamentum esset, quamvis non continuaretur vniuersaliter ea celebritas, vt modò introduceretur in Ecclesiâ, & fortasse pluribus testimoniis nixa, quàm Præsentationis celebratio, quam sæculo præterito denuò recepit Ecclesiâ Latina.

Suppositâ autem certitudine huius Festiuitatis adèd antiquæ, quod minimè negare potuit Franciscus Combefis, quamvis ex nostratibus non sit, illud excogitavit effugium, quò minùs sanctitatem Conceptionis concederet, vt celebrent *MARIE primam editionem, planè mirabilem illam, velut de sterili, ac oraculo, eiusque quæ CHRISTVM esset editura ceu grande beneficium, vt planè est grande, collatum calitus Annæ, totique adèd humano generi, velut in eâ eius prole, consecratis ipsius redemptionis primordiis. Vt nihil sibi aliud in eo Festo celebrandum assumpserit Ecclesiâ Græca, ac nec Latina hæcenus celebrandum præcipiat, quamdiu seuerissimè in eos animaduertit Sixti IV. Pij V. aliorumque Pontificum constitutionibus, qui alterutram partem erroris insimulant. Quam vtiâ Patrum modestiam imitati plures, sobriè magis sapuissent, nec diras illas Pontificias, seu magis scandala, quibus tollendis, diris eiusmodi opus fuit, prouocassent. Malim certè cum piâ Matre interim ignorare, seu in eius corde occultam priuilegij illius doctrinam, vel affirmantem, vel negantem, humili deuotione suscipere, quàm audacius aliquid, temere arrogatis alienis partibus, definire.*

Multa hîc gratis sunt dicta, quæ oportebit examinare, examinataque apparebunt nullo constanti rationis fulcro niti: in primis ait, in Festo Conceptionis celebrasse Ecclesiâ Græcam beneficium dumtaxat Conceptæ Matris Dei, & nihil aliud, hoc est non Sanctitatem, nec immunitatem Virginis à peccato Originali in ipso instanti suæ conceptionis; hoc planè falsum alibi probaui: etenim Ecclesiâ, dum celebrat mysteria *CHRISTI & MARIE*, præter ipsum beneficium diuinum, quod generale est omnibus mysteriorum solemnitatibus, celebrat in particulari Sanctitatem alicuius particularis mysterij, sicut

facit in Festo Purificationis, Præsentationis & Natiuitatis Virgineæ. Cum igitur celebrauerit Ecclesiâ Græca Conceptionem, non solum celebravit rationem generalem beneficij diuini, sed specialem Sanctitatem ipsius Conceptionis, puritatemque eiusdem. Hoc planè euincam ex ipso Francisco Combefis, qui non ob aliam causam curauit in suâ versione Latinâ dissimulare, aut suppressimere ea, quæ in textu Græco, & idiome Originali Andree Cretensis potissimum commendabant puritatem conceptæ Virginis sine labe, aut Sanctitatem Originariam; idcirco epitheton Græcum *ἀγνή*, quod significat *puram & immaculatam*, aut omnino omittit, cum per illud significatur Conceptio Immaculata; aut si non omittit, limitat ad minorem puritatis modum; nimirum castitatem, cum non deberet stringi ad hanc solam speciem; sed ad vniuersalem puritatem, & omnimodam munditiem. Idèd in Ode primâ vertit, *Eam hodie Anna gloriosa concepit*: omittens vocem *ἀγνή*, scilicet *puram*, seu *immaculatam*. Fidelius tamen, id est veridice deberet transferre, sicut vertit Simon Wangnerckius, *Gloriosa nunc Anna concipit puram sobolem*: quod planè egregiè stabilit conceptum purum; quandoquidem ipse foetus in ipsâ Conceptione dicitur purus siue immaculatus, vel nullâ maculâ contaminatus. Vis enim illius adiectiui Græci hanc maximam & omnimodam puritatem exprimit; quod quia non erat è re verborum minùs inclinatum in nostram sententiam, suppressit, ne diceretur culta à Græcis puritas conceptæ *MARIE*. Ex dictis solum infertur, illum noluisse celebrari à Græcis Conceptionis Sanctitatem, non autem sequitur eam Græcos non celebrasse; sed potius contrarium; nimirum ab Ecclesiâ Græcâ fuisse cultam immunitatem Virginis ab omni labe, Vnde ipsa subicentia dissentientis à nobis nostræ contentit sententiæ, fatetur, & confirmat.

Paulò post, cum post Oden, in quâ celebratur concepta Deipara immaculatè, ad ipsam Matrem Dei dirigitur oratio, vt solent Græci in *Theotocio*, dicitur in Canone *Tu es, ô pura Virgo, mons ille Sanctus*, &c. prout vertit noster Wangnerckius. Qui etiam in suo Scholio adnotauit vim vocis Græcæ *ἀγνή*, dicens: *Sumunt Græci Scriptores, etiam profani, hanc dictionem exemplis innumeris pro hac: nullo prorsus vniquam neuo contaminata. Et sepè Meuea per hanc vocem ἀγνή, absque vlllo alio, vel substantiuo, vel additamento, nonnisi Dei Genitricem intelligunt.* Verùm Franciscus Combefis non posuit in suâ versione nomen Latinum *puram* vel *immaculatam*; sed nomen *Castam*, quod non omnimodam puritatem significat, sed strictam, ac carnalem, quando in prole recenter genitâ non esset mirum carnem habere castam & incorruptam corporaliter.

Similiter in Ode 3. vbi dicitur de sanctâ Annâ: *Concepit Immaculatam Dei Genitricem*, ipse solum dixit *Castam*, suppressimens omnimodæ puritatis elogium.

Sed quod maius est in Sessione sequenti tono 4. Chori Angelici egregiam quamdam sententiam Canonis, tum pro Sanctitate Conceptionis, tum pro obiecto Festi, valdè temperat in suâ versione, ita vt non æquè perspicuè faueat immunitati Originali, ac est in textu Græco. Sic enim illam vertit ipse Combefis: *Chorus olim Propheticus eam predicauit, quam Anna sterilibus infecundaque intemeratam, castamque, ac*
Diuinâ

Diuinâ progenie puellam concepit. Hanc hodie ceu solam Immaculatissimam, omnes nos per eam salutem consecuti, cordis exultatione beatam dicamus. Ad eod illuſtris eſt prædicta clauſula, vt of- fuſcari nequeat ab obſcurâ verſione, aut ſaltem diſſimulatâ. Quamuis enim hæc ſententia, vt iacet, vt ſatis commendet ſanctitatem & imma- culationem (vt ſic loquar) Conceptionis Virgi- næ, minuit tamen ſplendorem eius tranſlator: nam vbi debebat vertere, *Filiam Dei concipit*; quandoquidem in Græco eſt *θεογονία*, tranſla- tum eſt obſcurius, *diuinâ progenie puellam concipit*: hac enim phraſi minùs denotatur Filiatio Dei per gratiam, in quâ concepta fuit Virgo, quàm appellando aperte Filiam Dei, qualis concepta fuit Deipara per inſuſionem gratiæ habitualis, in ipſo eius conceptu paſſiuo. Præterea hic etiam diſſimulauit vim nominis *ἀγνή*, hoc eſt *puram & incontaminatam*, & non vertit niſi *Caſtam*, vt ſolet. Nihilominùs non potuit tot egregia en- comia Virginis, quæ extant in Græco, diſſimulare; id eod neceſſe fuit exprimere *intemeratam*: tum etiam *Solam Immaculatissimam*: cui voci reſpon- det in Græco *Παρθένος*; quæ etiam poterat ver- ti, *Omni ex parte immaculatam*. Planè licet non habuiſſet prædictæ Canon aliam ſententiam in fauorè Immaculatæ Conceptionis, hæc ſufficeret, cum dicat aperte, quomodo conceperit S. Anna prolem ſuam, nimirum *intemeratam, puram, & Filiam Dei*: ac proinde eam hodie dicit (ſcilicet in ſuâ Conceptione) ab Eccleſiâ Græcâ Beatam prædicari, tamquam *ſolam immaculatissimam*, ſiue *ſolam omni ex parte incontaminatam*: quod ipſi conuenit propter Sanctitatem Originalem, & immunitatem ab omni nœuo, quæ ſoli Deiparæ contigit.

Tum etiam paulò poſt dicitur in Canone de beatâ Virgine in vtero S. Annæ: *Eius nos ſanctam Conceptionem colamus*; vbi omittit omnino Franciſcus Combefis epitheton *Sanctam*, vertens ſolùm huiuſmodi: *Eius nos Conceptionem honore proſequamur*. Anne fortuita hæc omiſſio vocis *ſanctam*, in eâ ſententiâ, quæ luculentiffimè con- firmat Sanctitatem Conceptionis Virgineæ? Et conſequenter immunitatem eius ab omni labe. Tum etiam explicat quale fuerit obiectum cultus Conceptionis apud Græcos; nimirum Virginis Conceptionem Sanctam, & ſine peccato. Potiùs autem hinc infertur ſtudium hoc in ſupprimendo ſanctitatis elogio, comprobare celebratum à Græ- cis, non ſolùm eſſe beneficium Conceptionis Vir- gineæ; ſed ſpecialiter etiam Sanctitatem eius.

Eodem modo poſt Oden ſextam, & verſus quoſ- dam, qui dicunt:

*Non in dolore ſicut Hæva tu paris:
In ventre namque, ô Anna, gaudium geris.
Nonâ die concepit Anna Mariam Deipa-
param.*

In Proſâ ſequenti, vbi appellatur iterùm *Sancta Conceptio Deiparæ puræ*, ſeu *Immaculatæ*, ipſe vertit dumtaxat *caſtæ Dei Matris Conceptionem*; omittens epitheton *Sanctam*: & tranſmutans vo- cem *Immaculatæ* in verbum *caſtæ*, prout videri poteſt in editione Pariſienſi Operum Andree Cretenſis apud Simeonem Pigeth, anno 1544. pag. 256. Omnia dicta probant per ſe ſola qua- lis fuerit Græcorum cultus in Feſto Conceptionis, ſcilicet Sanctitas ipſius; atque idipſum mi- nor ingenuitas & claritas Combefianæ verſionis indigerat. Illud aduertendum, ab aliquibus refer-

ri hunc Cationem diminutum. Sed deberi Fran- ciſco Combefis vt plenè & fideliter illum integ- rum ediderit.

Nonnulli alia extant in eadem verſione languidè aut artificioſè conuerſa, quò minùs Immaculatus Virginis conceptus ſplendescit: ſatis ſint dicta. Verùm aliæ inueniuntur ſententiæ eiudem Ca- nonis, quas Scholiaſtes illius (de quo poteſt videri eruditiffimus Ioannes Antonius Velazquez) in fauorem Immaculatæ Conceptionis obſeruat, nec oportet omittere, qualis eſt illa in Ode 3. ſecun- dum textum Græcum, & planiorem tranſlationem Wangnerckij, quam deinceps ſequar. *Tuam oran- tis vocem exaudiuit Altiffimus, ô Anna, in Paradi- ſo: ideòque ventri tuo Fructum largitus eſt Paradi- ſi, nimirum illam Progeniem, quæ nobis gratiæ Di- uinæ ianuam aperuit.* In hanc clauſulam ſic adno- tat Scholiaſtes: *Vide vt Anna incontaminatam in vtero conceperit, hoc eſt ab omni labe remotiſſimam & expertem, Deinde verò obſerua, notanter ab Ec- cleſiâ Græca Deum exaudientem vocem Annæ in- duci in Paradiſo, vt fructum Paradiſi largiretur: ergo ſi Virgo Fructus eſt Paradiſi, procul ab ea lo- lium, procul ſpina; nihil enim tale generauit Para- diſus: tota ergo ab Origine fructus benedictionis & gratiæ.*

Item in Ode 4. dicitur in Canone: *Congratula- mini mihi omnes omnino tribus Iſraël: concepi enim in vtero Cælum nouum: ex quo breui orietur ſalutis Aſtrum, nempe verus Largitor lucis: magna iterum vocis contentione iubilabat Anna.* In hæc verba hic etiam aduertit Scholiaſtes: *Si Virgo iam tum in conceptione ſua fuit Cælum; nihil igitur ei commune cum terra: ſi fuit Cælum nouum, id eſt recens ac ni- tidum, non fuit igitur in peccati tenebris concepta.* In eadem Ode recitat Canon: *Exaudiuit Deus Anna ſuſpiria, atque ad illius orationem dignatus eſt attendere, ſimul ſterilitatis eius nebulam diſſi- paturus, admirando eam lumine fecunditatis illu- ſtrauit: vnde concepit Anna talem Filiam, quæ ſola eſt pura.* Subdit illicò Scholiaſtes: *Benè ab Annâ talis Filia concipitur, quæ ſola & incontaminata eſt, quando fecunditatis lumine illuſtrata dicitur: vbi etiam vide, iam tum Lumen dici Virginem cum conciperetur: nihil ergo tenebrarum Originalium in ea exiitit.*

Deinde Ode 5. dicitur: *Iuenculam quam concepi, voce dudum Prophetarum pronuntiarunt montem eſſe, atque portam nulli peruiam: hilariter aliis quoque præſentibus clamitabat Anna.* Ad hoc etiam fragmentum notat Scholiaſtes: *Portam hanc nulli peruiam utique nec Originale peccatum penetrauit.*

Rurſus in Ode 6. recitatur: *Quomodo potuit vtero comprehendere (nempe communi more homi- num) quæ Deum ipſum comprehendebat? Quomo- do generari illa, quæ CHRISTVM generauit? Quomodo lactari demum, quæ lactauit ipſum Creatorem? Similiter Scholiaſtes admonet: Ma- niſte hinc indicatur, in concipiendâ hac Virgi- ne aliquid extraordinarium & ſupernaturale con- currere debuiſſe, qualis eſt carentia peccati Ori- ginalis.*

Paulò poſt in eadem Ode: *Anna columbam Immaculatam concipiens in vtero, impleta fuit ve- riſſimo ſpiritali gaudio: ideòque grato animo debi- tas Deo laudes cecinit.* Ad hæc Scholiaſtes obſer- uat: *En Virgo primo ſtatim initio ſuo fuit columba Immaculata; ergo minime fuit primò ex peccato Originali coruus.*

Tum etiam Ode 7. in Canone legitur: *Regalis purpura nunc contexenda in ventre tuo sit initium, o Anna: qua inducis Regnator cunctorum Deus spectabilem se mortalibus praebebit: in qua & portandos hostes, qui nos impugnant, humiliavit.* Hic etiam animaduertit Scholiastes: *En Virgo primo statim initio suo in sancta Anna uero materia fuit purpura regalis; non ergo fuit crassum primo filum, & putidus pannus, id est peccato Originali infectus.*

In eadem Ode mox addit Canon: *Suaniter fragrans unguentum concipitur in utero tuo, Anna, & quidem unguentum tale, in quo reciperetur ipse Dominus, qui est unguentum uitae aeternae, quaeque per halitum est gratia sua expirantem suauiter mentes nostras odore imbuit.* Suam quoque postea observationem addit Scholiastes: *Ecce tibi Anna primo statim create Virginis momento fragrans unguentum concepit: non ergo prius concepit lutum Originale, quod deinde in unguentum mutaretur.*

In Ode octaua subdit Canon: *Terra, quam inhabitet olim ipsius terra Conditor, nunc incipit pullulare in utero matris Matrem Dei pariturae; illic item pullulat regale Scepulum. Arca noui Testamenti, & vas, in quo Manna delitescit. In utero similiter matris Matrem Dei pariturae incipit iam pullulare rubus incombustus, candelabrum aureum, uicinus Dei Dominatoris thalamus, ac uirga denique pretiosa.* Vniuersaliter hic monet Scholiastes: *Huius Odae, sicut & sequentis praedicta omnia à beata Virgine (cum de illa in utero Anne concepta hic proferantur) in hoc sensu necessariò ab illa excludunt peccatum Originale.*

Tandem inter alias haec clausula extat Ode 9. *Operum diuinorum cognitione pollens Anna, accipe nunc gaudium singulare ob conceptum à te fontem, qui est ipsius Uita receptaculum. Tu item, qui in ventre tuo sanctum suscepisti templum, quoque coepisti hodie lumine iustitiae illuminari. Tu (inquam) tuum idcirco magnifica Creatorem. Ita uerba sic considerat Scholiastes: Anna concipiens Virginem lumine tunc iustitiae illuminata dicitur: ergo ex Ecclesia Graeca mente nihil tunc tenebrarum peccati Originalis intercessit.*

Haec solidius confirmantur in fauorem incontaminati Deiparae conceptus ex aliis aliorum Patrum Graecorum testimoniis circa idem tempus, imò & eiusdem sancti Andreae Cretensis in multis Homiliis: quae quia per Opuscula mea sparsi, non est opus hic repetere. Vnum aduerto, maximam esse praedicti Canonis auctoritatem pro tuenda Immaculatione Conceptionis: nam in eo Ecclesia Graeca attestatur illam non quomodocumque, sed in ipsis sacris, & quibus uisa est Ritualibus. Praeterea, ex auctore illius non parum pondus habet: fuit enim sanctissimus Pater Andreas Ierosolymita, & Archiepiscopus Cretae, ob suam antiquitatem uenerandus, eloquentiam celebris, virtutes religiosissimus, sanctitatem festiuam celebritate cultus; atque, ut inquit Baronius in Notis ad Martyrologium 17. Octobr. locutus de sancto Andrea Monacho: *Hic Andreas, licet Cretensis dictus sit, longè tamen diuersus ab illo est, qui celebris est inter Graecos Scriptores Ecclesiasticos, cuius celebritas agitur in Menologio, quarto Nonas Iulij.* De quo nihil amplius dicam (necesse autem est dicere aliquid) quam quod ipse Franciscus Combefis de illo deprædicat in Prologo ad Opera trium Patrum SS. Amphiloij, & An-

dreæ Cretensis; postquam dixisset hunc duobus prioribus neruis eloquentia & dogmatis nihil minorem (cum tamen S. Amphiloij legamus S. Basilio & Nazianzeno comparatum à sancto Hieronymo) hæc de Andrea dicit: *Gracia nonnihil primo illo splendore, cum Imperij ab Agarenis occisione decedentis, præclarissimum lumen. Nihil rhetoricis flosculis, suauisque compositione delicatius, nihil sensis plenius, nihil Theologia solidius, nihil mystico volatu sublimius. Planè fuerit, quod ipse uocat Ioannem, Dominici IESU pectoris recubitu, bibacem spongiam; ut quidquid vel antiquiores Patres, vel ante acta Concilia ad Sextum, cuius fuit aliqua pars; qualis nimirum Athanasius Nicani primi cum adhuc Diaconus esset, & quos sibi passim Episcopi, soli diuino iure, ac ceu Apostolica successione, Fidei indices, Theologos adfiscunt, quidquid inquam alterutri, vel eloquentia floridum magis, vel dogmatis accuratum, vel mystica caligine splendidius tradiderunt, totus imbibit, ac ubique eructet imbibitum.* Tum etiam in Notis ad alterum encomium sancti Patapij, de eodem Andrea inquit: *Quem ita Deus sollicitauerit ad Sanctorum celebrandas laudes, uelut olim Hieronymum nostrum ad Scripturae lectionem, quem eius maximum interpretem delegisset. Sic certè Andreas præcipuus fuit in declamandis maximè exornatis sermonibus.* Denique in Notis ad magnum Canonem, ut illius pietatem commendet, ait: *Vix habuerint Graeci augustius auita pietatis monumentum; uixque se potuerit uir sanctissimus Andreas, uinis magis coloribus, eximiamque cum paucis eruditione sanctitatem, uera cordis humilitate & compunctione solidam depingere. Sanè immensi oneris, quinta illius Ferie, quinta ieiuniorum hebdomada quæ magnum hunc Canonem solemnè officio recitant, pensum uideri potest. Quid enim, & quam immane ad laborem, ut post breuem gustatum somnum, & recitata pro more quæ statim habet Rubrica, immensus penè strophis Canon, moroso & contrito corde & uoce, ternis prostrationibus ad singula troparia decantetur. Sunt certè μετὰ τὴν ἰσθίαν, & uenia ubi crebriores sunt, plurimum fatigando corpori, & uenia, ubi crebriores sunt, plurimum fatigando corpori, & labor immensus, quo se Graeci paterna Sanctorum traditione multum exercent. Dum porro occurrit, in huius maximè Canonis officio, angusta illa sanctitatis species in Ecclesia Graeca, dolendum subit, uix non extinctum, quæ schismate, quæ tyrannide Turcica, tantum Christum nominis lumen.*

Placet tandem addere breuem epitomen de Festis sancti huius Antistitis Andreae ex Menologio Graecorum 4. Nonas Iulij, à Reuerendissimo Federico Metio, Episcopo Termularum, ad uerbum conuersum, hic inferere. Illud autem sic habet: *Andreas Ierosolymitanus, qui Creta Archiepiscopus fuit, cum in ciuitate Damasco natus esset, litterarum disciplina se totum tradidit; in quibus adeò profecit, ut à Theodoro Patriarcha Clericus sancta Ciuitatis fuerit ordinatus, & ab eodem subscriba, seu amanuensis constitutus: à quo etiam missus est Constantinopolim, ut in Synodo celebranda suo nomine interesset; qui propter suam eruditionem, & singularem uirtutem Diaconus etiam magna Dei Ecclesia ordinatur, & paulò post orphanorum etiam alendorum cura illi demandatur; deinde Archiepiscopus etiam Creta constituitur, & tandem cum in quadam insula, Hieriso nuncupata, prope Mytilenem reperitur, uita functus est,*
relictis

relictiis compluribus Opusculis, Ecclesia Dei proficuis. Haftenus Menologium Græcorum.


Non puto necesse amplius immorari, vt commendemus, qualis, quantusque fuerit Andreas, quantus eius Canon, & quantus ex eo plausus illibatæ Conceptionis, eiusdemque Festi accrescat. Supersedebam iam his, vt dispiciam alia, quæ in Combesianis Notis minus probanda sunt. Miror enim tam intrepidè, & sine dubitandi ratione dici, non esse præceptam ab Ecclesiâ Latinâ in Festo Conceptionis aliam Festiuitatem celebrari, quàm beneficium diuinum conceptæ MARIÆ, & nihil aliud, nimirum non Immaculationem & Sanctitatem eiusdem Conceptionis; cum hodie præcipiat Ecclesia celebrari Conceptionem cum Officio duplici, in quo apertissimè clamat tota Ecclesia celebrari Conceptionem Sanctam, *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem.* Ipsaque Ecclesia præcipit celebrare Conceptionem sicut Natiuitatem Virginis; hanc autem celebrat vt Sanctam. Propterea, sicut hoc ordinauit Pius Quintus in vniuersam Ecclesiam; sic olim Iulius Secundus præscripsit Monialibus Conceptionis in suâ Regulâ (in Bullâ scilicet, in quâ continetur) colere incontaminationem Virgineæ Conceptionis: & tandem Gregorius XV. vt omnes celebrarent Sanctitatem Virginis in ipsâ Conceptione, præcepit in Diuinis Officiis non alio vti nomine, quàm Conceptionis. Tum etiam id Festum, quod introduxit in Angliâ sanctus Anselmus, quod voluit introducere vniuersaliter in Ecclesiâ Concilium Basileense, quod de facto introduxit Sixtus Quartus, postea præcepit Ecclesia, quemadmodam nunc de facto est præceptum. Sed illa Anselmi Festiuitas, tum Concilij Basileensis, & Sixti Quarti, erat de Immaculatione & Sanctitate Conceptionis, vt fortasse non obscure probauimus Opusculo de Obiecto Festi, cur dici aliud potest post præceptum sequentium Pontificum.

Nec placet ea ratio Francisci Combesis, *quandiu seuerissimè in eos animaduertit Sixti IV. Pi. V. aliorumque Pontificum constitutionibus, qui alterutram partem erroris insimulant.* Confusè hoc dicit, non declarans quænam sit pars ista alterutra: præcesserat enim mentio solum de obiecto festiua Conceptionis, quod ipse dixerat esse beneficium Diuinum, & nihil aliud; hæc vna pars, altera erit dicentium esse etiam immunitatem Conceptionis, eamque celebrari ab Ecclesiâ. Illa autem cautio Sixti IV. non loquitur de hoc, scilicet de qualitate obiecti festiui; sed de assertionem circa veritatem mysterij. Distinctæ enim sunt propositiones, *Ecclesia celebrat Conceptionem Virginis sine peccato;* & altera, *Virgo fuit sine peccato concepta;* & è contrario istæ, *Ecclesia non celebrat Conceptionem sine peccato;* & altera, *Virgo concepta fuit cum peccato.* Dicere autem hanc propositionem esse hæreticam aut erroneam, prohibuerunt Sixtus, & alij Pontifices; circa priorem tamen propositionem nihil Sixtus decernit in Constitutione *Græue nimis* secundâ. Neque ita liberum est sentire de obiecto Festi pro libito cuiusque, sicut de essentiâ mysterij, vt constat ex alterâ, id est primâ Constitutione *Græue nimis* Sixti IV. & aliis sequentium Pontificum. Ipse siquidem Sixtus erroneum pronuntiauit, quod aliqui dixerunt de obiecto huius Festi, alienum à Conceptione naturali Virginis, de quo alibi.

Tum etiam maior etiam dici Ecclesiam ignorasse qualis fuerit MARIÆ Conceptio: sequeretur inde instituisse hoc Festum ignoranter Sixtum IV. & ad illud ordinasse Officium, appellando sæpè Conceptionem Virginis Immaculatam. Quod elogium in totâ Ecclesiâ resonuit; acclamantque Pontifices, Sacerdotes, & innumer alij. Hoc autem factum ignoranter non videtur congruè dici, sicut nec Concilium Tridentinum ignorans esse, approbando eiusdem Sixti Constitutiones. Neque Pius Quintus cæco modo præcepit hanc Festiuitatem, in quâ vocatur Sancta Conceptio: dicere autem hoc fuisse ignorantiam, absurdum planè est: nec est opus adducere multos alios Pontifices, qui in diuersis Bullis dicunt Conceptionem Immaculatam. Censere autem eos fuisse ignorantes, aut ignorasse quod dicebant, plusquam ignorantia est: quamuis enim immunitas Virginis à peccato Originali non sit definita, assumptio etiam Virginis in cælum, corpore & animâ, non est definita in aliquo Concilio, aut à Pontifice; & tamen non potest dici Ecclesiam ignorare assumptam in cælo Deiparam. Consecrassè CHRISTVM in azymis non est definitum; & tamen non ignorat illud Ecclesia Latina. Præsentationem Virginis in templo, non legi definitam, & tamen illam Ecclesia non ignorat, cum eius instituerit Festum. Tum etiam Incarnationem factam fuisse in Domo Lauretanâ, non est definitum: Ecclesia autem incertum non habet in eâ tantum mysterium perfectum. Plurima alia, quæ nunc definita sunt, ante definitionem iam non ignorabat Ecclesia. Neque enim omnia, quæ scit aliquis, dicit, nec testatur, nec yngrapha sua publica facit cuncta, quæ non ignorat. Plura enim sciuntur corde quam ore propalantur. Vnde Vega dixit super Concilium Tridentinum lib. 14. cap. 18. *Non illa sola tenet Ecclesia, quæ certis & scriptis Canonibus definita sunt à Summis Pontificibus, & Generalibus Conciliis. Quæ verò & omnia, quæ ab eis statuta sunt, prius vt certa tenebantur ab Ecclesiâ; & quia tali & tanta certitudine ab ea tenebantur, scriptis mandatum est.*

Tandem animaduertendum est, quod dixit idem Combesis non semel, nomen scilicet Conceptionis Virginis à Græcis sumi actiue, pro Incarnatione, nequaquam esse verum generaliter: nam frequenter etiam sumunt illud passiuè, scilicet pro eâ Conceptione, in quâ genita fuit Virgo MARIÆ; vt constat ex eodem Canone, & versione Combesinâ, vbi sic dicitur: *Hanc ergo diem festo conuentu colimus, memoriam recolentes editi oraculi ab Angelo, qui castæ Dei Matris Conceptionem annuntiauit: quod Deus oraculum opere implens, qui ex nihilo condidisset vniuersa, vuluam sterilem ad prolis fructum excitauit, cumque orba prole consenuisset, Matrem puerperam mirabiliter effecit.* Hic euidenter sumitur passiuè Conceptio Matris Dei; sicut etiam in eodem Canone monitum erat Virginis Conceptionem coli: vbi constat ex accidentibus, etiam loqui de passiuâ.

Prædicta, quia scripta in gratiam primæuæ gratiæ, quæ conceptam Deiparam decorauit super omnes filios Adæ, non puto displicitura tibi, pietissime Antistes, excusabuntque & indignitatem, & ausum scribentis.



EPISTOLA III.

De claritate, & declaratione festiuae
Conceptionis.

*Ad secundissimum Scriptorem, &
præclare meritum de sacra &
profana eruditione R. P. D.
Aloysium Novarinum.*



ON multis opus est membranis, vt tuæ religiosæ perscrutationi circa claritatem Festiuae Conceptionis faciam satis. Vereor ne coram incomparabili tuâ eruditione in multiloquio delinquam. Neque plura asseri à me possunt, quam tua sapientia nouit, & tua pietas asserit. Breuiter dico, celebrari ab Ecclesiâ præseruationem Virginis à peccato Originali in primo suæ conceptionis naturalis momento: quæ præseruatio fecit eandem Conceptionem Sanctam & Immaculatam: nec enim potuisset aliter esse Conceptio Sancta, & sine maculâ. Hoc planè non solum certum est in Ecclesiâ, sed clarum etiam, & declaratum insuper, imò & iteratò declaratum, & fortasse adhuc rursus declarandum, non propter obscuritatem lucis, sed ob oculorum morbum. Nam vt clarus Sol appareat, non satis est proprius splendor; necesse est, vt cæcus intuens non sit, vel si perspicax visu, quòd aperiat oculos.

In primis, ne vltra ad incerta ascendam, sed indubia proponam, in Canone Ecclesiastico Græcorum, visitato ante mille & centum annos, apertissimè dicitur, *Conceptionem sanctam coli*. Similiter in Officio Conceptionis, introductò à sancto Anselmo, recitatur *Sancta Conceptio*; ipsèque sanctus Anselmus in Sermone de Conceptione & eius solemnitate, prædicat coli *Dominicæ Matris corporis & anima copulationem*; addens: *O quanta est dies illa, qua nostra reparationis anima digna creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori vniur!* Concilium Basileense dixit renouare institutionem Festi de *Sancta Conceptione* Virginis, & doctrinam illam de immunitate Deiparæ à peccato Originali pronuntiauit *consonam cultui Ecclesiastico*: quoniam Ecclesia illam immunitatem colit. Maiorem habet auctoritatem institutio Sixti Quarti in Extrauagante *Cum præexcellsa*, de Religion. & Venerat. Sanctor. in quâ instituit Festum Conceptionis, & ad illam ordinauit Officium; in quo sæpè & perspicuè dicitur & colitur *Immaculata Conceptio*, quem alij Pontifices secuti sunt, imò Pius Quintus in præcepto Conceptionis Officio eam voluit celebrari & recitari *Sanctam Conceptionem*. Sic enim appellatur in eodem Officio. Tandem Gregorius Decimus quintus in suo Decreto, vt nemo desineret celebrare in Missâ & Officio Immaculatam Conceptionem, iussit non alio nomine in iis vti, quam *Conceptionis*: de quo latiùs in nostro Opusculo huius Festi; ex quo satis constat certitudo huius veritatis.

Satis enim est ad certitudinem multitudo te-

stium, auctoritas asseuerantium, & diuturnitas attestationis. Omnia hic concurrunt: nam pluraquam ante mille, vt minimum, annos, sanctissimi Patres Ecclesiæ id protestati sunt coram Deo, & in sacris actionibus, vt sanctus Sabbas, S. Andreas Cretenfis. Deinde sanctus Anselmus, S. Norbertus, cura innumeris aliis sanctissimis Viris, tum Ecclesiæ Græcæ, tum Latinæ: quod vsque ad hunc diem continuâ acclamatione protestatum videmus.

Quid amplius desiderari potest? Anne claritas huius certitudinis, vt dicatur clarum esse, quod certum agnoscitur? Planè hæc celebritas habet claritatem non minorem, quam alia Ecclesiæ Festiuitates: nam si quis rogauerit, an sit clarum ab Ecclesiâ celebrari Conuersionem S. Pauli, aut Impressionem stigmatum S. Francisci, vel Apparitionem S. Michaëlis, respondere necesse est, non solum certum, sed clarum esse. Quòd si rursus inquiratur ratio claritatis, non alia reddi potest congruentior, quam quòd earumdem Festiuitatum Officia id dicant, Summiq; Pontifices eas celebritates instituentes ita ordinarunt. Sic etiam non solum certum, sed clarum est, ab Ecclesiâ coli Sanctam & Immaculatam Virginis Conceptionem, siue eiusdem præseruationem; quod in Officio eiusdem ita recitatur. Et planè in omnibus Festiuitatibus Ecclesiasticis nulla est, quæ euentius & sapiùs explicet suum Obiectum, quam Officium Sixti Quarti ad festum Conceptionis, vbi multis modis ostenditur celebrari Immaculatam Conceptionem Deiparæ, & præseruatio eius, idque clarissimis & perspicuis verbis; quod Officium tota Ecclesia recitauit, & nunc etiam recitat nobilissima & numerosissima pars eius, qualis Franciscana Familia: sed & in Officio Pij Quinti tam clarè dicitur celebrari *Sancta Conceptio*, vt non posset dici, clarius esse celebrari ab Ecclesiâ Sanctam Virginis Natiuitatem, quam Sanctam Conceptionem, cum iisdem omnino verbis recitetur in vtriusque Officio. Plura enim sunt per se clara, vt non sit opus reddere aliam rationem suæ claritatis, quam ea ipsa, & suamet euentia. Quid enim respondebimus ad interrogantem, An Sol non solum sit certus, sed clarus? Ipse patet: non est opus amplius inuestigare.

Quid post tantam claritatem requiritur? An declaratio? Planè nemo, qui Solem videt clarum exposcet declarari eum clarum esse: ipsa sua claritas se declarat. Quis postulauit declarationem celebratæ in Ecclesiâ Sanctæ Natiuitatis Virginæ, cum ipsa celebritas satis se declarat celebrari? Idem de Sanctæ Conceptionis festo dicendum. Cumque in aliorum Festorum celebritatibus non exposcatür alia declaratio, quam ipsa sua institutio, amplius aliud non erat exposcendum in festiuitate Immaculatæ Conceptionis, maxime cum toties institutâ sit in Græciâ, in Angliâ, in Italiâ, itaq; inde in vniuersum orbem Christianum promanauit. Sed iam & ipsa repetitio institutionis maior declaratio est: nam, vt iam dixi, in Ritualibus Græcorum, scilicet in Canone de Conceptione dicitur coli *Sancta Conceptio*. Similiter, in Officio sancti Anselmi recitatur: item, in Officio Pij Quinti: in Officio autem Sixti Quarti, Immaculata dicitur celebrari Conceptio, siue præseruatio Virginis; & nunc in celebritate huius festi resonat in totâ Ecclesiâ *Sancta Conceptio*, iuxta Officium Romanum; & Immaculata Conceptio

Conceptio iuxta Officium Franciscanum. Quam maior declaratio, quam ista iteratio per tota saecula, & etiam praesens clamor per totam Ecclesiam?

Alia nihilominus est magna huius celebritatis declaratio, quod in ea celebretur Virginis praeservatio. Declaratio, inquam, quae constat factis Pontificum, quae non minus significanter loquuntur, quam verba. Neque enim omnis declaratio fit tantum per sermonem, sed multiplex etiam fit per actiones. Et Deus per suos Prophetas declaravit multa futura, qui non tantum per dicta, sed per facta prophetarunt. Per haec significantius aliquando est locutus Dominus. Nec solum per verba alluvionem mundi praenuntiavit, sed etiam per adificationem Arcae. Ieremias per vincula, & emptionem agri, & contritionem lagunculae, Isaias per nuditatem & discalceationem; Oseas per nuptias meretricis; Ezechiel per abstinentiam & prolixum recubitus in vno latere, futura locuti sunt, & persuasibilius declararunt. Et sane Iulius Caesar non verbis, non scriptis indixit patriae suae bellum; sed solum vnius fluminis Rubiconis transitu declaravit plus quam praecognis. Denique, tam significanter facta solent explicare aliquas res plus quam verba; ut CHRISTVS Dominus, summus veritatis Doctor, in suis sermonibus facta ipsa inferuit, per tot parabolarum propositiones, ut evidentiis, atque, ut sic dicam, clarius suam declararet doctrinam. Quare, Declaratio Pontificum per facta, circa cultum Immaculatae Conceptionis, non est postponenda: plane non minus, quam verbis declararunt illius cultum esse immunitatem Conceptionis, concessis Indulgentiis ob illius celebrationem; aedificatis templis, & institutis Religiosis Familiis; in illius sacrum honorem conformando se in omnibus fidelium devotioni, piaque favendo persuasioni; tum etiam prohibitionibus, quibus iusserunt, nullo modo in sermonibus asserendam opinionem affirmativam, ut non dissonaret praedicatio cultui Ecclesiastico, qui celebrat Immaculatam Conceptionem. Haec omnia facta Pontificum cum omnibus suis circumstantiis aperte declarant, festivam esse in Ecclesia immunitatem Virgineae Conceptionis. Et plane non minus certo id declarant, quam clarum est, eos non esse mentitos populo Christiano, de quo in libro de Obiecto perpetuo, nec fideles intentasse decipere, maxime cum non condescendunt eorum pietati, postulantium aliqua; sed ipsimet Pontifices ex proprio motu provocant illos ad devotionem & cultum Immaculatae Conceptionis, concessis Indulgentiis, & aliis gratiis, ut constat ex Sixto IV. in Extravaigante *Praeexcelsa*. Unde, incredibile est occasionem fallendi se populi Christiani in cultu sacro dedisse illi vltro Pontifices sine vlla necessitate & causa. Datam autem occasionem a Sixto IV. ut colerent Christiani Immaculatam Conceptionem, nequit dubitari.

Quid si adhuc expectetur verbalis declaratio, illustrem plane inueniemus per Pontificia Diplomata: nec simplicem tantum, sed multiplicem. Sixtus IV. in Extravaigante *Praeexcelsa* instituit festivitatem Conceptionis cum Officio ordinato ad illius solemnitatem, in quo palam celebratur immunitas, praeservatioque eius, immaculataque praedicatur; iuxta quod Officium non solum voluit celebrari, sed celebrantibus concessit Indulgentias: evidensque est iuxta illud Officium coli-

Immaculationem Sanctitatemque Conceptionis, ut constat ex ipso Officio & Praefatione ad illud; quod plane luce clarius est.

Nihilominus post tantam claritatem, cum aliqui vellent caecutire, vel nebulas spargere, perperam interpretantes obiectum festi Conceptionis, instituti a Sixto, iuxta Officium ad illud ordinatum, asserentes non celebrari a Pontifice Immaculatam Conceptionem naturalem Virginis, sed Conceptionem spirituales, siue sanctificationem dumtaxat; pronuntiavit contra illos aliud Diploma, nimirum Constitutionem primam earum, quae incipiunt, *Graue nimis*, in qua condemnat praedictum interpretamentum, declarans non celebrari ab Ecclesia solam sanctificationem: verba Pontificis sunt, locutus de iis parvis interpretibus: *Non ignari, quod Sancta Romana Ecclesia de intemerata, semperque Virginis gloriosa MARIÆ Conceptione Festum celebrat, & speciale ac proprium Officium ordinavit in eorum praedicationibus ad populum, publice affirmare haecenus non erubuerunt, & quotidie praedicare non cessant, adstante populi multitudine, illos, qui tenent, & affirmant, eandem gloriosam & immaculatam Dei Genitricem Virginem MARIAM, absque peccati Originalis macula fuisse conceptam, hereticos esse, & ipsam Romanam Ecclesiam, solam spirituales Conceptionem, seu sanctificationem eiusdem Virginis MARIÆ celebrare.* Contra hos sic decernit Summus Pontifex: *Huiusmodi assertiones Praedicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare praesumerent, eandem Sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosa Festum celebrare, & eos, qui crederent, & tenerent eandem Dei Genitricem ab Originalis peccati macula in sua Conceptione praeservatam fuisse: propterea alicuius haeresis labe pollutos fore, vitio falsas & erroneas, ac a veritate alienas, editosque de super libris praedictos id continentes, auctoritate Apostolica praesentium tenore reprobamus, & damnamus.* Quid est declarare, nisi hoc decernere, & explicare, maxime si consideremus locutum Pontificem circa subiectam materiam antecedentis decreti in Extravaigante *Praeexcelsa*, de instituto festo, iuxta ordinatum Officium, ubi palam colitur Sancta & Immaculata Conceptio naturalis Deiparae, hoc est Conceptio simul in eodem instanti cum sanctificatione. Hoc ipsum confirmat Pontifex in praedicta Constitutione *Graue nimis*, & magis explicat, dum condemnat dicentes, *sanctificationem dumtaxat* Virginis celebrari. Nam verbum illud *dumtaxat* denotat Ecclesiam celebrare amplius quam sanctificationem per se & praecise sumptam, sine consortio alterius coniuncti; sed simul cum Conceptione naturali, contra quam, ut eluderent vocem Conceptionis, quae naturalis est, dixerunt illi Praedicatores, Conceptionem spirituales, vocantes huiusmodi sanctificationem praecisam a Conceptione naturali, contra mentem Pontificis, quae est, Ecclesiam celebrare sanctificationem, sed non praecisam: quod minime condemnat, sed potius necessario supponat, cum addiderit, *dumtaxat*, atque per idem adverbium notat etiam celebrari naturalem Conceptionem, contrahendo ad illam modum sanctificationis, ut in eodem instanti pariter concurrissent conceptio naturalis & supernaturalis sanctificatio.

Verum non contentus Pontifex cum hac declaratione, quae iuxta praesentia accidentia circumstantiasque

stantiâque illius temporis luculentissima fuit & evidens, addit postea alteram in eâ Extrauagante *Graue nimis*, quæ extat in iure Canonico; vbi contra eos, qui dicebant esse peccatum mortale, recitare Officium Conceptionis Immaculatæ, ordinatum à Sixto Quarto, in quo tam clarè colitur præseruatio Virginis, & immaculata eius naturalis Conceptio, vt ij ipsi negare non possent, ac propterea nolebant recitare, quia iudicabant hæreticum esse, dicere conceptam Deiparam sine maculâ; & considerantes obinde obiectum illius Festiuitatis esse hanc immunitatem Virginis, peccaminosum dicebant, Summus Pontifex condemnauit vtramque propositionem, scilicet esse peccatum mortale recitari Officium Immaculatæ Conceptionis, & dicere esse hæreticum, asserere Immaculatam Conceptionem, cum Ecclesia Romana celebret hanc Festiuitatem. In reddendâ etiam hac ratione affirmat ita esse, quòd obiectum festiuitatis Conceptionis, celebratæ ab Ecclesiâ Romanâ, sit illius præseruatio, & sanctitas. Nescio quæ maior declaratio sit requirenda, cum apertis oculis ista sufficiat; cæcis, aut claudentibus oculis nulla satis esset.

Urgeo hoc ipsum amplius, quoniam Sixtus IV. tantam habuit rationem Officij ordinati ab Ecclesiâ Romana, ad celebrandam Conceptionem, in quo apertissimè colitur expressis & repetitis verbis Immaculata Virginis Conceptio, ac præseruatio, vt non solum reddiderit rationem condemnandi prædictas Propositiones, quòd Romana Ecclesia celebret festum Conceptionis; sed etiam quòd ordinauerit prædictum Officium, proprium illius. Verba illius sunt in prædictâ Extrauagante: *Cum Sancta Romana Ecclesia de interuata, semperque Virginis MARIÆ Conceptione publicè Festum solemniter celebret; & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinauerit. Vtramque causam etiam iungit in priori constitutione Graue nimis, quare non caret mysterio hæc geminatio causarum, & repetitio eiusdem. Cum enim sufficeret, quòd Ecclesia Romana celebret Conceptionem, nihilominus maioris claritatis, & totius euidentiæ causâ adiecit, quòd etiam ordinauerit prædictum illud Officium, vbi tam perspicuè & iteratò explicatur obiectum Festiuitatis esse præseruationem Virginis: idcirco tantum studium habuit Pontifex memorandi Officium, supponitque, quòd illud declarat in omnibus suis decretis, & per consequens Pontifices sequentes, & Concilium Tridentinum, qui eiusmodi Sixti Quarti, Constitutiones approbarunt & innovarunt.*


Quid amplius? anne alia desiderabitur declaratio? Planè est quidem alia satis clara, & præclara Alexandri Sexti in Diplomate, quod incipit, *Illius qui*; vbi cum inseruisset Sixti Extrauagantem *Graue nimis*, idem Alexander prohibet *varias opiniones circa contenta in Litteris Sixti, contra earum tenorem.* Cum autem in Litteris Sixti, & earum tenore contineatur, Romanam Ecclesiam celebrare Conceptionem ipsam Virginis à peccato liberam, manifestum est, Alexandrum damnare omnes illas explicationes, quibus Aduersarij nituntur ostendere Romanam Ecclesiam non celebrare Conceptionem Immaculatam. Itaque tam claram supponit Alexander Papa celebrationem Ecclesiasticam esse de immunitate & sanctitate virginei conceptus, vt excludat omnem interpretationem. Et quidem omnino clarum est

Vnde, cum Sixtus exclusisset illam de sanctificatione, Alexander magis se declarans, exclusit omnes; quia perspicuum est obiectum Immaculatum Conceptionis. Latius de hoc in Opusculo de Obiecto.

Post hæc, vno verbo dicam toties hoc declaratum fuisse, quoties à Pontificibus Romanis, qui fuerunt multi, approbatæ sunt Extrauagantes Sixti, quas etiam Concilium Tridentinum innouauit.

Tandem Gregorius Decimus quintus ad postulata Legatorum Hispanorum, vt (ad omnimodam declarationem festiuitatis Conceptionis) nemo audeat aliud obiectum dicere eius, quàm ipsam sanctam Deiparæ Conceptionem naturalem, præcepit in ea solemnitate non alio vti nomine, quàm Conceptionis, excludens hoc pacto sanctificationem dumtaxat. Sicut fecit Sixtus, & omnia alia interpretamenta, prout fecit Alexander. Hæc declaratio Gregorij, iuxta præsentem tunc materiam, intelligentiam terminorum, & alias circumstantias, euidentissima fuit.

Nec mirarer tamen posthac etiam declarandum idem fore. Hic enim mos piæ Matris Ecclesiæ, vt quamuis sufficiat semel dicere aliquid, vt semper obseruetur, & suspiciatur, plurimâque semel dumtaxat decreuerit; alia verò, quibus nouit à nonnullis obnubilari, aut ignorantia, aut malitia, aut fortuitò, iterum confirmauit, rursusque declarauit, sicut fecit in definitione de appellando Sanctissimam Virginem Θεοτόκον *Dei Genitricem*; quod non solum in Ephesinâ, sed in aliis declarauit Synodis. Tum æqualitas Filij Dei, sicut & vna persona in Christo iteratò est definita; tum tempus celebrandi Paschatis, & diem festiuium Natiuitatis Dominicæ semel edixit; & licet antea clarum esset, rursus declarauit. Hoc saltem in causâ Conceptionis videbitur expediens, cum res sit tam perspicua, clara, & declarata, seuerius coercere illos, qui dissentanea dixissent Ecclesiastico cultui, & aliena à Summorum Pontificum, & communi fidelium sensu. Hæc de tanta claritate, de qua maiorem lucem non habeo.



EPISTOLA IV.

De doctrina Patrum circa Immaculatam Conceptionem.

Ad Eminentissimum, & Reuerendissimum S. R. E. Cardinalem D. D. Baltasarem de Sandoual, & Moscoso, Archiepiscopum Toletanum.



A V D miror offensam pietatem Eminentiaæ tuæ, ob assertum Anonymi auctoris, qui nuper contra Pontificias Constitutiones typis mandata sparfit aliqua aduersus sanctissimam Deiparæ Conceptionem, & contra veritatem voluit suadere, esse communem sancto-

rum Patrum consensum, conceptum Virginis passuum fuisse cum Originali culpâ: tam mirabile tamen dictum minimè probat, planè nec potest probari. Vulneravit nihilominus piè sentientium corda. Ipse quoque fauciatus sum non leuiter, & pro solatio meo, & fortasse etiam gaudio tuæ Eminentia, cuius animum noui summè addictum Beatissimæ Virgini, & eiusdem purissimæ Conceptioni deuotissimum, lubet commemorare nonnulla, quibus commentum illud prorsus dissipem, dum in lucem prodeat. Tractatus, in quo plenius respondeo Aduersariis, & communem Patrum sensum pro Immaculatâ Conceptione confirmo plusquam ducentorum Patrum testimoniis, vsque ad Scholasticos, & deinceps multis aliis Ecclesiasticorum Doctorum. Patientia tamen mea non patitur moras, quin festinâ rememoratione id paucis præsignificem.

Prius tamen, quàm euidentiis Patrum & Sanctorum testimoniis ad oculum ostendam, falsissimum esse, communem Patrum sensum militare pro opinione affirmante Beatissimam Virginem habuisse peccatum Originale; hanc eandem falsitatem peripicuis manifestabo indicis.

Primò: Quia sanctus Thomas, versatissimus in lectione Patrum, ita ut nemo alius vsque ad eius tempora in hoc illum excelluerit; quique sanctorum Patrum auctoritate gaudet semper suas sententias fulcire: nihilominus nullos Patres allegat pro contracto Originali peccato in animâ Virginis. Vnde manifestè conuincitur, nequaquam fuisse sententiam Patrum antiquorum.

Secundò: Quia Caietanus, qui magnum extolens vexillum pro affirmatiuâ opinione, dicens, doctrinam esse sanctorum Patrum, adedò exiguum in Patrum lectione eruditionem habuit, ut de eo dixerit Melchior Canus lib. 7. de Locis, cap. 3. fuisse *vetusta traditionis parum tenacem, & in Sanctorum lectione parum quoque versatam*. Vnde igitur fides adhibenda est, Caietano testificante, quæ parum nouit.

Tertiò: Collatio sancti Thomæ & Caietani augeat vim nostri asserti. Sanctus Thomas, qui versatissimus fuit in lectione Patrum; quos maximè veneratus est, & libentissimè secutus, non citat illos pro contractâ culpâ Originali ab animâ sanctissimâ Virginis, nec ausus est dicere, hanc esse Patrum sententiam. Caietanus autem dixit, qui parum versatus est in iis legendis, eorumque non habuit rationem in Commentariis eius in Scripturam, adedò ut dixerit Canus supra laudatus, *Libri signati, id est Epistolarum sancti Pauli, mysteria ab iis noluit discere*. Similiter & Bartholomæus Spina Opusculo de formâ Baptismi dixit, Caietanum non curasse de sancto Thomâ, nec de aliis Ecclesiæ luminaribus. Pro quo ergo præsumptio veritatis debet stare? Planè pro sancto Thomâ.

Quartò: Quia Bandellus, qui ausus est probandum sibi assumere, opinionem affirmatiuam esse communem sensum Patrum, nec dubitauit eis tribuere plurima testimonia, quæ citat, conuictus est falsitatis ab aliis Auctoribus, maximè ab Ægidio Lusitano, lib. 3. de Conceptione quæst. 4. art. 2. §. 1. centur. 140. & art. 4. §. 1. quibus in locis sæpissimè vocat falsarium Bandellum, propter vitiosa & falsa testimonia Patrum, quæ allegat. Quomodo igitur credendum verum erit, quod euictum est falsum esse?

Ioann. Ensch. Op. Parth.

Quintò: Quia Sixtus Quartus instituit Festum Conceptionis, quod minimè fecisset, si contra communem Patrum sensum fuisset, Virginem caruisse peccato Originali. Absurdum est, imò iniurium videtur Sedi Apostolicæ, dicere contra omnes sanctos Patres statuisse aliquid in Ecclesiâ.

Sextò: Quia Concilium Tridentinum noluit comprehendere Beatissimam Virginem in Decreto de peccato Originali. Signum est euidentis, non esse contra communem sanctorum Patrum sensum, cui Concilia non aduersantur.

Septimò: Quia Pius Quintus sub præcepto iussit per totam Ecclesiam celebrari Conceptionem, eamque in Officio diuino Sanctam vocari. Absit, ut hoc fecisset Pontifex, si peccaminosam eam dicerent communi sensu Patres.

Octauò: Quia Paulus Quintus vetuit, ne in concionibus publicis assereretur opinio affirmans; non igitur eam prædicant sancti Patres, cum doctrinam Patrum non excluderet Ecclesiâ à loco instituendi in doctrinâ sanctâ.

Nonò: Gregorius Decimusquintus etiam in priuatis colloquiis prohibuit asseri conceptam Virginem in culpa. Quis poterit credere hoc factum aduersus venerandam sanctorum Patrum doctrinam?

Decimò: Idem Gregorius præcipit in Officio diuino solum uti Conceptionis nomine, ut penitus ablegaret nomen Sanctificationis, quo utebantur ij, qui dicebant sanctos Patres stare pro opinione affirmatiuâ. Seduxit igitur hos Doctores sua existimatio.

Vndecimò: Quia quando sententias Patrum allegant aliqui pro opinione affirmatiuâ, id faciunt non ingenuè & legitimè eas proferentes; sed cum aliquo vitio aut cauillatione, prout demonstrant multi assertores sententiæ negatiuæ, & in nostris Exceptionibus probamus. Signum igitur est, veritatem non stare, ubi sinceritas deest, quæ nuper prorsus defuit Hyacintho Harpalego, cuius artes felicissimè dissipauit, velut telas araneæ, doctissimus Episcopus Oriolensis D. Ludouicus Crespi.

Duodecimò: Quia licet aliquam auctoritatem citent simpliciter, & legitima eius recitent verba, non obseruarunt ea, quæ ad intelligendos Patres necessaria iudicauit sanctus Thomas, qui præclaras illos intelligendi regulas notat in Opusculo contra errores Græcorum, ad Urbanum Quartum in proœmio, ubi ait: *Quòd autem aliqua in dictis Græcorum aliquorum Sanctorum inueniantur, quæ modernis dubia esse videntur, ex duobus estimo pronenire. Primò quidem, quia errores circa Fidem exortii occasionem dederunt sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ut ea, quæ sunt Fidei, maiori circumspectione traderent ad eliminandos errores exortos; sicut patet, quòd sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expressè locuti sunt de Unitate Diuine Essentia, sicut Doctores sequentes: & simile de aliis contingit erroribus, quòd non solum in diuersis Doctoribus, sed in vno egregio Doctorum Augustino expressè apparet: nam in suis libris, quos post exortam Pelagianorum heresim edidit, cautiùs locutus est de potestate liberi arbitrij, quàm in libris quos edidit ante prædicta heresis ortum, in quibus libertatem arbitrij contra Manichæos defendens, aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani, diuina gratia aduersantes.*



Et ideo non est mirum, si moderni Fidei Doctores, post varios errores exortos, cautiùs, & quasi elimitius loquantur circa doctrinam Fidei ad omnem heresim cuitandam. Vnde si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inueniuntur, qua cum tantà cautela non dicantur, quanta à modernis seruiatur, non sunt contemnenda, aut abiicienda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reuerentèr. Secundò, quia multa, qua bene sonant in lingua Græcà, in Latinà fortasse bene non sonant: propter quod eandem Fidei veritatem aliis verbis Latini confitentur, & Græci.

Aurea hæc doctrina Angelici Doctoris, quam si obseruauissent Aduersarij, inuenissent nullum omnino Patrem ex antiquis suæ sententiæ adesse, imò plures, quam hæctenus citantur ab assertoribus, sententiæ piæ Conceptioni Immaculatæ Virginis fauere, inuenirent quoque Scholasticos, & alios Auctores, qui intercessere à tempore sancti Bernardi, vsque ad Sixtum Quartum, nequaquam esse allegandos pro opinione affirmatiua. Verùm siquid aduersus eam videantur dixisse, interpretandos esse, ita vt illi assentiant. Verum est, aliquot Patres dixisse, solum Christum sine vilo peccato esse, sed considerandum est, quo tempore id dixerunt, quâ occasione, & aduersus quos; scilicet, an viguerit tunc aliqua heresis, quæ negaret in omnibus peccatum Originale; an in dixerunt specialiter locuti de Virgine, non generaliter de omnibus filiis Adam, an ille, aduersus quem disputabant Sancti, opus habebat ad suam impugnationem illâ locutione. Si hæc considerentur, inuenimus fortasse, scripsisse Sanctos aduersus Pelagium, cum eius heresis vigeat, aut nondum extincta erat, quæ negabat in omnibus peccatum Originale, & necessitatem gratiæ. Sancti autem Patres conabantur probare, omnes per peccatum Adami ex iure Diuinæ iustitiæ contrahere peccatum Originale, & diuinâ gratiâ egere merita per redemptionem IESU CHRISTI, qui solus ex naturâ suâ, & per se caruit omni peccato. Tum etiam locuti sunt, cum nullum de Beatissimâ Virgine sermonem speciale habebant, sed attendebant solum ad id quod generaliter accidebat. Vnde necessariò sequitur, nihil contra vnus Deiparæ priuilegium speciale docuisse. Hanc regulam S. Thomæ secutus ex Prædicatorum familiâ Religiosissimus Episcopus Hieronymus Lanuza in suis Notationibus de Conceptione, in fauorem puritatis eius, asserit esse omnes Patres: hoc pacto, vt eorum, qui scripserunt, quamdiu heresis Pelagianorum viguit, aut illius perstitit periculum, nulla sit habenda ratio, si generaliter negauerint puritatem Originalem, nisi in solo Christo, quò minùs videantur fauisse Immaculatæ Deiparæ Conceptioni, idque hac ratiocinatione comprobatur. Quamuis multi Sanctorum vetustiorum clarè de hoc mysterio non meminerint, causa fuit, quia fidei peccati Originalis adstruendæ aduersus quosdã hereticos, qui illud negarunt, incumbabant; atque ita, dum de eo scripserunt, de omnibus sine exceptione Virginis, meminerunt. Exempli causâ: Arbor quadam tenera est, & vnâ partem versus inclinata: quid consilij, vt recta sit, & eo modo, quo oportet; agricola in alteram partem eandem inflectit. Sanctus Gregorius Thaumaturgus, Episcopus, articulum de Vnitate Dei admodum inclinatum reperit, quia Gentiles Neocæsarienses plura numina colebant itaque vt articulum loco suo restitueret,

adeò in alteram partem deflexit, vbi de Vnitate Dei ageret, & ita vnicum illud esse probauit, vt Sabellius, & sequaces occasionem sumpserint asserendi, docendique plura supposita in Deo non esse, neque multas personas inter se realiter distinctas: vsque adeò, vt etiam necesse fuerit, sanctum Basilium litteras ad Neocæsarienses mittere, vt Gregorium extra culpam fuisse doceret; sensumque verborum illius legitime interpretaretur. Sanctus Dionysius Alexandrinus nactus est quoque cognitionem personarum Diuinarum adeò inclinatum; vt nonnulli ipsius æuo assererent, Personas Trinitatis minime inter se esse distinctas, proindeque hanc arborem in contrariam partem adeò deflexit, assertâ earum distinctione, vt inde Arius occasionem arripuerit credendi distinctas esse easdem personas Diuinas, etiam in substantiâ essentiâque; & coactus fuerit idem Dionysius doctrinam suam declarare, & Apologiam contra Arianos sensu legitimo scribere. Beatus Hieronymus obuios habuit quosdam hereticos, statû Virginis damnantes, & matrimonij statui præferentes. Quid agit Hieronymus, vt inclinatum in vitium arborem erigeret? Adeò fuit ipse contrarius matrimonio, vt statum illius damnare penè visus sit, coactis Ecclesiæ Doctoribus, qui eum deinceps secuti sunt, lucem adferre illius sententiæ, legitime eam interpretando. Doctrina peccati Originalis adeò deciderat, vt heretici permulti neque esse in rerum naturâ eiusmodi peccatum crediderint. Fuit is Pelagij error: cui vt remedium adferrent, & arborem loco suo restituerent, eandem vehementer adeò in partem oppositam impulerunt, vt omnes, præter vnum Christum, peccato Originali obnoxios asseruerint præsi Ecclesiæ Doctores; & hæc fuit causa, cur tam pauci de priuilegio Virginis meminerint, vt eam ex infectorum numero subtraheret: quin & Paulus Apostolus vniuersim adeò locutus fuerit, vt omnes sententiâ suâ inuoluerit: *Omnes in Adam peccauerunt*: Omnes, qui generatione seminali ex Adamo suam originem trahunt, in ipso, quando peccauit, peccauerunt. Ergo *in quo omnes peccauerunt*: in aliâ deinde propositione: *Omnes peccauerunt, & egent gratiâ Dei*. Pelagij error durauit ad vsque Angelici nostri Magistri tempora. Itaque vt eundem destrueret, ac decisum esse ostenderet, nos omnes in instanti conceptionis peccatum Originale contrahere, ab eo solum Christum exceptit. Verùm satis firmatâ peccati Originalis veritate, ab eo subducunt Catholicos, piique Doctores Virginem Sanctissimam ex singulari priuilegio diuinitus ipsi concessio. Hæctenus ille, qui dignissimus fuit familiâ sancti Dominici. Deinde olim Ioannes Gerson, consentaneus omnino aduertentiæ Angelici Doctoris, dixit: *Sancti Doctores in materiâ Fidem tangente, & Religionem Christianam semper mature processerunt, non cito determinando dubias veritates. Ideò locuti sunt in hac materiâ magis inquirendo, quam determinando. Hinc est, quod interdum videntur dicere contraria, non tamen dicunt.*

Tum demum considerandum est, an locuti fuerint Doctores post institutum ab Ecclesiâ Festum Conceptionis. Vnde Scholastici, qui ante institutionem huius Festi videntur minùs fauisse Immaculatæ Conceptioni, benigne interpretandi sunt in fauorem eius, iuxta doctrinam traditam superius sancti Thomæ: quam egregie secutus doctissimus Magister Fr. Ioannes de Sancto Thomâ, Dominicanus, ita interpretatur ipsum S. Thomâ Angelicum

Ioan. Gerson
Tom. 4.
Serm. de
Concept. in
appendic.
considerat 4.

Fr. Ioan. de
S. Thomâ

Angelicum

tom. 1. in 1.
p. 9. procm.
de doct.
S. Thom.
disp. 2.

Angelicum Doctorem, & eius loca, vt nihil vnquam dixerit sanctus Thomas aduersus Immaculatam Conceptionem personæ Virginæ.

Quoad secundam causam Angelici Doctores, tanti intelligentia idiomatis Græci, vt absque dubio, si penetraretur, multò plures Patres notarentur, qui palàm, secundum suum idioma, puritatem Originalem Virginis profitentur & prædicant, sed cum energiam proprietatis Græcorum nominum non possunt exprimere interpretes Latini, manet ignorata ab iis qui Græcam non intelligunt linguam, nec penetrant eius emphasim. Idcirco nomina, πανάχραντος πανυπεράμωμος πανυπεράλογημένος, & alia huiusmodi, quibus Græci solent significare puritatem Originalem Virginis, non satis in aliâ linguâ exprimuntur. Exemplum huius est, quòd dicatur apud Græcos rectè & Catholicè quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres hypostasies: apud Latinos autem non rectè sonat; si quis dicat, quòd sunt tres substantiæ, licet hypostasis sit idem apud Græcos quòd substantia apud Latinos, secundum proprietatem vocabuli. Nam apud Latinos substantia vsitatius pro Essentiâ accipi solet, quam tam nos, quam Græci vnâ in Diuinis confitemur. Propter quod sicut Græci dicunt tres hypostasies, nos dicimus tres Personas, vt etiam Augustinus in 7. de Trinitate. Nec est dubium, quin etiam simile sit in aliis multis. Vnde ad officium boni translatoris pertinet, vt ea, quæ sunt Catholica Fidei, transferens, seruet sententiam, mutet autem modum loquendi, secundum proprietatem linguæ, in quam transfert. Apparet enim, quòd si ea, quæ in Latino litteraliter dicuntur, vulgariter exponantur, indecens erit exceptio, si semper verbum ex verbo sumatur. Multò igitur magis quando ea, quæ in vnâ linguâ dicuntur, transferuntur in aliam, ita quòd verbum sumatur ex verbo, non est mirum si aliqua dubietas relinquatur, aut fortasse ignorantia. Planè hoc accidit in nomine Πανάγιος quo solent honorare Græci Patres Spiritum sanctum, & Beatissimam Virginem propter suam omnimodam puritatem Originalem & actualem, ad differentiam aliorum magnorum Sanctorum, quos ἁγιώτατος soliti sunt vocare, non Πανάγιος quia licet puri sint actu sine vlllo peccato, at habuerunt saltem Originale. Hanc autem differentiam non aduertit interpretatio Latina, quæ vtrumque nomen solum vertit Sanctissimum, cum tamen inter vnum & alterum magnum sit discrimen. Quippe superlatiuum commune intentionem auget, eamque potissimum exaggerat; at nomen Πανάγιος non solum intentionem, sed extensionem, & omnem modum comprehendit, ac rem vndequaue atque penitissimè commendat, & asseuerat talem. Et quamvis nonnulli interpretes studuerunt per geminam aut triplicem vocem significare hoc discrimen, vix emphasim Græcam attigere, maximè cum non solum Παναγίαν vocant Virginem Patres Græci, & Πανάμωμος sed etiam πανυπεράμωμος & υπερπανάμωμον Interpretatio Latina S. Cyrilli Alexandrini, & Anastasij Theopolitani in explicatione Orthodoxæ Fidei vocauit tertiam personam Sanctissimæ Trinitatis spiritum prorsus Sanctum; sed energiam Græci nominis nondum significauit: eodemque modo loquendi solent vti Ioann. Enseb. Op. Parth.

Patres ad commendandam puritatem Virginis simillimam diuinæ, quæ nec modò, nec olim, nec vnquam in æternitate maculata fuit. Idem Patres, Cyrillus scilicet & Anastasius, notarunt sanctitatem Spiritus sancti iisdem verbis, quibus solet nominari puritas Sanctissimæ Virginis, dicentes de illo, *omnis noxiæ & macula expers*. Hinc constat, quid velint significare, cum Virginem eiusmodi commendant: nam si iis verbis excluderent ab Spiritu sancto adhuc minimum defectum, quomodo iisdem verbis comprehenderunt in Virgine tantum defectum, ac est turpitudine Originalis? Hæc obseruatio ostendit, plurimos Græcos confessos fuisse sanctitatem Originalem Deiparæ, & in nostris exceptionibus non pauca testimonia afferimus.

Denique attendendum est ad vsu terminorum, quibus intelligebant antiqui Patres & Doctores præcis illis temporibus debitum peccati Originalis: nam, vt aduertit S. Anselmus, prædictum debitum etiam ante culpam contractam vocabant peccatum Originale. Vnde multi antiqui, qui significauerunt Virginem conceptam in peccato Originali, solum locuti sunt de debito illius, de quo latius in libro Exceptionum.

Sed demus, omnes auctoritates antiquorum Sanctorum, & Patrum, quas citat Caietanus, affirmatiuæ opinionis coriphæus esse legitimas, & claras, sine vllius interpretamenti loco: quot sunt illæ, quæ non excedunt numerum decimum ad numerosam Patrum phalangem, quæ negatiuæ sententiæ fauet? Hic solum colligam aliquorum testimonia, & tamen cum pauca sint ex illis, superabunt nihilominus multiduplo testimonia pro affirmatiuâ parte, vt mirum sit, quomodo possit in mentem Aduersariis venisse, suam opinionem esse communem Sanctorum, & Patrum sensum, cum potius sit communis, imò totus eorum sensus fauens Immaculato Virginis conceptui: cuius Festi obiectum immunitatem esse ab Originali labe concors tot scriptorum sensus de omnimodâ Deiparæ puritate confirmat.

Venio ad rem: Sanctus Germanus Constantinopolitanus ait fragmento. 13. extatque in Mænaïs Græcis: *In visceribus S. Anna concipitur MARIA Dei filia*. Sicut enim eodem modo significatur immunitas à peccato Originali, dicendo, Concepta fuit sine peccato; sic etiam æquè significatur eadem immunitas dicendo, Concepta est filia Dei, ac dicendo, Non est concepta filia diaboli. Filiationem Dei facit gratia; quæ excludit inimicitiam Dei per peccatum. Idem Homil. de Præsent. ait: *Statim ergo natura à Deo insusa semen excepit, non enim ante diuinam gratiam ipsa ansa est excipere. Sed cum illa accessisset, matrix, quæ prius erat clausa, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec Dei voluntate, quod in ea erat seminatum, in lucem est editum.*

S. Germanus
Constantinopolitanus.

Sanctus Ioannes Damascenus. Orat. 1. de Natiuitate Virginis: *O beati Ioachim lumbi, ex quibus immaculatum semen profluxit! In Menais die 12. Augusti inquit: Equidem videbaris, ô Virgo, esse filia Adami collapsi: at reuera eras tu ipsa genitrix Dei, eundem restituentis in integrum.*

S. Ioannes
Damascenus.

Sanctus Theodorus, cognomento Nouus, Confessor, Orat. de Natiuit. Virginis: *Iob ait: Caliginis non sunt mundi in conspectu eius, & stella non*

S. Theodorus
rus.

sunt munda coram illo. MARIA verò quid purius, quid mundius? Terra est, in qua peccati spina non orta est. Terra est, non ut illa prior maledicta, cuius etiam fructus pleni sunt spinis & tribulis: sed in qua benedictio Domini, & cuius benedictus fructus ventris: MARIA noua secunda creationis Dei massa sanctissima generis primitia: Aue rubus, confectum igni miraculum, quem rubigo peccati non tetigit; nam & planta fuit intacta. Aue urna, confectum ex auro vas, quam nulla delicti labes infecit. Aue sanctuarium, fons diuinâ scaturigine fluens, omnis sancimonia plena. Aue liber sigillis signate, quem nulla excogitabilis corruptela maculat. Aue codex nouus, quem nulla prorsus attigit corruptio. Aue aurum mundum Spiritus igne probatum in vitæ fornace, nullamque habens nequitiae labem. Aue lignum imputribile, que ad peccandum prona corruptionis vermem non admisisti. Aue illibata, omni reprehensione sublimior.

Ioan. Geometra in Hymn. Theotocij,

Ioannes Geometra, Hymn. 3. ex Theotocijs, palam fatetur immunitatem Virginis, dicens:

Vitij nostri crimine Virgo carens. idem ait:

Gaude primæ libera labe patris. Quid clarius?

Sophronius,

Sophronius Serm. de Assumpt. MARIA ait: Bene gratiâ plena dicitur, quia ceteris per partes præstatur: MARIA verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Quidquid in eâ gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & iustitia, que de celo prospexit: & idè immaculata, quia in nullo corrupta.

S Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus,

Alter Sophronius, id est sanctus Sophronius, Patriarcha Ierosolymitanus, in Epistolâ ad Sergium sic loquitur: *Vierum intactum virginis ingressus, castitatem lustratam* MARIA sanctæ, præclaræ, & quæ Dei sunt sapientiæ, & ab omni contagione liberæ, & corporis, & animæ, & intellectus, incarnatus, qui erat incarnatus.

S. Sabbas,

Egregiè sanctus Sabbas in Mænaris, die 3. Ianuarij, Ode 7. de sanctâ Syndeticâ, sic gratulatur MARIA: *In te primi parentis substitit lapsus.*

S. Ildefonsus

Sanctus Ildefonsus lib. de Parturitione Virginis: *Constat illam ab omni peccato Originali fuisse immunem, per quam non solum maledictio matris Heuæ soluta est, verum etiam & benedictio omnibus condonatur.*

S. Epiphanius,

Sanctus Epiphanius Orat. de Laudibus Virginis eodem encomio, licet diuersis verbis ac sanctus Anselmus, commendat Originalem eius puritatem, dicens: *Gratiâ plena es Beata Virgo, solo Deo excepto cunctis superior existis. Naturâ formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.* Illud, *natura formosior*, idem est ac à principio naturæ, hoc est existentiae naturalis. Idem Sanctus vocauit Virginem, *Lilium immaculatum, quem immaculatam qua peperit Agnum Christum, & iuuentam, numquam iugum expertam, que vitulum genuit.*

Euchologiū,

In Euchologio Græcorum, in Officio Nouitij vocatur Deipara *Tota pura, & etiam Sola pura.* Singulæ hæ appellationes suadent puritatem Originalem; copulatæ autem demonstrant; atque vt omne dubium tollatur, dicitur ibidem: *Non est præter te innocens quisquam, immacula Dei genitrix.*

S. Iosephus Confessor,

Sanctus Iosephus Confessor in Menæis, die 2. Ianuarij, Ode 5. *Salue ô cadentis mundi Eretrix, nulli umquam culpa subiecta.* Et die 8.

Ianuarij, Ode 7. *Fortitudo, & laus, & salus mea est Dominus ille, qui te incontaminatissimam Matrem elegit.* Et die 13. Iulij, Ode 5. eadem Deiparam affatus: *Te perquam suppliciter oro, quæ sola maculam in te omnem ignoras.* Et die 15. Augusti Ode 8. opportunissimè: *Illâ creaturâ unica ab omnibus nauis intacta, quam omnes hominum lingua in unum collectæ, Angelorum item omnium ora prædicatione digna prosequi nequeunt.*

S. Andreas Cretensis,

Sanctus Andreas Cretensis Homil. 1. de Dormitione Virginis dicit: *Mulier, quæ calorum superauerat naturam puritate, Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum, opificem omnium generationis.* Hæc dictio *natura* eandem ponderationem admittit, quam superius sancto Epiphanio exhibuimus: supponit enim Beatissimam Virginem à principio sui esse naturalis superasse ipsos Spiritus Seraphicos vbertate gratiæ. Idem in Canone Ecclesiastico, Ode. 50. *Anna concipit puram sobolem.* Ode 3. *Anna incontaminatam Dei genitricem in utero concepit.*

Hæc habet sanctus Andreas in Canone de Conceptione passivâ Deiparæ, quem diminutum affert Ioannes Antonius Velasquez lib. 4. differt. 4. Nam in Operibus sancti Andreæ Cretensis, quæ edidit Franciscus Combesis, Ordinis Prædicatorum, adduntur nonnulla, quæ clarissimam faciunt puritatem Immaculatæ Conceptionis Virginæ. Nam post Oden 3. additur tomus quartus: *Anna sterilis, infecundaque, intemeratam, castamque, ac diuina progenie puellam concepit. Hanc hodie, ceu solam immaculatissimam, omnes nos per eam salutem consecuti, cordis exultatione beatam dicamus.* Notantur illa verba *solum immaculatissima*, quæ omnino excludunt maculam Originalem, tum per verbum *solum*, cum per hoc priuilegium caruit societate Sanctissima Virgo; tum per verbum *Immaculatissimam*, Græcè est, Πανάμωρον, hoc est omnibus modis, & vndequeque immaculatam. Notari etiam debent illa verba, *intemeratam puellam concepit*; quæ denotant intemeratam fuisse Virginem in suâ Conceptione, quod paulò post clarissimè confirmat, dicens; *Eius nos sanctam Conceptionem colamus*: vbi non tantum Virginem sanctam, seu intemeratam; sed ipsam eius Conceptionem vocat sanctam & honore dignam: quippe intemerata concepta fuit MARIA. Quamvis enim interpres Latinus paulò aliter hæc vltima verba transtulerit, omittens adiectiuum *sanctam Conceptionem*, in Græco tamen clarissimè exprimitur. Idem adiectiuum postea omisit in his, quæ addita sunt ad Oden 6. cum locutus de Angelo, apparente sancto Ioachimo, ait sanctus Andreas: *Purâ Dei Matris sanctam annuntiauit.* Quare in hac versione Francisci Combesis consulendus est textus Græcus, ab eodem editus. Præterea paulò antè dicitur: *Concepta est sancta Virgo MARIA, nataque.* Plura alia possem addere ex Cantic. de Natiuitate Virginis, vbi etiam sæpè insinuat omnimodam eius puritatem. Nam præterquam quod ibi dicatur, *Tu pura Dei genitrix primæna Heuæ maledictionem absoluisisti*: ipsam Deiparam vocat Sanctam Sanctorum, intemeratam. & alia huiusmodi.

Clarè quidem & præclare magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Amphilocheus, quem sanctus Hierony

Hieronymus in Epistolâ ad Magnum, parem doctrinâ sacrâ & profanâ facere videtur Basilio, & Gregorio Nazianzeno, cum de his tribus viris dicit: *Cappadocumque Basilij, Gregorij, & Amphilo- chij, qui omnes in tantum Philosophorum do- c- trinis atque sententiis suos referciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum.* Citaturque Amphilo- chius ab antiquis Ecclesiæ Conciliis, sicut Basilius & Nazianzenus. Is igitur tantus Doctor Orat. in Deiparam, quæ est 4. ordine, in editione & versione Frâcis- ci Combefis pag. 42. perspicuè conceptam asserit sine maculâ, dicens: *Quid stultè à veritate dissentis, Deique placitum in sanctissima Virgine ad communem salutem pro- vidè dispositum detrectas atque renuis? Qui enim antiquam illam Virginem sine probro condidit, ipse & secundam sine nota & crimine fabricatus est. Quippe quod est deforis, pulchrè fecit, etiam quod intus est, ad domicilium animæ sanctè perornavit.* Quid amplius desiderari potest? Quod si expendamus energiam textus Græci, significat Deiparam omnino sine maculâ & culpâ formatam esse. Hanc puritatem in formatione & conceptione Deiparæ supponens, sic illam paulò antè salutauerat: *Aue lumen induta, Mater splendoris, nescientis occasum; aue intemeratissima Mater sanctitatis; aue perlucidissime fons viuifici laticis; aue sis noua Mater, & noui ortus fœtuum; aue sis incom- prehensionis Mater inexplicabilis; aue nouus ille iuxta Isaiam tomus inscriptionis noua, cuius fidi testes Angeli atque homines; aue alabastrum illud unguenti sanctificationis.* Ibidem vocat etiam Vir- ginem *Panagian, Panachranton, Panymneton, & Diuinam.* Omitto alia, quæ in aliis Homiliis idem Pater dicit.

Planè non loqueretur tam perspicuè sanctus Amphilo- chius, ac in priore loco est locutus, nisi inter Doctores, imò Fideles sui temporis fuisset communis sensus de Virginis purissimâ & sanctis- simâ formatione, id est Conceptione Immaculatâ. Idque confirmatur ex sancto Basilio, qui dixit carnem Virginis *sanctitate compactam*; & sancto Gregorio Nysseno, eius fratre, qui similiter omni- modam Deiparæ puritatem commendat. Quod etiam confirmant illa verba, quæ feruntur ex Epistolâ ad Nemesium sancti Gregorij Nazian- zeni, qui simul cum Basilio & Nysseno fuit co- æuus, & conterraneus sancto Amphilo- chio: *Beata Virgo, vitote templum Dei, ab Spiritu sancto est coagmentata, & sancta structa.* Supponit, sicut sanctus Basilius, & sanctus Amphilo- chius, puri- tatem Virginis in suâ formatione, etiam quoad carnem. Omitto alia, quæ ex Nazianzeno afferri possent

Accedat his quatuor quintus Sanctus, ex Cap- padociâ etiam coætaneus & coæuus eiusdem, san- ctus Casarius Nazianzenus, frater magni Theo- logi Gregorij, qui eadem supponens Dialogo 3. ait: *Pro loco virginis, nimirum Heua, perpe- tuam Virginem sanctam Matrem suam suscitauit pro illius pœna: huic salutem per proprium ser- uum Gabrielem misit, in hac sanans, que illa deliquerat.* Hæc verba alibi perpendo effica- citer.

Summa exaggeratio Cathemerini Græci ex sensu antiquorum Patrum Ecclesiæ Orientalis, & iuxta idioma Græcanicum manifestè commendat omnimodam puritatem Virginis, etiam Origina- lem. Nam in inuocatione Venerandæ Trinita- *Ioann. Euseb. Op. Parth.*

tis, & Beatorum sanctorum, iis verbis inuoca- tur Deipara: *Incontaminata, incorrupta, immacula- tissima, sanctissima, illibatissima, venerandissima, Dei beneficio gratiosissima Deiparens, diuinitus beatissima, desponsa Deo Domina, supra modum benedicta, celeberrima atque gloriosissima Ma- ter Dei nostri Deipara, ac semper Virgo MARIA, honoratior Cherubim, & gloriosior incomparabili- ter Seraphim, qua in calis benedicta es, & in terra gloriose celebraris.* Tanta inculcatio puritatis nul- lum profectò genus, nec modum illius excludit, præterquam quod nomina Græca efficacius expri- munt omnem puritatem. Ibi enim sunt, *Pana- chrantos, Panagia, Panagne, Panamometos, Hy- perenlogetos.* Præterea cum dicatur Virgo honora- tior Cherubim, & gloriosior incomparabiliter Sera- phim, postquam eius puritas præcipuè commenda- retur, supponit manifestè excessisse Seraphim & Cherubim puritate, de quâ toties commendatur, & non caruisse illâ in suâ creatione, sicut nec Seraphim.

In eodem sensu dicitur à sancto Theodoro Stu- ditâ, in Canone SS. Imaginum; *Sanctis sancto- rum, & omnibus creatis excelsior tu sola facta es, siue apparuisti in rerum naturâ, Mater simul, & Virgo Dei genitrix.*

Similiter sanctus Methodius, qui sancti Theo- dori dicta magis explicat, exclamans in Orat. de Simeone: *O cunctis celsior generationibus, qua- que inter creata omnia, tum visibilia, tum inuisi- bilia multis numeris honorabilior entiuisti. Felix radix Jesse, & ter beata domus David, in qua ger- minasti: Deus in medio tui, & non commoueberis sanctificauit enim te, tabernaculum suum Altissi- mus.* Satis indicant hæc verba locutum sanctum Methodium etiam de sanctificatione in ipsâ crea- tione. Idem ait: *Benedicta tu profus, omni ex parte benedicta, in benedictionibus Domini nomen tuum diuina gratia plenissimum.* Aded enim plena gratiâ & benedictionibus est Deipara, vt male- dictum Originarium nescierit. Idem sanctus Me- thodius penitus confirmat sanctitatem Virginis, etiam in Conceptione, vocans illam *Habitaculum Dei per omnia penitus sanctissimum*; Græcè est, *Panagiotaton*, superlatiuum scilicet maximum, compositum ex maximis; cum enim, prout iam si- gnificauimus, sit Græcorum mos diuersis vt su- perlatiuis ad exaggerandam sanctitatem homi- num, ac Spiritus sancti & Deiparæ, in illo no- mine vtrumque coagmentat & condensat sanctus Methodius, & resuperlatiuum fecit omne ge- nus & modum superferendæ excellentiæ com- prehensens, ita vt clarissimè excludat à san- ctitate Virgineâ contractionem culpæ Origina- lis.

Isidorus Theossalonicensis, Orat. de ingressu Virginis in Sancta sanctorum *Decibat etiam illius congressus, qui concipienda Virginis causa fuit, pri- mordiale & antecedentem causam non esse aliud, quam Dei congressum, vt quâ fieri posset, sola puris- sima, propheticum quoque illud evitare posset, in iniquitatibus conceptus sum, possetque de se ipsa af- firmare, Solam non in peccatis concepit me mater mea, nimirum hoc etiam numerando inter illa, quæ dictum illud completitur. Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Idem Serm. de Natiuit. Dei Genitricis: *Sicut in eâ nihil fuisse demonstratum est eorum, que apud homines illaudata sunt, ita vnam, & An- gelis sanctorum, & communi infortunio superiorem esse decebat.*

S. Amphilo- chius Ico- nicus.

S. Theodo- rus Studitâ,

S. Metho- dius.

S. Gregorij Nazianzeni.

S. Casarius Nazianz.

Catheme- rin. Græc.

Isidorus Theossalon.

Emanuel Paleologus. Emanuel Paleologus in Orat. de Dormit. Virginis: *Simul atque concepta fuit Beata Virgo, Deus illam gratiâ implebat, qui sibi futuram Matrem prestauerat. Imo vero cum illa erat ipse, antequam esset nata.*

S. Petrus Chryzologus. Sanctus Petrus Chryzologus in Sermone de Annuntiat. num. 140. sic dicit: *Pernolat ad sponsam festinus interpret, ut a Dei sponsa humana desponsationis arceat & suspendat affectum, neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata, cum fieret. Hic non solum supponit, sed etiam expresse fatetur Virginem caruisse peccato Originali.*

S. Venantius. Sanctus Venantius Fortunatus l. 8. Poëmatura: *Figmentum signi per omnia vasa decorum, Atque creatura fulgida massa noua.*

Idiota. Sanctus, & sapiens Idiota, in contemplatione Beatissimæ MARIÆ Virginis, cap. 1. *O Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; & macula peccati, siue Originalis, siue actualis, siue mortalis, siue venialis non est in te, nec umquam fuit, nec erit.*

S. August. Planè non mihi minùs clarè videtur expressisse sanctus Augustinus Immaculatam Conceptionem duobus in locis iunctim, dum ait lib. de Naturâ & gratiâ, cap. 36. *Excepta sancta Virgine MARIÆ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem: inde enim scimus, quod ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Iunge huic loco quod dixit lib. 5. in Iulianum cap. 9. minimè fugisse peccatum actuale, qui ab Originali peccato non declinauerit. Hæc duo loca euidenter demonstrant sanctum Augustinum exclusisse Virginem à peccato Originali.*

Priscus ille Pater, Auctor Sermonum ad fratres in eremo, in Serm. 20. qui etiam est decimus de Natiuitate Christi in Sermonibus sancti Augustini: *Propterea MARIÆ mater electa est, & super omnes creaturas preelecta, omnibus gratiis fecundata, omni virtute & sanctitate repleta, ut de mundissimâ Matre mundissimus Filius nasceretur, & sicut in celo qualis est Pater talis est Filius; sic & in terra secundum carnem qualis est Mater, talis est Filius.*

S. Basilius. Sanctus Basilius Serm. de Incarnat. sic censuit de beatâ Virgine: *Ex sanctitate compacta caro, digna erat, ut Deitati Vnigeniti uniretur.*

S. Proclus. Sanctus Proclus Orat. 6. de Deiparâ, in nouo Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ Sermonem habens de sancto Iosepho, quando de suæ Sponsæ partu admirationem concepit, sic ait: *Non meminerat, potuisse eam effici Dei templum, qua ex mundo erat formata luto.*

Ioannes Ierosol. Ioannes Ierosolymitanus, de institutione Monachorum, nimia perspicuitate in huius argumenti fauorem ac testimonium loquitur; sed euitandæ prolixitatis gratiâ, eius verba ad longum non refero, pauca tamen transcribam, quæ ad rem nostram planè sufficiunt. *Quamvis in quolibet alio homine (instar maris) natura humana sit in sua origine; ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere pressa, &c. Beata tamen MARIÆ de hoc mari (id est humana natura) aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum.*

S. Theophanes. Sanctus Theophanes, Episcopus Nicænus, in Menæis die 3. Februarij, Ode 4. & 5. de sancto Polycarpo, ait: *O à cunctis sordibus incontaminata,*

& super omnes inculpato inculpatissima Domina! In Menæis Græcis die 25. Martij, Homil. de Annuntiatione, cum totam Dominicæ Incarnationis œconomiam explicasset, subdit: *Quoniam verò decretum hoc suum (scilicet Incarnationis) cum ab ipso Satana; tum à caloribus quoque Virtutibus ignorari voluerat, primò quidem prouidentia singulari perfecit, ut sacra Virgo ab ipso vita sua principio tam omnino existeret pura, quam esse puram decebat illam, qua tanto bono, id est Christo digna existeret.*

Macharius Philadelph. Macharius Philadelphienſis Orat. 2. in Barbarorum incurſu, vocat Deiparam *Panyperenulogemenem Dominam*, hoc est, omnibus modis, & super benedictam Dominam. Quæ exaggeratio totalis omnimodæ & eminentissimæ benedictionis, negat omnino maledictum alicuius culpæ, imò maximè Originalis, de quâ est maledictio filiorum Adæ.

Ob eandem causam Leontius Cyproneapolitanus, Homiliâ in Simeonem ait: *Omnis benedictione superiores erant, Mater pariter puerpera, ac puer.* Quod non esset verum, si succubisset Virgo maledicta Originali. Idem ait: *Purus ille, ac incontaminatus una cum incontaminata, ac innuptâ Virgine, ac Matre, lege præscriptam obeat purificationem.*

Locuti sunt Macharius & Leontius respicientes & venerantes illud sancti Andree Apostoli dictum egregium pro Immaculatâ Conceptione, in Epistolâ Presbyterorum Achaïæ, quod etiam sanctus Dominicus celebravit, & repetiit: *Sicut primus Adam formatus est ex terra antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra virgine, numquam maledicta.* Ad hanc auctoritatem sancti Andree alludere videtur Concilium Francofordiense in Epistolâ ad Præsules Hispaniæ, cum ait: *An Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus; si seruus, quomodo tunc imago Dei? si liber, quare Christus quoque non ingenuus de Virgine? meliore quidem terra, etiam animata, & immaculata.* In hoc solo testimonio plurium effero auctoritates, scilicet Adriani Papæ, Pauli Aquileiensis, Alcuini Flacci, & omnium Episcoporum Galliarum & Germaniarum, totiusque Cleri, quorum nomine scripta fuit illa Epistola.

Leo Sapiens. Leo Sapiens in Homiliâ 7. de Annuntiat. ex nouem Homiliis, quas publicauit Gretſerus, dicit: *Cum adhuc, ô Virgo, in lumbis paternis contineris, primogenitus tuus clamabat: Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam; audisti verò, & oblitâ es populi tui, & sortis, & domus paterne: sortis videlicet illius, quam Heua primogenitrix toti generi distribuit, immenso illi dolorum cumulo, quasi hereditatis vice dato, & nihil horum in domum tuam intulisti: propterea dilexit te Rex ob anime tue pulchritudinem.*

B. Petrus Damianus. Beatus Petrus Damianus Serm. de Assumptione beatissimæ Virginis, ait: *Caro enim Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentie puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.*

S. Bruno. Sanctus Bruno in Sermone de Natiuitate beatissimæ Virginis: *Hac linea incipit ab Heua, & desinit in MARIAM: in principio est mors, in fine vita consistit: mors per Heuam facta est, vita per MARIAM reddita est: illa à diabolo victa est: hæc diabolum ligauit, ac vicit.*

Illustre exhibet testimonium Photo Prumiensis, lib. 3. de Statu domus Dei, in fine, qui floruit ante quingentos annos; tum quia testatur, festum Conceptionis Virgineæ celebrasse Monachos Benedictinos in Germaniâ; tum quia reprehendit instituta propriâ auctoritate festa Sanctissimæ Trinitatis, Transfigurationis, & Conceptionis Matris Dei: non quia sanctitas his mysteriis deesset, & digna non fuerint cultu & deuotione fidelium, quod supponit & probat, dicens: *Nos in his omnibus deuotioni fidelium minimè derogemus, significans, materiam deuotionis dignam, esse Conceptionem Virginitatis, sicut & Transfigurationem Domini, & Sanctissimam Trinitatem; solum reprehendit presumptionis spiritum, in introducendis illis festiuitatibus priuatâ auctoritate; non autem erroris spiritum: quia non erat error credere sanctitatem Sanctissimæ Trinitatis, Transfigurationis Domini, & Conceptionis suæ Matris. Sic etiam impugnata fuit olim festiuitas Sanctissimi Sacramenti ab Ecclesiasticis, uiris ut testatur Chrysofomus Enriquez in suis Liliis, in Vitâ beatæ Iulianæ Cisterciensis, capite 47. quamuis veritatem eius mysterij Catholicè defendissent.*

Photo Prum.

Nicolaus de S. Albano.

Nicolaus de Sancto Albano egregiè adstruxit Immaculatam Virginitatis Conceptionem, ad eò ut dixerit in dissertatione de ea: *Virginitatis ipsius animam pertransiuit gladius, non solum olim in Filij passione, sed etiam nuper in Conceptionis suæ condemnatione.* Id ipsum, ipsissimisque uerbis repetit in Epistolâ ad Petrum Cellensem.

Petrus Blesensis.

Petrus Blesensis Serm. 2. de Assumpt. *Ab Angelo benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledictio liberata.*

Petrus Cell. Episc. Carn.

Petrus Cellensis, Episcopus Carnotensis, in Epist. 10. lib. 9. quam ad Nicolaum Monachum sancti Albani, acerrimum sine dubio Immaculatæ Conceptionis defensore scripsit, sic eum alloquitur: *Virginem laudas, & ego laudo: predicas & sanctam, & ego extollis super choros Angelorum, & ego: dicis immunem, & ego.* Sunt uerba valde peculiaria & expressiua firmitatis ac constantiæ, quæ huic ueritati adhæsit; quæ paulò antè in eadem Epistolâ scripsit: *Credo, dico, assero, beatissimam Virginem nostram in æterna prædestinatione singulari priuilegio munitam, nec à sua Conceptione in aliquo uiolatam; sed semper mansisse & permansisse ilibatam, & sicut beata supra humanam & ceterorum hominum naturam, sic secreta & incognita manet ultra omnium notionem.*

Hugo Vict.

Nolo omittere uix notum testimonium, sed perspicuum Hugonis Victorini, qui collat. 3. de Verbo Incarnat. loquens de genere humano, ait: *Quia uerò à corruptione liberandum erat, idcirco præteritum redemptionis incorruptum esse debuerat. Propterea Mater uirgo electa est, ut de munda immaculatus nasceretur, ut sicut in cælo Deus habuit Patrem immortalem æternus, sic in terra haberet Matrem uirginem incorruptus. Igitur in cælo qualis Pater, talis Filius, & in terra qualis Mater, talis Filius. In cælo cum Patre æternus & immensus, in terra cum Matre immaculatus. Paulò post: Talis ergo agnus, qualis Mater agni, ex munda mundus.*

Adamus Victorinus,

Adamus Victorinus, amicus S. Bernardi, in Hymno de Virgine canit: *Salue mundi sacra parens, Flos de spinâ, spinâ carens.*

Petrus Comestor, auctor historiæ Scholasticæ, in lib. de Immaculatâ Conceptione Virginitatis, ubi de hac loquitur: *Attende, ait, & obaudi, quod testimonium huic fundamento dedit Prophetarum eximius, Psal. 86. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Intellige quod ait: Ipse fundauit eam. Ipse, non alius, non uetus Adam, sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret adificium. Alioqui, si ueteris ruina mansere uestigia, si ueteri superadificatum est, uetus Adam, & non ipse fundauit eam Altissimus. Quod enim fundatur, non ab alio, sed à se ipso materialiter inchoat. Certè, si recens, si non esset insolitum, Prophetæ, tantæ nouitatis miraculum obstupescens, non exclamaret, dicens: Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, &c. Ac denique concludit his uerbis: Dicat ergo, dicat Ecclesia, Salue festa dies, salue dies ueneranda Conceptionis, in qua initiatum est Sacramentum nostræ redemptionis, per quam extincta est framea uersatilis, & aperta ianua nostræ salutis. Gaudeat, oro, omnis terra in Conceptione tanta Virginitatis, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus.*

petrus Comestor,

Godfridus Abbas, postea Cardinalis, Serm. 3. *Christus de Virgine, carnem in Virgine, non quidem de Adam peccatore, sed unde Adam iustus animam suscepit. Vbi ait Christum carnem de Adam minimè suscepisse, cum de Virgine eam suscepisset, docet is Scriptor, carnem hanc maculæ Originalis immunem fuisse, quæ in omnes Adami posteros irrepsit. Pergit Godfridus: Habitabit in nobis, id est in carne nostra; nostram dico, secundum carnis proprietatem, & non secundum peccati Originem. Ipse enim sanctam in sancta, immaculatam in Immaculata Matre animam suscepit, & carnem. Propter hanc Originalis maculæ immunitatem, quam in Virgine supponit, illicò addit: Verè beata MARIA diaboli caput contriuit, quæ in se principalem eius suggestionem penitus extinxit. Suggestio diaboli principalis, est concupiscentia mentis & corporis. Per concupiscentiam mentis quamlibet peruersam cogitationem intelligimus; & per concupiscentiam carnis omnem prauam operationem. Bona uerò Domini Mater uirgo MARIA harum neutrum habet, quæ Spiritu sancto repleta, mente & corpore pariter sancta fuit.*

Godfridus Abbas,

Sanctus Fulgentius Serm. de Laudibus Mariæ *MARIA è contrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta; Salutationis Angelicæ, Benedictionis diuinæ, & Plenitudinis gratiæ: sic enim eam legitur salutasse: Aue gratia plena, benedicta tu inter mulieres: cum dixit: Aue, salutationem illi caelestem exhibuit: cum dixit, Plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.*

S. Fulgentius

Sanctus Cyprianus Orat. de Christi Natiuitate: *Nec sustinebat Injustitia, ut illud uas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam pluribus à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.*

S. Cyprianus

Alcuinus satis probauit Immaculatam Conceptionem, cum scripserit quatuor libros contra Epistolam Elipandij in iisque cum reprobasset omnia, quæ dixit in eâ Epistolâ Elipandus, tantummodo non refutat illud assertum, scilicet ex Ioachim & Anna gloriosam Dei Virginem adoptiuam filiam genitam. Quibus uerbis expressè asseritur conceptam Virginem in gratiâ habituali, quæ illam

Alcuinus,

fecit adoptiuam filiam Dei. Secutus est Alcuinus magistrum suum Bedam, in Martyrologio suo consignauit Festum Conceptionis 8. die Decembris, cum nulla fuit tunc temporis controuersia, nec dubium de celebratis ab Ecclesia solum rebus Sanctis.

S. Anselmus. Sanctus Anselmus lib. de Conceptione Beatissimæ Virginis cap. 18. dicit: *Quia decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret, nempe decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Idem Serm. de Conceptione ait: *Angelos, aliis peccatis, à peccato seruauit, & feminam matrem suam futuram ab aliorum peccatis exortem seruare non potuit? In aternitate consilij sui statuit eam Dominatricem & Reginam fore Angelorum, & tunc inferiorem gratiam Angelis datam, in consortium conceptam esse crederemus hominum peccatorum? Existimet hoc, qui uult argumentis suis probet, qui uult: iis, que dicimus, aduersetur, qui uult: ergo, donec ostendat Deus mihi aliquid dignius excellentiæ Domine meæ posse dici, que dixi, dico, que scripsi, non muto.*

Fulbertus Carnotens. Fulbertus Carnotensis in Expositione Salutationis Angelicæ Virginem alloquens, inquit: *Electa es insignis inter filias, que immaculata semper exististi ab exordio tue creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.*

Iuo Carnot. Iuo Carnotensis Serm. de Natiuitate Domini, sic loquitur: *Quomodo Matrem carnis sue sanctificauerit, deinceps audiamus, ut inde letetur Catholicus, immundus confundatur hæreticus, omnem quippe uenium, tam Originalis, quam actualis culpe in ea deleuit: sicque carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit.*

S. Bernardus V. editione Parif. anni 1609. Sanctus Bernardus Serm. 13. de Cœnâ Domini, ait: *Non est in filiis hominum magnus, vel paruus tanta præditus sanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem Immaculatam peccatum non facientis.* Idem in Serm. super Salue: *Innocens fuisti ab Originalibus peccatis, nemo ita præter te.* Et in Serm. de Assumpt. sic inquit: *Que enim uel Angelica puritas Virginitati illi audeat comparari, que digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei?*

Faustus Rhegiens. Ut egregium testimonium Fausti Rhegiensis producā, oportebit admonere, quod licet nonnulli Doctores dixerint fuisse hæreticum, & Cardinalis Baronius in Tom. 6. talem fuisse affirmauerit, dixeritque; *Miramur ab aliquibus impudenter sanè inscribi sanctum:* postea tamen in Appendice Tomi 10. ad Tom. 6. anno 490. ait: *Ista quidem priori editione ex aduētis diuersorum scriptis affirmasse, non indecens quidem fuit. At uerò ex postea cognitis, & adductis, rursus ad iudicium ipsum reuocandum, haud existimamus indignum, cum tamen de eius scriptis immota maneat sententia Patrum. Quod enim usque ad hæc tempora nostra eundem Faustum continuit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipsum Molanus primum expunxit. Quod etiam, ut accepimus, Ecclesia Rhegiensis in Gallia, ubi ipse sedit Antistes, semper eum ut Sanctum coluerit, celebrans eius natalem decima septima Ianuarij; ibique in eius memoriam antiquitus erecta Basilica, eius nominis titulo insignita, hætenus eius cultu à fidelibus frequentetur. Quodque tot sæculis Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine penitus (quod sciatur) contra-*

dicente, ista eidem Fausto exhibita intelligantur, opinari non prohibemur, de eodem Fausto accidere potuisse (quod de multis uiris sanctis asseritur) quod delinquens errauerit, cum questio illa fuerit auctoritate Sedis Apostolica definita, & eius opinio aliorum Patrum sententia condemnata, ipse suum errorem fuerit scriptis contrariis destitutus, que potuerint ut alia quamplurima perisse; uel ipsum ante suorum Scriptorum factam ab Ecclesia damnationem diem obisse (incertus est enim eius obitus annus) habentem in animo in his sequi, quod sequendum doceret Ecclesia. Ita quidem ipsum compositum animo fuisse, aliisque innotuisse, inde facillè potest intelligi, quod semper (ut indicant Acta Conciliorum Arelatensis & Lugdunensis) communicationem habuit cum sanctissimis Orthodoxis Galliarum Episcopis. Maneant igitur Fausto integra iura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præiudicium: neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem. Hæc Baronius.

Planè in manuscriptis suis Opusculis Sanctus manifestè inscribitur Faustus, & antiquitus à multis Patribus magni est factus. Sanctus Paulinus quidem in epistolâ de uariis questionibus ad ipsum Faustum, se eius discipulum fatetur, illumque magistrum agnoscit. Driedo de Captiuitat. & redempt. tractat. 2. cap. 2. part. 4. excusat Faustum, Venerabilemque appellat, sicut Augustinum. Viderique potest Ioannes Baptista Guesnai in Cassiano illustrato, lib. 1. cap. 63. qui citat Trithemium, asserentem à sancto Fulgentio fuisse Faustum retiocatum. Et quidem Vasquez, Massilienses fatetur fuisse homines pios, quamuis errauerint, in quibus præcipui fuerunt Faustus & Cassianus, iisque adiungit sanctum Chrysostomum. Planè quidquid fuisset de sanctitate Fausti, eius testimonium contemnendum non est, saltem propter antiquitatem: quoniam supponit iis temporibus præcis Immaculatæ Conceptionis sententiam fuisse ex priuilegio assertam, cum maxime ipse Faustus lib. 1. de Libero arbitrio, cap. 2. comprobet aduersus Pelagium Originale peccatum contrahere ex communi lege omnes filios Adæ. In quo enim malè audit Faustus est circa necessitatem gratiæ, non circa ueritatem incarnationis. Et sicut magni habentur testimonia Chrysostomi & Cassiani in aliis materiis, præter spectantia ad gratiam: sic etiam testimonium Fausti in materiis Catholicis despicendum non est. Venio iam ad auctoritatem eius: nam in responsione de ratione Fidei ad obiecta quedam, quæ uidetur pars libri de Spiritu sancto, memorati à Gennadio, scribit dictum de **MARIE** Virginis generatione: *Porta erat clausa, & non est aperta, tamquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adiecit: quia Dominus transiuit per eam. Porta clausa, id est, signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas. Non enim violata est partu, que magis est sanctificata conceptu; que absque omni peccato concepta est in utero.* Hoc tam perspicuum testimonium extat fol. 124. pag. 2. in principio, ex editione Parisiensi, apud Sebastianum Niuellium, anno 1586. in quo excusa sunt aliquot Opuscula Fausti simul cum aliis Vincentij Liripensis, alio nomine Peregrini; tum Phœbadij Aginensis, & sancti Martini, totiusque libri titulus est: *Veterum aliquot Gallia Theologorum scripta.*

Assatim ex prædictis constat, fuisset Immaculata

Cl.issimū & perantiquum testimonium pro Immaculata Conceptione.

lata Conceptioni antiquos Patres, qui Scholasticos præcessere: placet deinceps addere testimonia aliquot sanctorum Doctorum sequentium.

S. Thomas.

Sanctus Thomas in 1. Sentent. dist. 44. quæst. vnicâ art. 3. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri quo nil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beate Virginis, qua à peccato Originali & actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in quantum fuit in eâ potentia ad peccandum, sed bonitas intenditur per accessum ad summum bonum, quod in infinitum distat; unde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri.*

S. Bonauen-
tut.

Sanctus Bonauentura Serm. 2. de Natiuit. ad fin. Tom. 3. *Dum na nostra fuit plena gratia, præueniente in sua sanctificatione, gratia, scilicet præseruatiua contra fœditatem Originalis culpa, quam contraxisset ex corruptione nature, nisi speciali gratia præuenta præseruataque fuisset: solus enim Filius Virginis fuit ab Originali culpa immunis, & ipsa mater eius virgo. Credendum est enim, quod nouo sanctificationis genere, in eius Conceptionis primordio, Spiritus sanctus eam à peccato Originali, non quod inuit, sed quod inuisisset, redemit, atque singulari gratia præseruauit. Idem sanctus Bonauentura, in Opusculo de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, 4. part. cap. 7. loquens de sanctissimâ Virginis Conceptione, ait: *Ab initio, & ante secula creata sum, id est quodam priuilegiato modo creari præuisa, ut persiceret celum, in quo Deus nouo modo resideret, sicut dicit Psalm. Dominus in celo parauit sedem suam. Ibi maximè notanda sunt illa verba: Quodam priuilegiato modo creari præuisa. Hoc priuilegium creationis est propter immunitatem à peccato.**

Albertus
Magnus.

Albertus Magnus lib. de Laudibus MARIÆ, sic fatetur: *Hec enim Virgo sola à communi illa regula excipitur, Omnes in Adam peccauerunt.*

S. Bernardi-
nas Seaceni-
sis.

Sanctus Bernardinus Senensis Tom. 1. Serm. 52. de Salutatione Angelicâ sic fauet nobis: *Fuit enim Beata Virgo sine primo uo, id est sine tyranno concupiscentie peccati Originalis, quia sine eo concepta est, teste Salomone Cantic. 4. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te, scilicet Originalis culpa.*

B. Lauren-
tius,
Iustinianus.

Beatus Laurentius Iustinianus Tract. de Casto connubio Verbi, cap. 7. loquens de Protoplastis nostris, & beatâ Virgine, sic inquit: *Hec est Originalis pœna delicti, à qua nemo (quamuis eximia polleat sanctitate) liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis dumtaxat mediatore Dei & hominum homine Christo IESU, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.*

S. Vincentius
Ferrer.

Sanctus Vincentius Ferrerius Serm. 1. de Natiuitate Virginis: *Quando corpus beata Virginis fuit perfecte organizatum, & anima illi coniuncta per creationem, Altissimus sanctificauit tabernaculum suum.*

S. Thomas
Villanouanus.

Sanctus Thomas Villanouanus, sanctissimus Valentie Archiepiscopus, multis in locis extollit omnimodam puritatem Virginis: Serm. 3. de Natiuitate Virgineâ, ait: *Decuit & Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Vnde non solum quando paruula, sanctissima, & in utero sanctissima, & in Conceptione sanctissima.*

Hugo Car-
dinalis.

Hugo Cardinalis, Verbum Angelicum explicans, *Aue*, inquit, *sine triplici uo, scilicet cor-*

ruptionis, grauitatis & doloris, quod incurrit Heua per peccatum, quod ab ea omnes mulieres (præter MARIAM) quasi inre hereditario contraxerunt.

Ioannes Gerson in Tractat. 4. super Magnificat, sic loquitur: *In MARIA necessitas peccatum Originale contrahendi secundum causas inferiores, hoc est secundum legem propagationis, ex coniunctione viri cum femina; sed lex superior præiudicauit huic necessitati, præueniendo casum per sanctificationem & gratiam. Sicut etiam dicit in alio casu sanctus Thomas, de occurrentibus tempore iudicij obuiam Christo in aëra, quod si non moriantur, hoc non est secundum causas inferiores, quibus habeant necessitatem moriendi; nec est contra Apostolum dicentem: Statutum est hominibus semel mori, & deinde iudicium: quia priuilegium superioris hoc suspendit. Non secus est in proposito de MARIA à necessitate contrahendi Originale peccatum præuenta, & priuilegiata, & excellentissime sic redempta, qualiter redimi non egebat IESUS Christus, quia per carnalem concubitum non fuit formatus. Nostra ergo beata Virgo semper habuit gratiam gratum facientem, qua Originali supereminet iustitia, qua primitus ornata fuit Heua, sed eam perdidit.*

Ioann. Ger-
son.

Incognitus in Psalm. 29. explicans hæc verba: *Domine in voluntate tua prestisti decori meo virtutem*, sic ait: *Peccatum Originale causaliter contrahitur in propagatione seminis; sed formaliter in conceptione hominis. Modo ad propositum: Christus non contraxit illud formaliter, neque causaliter, quia non descendit ab Adam per naturalem propagationem, sed habuit omnimodam innocentiam. Virgo autem sanctissima MARIA contraxit causaliter, quia per seminalem propagationem concepta; sed non contraxit formaliter, quia antequam anima eius esset creata, illud semen fuit purificatum & sanctificatum: & sic anima illi unita non fuit maculata.*

Incognitus.

Guilielmus Parisiensis iunior, siue Bitontinus, in Postillis maioribus de Festo Conceptionis, q. 3. ait: *Virgo MARIA in Matrem Dei electa, erat exaltanda super Angelos: sed omnes Angeli fuerunt præseruati ab omni peccato; ergo à ratione fortiori & ista, qua erat superior. Secunda ratio: Absurdum est credere Virginem MARIAM fuisse aliquando in odio & indignatione Filij sui IESU Christi, obligatam supplicio, cum esset Mater Dei charissima; sed per peccatum Originale persona dicitur filia ira, & deputata aeterno supplicio: igitur. Tertia ratio: Virgo MARIA debebat fieri speciale habitaculum Dei: ergo debebat specialius preparari: sed si concepta fuisset in peccato Originali, non fuisset specialius preparata: igitur non fuit concepta in peccato Originali. Quarta ratio: Quod Deus potuit facere, & decuit, fecit: sed Deus potuit, & decuit facere, quod Virgo MARIA sine Originali conciperetur: igitur. Quinta ratio: Nulla dignitas conueniens Virgini est ab ea auferenda: sed concipi sine peccato Originali conueniens est Virgini igitur. Et ad auctoritates, qua possent allegari ab illis, qui tenent ipsam fuisse conceptam cum peccato Originali, dicendum est, quod intelliguntur de lege ordinata, & non præseruata; de lege communi, & non priuilegiata, quam legem priuilegiatam habuit MARIA.*

Guilielmus
Parisien-
sis.

Toftatus variis in locis parti negatiuæ adhæret, & satis erit verba eius ad Prologum sancti Hieronymi hic transferbere: *Beatam Virgineum*, inquit,

Toftatus.

inquit, sine Originali macula conceptam fuisse, nullo modo nego, sed toto animo confiteor: licet oppositum dicere non sit magnus error, nisi pertinaciter dicatur, volendo aliquid de perfectione Virginis detruncare.

Nicolaus Cusanus.

Nicolaus Cusanus, S. R. E. Cardinalis, in Tom. 2. Operum illius declarans illud Cantic. Sicut lilium inter spinas, &c. perspicue nostram sententiam docet iis verbis: *Non indigni Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam & posteros eius ex voluptate carnis lata, cui nunquam subiucit, nec indigni liberatore à seruitute, in qua nunquam fuit. Præliberatore enim Virgo sancta habuit, ceteri liberatore: sola electa Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequirit.*

Herueus Natalis.

Herueus Natalis in suo ad Epistolas Pauli Commentario, quod nonnulli beato Anselmo tribuunt, cap. 5. Epist. 2. ad Corinth. *Omnes itaque, inquit, mortui sunt in peccatis, nemine excepto (dempta Matre Dei) sine Originalibus, sine voluntate additis.*

De Bartholom. de Sicilia S. Bernardinus.

Bartholomæus de Sicilia, citatus à sancto Bernardino Senensi, Serm. 49. de Amore glorioso, Fer. 3. post Resurrect. Domini, omnino defendit Immaculatam Conceptionem, cum de eo hæc scribat sanctus Bernardinus: *Reddidit mihi unam pulchram rationem, quare non erat credendum, beatam Virginem non esse conceptam ex peccato Originali. Refert rationem, quæ ea est, quod non decuit Deum sumere carnem ex carne minus purâ quam Adam & Eua, qui sine peccato creati fuerunt. Et concludit iis verbis: Imò credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quod eius Mater fuerit plusquam Heua & Adam, qui creati fuerunt sine peccato Originali: quæ ratio mihi valde applausit.*

Paulus Venetus.

Paulus Venetus in tract. de Originali puritate Virginis: *Absolutè credendum est, B. Virginem non fuisse conceptam in peccato Originali.*

Cardinal. Vitalis.

Cardinalis Vitalis in Speculo morali verb. de B. Virgine MARIA egrediens de mari concupiscentia carnalis, non habuit amaritudinem Originalis; sed in utero matris est decorata per gratiam sanctificantem, scilicet a peccato, quod inuisset, nisi præseruata fuisset: unde uterus matris factus est ei locus voluptatis.

Iacobus Genuensis.

Iacobus Genuensis Serm. 3. Assumptionis: *MARIA fuit sine macula per omni peccati immunitatem. Ipsa quidem liberum arbitrium in bono confirmatum habuit, & ideo nulli peccato conscientia patuit, &c. Non habuit admixtionem Originalis: quia fuit in utero à Spiritu sancto sanctificata: nec etiam habuit admixtionem mortalis, quia fuit à Patris potentia confirmata: nec etiam habuit admixtionem venialis: quia fuit à puritate Filij impregnata.*

Ioannes Taulerus.

Ioannes Taulerus Serm. in festo Purificat. gloriosissimæ Virginis MARIE: *Beatissima Matri Christi instar reliquarum mulierum purificatio non erat necessaria, quando ea ab omni fuit præseruata peccato, Filiumque Dei per sancti Spiritus operationem concepit & peperit Virgo manens perpetua, omni ornata puritate. Cuius nimirum tanta etiam supra Angelorum munditiam puritas fuit, ut sub Deo maior intelligi non possit, &c. Vires MARIE suprema absque medio in suam se verterant originem, unite eidem: infima verò supremis, instar Adam in Originali persistentis iustitia, innocen-*

tiæque, perfectè obtemperabant: qui nimirum hinc illi accessit decor, quod culpa Originalis perpetuò expers fuit, à quâ perseveraret illam filius eius, ita ut ne momento quidem temporis, vel ira filia, vel vas immundum, vel diabolico (sicut nos alij omnes) subiecta dominio fuerit. Præuenit hoc enim Sapientia æterna, nolens electissimum templum suum aliqua labe aspergi.

Beatus Ludouic. Bertrandus, Serm. de Concept. B. Ludouici Bertand. 4. part ait: *Minimè existimandum est, Conceptionem Domine nostræ in generatione, aut organizatione corporis, sed in infusione ac unione anima ad idem consistere, per quam integra eius persona ac suppositum ex anima & corpore conflatum conceptum euadit. Quoniam autem in hac infusione, quando anima corporis possessionem primum adiuit, nullius peccati Originalis sorde fuit conspurcata, cui reliquorum anime in primo momento, quo corporis contubernium agnoscunt, infeliciter subiiciuntur: ideo iure optimo de Beatissima Virginis Conceptione Festum celebramus: hæc sanè Domina singulares prærogativas ac cumulatissima præiulia in die sue Conceptionis recipit: quorum plurimum est maximum gratia beneficium, quæ in sua Conceptione ab Originali labe præseruata fuit. Hæc est itaque Rubus ille Moysis, qui ardebat, & non consumebatur.*

Leonardus Nogarolus in Epistol. ad Sixtum Quartum ait: *Inimicus Christiani nominis Mahometh in Alcorano Originalem maculam à Christi Matre excludit. Et tu tanta Matris filius non excludes? audi sacrilegium, audi, inquit ille, nuntium Dei dicentem: Nullus de filiis Ada nascitur, quem non tangat satan, & ideo plorat ex eius tactu vociferans, præter MARIAM, & Filium eius. Lege tu ad quam sermo est, Leuitici librum. Summus, inquit, Pontifex, qui vestitus est sanctis vestibus, ad omnem mortuum non ingreditur omnino, Virginem ducet uxorem, viduam, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, ne commisceat generis sui stirpem vulgo. Non ingreditur ergo Sacerdos quoquo modo ad maculatam, & ingreditur diaboli scortum aliquando Deus? Mortuum profecto nihil, sed plenum gratia intrabit. Non est vulgaris puella, non sicut cæterarum, eius conceptio, sed singularis, atque admiranda.*

Quid dicam? Ipsi Summi Pontifices id testati sunt in suis Bullis, confessi clarissimè Conceptionem Immaculatam Virginis, Sixtus IV. Alexander Sextus, Leo Decimus, & alij, quos alicubi referimus.

Luculentum quoque est testimonium Iulij Secundi, in Bullâ quæ incipit, *A statu*, volens in ipso habitu Monialium Conceptionis purissimam Virginis Conceptionem coli, & Immaculatam ostendi. Sic eum describit cap. 3. Regulæ: *Habitus cum scapulari sint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior Virgineæ puritatis mentis, & corporis testimonium præsentat: pallium sit grossi panni, seu stamea hyacinthini coloris, propter mysticam significationem, videlicet, quod gloriose Virginis anima à creatione sua tota facta fuit celestis, & singularis Regis æterni thalamus.*

Satis hæc pauca de pluribus opportunè publicandis, in quibus eximia videbuntur testimonia Religiosorum sancti Dominici, qui cum pro Immaculatâ Conceptione scripserunt, nescio quam felicitatem & gratiam planè caelestem habent.

Quid

Quid doctius & neruosius quàm Opusculum Ambrosii Catherini? Prorsus aureus est Sermo beati Ludouici Bertrandi. Sed & adamas est Tractatulus Vincentij Iustiniani, in exiguâ mole ingens pretium continens. Margaritum quoque pretiosissimum est Gaspari Catalan, designati Episcopi Ilerdæ, rescriptum de mente S. Thomæ. Rationes autem Hieronymi Lanuza, Episcopi Albarracini, totidem sunt vniones. Adstat, & afflat illos celestis fauor, vt excedant alios, cum de purissimâ Deiparæ Conceptione scribunt.


Profectò, licet in allatis testimoniis tam perspicuis nullum esset clarum, sufficerent, si dubia essent, vt impedirent dici affirmatiuam assertionem esse communem Patrum. Quomodo hoc audent dicere, cum nullus antiquus pater pro illâ clarus stet, & pro nobis militet tam numerosa Patrum classis, quorum plurimi clarissimè loquuntur? Imò è contrario si nullus Patrum pro negatiuâ sententiâ staret, sed pro affirmatiuâ assertionem starent ij, quos minùs callidè allegat Anonymus, non posset dici esse sententiam Patrum: nam Chrysolomum, Ambrosium, Maximum, Remigium, falsò, aut extra rem citat. Tum S. Gerardi Opera non cognoscuntur, & relata eius verba de debito solùm loquuntur. Porro S. Bernardus, S. Thomas, Anselmus, Bonauentura, Vincentius Ferrer, Albertus Magnus, clarissima pro Immaculatâ Conceptione testimonia habent, eaque iam retulimus. Vnde licet alibi dixissent contrarium, non erant allegandi inter asserentes absolute affirmatiuam opinionem, sed dubij, aut neutri habendi.

Restat solus S. Antonius, qui videtur pro affirmatiuâ opinione esse: verùm non est Pater antiquus, imò nec Scholasticus ex vetustioribus, sed medij temporis. Tum etiam floruit ante institutionem Festi à Sedè Apostolicâ, postquam magna rerum mutatio est facta: tunc vixit tunc temporis, cum in Italiâ, ne viderentur Doctores probasse Concilium Basileense, inclinabant minùs ad fauendum Conceptioni, non ob rationes intrinsecas, sed ob hunc extrinsecum respectum. Præterea dicunt aliqui sanctum Antoninum se postea retractasse. Planè Caietano visus est S. Antoninus tam leuiter, aut incertò Immaculatæ Conceptioni dissentire, vt eum non citet pro affirmante opinione. Quòd si dixerit aliquis, tunc non fuisse Sanctum, scilicet canonizatum, contrà est, quoniam citat Remigium Monachum, qui nec canonizatus, nec Sanctus est, & Eusebium Emissemum, qui Arianus fuit. Si censetur fuisse modernum, etiam S. Bernardinus Senensis modernus tunc erat, & tamen ab eo citatur. Id quidem mihi certissimum est testimonium S. Anonini, in quo non hæsitanter, sed clarè & asseueranter contra immunitatem Virginis fit sermo, non esse partum legitimum tanti viri, sed potiùs indignum eximiâ eius sanctitate, modestiâ & reuerentia erga Sedem Apostolicam. Desumitur enim illud testimonium ex Sermone in Festo Conceptionis, quod extat pag. 724. tom. 2. Bibliothecæ Virginalis. In illo autem allegatur Sixtus IV. qui duodecim annis post obitum S. Antonini creatus est Pontifex. Vnde manifestè constat, non esse illum sermonem huius Sancti: quippe sanctus Antoninus obiit anno 1459. vt testatur Trithemius & Bellarminus. Ascendit autem Sixtus Quartus ad Pontificatum anno 1471. Præterea indignè agitur in eodem Sermone cum tanto Pontifice, quod non potest componi cum sanctitate, sancti Anto-

nini. Deinde idem ipsissimus Sermo, cum aliis de Sabbatis, qui falsò attribuuntur S. Antonino, impressus est Parisiis anno 1521. cum nomine & titulo fratris Gabrielis Barrelite, recognitusque à Patre Francisco Serris sacri Prædicatorum Ordinis. Quod etiam probat, non agnosci ab ipsis Patribus Dominicanis legitimum sancti Antonini Opus. Valdè autem differenter, & satis modestè loquitur iste sanctus Doctor in magis explorato ipsius Opere, nimirum in 1. part. Summæ tit. 8. c. 2. vbi non defendit, nec asseuerat affirmatiuum placitum, sed vnum & alterum problematicè proponit, exhibitis vtriusque partis fundamentis ex Doctorum, qui eas defenderant, rationibus. Tandem iudicium suum declarans, finit, dicens: *Conclusiòne circa istam materiam sic: Vni istarum opinioni debet homo inherere.* In principio etiam eius Capituli aduertit, quomodo hoc punctum sit tractaturus, problematicè nimirum dicens: *Ponendo ea quæ senserunt Doctores, tam antiqui quàm moderni, ad hoc dimittendo determinationem S. Ecclesie.* Hanc huius sancti Doctoris indifferentiam confirmat, quoti scripsit in Histor. part. 1. tit. 4. cap. 6. §. 10. dicens: *Cum Ecclesia neutrum determinauerit, sine præiudicio saluis potest quodlibet eorum opinari.* Inculcat toties S. Antoninus determinationem expectandam Ecclesie, in odium Concilij Basileensis, cui valdè auersum se exhibet, in 3. part. histor. tit. 2. 2. cap. 10. §. 4. Atque hinc etiam est, quòd se inclinatum ostenderit in affirmantem partem. Condescendentia tunc fuit cum aliis Italiæ Doctoribus, qui, vt dixi, Basileensi Concilio variis aduersabantur modis, propter Pij Secundi recentem declarationem de suâ illegitimitate. Reuera autem sanctus Antoninus nullatenus fuit defensor specialis opinionis minus piæ, neque illam asseuerauit: dubitanter se gessit potiùs, quàm assertiuè, quemadmodum Ioannes Gerson de aliis Doctoribus obseruauit. Atque ad hunc sentiendi modum referenda sunt alia, quæ de Conceptione obiter dixit iste sanctus Doctor in legitimo eius Opere. Nam in prædicto titulo 8. primæ partis, ex proposito tractat hanc quæstionem, afferens fundamenta Scholasticorum circa illam: quare iuxta ea, quæ hic sentit, videntur cætera interpretanda, & quidem semper videtur problematicè, & piè dubitando se gessisse, non tenaciter in hæsisse affirmanti opinioni: quamvis enim eam inculcauerit in aliis locis, maxime in 4. part. tit. 14. contrarium etiam, nimirum negatiuam sententiam in variis etiam locis significauit: cum enim neutri placito fixè adhæsisset, facile pro rerum occasione vtrumlibet obiter admittebat, aut non respuebat. Sufficit pro multis, quod dixit in 4. part. cap. 13. §. 4. in fauorem Immaculatæ Conceptionis. Explicans enim illud verbum Salutationis Angelicæ, *Aue*, sic ait: *Ostenditur ex hoc verbo singularitas MARIÆ, sibi enim soli congruit hoc verbum Aue, quod derivatur ab illo, quod est sine ve, quasi sine veh; veh autem importat miseriam; nulla autem pura creatura est, quæ sit sine veh, nisi Virgo MARIA.* Sensus verus horum verborum negat in Virgine peccatum Originale: quia quoad hoc collocat illam solam in eadem sorte cum Christo; siquidem dixit, *nulla pura creatura*: antefereus Virginem cæteris aliis creaturis, siue Angelis, siue animabus sanctis. Puriore autem creaturæ sunt Angeli sancti, & infantes, qui obierunt in gratiâ, quos omnes supponit sanctus Antoninus habuisse aliquod

veh; quo tamen Deipara caruit. Quis poterit dubitare infantes habuisse vae peccati Originalis: caruit igitur illo sanctissima Virgo. Angeli autem Sancti, licet non habuerunt peccatum Original, habuerunt periculum peccandi, hoc est, vae, siue miseriam peccabilitatis. Virgo autem sacratissima aded priuilegiata fuit à suâ conceptione, vt numquam habuerit hoc veh; quippe per singulare priuilegium, ex gratiâ Christi impeccabilis fuit: quòd si habuisset peccatum Originale, non caruisset veh; quod habuerunt Angeli, nimirum peccabilitate, quæ est inseparabilis, à peccato Originali, cum hoc sit scaturigo peccatorum. Propter dicta non miror, aliquos Doctores, qui post S. Antoninum scripserunt contra Immaculatam Conceptionem; non aduocasse hunc Sanctum in suum patrocinium. Sed demus sanctum Antoninum firmiter tutatum esse contractum à Virgine peccatum: quid exinde sequitur? S. Antoninus solus implet fortasse, aut continet numerum sanctorum Patrum antiquorum, vt dicatur communem eorum sensum esse, peccatum Originarium infecisse Deiparam, cum S. Antoninus non sit numerus Sanctorum, sed vnus Sanctus, nec sit priscus Pater, nec asseuerator eius opinionis fixus, cum eam non defenderit specialiter, sed potius problematicè retulerit?

Miror sanè Patribus imponi hoc. Cum autem considero minùs Apostolicam Sedem decere hoc dici, etiam irascor. Miretur quoque vestra Eminentia, & iudicet, an sit gloriosum Ecclesiæ, Summis Pontificibus, & Concilio Tridentino, intrepidè dici statuisse aliquid contra communem sensum Patrum, vel enim Pontificibus inglorium est hoc dici, vel sanctis Patribus, seu potius vtrisque. Pontificibus enim inglorium erit: quia non essent venerati communem sensum Ecclesiæ: sanctis autem Patribus inglorium erit, quia essent contempti cum eorum communi sensu; scilicet essent contempti non solum singuli, sed coniunctim omnes, quod absit pronuntiare. Iudicet igitur vestra Eminentia, an expediat prouidentia Apostolicæ hos compescere excessus, & auctoritate suâ ad hoc vtatur.



EPISTOLA V.

De erratis circa errantem, in quibus eruditi Scriptores minus attigerunt veritatem, circa Fausti Rhegiensis gesta.

Ad Illustrissimum atque eruditissimum Theologum, Abbatem Sanctæ Anastasiæ, DD. Fr. Alphonsum Vasquez.



V M in Epistolâ meâ de doctrinâ Patrum, circa Immaculatam Virginis Conceptionem, conspicuum pro illa produxerim testimonium Fausti Rhegiensis, & simul annotauerim, quòd Cardinalis Baronius se temperauerit, aut correxerit Tomo 10. in Appendice ad

Tom. 6. anno 490. circa id, quod aduersus eius sanctitatem acrius scripserat; dignata est meum sensum penitus explorare, circa res Fausti, tua multa & multiplex eruditio, quæ non stringitur Cancellis Scholasticæ Theologiæ; sed per amœniora Ecclesiasticæ Historiæ arua, sanctorum Patrum floreta, & sacra Scripturæ, veteris, nouique Testamenti paradisos latè spatiat, plurimam comprehendens doctrinam, tum felicitate ingenij, tum labore studij; acrisque censura iudicij amplius splendescit. Lubens nihilominus tuæ obtemperabo curiositati; nec enim timeo periculum refutationis, sed spero fructum correctionis: ided tamquam scialus dissertabo nonnulla, vt sapiens ex tuâ censurâ flam. Nihil enim dicam, quæ tu non noueris, aut possis corrigere; examinandaque proponam quæ speculatus sum.

Prius tamen, quàm ad gesta Fausti accedam, non possum non probare tuam suspicionem, qui parum miratus es tam apertè Faustum testatum fuisse conceptam Virginem sine peccato, cum iam Augustinus dixerat celebratissimam illam sententiam lib. de Naturâ & Gratiâ, cap. 36. *Excepta sancta Virgine MARIA, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem: inde enim scimus, quòd ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Prudentissimè iudicas, cum tantâ in Ecclesiâ haberetur auctoritate Augustinus; ided clariùs post illud eiusdem dictum, & specialioribus & expressis verbis, & in terminis propriis prædicata est Conceptio Immacula Virginis. Idcirco Faustus cœpit clarissimè eam affirmare, sicut & Orosius, discipulus Augustini; tum Sedulius & sanctus Venantius; deinde sanctus Ildefonsus, & venerabilis Beda, qui festiuitatem Conceptionis in Martyrologio posuit sectatores pariter sancti Augustini, mox sapiens Idiota, & alij; postea Iuo Carnotensis, & sanctus Anselmus. Post hos innumeri, inter quod non infimum locum habet sanctus Bernardus, cuius plura & conspicua testimonia non semel dedi. Nunc opportunum est illud super *Salve Regina* in Sermon. 4. vbi palàm ostendit auctoritate Augustini, scilicet propter eius dictum se asserere conceptam Virginem sine sine peccato Originali. Verba illius sunt: *Libanus mons, qui dicitur dealbatio, signat altam præ omnibus innocentiam tuam; innocens fuisti ab Originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te. Vnde auctoritas Augustini: Cum de peccatis agitur, nullam de beata MARIA volumus fieri mentionem: ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum: ex omni, inquit, parte, hoc est, ex parte Originalis, & ex parte actualis peccati.*

Eodem modo intellexit Augustini verba Faustus, atque ab eodem didicit caruisse omni peccato beatissimam Virginem in suâ passiuâ conceptione. Etenim præter id, quod spectabat ad suum errorem, in cæteris addictissimus fuit Faustus sancto Augustino, & veneratori eius scriptorum; sicut generaliter de Massiliensibus dixit sanctus Prosper in Epistolâ ad eundem Augustinum. Illa causa emnimodæ impeccantiæ & puritatis Deiparæ, quam affert Augustinus dicens:

Propter

Multi negat esse Bernardum, sed certè est Synchronos illius.

Propter honorem Domini, evertit prorsus omnem dubitandi rationem. Quomodo enim non debuit spectare ad honorem Domini, liberare suam Matrem ab eâ culpâ, à quâ, ipse solus potuit eam liberare, nullamque in eiusdem excusatione partem habuit *MARIA*; quandoquidem ad hunc honorem spectavit iuuare illam, ut liberaretur ab iis, quæ eiusdem Virginis voluntate pendebant?

Venio iam ad Faustum, atque ut clariùs procedam, distinctiùs per diuersa capita & paragraphos Tractationem disponam.

§. I.

Faustus Rhegiensis à quibusdam laudatus, ab aliis correptus.

Quantò enim Faustus Rhegiensis felix & faustus fuit antiquitus, ut errorem suum dignoscerent sapientissimi in toto orbe Christiano viri, qui illum notarent atque refellerent; unde ipse non ampliùs ingeminato pertinax calamo denuò corroboraret præuè asserta, sicut fecere Acacius & Fullo, & alij tunc temporis contumaciter adhærètes suis erroribus, quos replicatâ scripserunt defendebant, quos nequaquam imitatus est Faustus, potius dixere nonnulli alios Libros de Gratiâ Catholicos scripsisse; in quibus se accommodauit Orthodoxæ doctrinæ, & Semipelagiana dicta correxit: tantò infaustus his temporibus est Faustus, cum viri eruditissimi res gestas illius non satis penetrarint. Olim siquidem sanctus Cæsarius Arelatenfis, & sanctus Auitus Viennensis, doctissimi atque sanctissimi in Galliis Episcopi, aduersariis eum scriptis exagitarunt, eundemque in Africâ sanctus Fulgentius, Ruspensis Episcopus, septem libris vehementissimè oppugnauit; de quibus sanctus Isidorus ait: *Legimus de Gratiâ Dei, & libero arbitrio Fulgentij libros Responsonum septem, Fausto Gallie Rhegiensis Urbis Episcopo Pelagiana prauitati consentienti respondentis.* Hæc ipse. Tum etiam Petrus Diaconus lib. de Incarnatione, in fine Fausti scripta de Gratiâ reprobatur. Possessor Africanus accusauit; Gelasius & Hormisda, Summi Pontifices, notarunt. In Oriente verò, non vnus dumtaxat (quem refert Ado) Ioannes Presbyter Antiochenus eos Fausti libros refellit, sed Orthodoxi fermè omnes, obnitentibus contrâ, & turbas mouentibus Constantinopoli Schytix Monachis, qui de his libellum obtulerunt Legatis Hormisdæ Papæ, Constantinopoli agentibus: quem cum illi recipere noluisent, ipsi Romam profecti eundem Pontificem conuenere. Vnde non est quidem, ut pro Fausto aliqua possit in eius defensionem vel excusationem Apologia elaborari, quem constat in vniuerso orbe Catholico impugnatum.

Credo plus profuisse tot censores Fausto, à quo nihil aduersus illos responsum inuenimus, quàm alij plurimi, quos habuit laudatores; quippe sanctus Apollinaris in suis Epistolis exaggeranter laudat eius scripta, & elegantissimo Panegyrico ipsam Fausti personam extollit; sicut & Rauenius Arelatenfis, & Rusticus Narbonensis in causâ Insulæ Litrensis. Tum etiam Episcopi Galliarum, Florus, Nectarius, Constantinus, Asclepius, Maximus, Iustus, Salonius, Ingenius, Ynantus, Zoticus, Chrysanthus, in Concilio Arelatenfi, apud

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Gallicana antiqua, tertio, in Institutione de eadem causâ, Faustum commendant *sanctum*. Sanctus Pragmaticus, etiam Augustodunensis Episcopus, sanctus Patiens Lugdunensis, sanctus Claudius Bisontinus propriâ subscriptione approbarunt scripta Fausti ad Lucidum; sicut etiam celebres Franciæ Episcopi, Auxianus, Eutropius, Megetius, Euphronius, Leucadius & Iulianus, fecere in Concilio Arelatenfi contra Prædestinatianos. Hilarius Papa confidenter communicauit Fausto cum aliis Episcopis, quibus commisit negotia Ecclesiæ, ut constat ex eius Epistolâ sextâ apud Sirmondum Tom. 1. sicut etiam in Epistolâ quartâ, aliâs octauâ, dicit Faustum & Auxanum fratres, & Coepiscopos, Præsidesque in Concilio Gallicano, congregato pro causâ Hermæ Narbonensis Episcopi. His accedit sanctus Cæsarius, qui honorificentissimè laudauit Faustum, ut postea videbimus. Hinc colligi videtur ex tot censoribus & antagonistis Fausti, quibus ille cedit ex vna parte; & ex aliâ, ex tot laudatoribus & veneratoribus suæ personæ, adfuisse illi magnam compositionem morum; tum etiam parum ad hæc defendendis aduersus Ecclesiam suis erroribus; errasse tamen in aliquibus, ut in materiâ Gratiæ, & corporeitate creaturarum; sed in pace Ecclesiæ decedere potuisse: prout de Theodoro, Gregorio Bœtico, Lucifero Calaritano, Felice Papâ, & aliis dicitur, ut agnoscit Baronius Tom. 10. in Appendice. Conabatur Faustus benemereri de Ecclesiâ atque idcirco scripsit contra Arianos, contra Macedonianos, contra Nestorianos; at infauste aggressus & conatus Pelagianorum dogma impugnare; cumque illud non penitus destrueret, in aliquibus consentit lapsus, sicut Cassiano accidit, imò & sancto Hilario Arelatenfi; qui licet validè se opposuit Pelagianis, ipsum tamen inter Semipelagianos Massilienses annumerat sanctus Prosper, in Epistolâ ad Augustinum, dicens: *Speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum presidio roborandam; sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros, caligo istius opinionis obscurat defecatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam vnum eorum præcipue auctoritatis, & spiritualium studiorum virum sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tua esse doctrina.*

Dixi iam errasse Faustum, cuius contrarium affirmari sine temeritate nequit. Dicam iam quomodo in aliquibus aberrarint moderni Scriptores in iis, quæ ad eum spectant.

§. II.

Persona Fausti cum omnibus suis Operibus non videtur esse damnata, prout aliqui suspicati sunt.

PRIMO loco dico, nequaquam fuisse olim omnia eius Opera à Sede Romana damnata. Tum quia habet aliqua scripta omnino Catholica, hæc autem per se indamnabilia sunt, qualis est Epistola ad Lucidum cum anathematismis aduersus Prædestinationis errorem, quam Catholicam fatetur Baronius, & approbata est à Concilio, quod Arelate congregatū fuit aduersus Prædestinatianos. Deinde rogo à quo Pontifice damnata sunt omnia Fausti Opera? Dicent fortasse à

Gelasio Papà, in capite, *Sancta Romana Ecclesia*; sed planè falluntur: non enim est Rhegiensis is Faustus, cuius omnia Opera notat Gelasius; sed Faustus Manichæus, qui valdè diuersus est. Verba Gelasij sunt: *Opuscula omnia Fausti Manichei*. Ecce hic expressè dixit *omnia*: quia formalis & indubitatus fuit hæreticus, atque Ecclesiæ hostis, & discipulus diaboli; sicut eadem ratione paulò antea dixerat: *Libri omnes, quos fecit Lentinus, discipulus diaboli apocryphi*. Postea autem cum loquitur de Rhegiensi, abstulit vocem *omnia*; iungensque illum cum sancto Victorino Martyre, ait: *Opuscula Victorini Pictauiensis apocrypha. Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum apocrypha*. Nihil amplius addit, vbi ablato verbo *omnia*, non notauit personam Pontifex, sicut nec notare potuit personam sancti Victorini; sed solum scripta Fausti suspecta, erroribusque infecta. Nouit sane hoc Petrus Diaconus in fine Tractatus de Incarnatione & Gratiâ, cum anathematizasset Pelagium, Celestinum, & Iulianum Edanensem; non inuehitur in personam Fausti, sed solum in libros eius de Gratiâ. *Quos, inquit, contra Prædestinationis sententiam scriptos non dubium est. Ceterum, reiectio Gelasiana inter apocryphos libros non est nota hærecismi, qui alienet Auctores ab intentione Catholicâ, cum plurium libros Scriptorum, quos agnoscit Ecclesia Catholicos viros, reiecerit inter apocrypha Opera, prout notauit Ioannes Azor 1. p. in fin. lib. 8. cap. 16. q. 16. Imò & Hormisda Pontifex satis explicauit vim simplicis reiectionis inter apocrypha, cum specialiter locutus de libris Fausti de Gratiâ in Epistola ad Possessorem non prohibuit illos legendos, solum voluit in auctoritate non habendos, cauteque euoluendos; de quo rursus. Deinde, si omnia olim Opera Fausti fuissent damnata, non allegassent ea Concilia & Patres antiqui. Planè in Concilio Aurelianensi secundo apud Sirmondum in Appendice, in causâ Contumeliosi Episcopi, post Epistolam Ioannis Secundi, citatur honorificentissimè sententia illius hoc modo: *Faustus Episcopus sanctus in Epistola sua dixit: Perdet gratiam consecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti*. Hæc eadem verba, & Appendix in magnâ Conciliorum editione Lutetiæ apposita sunt inter Epistolas Ioannis Papæ Secundi, post Epistolam sextam, quæ est ad Cæsarium Arelatensem, cum subiectis Canonibus ab eodem Pontifice missis, ad examinandam causam Contumeliosi. Quam Appendicem licet aliqui tribuant Hormisdæ Papæ, cum magnum fragmentum eius extet in Decreto, dist. 50. cap. 29. *Si quis Diaconus*, sub titulo Hormisdæ, nihilominus omnino videtur tribuenda sancto Cæsario Arelatenfi, prout in Notis Sirmondi notatur in eadem editione; quoniam Hormisda iam erat vitâ functus, & esse eius auctorem sanctum Cæsarium satis probari potest ex eo, quòd sanctus Cæsarius publicam fecit Epistolam Ioannis, & Canones ab eo missos: etenim, post tenorem Epistolæ Ioannis ad sanctum Cæsarium, appendit ipse Cæsarius Canones ab ipso Pontifice sibi destinatos, dicens. *Hi tituli Canonum, quos nobis supra scriptus Sanctus, & Dominus meus Ioannes Papa Sedis Apostolica cum præfata auctoritate direxit*. Lucè clarius est, quis in iis verbis loquatur, nimirum is, ad quem misit Pontifex Ioannes Canones: is autem solus fuit sanctus Cæsarius, vt inscriptio Epistolæ demonstrat; post relatos verò Canones prosequi-*

tur idem Sanctus, dicens: *Ecce manifestissimè, &c.* vbi subditur honorifica illa allegatio Fausti, cum in eâ agnominetur *sanctus*. Et quidem clariùs in codice Floriacensi dicitur: *Sanctus Faustus Episcopus in Epistola*; sicut in altero Pithæano, *Sanctus Faustus in Epistola*; prout in Notis Sirmondi aduertitur. Hæc autem commendatio Fausti post mortem eius fuit, saltem multò post Gelasium Papam; & etiam post Hormisdam, imò post scripta tot plurium aduersus librum Fausti de Gratiâ; imò ipse sanctus Cæsarius, qui scripserat contra illam Fausti doctrinam, non contempsit, quæ in aliis Opusculis Catholicè dixit ipse Faustus: siquidem adèd veneranter illum allegat. Accidit quippe hoc anno 533. in quo celebratum est Concilium Aurelianense secundum, qui annus fuit primus Pontificatus Ioannis Secundi. Quòd autem citasset sanctus Cæsarius Faustum in tam graui scriptione, postquam eiusdem Fausti errorem de Gratiâ refutasset, constat euidenter: quia Felix IV. roborauit disputationem illam Cæsarij, teste Gennadio; cui Felici post Bonifacium Secundum successit Ioannes Secundus. Hinc sanè colligi nequit inglorium decessisse Faustum, vt dixit Baronius, antequam reuocasset priùs dicta, Tom. 6.

Ceterum, Cardinalis Bellarminus, licet non vidisset retractationem Baronij, non inuehitur in personam Fausti, nec in alios libros eiusdem, quàm in libros duos de Gratiâ & Libero arbitrio: nam cum vidisset aliquos excusasse hoc Opusculum, conatur ex antiquis Scriptoribus probare sensus non Catholicos continere, & hac de causâ dixit: *Hoc admonere volui propter aliquos, qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt*: quoad doctrinam scilicet, qui sanè falluntur, cum in his libris à Catholicis dogmatibus discedat: personam autem nequaquam notat doctus Cardinalis, & multò minùs notaret post retractationem Baronij. Quòd autem dixit sanctus Isidorus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Faustum fuisse Pelagianum, multi refutant: & meritò quidem: nam in ipsis libris de Gratiâ acriter impugnat Pelagium, & viri docti solum notant in Fausto errorem Massiliensium, siue Semipelagianismum dumtaxat. Multa enim in eo libro sanctus Isidorus ex alienâ relatione protulit, quæ non post exactam explorationem ex propriâ sententiâ affirmavit. Præterquam quòd dubitetur, an liber ille sit sancti Isidori. Nec sanctus Ildefonsus illum recenset inter eius Opera.

§. III.

Faustus per scripta Catholica reuocauit Lucidum Presbyterum ad Orthodoxam fidem, contra quod Henricus Canisius imaginatus est.

VENIO ad erratum Henrici Canisij, benemeritissimi alioqui de Antiquitatibus Ecclesiasticis, haud leue quidem: quoniam in admonitione post Epistolam Fausti ad Lucidum, prout extat in Bibliothecâ Colonienfi Tom. 5. part. 3. pag. 526. dicit eam Epistolam erroneam, atque idcirco pœnituisse Lucidum, quòd eidem subscripisset verba Canisij sunt: *Faustus Epistola illi sua erronea, quam etiam variis Episcopis misit,*

ut subscriberent. Cui Lucidus, quòd subscripserit pœnitet, erroremque publicata Epistola damnauit. Stupeo tale assertum, tantum scilicet lapsum in viro erudito, cum contrarium prorsus acciderit. Lucidus enim in errorem Prædestinarianorum lapsus, à Faustò per Catholicam Epistolam reuocatus fuit ad veram fidem, prout clarè constat ex Concilio Arelatensi, anno 425. aduersus Prædestinationis errorem coacto: quod sine numero extat in Sirmondo, & in editione magnâ ponitur inter Concilia tertium & quartum Arelate celebrata. Sed vt hoc meliùs intelligatur, sciendum est quòd aduertit Baronius, post S. Augustini obitum prodiisse quosdam, qui ex eius scriptis malè perceptis complures inuenerunt errores, quos sancti Augustini nomine & auctoritate defendere conabantur; sed eos pro defensione sancti Augustini agens, sanctus Prosper validè confutauit. Dicebantur isti (vt Sigibertus adnotauit) hæresis Prædestinatorum sectatores; qui idcirco eo nomine vocabantur: quia de Prædestinatione & Diuinâ Gratiâ disputantes assererent, nec piè uiuentibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad damnationem præsciti essent; nec impiis obesse, etiam si improbè uiuerent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam: quâ assertionem boni à bonis auocarentur operibus, & mali stabiliarentur in malis: quæ quidem (vt diximus) ex scriptis S. Augustini, malè perceptis, qui huiusmodi erant, se accepisse iactabant. His autem detentis erroribus fuit Lucidus quidam, magni nominis Presbyter, ad quem Faustus Epistolam illam scripsit; quam, vt verè Catholicam ab Episcopis Concilij Arelatensis probatam, & subscriptionibus munitam legimus. Ipseque Lucidus manus dedit, pœnitentique scripsit aliam Epistolam in detestationem sui erroris. Hoc plane constat ex ipso Concilio, ubi sic proponitur: *Epistola Faustus Rhegiensis Episcopi ad Lucidum Presbyterum, è secta Prædestinatorum. In qua illi sententias proponit, quas reuicere, quasq; amplecti ac profiteri debeat Synodi Arelatensis tempore scripta, & à multis Episcopis, atque à Lucido ipso subscripta.* Deinde etiam sic proponitur Lucidi confessio: *Lucidi Presbyteri errorem emendantis Libellus ad Episcopos: in quo Fidei suæ professionem, iuxta Synodi Arelatensis Statuta, & superiorem Faustus Epistolam depromit.* Itaque sic aberrauit Henricus Canisius, vt Historiam inuenteret; quodque gloriosum fuit Faustò, in eius ignominiam vertit perperam intellectum.

§. IV.

Librum de Gratia non composuit Faustus in sine vitæ, sed multò ante Concilium Arelatense, celebratum anno 524. contra id, quòd minus exactè considerarunt Binius & Longus circa Concilia Arelatensia.

Suerinus Binius, & Franciscus Longus à Coriolano, licèt in Patrum, Conciliorum, rerumque Ecclesiasticarum eruditione peritissimi, licèt Epistolam Faustus Catholicam supponant; dicunt tamen approbatam à Concilio Arelatensi, congregato in Dedicatione sanctæ MARIÆ, quòd ipsi tertium numerant; sed apud Sirmondum quartum insignitur, sicut etiam in magna Parisiorum editione, celebratumque fuit anno 524. atque cum hac persuasione in editione Biniana

Ioann. Enseb. Op. Parib.

Colonienfi anni 1618. In hoc Concilio afferuntur & approbatæ dicuntur duæ Epistolæ Faustus & Lucidi. Quod si ita accidisset, nimirum tam serò Epistolam Faustus approbatam fuisse, contumaciam Faustus magnam indicaret, quòd in vltimis vitæ diebus sparsisset suum de Gratiâ Opusculum, erroribus mixtum, quòd post dictam Epistolæ approbationem fecit. Multa conuincunt toto cœlo errasse in hoc Binium: quòd quidem, vt notat Sirmondus, mirum est viro docto persuaderi potuisse. Nam, vt omittam quòd exploratum est, Faustum Rhegiensem ad ea vsque tempora non peruenisse, ex Faustus Præfatione ad Libros de Gratiâ, atq; ex Lucidi Epistolâ constat, Concilio Arelatensi, de quo agimus, scilicet in quo fuerunt approbatæ Epistolæ Faustus & Lucidi, præfuisse Leontium Arelatensem, cum eoque adfuisse inter alios Mamertum Viennensem, & Patientem Lugdunensem, cum Arelatensi Quarto præfuerit Cæsarius, tertius à Leontio, & Epæonensi, septem antè annis subscripserint Auitus Viennensis, tertius itidem à Mamerto, & Viuentiolus Lugdunensis, quintus à Patientem. Quare longè diuersum, ac multò antè celebratum fuisse Concilium, in quo approbata fuit Epistola Faustus, necesse est. Baronius, aliique eum secuti, coniciunt in annum 490. Quòd etsi proprius abest à vero, satius tamen in re dubiâ duxit Sirmondus ad Sidonij ætatem id referre: tum, quòd Sidonius ad pleròsque ex iis scribat, qui huic Concilio adfuerunt; tum quòd ita potius sentire oportuerit Baronium, qui Faustus libros de Gratiâ & Libero arbitrio, quos Synodi huius auctoritate compositos tradunt, eos ipsos esse contendit, de quibus ad Faustum eundem scribit Sidonius lib. 9. Epistol. 9. Planè mirandum est, quomodo cum coniunxerit Binium Epistolas illas, & Concilium Arelatense in Dedicatione Basilicæ Marianæ coactum, & approbatas subscriptione Episcoporum in illo Concilio dixerit, non aduertit omnino diuersas esse subscriptiones Epistolarum à subscriptionibus Concilij: quòd est euidens signum, eam approbationem non esse illius Concilij, sed alterius.

Præterea anno 524. iam scripserant plures in toto Orbe aduersus Tractationem illam Faustus de Gratiâ: ergo non sumpsit tunc occasionem scribendi illam. Deinde Gelasius & Hormisda, Pontifices, qui illam notarunt, iam erant mortui; imò & ipse Faustus, vt videtur, omnia quidem clamant se fefellisse Binium simul cum Franciscò Longo, imò cum Cardinali Baronio.

§. V.

Libros de Gratia non potuit fraudulenter dirigere Faustus ad Leontium Arelatensem contra Baronium existimantem directos ad Foroiuliensem.

ACCEDO ad Cardinalem Baronium eruditissimum atque ingenium scriptorem: quippe qui suâ admiranda eruditione antecellit alios, & pro suâ ingenuitate cedit semper veritati, etiam à minus doctis admonitus. Cumque excusabilius deuiet, libentius pedem retrahit ad veritatis iter, dictaque minus certa reuocauit; sed præterea, quæ Tom. 10.

in Appendice se fatetur rigidiùs dixisse, censuit Faustam dedicasse librum de Gratiâ & libero arbitrio ad Leontium, Foroiulensem Episcopum, in quo prorsus declinauit à vero, cum non fuisset ille Leontius, is qui fuit Foroiulensis Antistes, sed alius, qui fuit Arelatensis Episcopus: in quo magna differentia est, vt damnetur, aut leniùs notetur Faustus. Porro, quòd non potuerit esse Leontius Foroiulensis, constat ex Concilio Arelatensi tertio, celebrato anno 455. cui præfuit Auiennus, in quo supponitur vitâ functus Leontius Foroiulensis: quod confirmat index posterior, siue nomenclator Iacobi Sirmondi, verbo *Leontius Foroiulensis*. Cùm autem illo anno 455. adhuc esset Monachus Faustus, neque ad Episcopatum ascenderet vsque ad annum 472. (provt vult Baronius Tom. 6. in hoc anno) atque Opus illud de Gratiâ & libero arbitrio scripserit iam Episcopus factus, manifestè sequitur, non dedicasse illud ad Leontium iam mortuum, cum alloquatur illum tamquam viuum. Quod autem fuerit Leontius Arelatensis, ad quem dedicauit suum librum ipse Faustus, constat ex Concilio Arelatensi sequenti aduersus Prædestinianos congregato, anno 475. Nam ipse Faustus in Præfatione ad libros de Gratiâ & libero arbitrio, dixit, Leontium (eundem allocutus) congregasse illud Concilium; imò ipsum Concilium id declarat; quod sic inscribitur: *Concilium Arelatense, quod Leontio Arelatensi Episcopo ad condemnandum Prædestinationis errorem congregatum est, circa annum Christi 475. Simplicij Papæ & Eurici Visigothorum in Gallia Regis, temporibus*. Deinde Præfatione eiusdem Concilij dicitur: Quo consilio coacta fuerit hæc Synodus, & quæ in eâ tractata sint declarari à Fausto in Præfatione librorum de Gratiâ ad Leontium Arelatensem, qui Synodo præfederat. Sic enim illum affatur: *Domino beatissimo, & Reuerendissimo Leontio Papa Faustus. Quod pro solitudine pastoralis, beate Papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore, Concilium Summorum Antistitum congregastis, vniuersis Galliarum Ecclesiis præstitistis*. Consonat hoc cum Epistolâ quartâ in Sirmondo, aliâs octauâ, in editione magnâ Hilarij Papæ, in quâ iubetur Leontius Arelatensis à Summo Pontifice Concilia, ex quibus potuerit Prouinciis, congregare, atque in huius mandati obedientiam celebravit Concilium Arelate, ad damnandum Prædestinationis errorem, anno 475. in quo Lucidus reuocatus ad rectam Fidem per Faustum, subscripsit Epistolæ Catholicæ eiusdem, simul cum multis Episcopis illius Synodi.

Hinc lenitur, quod irritauit Baronium, vt acriùs inueheretur in Faustum, tamquam subdolum, in quo fortasse nullam ipse culpam habuit. Sic enim seuerè de illo loquitur: *Lectorem monitum velim, posteriorem Fausti librum haud integrum reperiri, sed desiderari in eo illa, de quibus ad Leontium idem Faustus in fine ista præfatur; in quo quidem Opusculo post Arelatensis Concilij subscriptionem, nouis erroribus deprehensis, adici aliqua, Synodus Lugdunensis exegit. hæc ibi: At quam ista subscriptio Arelatensis Concilij? Numquid Episcoporum Concilium Fausti Commentarium illum subscriptione firmavit? minime gentium. Verum subscripsit Synodus Fausti illi tantum Epistole, quam dedit ad Lucidum Presbyterum, vt hominem in errore lapsum reuocaret ad Catholicam Fidem. Sed cur, dices illa subscriptio Arelatensis Concilij non*

*in fine Fausti Operis tantum, sed in fronte ipsius ante Præfationem posita legitur, quam illis (vt ait) adici, Synodus Lugdunensis exigit? Numquid hoc casu factum? nequaquam. Sed accipe Fausti vasfrum consilium: hic ipse quidem ad finem sui Commentarij ista apposuit, quibus videri posset, edita scripta ab ipso iam à duabus Synodis esse recepta; sed scias prudenter, inreque inde postea esse sublata, & ante illud Fausti Opus collocata, vt sua quaque tempora & auctoribus redderentur, ne Fausti fraus simpliciores decipere posset. Fateor obscura mihi videri, atque fortasse intricata in se Baronij verba, vt vix explicent omnia, quæ voluit dicere. Id tamen planè colligitur accusasse Faustum doli & versutiæ, quòd poluerit illam approbationem Concilij Arelatensis post finem vltimi sui libri de Gratiâ, vt existimaretur totus ille Tractatus approbatus à Conciliis Gallicanis Arelatensi & Lugdunensi. Sed mihi non videtur verisimile fraudem aliquam intentasse Faustum, cum illud Opus de Gratiâ dedicasset ad ipsum Præsidentem vtriusque Concilij, nimirum Leontium Arelatensem, qui conscius & testis præcipuus fuit eorum, quæ in his duabus Synodis acta sunt. Quomodo enim mentis compos potuisset sperare illum à se decipi, qui plene conscius totius veritatis fuit. Hoc enim non tam esset intentare fraudem, quàm laborare dementiâ. Neque enim tam stolidus fuit Faustus vt dementaretur, nec tam perditus moribus, vt tam intrepidè vellet decipere. Verùm si dedicasset libros de Gratiâ ad aliquem ignarum rerum gestarum in his duobus Conciliis, vt esset Leontius Foroiulensis, maiorem verisimilitudinem haberet minùs benigna Baronij suspicio; cum autem alter Leontius fuerit, nimirum Arelatensis, in ipsa Prouinciâ Phocensi Præsul, cui certa omnia erant, euanescere videtur Baronij coniectura, vt nulla videatur vafrities dolosa Fausti. Propterea, cur vnicè & præcisè obiicitur Fausto appositio illa illius clauulæ, cum alius posset id præstitisse, & appendisse illam in fine Commentariorum de Gratiâ, siue per dolum id fuisset, siue per incuriam. Vnde Seuerinus Binus, & postea Franciscus Longus in Notis ad Concilium Arelatense, iuxta illos tertium; non Fausto vnicè id tribuunt, sed dant locum, vt per alium sit factum, nolentes determinatè iudicium contra Faustum ferre: quod certè mirum non esset, cum plurimos in Galliis habuisset fautores factio Mallilienium, errorque Semipelagianorum. Tum etiam Possessor, Africanus Episcopus, Legatione missa, detulit ad Hormisdam Papam rumores de scriptis Fausti, de Gratiâ & libero arbitrio, vbi nihil significat de tali fraude, quam significare opus omnino esset, si à Fausto dolosè id factum; imò supponit à nullâ Synodo confirmata cum consulentibus de eo Tractatu Monachis respondit, vt ait in suâ Epistolâ, locutus ad Hormisdam: *Dixit quidem ea, quæ à tractatoribus pro captu proprij ingenij disputantur, non vt canonica recipi, aut ad Synodalem vicè pro lege seruari; sed habere nos certa scilicet, quæ veteri Lege, vel noua conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta iudicij ad fundamentum Fidei, ac Religionis integram firmitatem; hæc autè, quæ Antistes diuersi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præiudicio Fidei solere censerent*. Quod si illum Tractatum venditaret Faustus, tamquam confirmatum à duobus Conciliis, nequaquam huiusmodi responderet; sed negaret potiùs confirmationem, & malignitatem eius*

eius imposturæ coargueret. Idipsum confirmatur ex responsione Hormisdæ, quæ frigida & diminuta omnino esset, si in libris de Gratia talis clausula de confirmatione Synodorum duarum apposita dolosè fuisset per Faustum; etenim Possessori Hormisdæ respondit his verbis: *Hi verò, quos vos de Fausti cuiusdam, Galli Antistitis, dictis consuluisse litteris indicastis; id sibi responsum habeant: neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholica Fidei.*

§. VI.

Expenduntur obscura Baronij verba circa clausulam Fausti.

AT vt magis elucescat veritas, placet nonnihil expendere, quæ in prædictis eruditissimi Baronij verba subobscura mihi fortasse cæcutienti apparent; sed si oculatus fuerim, error amanuensium aut Typographorum erit, qui prætermisere aliqua. Ait igitur Cardinalis: *Fausti librum haud integrum reperiri, sed desiderari in eo illa, de quibus ad Leontium idem Faustus in fine ista præfatur.* Obscurum mihi est, quomodo in fine vltimi libri dicat, *ista præfatur*; potius deberet dicere *post fatur*, aut *subdit*. Deinde, si pars vltima libri desideratur, quomodo constabit nobis benè, aut malè locata; nam si proxima & idonea mentio facta ibidem esset de Opusculo duarum Epistolarum, aptè possent ea adici verba, relata ad solum illud Opusculum. Deinde dicit: *Sed cur, dices, illa subscriptio Arelatensis Concilij non in fine Fausti Operis amplius, sed in fronte ipsius ante Præfationem posita legitur, quam illis (vt ait) adici, Synodus Lugdunensis exegit?* Ego planè vidi quotquot exemplaria potui, etiam, quæ edita sunt Baronij tempore, vt est Bibliotheca Margarini, anni 1576. & non inueni positam illam clausulam ante Præfationem Operis de Gratia & Libero arbitrio; sed in fine eiusdem Præfationis; atque idipsum notat Proœmium ad Concilium Arelatense contra Prædestinatianos; tum apud Sirmondum in primo Tomo Conciliorum Galliarum antiquorum, tum in Tomo 9. magnæ editionis Parisiensis; tum etiam constructionem illorum verborum, *quàm illis, &c.* non satis teneo. Denique ait: *Ad finem sui Commentarij ista apposuit, quibus videri posset edita ab ipso iam à duabus Synodis esse recepta; sed scias prudenter, iureque inde postea esse sublata, & ante illud Fausti Opus collocata, vt sua quæque tempora & auctoribus redderentur, ne Fausti fraus simpliciores decipere posset.* Planè, vbi modò posita inuenio, scilicet ante illud Opus; sed in fine Præfationis eiusdem, perinde est ac si in fine totius Operis reiecta fuissent. Idem posset inconueniens sequi. Clariùs & leniùs profectò Spondanus hæc retulit dicens: *Cum autem & ipse Faustus duos libros eodem argumento scripsisset de Gratia Dei & Libero arbitrio, deque Præscientia & Prædestinatione; in quibus multos miscuisset errores, & præcipuè Pelagianæ heresis, ac duarum prædictarum Synodorum monumenta, quibus eius ad Lucidum Epistola approbata esset, iisdem suis libris affixisset, vt sic videri possent iam à duabus Synodis esse recepti, inde accidit vt ea questione turba mota fuerint.* Hic minor dolus recognoscitur, cum id sine prauâ intentione posset accidere; nec dixit Spondanus, quæ mutatio facta fuerit circa illam clausulam. Etenim in fine Præfationis semper video illa verba posita. Quod notat prædictis verbis Spondanus, est, post libros Fausti de Gratia, adiectum fuisse Opusculum duarum Epistolarum Fausti & Lucidi; quod Opusculum approbatum fuit à Synodis Arelatensi & Lugdunensi: quod sanè fieri potuit sine malignitate, coniungendo illos duos Tractatus eiusdem Auctoris, vt fieri consuevit, & minor solet postponi maiori. Sed quamvis hoc factum fuisset sine versutia & prauâ intentione, nihilominus potuit esse aliquibus occasio, vt crederent etiam libros priores de Gratia approbatos fuisse à Concilio; sed non semper occasio est malitia. Vt autem omnis ratio dubitandi tolleretur, deberet anteponi Opusculum duarum Epistolarum simul cum approbatione Conciliorum, illud dumtaxat connotante. Deinde libri de Gratia, quasi ad eos ea approbatio non pertineret; & fortasse hoc voluit dicere Baronius. At saltem sic expediebat fieri postquam aliqui turbati fuerunt. Denique eruditissimus ac doctissimus Dionysius Petauus Tom. 5. Theolog. dogm. lib. 13. cap. 7. omnino contrarius stat narrationi Baronij circa prædictam clausulam Fausti, provt postea videbimus, derogans minus simplicitati Fausti, quam doctrinæ.

§ VII.

Adiecta à Concilio Lugdunensi anni 475. ad Opusculum Fausti de duabus Epistolis. Elucidatur quod actum est in hac Synodo.

NOlo hinc vltra procedere, quin paululum digrediar, ostensurus quid exegit Synodus Lugdunensis adici ad Opusculum Epistolarum Fausti & Lucidi: quod planè nec attulit adiecta; imò à nemine video notatum, quamvis alicubi ipsa inueniantur adiecta. Nec enim dubium est, quin saltem in Epistola Lucidi adici aliqua præscriperit Concilium Lugdunense: ad cuius declarationem necesse est bis fuisse oblatam Patribus Lugdunensibus, ab iisdem examinandam, Epistolam & confessionem Lucidi. Semel cum præsentata fuit eodem modo, ac fuerat approbata ab Arelatensi Synodo; atque in hac occasione Lugdunenses Patres exegerunt adici aliqua. Iterum autem fuit præsentata post adiectionem eorum, quæ iussa fuerunt, vt illa rursus examinarentur, constaretque omnibus obtemperatum Lugdunensi præcepto.

Hinc factum, vt hæc Epistolæ Confessio Lucidi bifariam inueniatur scripta, tum in ipsâ inscriptione, tum in corpore Epistolæ. Inuenitur enim alicubi diminuta, alicubi completior: quippe quæ alia sit, quæ primâ vice sine adiectione præsentata fuit Synodo Lugdunensi, & alia, quæ secundâ vice oblata fuit cum adiectione; cumque in his duabus vicibus acciderit aliqua variatio in Episcopis congregatis; sic etiam in inscriptione ad illos est nonnulla variatio. Cardinalis Baronius in Tom. 6. Annalium, & Seuerinus Binius in Tom. 2. Conciliorum, editionis Colonienfis, anno 1618. & Margarinus in Bibliothecâ suâ non afferunt nisi diminutam Epistolam, scilicet provt præsentata fuit primâ vice, & inscriptam ad pauciores Episcopos. At Sirmondus Tom. 1. & magna editio Parisiensis Conciliorum

Tom. 9. & Bibliotheca Patrum Colonienfis Tom. 5. part. 3. afferunt eam completam, scilicet cum iullis adiei à Synodo Lugdunenfi. Inscriptio Epistolæ diminitæ hæc est: *Leontio, Euphronio F. V. Mamercio P. Viriano, Auxiano, Fausto, Megetio, Paulo, Graco, Eutropio, Basilio, Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Vientio, Theoplasto, Episcopis, Lucidus.* Inscriptio autem Epistolæ completæ cum adiectis ista est: *Domini Beatissimi, & in Christo Reuerendissimis Patribus Euphronio, Leontio, Fonteo, Vientio, Mamercio, Patienti, Veriano, Auxiano, Fausto, Paulo, Megetio, Graco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Basilio, Claudio, Vrsicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplasto, Leocadio, Vientio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni & Licinio, Episcopis, Lucidus Presbyter.* Quæ autem adiecta fuere, inseruntur iam post medium, inter illa verba, quæ inuocant illum; & illa, assero etiam, ita vt extent post vocem illum, & ante vocem assero, & sunt ista: *Et quia in tantis rebus conscientia satis faciendum memini me antè dixisse, quod Christus pro his tantum, quos credituros præsciuisset, aduenisset, sententias Dominicas sequens, quibus ait sic: Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis. Et illud. Hic est calix sanguinis mei noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vel illud Apostoli: Sicut semel statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatu est ad multorum exhaurienda peccata. Nunc verò sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abundè per spatia diuinarum Litterarum inueniuntur, ex seniorum doctrinâ, ratione patefactâ libens fateor, Christum etiam pro perditis aduenisse, qui eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solùm, qui videntur esse saluari, immensa diuitias bonitatis, ac beneficia diuina concludi. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt, videbimur absolvere non redemptos, quos pro redemptione contemptâ esse puniendos.*

Ex dictis apparet, in Concilio Arelatenfi non esse ponendam Epistolam completam; sed eam, quæ diminuta erat, quod non obseruauit Sirmondus & magna editio. Spectat quippe Lucidi confessio seu Epistola aucta ad Concilium Lugdunense, quod proximè secutum est Arelatensem Synodum: vnde deberet reponi aut integra, aut integra, aut fragmentum adiectum in Lugdunensi Concilio, ne tam ieiunum apponatur inter alia Concilia, sicut extat in editione magnâ, vt vix solo nomine & commemoratione innotescat, sine speciali & certâ definitione.

§. VIII.

Suspicio Dionysij Petauij circa Concilia Arelatense & Lugdunense, scriptaque Faustii.

NOlo hîc obliuisci opinionationis pereruditi Dionysij Petauij Tom. 5. Theolog. dogm. lib. 13. cap. 7. circa scripta Faustii, Epistolam Lucidi, subscriptionem Concilij Arelatenfis, & gesta Lugdunensis; vbi multa habet probè considerata, aded vt nulla reprobem, licet ea solùm probem, quæ nuper dictis non refragantur, multaque componi possunt simul cum meâ existima-

tionem. Igitur Petauij ratiocinatio hæc est: erroris capita quæ in Arelatenfi Synodo agitata damnataque sunt ab Episcopis triginta, quorum Princeps fuit Leontius Arelatenfis Episcopus. Affuerunt & Mamertus Viennensis, ac Lugdunensis Patiens, tum Faustus Reienfis, qui non solum cum celebraretur Synodus, ac de Lucido condemnando ageret, ad eum scripsit Epistolam; verum etiam post absolutam Synodum, Leontij hortatu, quæ in illâ statuta fuerant, vberius exposita redegit in Opusculum quoddam, cui nonnulla fuerunt addenda post Lugdunenlem Synodum, nouis nimirum *deprehensis erroribus*, qui in hoc breui post Arelatensem peractam notati fuerunt. Sic enim illa Faustii Reienfis interpretor in fine nuncupatoriæ ad Leontium Epistolæ, *In quo quidem Opusculo post Arelatenfis Concilij subscriptionem, nouis erroribus deprehensis, adici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.*

Primum itaque post Arelatense Concilium, Leontij rogatu, Opusculum scripsit, in quo ea complexus est, quæ in illo Concilio sancita erant contra Prædestinatorum hæresim. Deinde, cum eadem, vt conuicimus, de causâ, nouis interim patefactis erroribus, congregata Lugduni Synodus esset, in quâ contra recentes illos errores noua erant condita decreta, res ipsa postulat, vt de iis aliquid ad Opusculum suum adderet. Quod si rogatu Synodi Lugdunensis id Faustum fecisse malimus, haud equidem repugnem: eâ tamen lege, vt à neutrâ Synodo integrum Opusculum, hoc est, nouis illis additamentis auctius factum, approbatum esse videatur. Nam de Arelatenfi perspicua res est, cum hortatu Leontij, de his, quæ Synodus constituerat, lucubrationem illam composuisse se dicat. In quo falluntur, qui ab hac Synodo probatum Opus istud, hoc est, libros de Libero arbitrio Faustii duos existimant; quoniam post Concilij Arelatenfis subscriptionem quædam se addidisse testatur. Hæc enim *subscriptio* non ea putanda est, quâ libros istos approbarint; sed quâ sua decreta confirmant, vt sit idem ac post Arelatenfi Concilio finem impositum. De Lugdunensi verò magis id amplector, quod primum potui, vt ob noua decreta posterioris istius Concilij quidpiam addi ad Opusculum necesse visum sit: non vt lecto iam Opusculo Synodi Patres amplius postulauerint. Quod si Lugdunenses tamen illos Patres adiei aliquid ad Opusculum postulasse verisimilius est: per me istud licet, dum ne libros illos Faustii duos vllius Catholicæ Synodi suffragio probatos existimemus: quos constat tot magnorum & sanctorum virorum iudicio reiectos ac damnatos fuisse; ac nemo sit, qui si attentè, & cum vsu aliquo diuinarum rerum illos legerit, non Pelagianæ veneno hæresis adpersos & contaminatos esse cognoscat.

Quocircâ dici hoc probabiliter potest, si Lugdunensis Concilij suffragio commendatum esse Faustii Opusculum placet; nullam in eo tum labem erroris fuisse. Postea nouis quibusdam additamentis auctum & interpolatum in illam euasisse corruptelam doctrinæ Catholicæ, quæ homini, ceteroqui sancto atque docto, sinistri iudicij notam apud posteros, atque infamiâ inussit. Verè itaque licet hoc affirmare de Faustio, Synodorum ipsum duarum auctoritate fretum, præscriptos ab illis rectè sapiendi ac loquendi fines excessisse, & ad Palagianos scopulos propius, quam oportebat, admotam nauem suam allisisse. Certè in Præfatione

tione librorum suorum ad Leontium fatetur se latius vicumque sermonem de Præscientiâ ac Prædestinatione produxisse, ut, quæ putabantur obscura, absolutiora tardioribus redderentur. Quibus verbis videri potest ea significare, quæ ad Opusculum, iam ante Lugdunensem Synodum elaboratum, eius vel rogatu vel auctoritate permotus adiecit; nempe illa, quæ ad Prædestinationem, & videlicet voluntatis humanæ cum auxiliis gratiæ consensionem, atque id genus alia pertinent, in quibus enucleandis à Catholicâ regulâ descivit. Hactenus Petavius: cui cum in multis assentiam, nequaquam cum ipso conveniam, si velit Epistolæ Faustæ & Lucidæ negare subscriptionem Concilij Arelatenfis, cum ipsas in dicto Concilio legamus multorum eiusdem Episcoporum firmatas: quare inconcussum manet, quod diximus de Opusculo harum duarum Epistolarum. Quod atinet autem ad libros de Gratiâ, locum potest habere, quod ipse autumavit Petavius.

§ IX.

Baronius tandem non stat contra sanctitatem Faustæ. Exhibentur plura antiquorum Patrum exempla.

Regredior iam ad Faustum, cuius nec errores volo negare, nec sanctitatem proclamare, sed inuestigare veritatem. Errores notavit Ecclesia, sanctitatem poterit explicare. Pro veritate explorandâ disceptare, non improprium est auctoris Catholici, sicut nec exploratam occultate Ecclesiæ. Quamvis enim sanctus Sidonius Apollinarius non solum Faustum, sed eius Scripta de Gratiâ multis encomiis extollat lib. 9. Epist. 9. atque uti Magistrum veneretur, quemadmodum & sanctus Paulinus, talem sibi fuisse scribat Faustum in Epistolâ ad ipsum, & quamvis dicat Honorius Augustodunensis, de illustribus Ecclesiæ Luminaribus, de Faustæ Episcopo Rhegiensi, anno Domini 490. *Faustus ex Abbatæ Lerinensis Monasterij, apud Rhegium Gallia, Episcopus factus, vir in divinis Scripturis satis intentus, composuit librum de Spiritu sancto, & egregium Opus de Gratiâ Dei, quâ saluamur, & alia.* Hæc Honorius. Similiter & Gennadius de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 85. *Edidit quoque Opus egregium de Gratia Dei, qua saluamur, in quo Opere docet, gratiam Dei semper & imitare & præcedere, & adiuvare voluntatem, & quidquid ipsa libertas arbitrij de labore pie mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed esse gratiæ donum.* Driedo quoque, lib. de Captiv. & Redempt. Tract. 2. cap. 2. part. 4. eiusdem probat libros de Gratiâ. Nihilominus prævalere debet iudicium Gelasij Papæ, (qui non sine causâ eos inter apocryphos retexit) simul cum sententiâ sanctorum Fulgentij & Cæsarij, atque aliorum Antiquitatis Scriptorum, qui in iis libris haud Catholicos sensus notarunt. Nec tamen proinde dico, non ingenuè fecisse Baronium, cum intactâ Patrum sententiâ de Doctrinâ, reuocavit Tom. 10. in Appendice ad annum 490. quæ aduersus sanctitatem Faustæ dixerat in Tom. 6. & quoniam Baronij retractationem alicui dedimus, nunc eius loco apponemus, quæ Henricus Spondanus habet: *Quod usque ad hæc tempora nostra eundem Faustum continuerit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipsum Molanus primus expunxit, quodque etiam Ecclesia Rhegiensis, ubi ipse*

sedit Antistes, semper eundem ut Sanctum coluerit, celebrans eius natalem decima septima Ianuarij, ibique in eius memoriam antiquitus erecta Basilica, eius nominis titulo insignita, hætenus ipsius cultus à fidelibus frequentetur: quodque demum tot sæculis Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine (quod sciat) contradicente, istâ eidem Faustæ exhibita intelligantur, opinari compellimur de eodem Faustæ accidisse, quod de multis veris sanctis asseritur, ut aut errorem correxerit, vel ante suorum Scriptorum factam ab Ecclesiâ damnationem diem obierit (incertus est enim eius obitus annus) habens in animo in his sequi, quod sequendum doceret Ecclesia. Ita enim ipsum compositum animo fuisse, aliisque in notuisse inde facillè potest intelligi, cum semper (ut indicant Acta Conciliorum Arelatenfis & Lugdunensis, superius citata) communicationem habuerit cum Orthodoxis Galliarum Episcopis.

Accedit ad fundamenta Baronij & Spondani, quod Faustus vocetur Sanctus, non solum superstes in Concilio Arelatenfi tertio, in causâ Lirinensis Insulæ; sed vitâ iam functus in Concilio Aurelianensi secundo, publicationeque Epistolæ Ioannis Secundi, à sancto Cæsario factâ, propterea indicauimus. Maximâ enim consideratione dignum est, quod sanctus Cæcilius, postquam scripsisset contra Faustum, approbataque vidisset propria scripta contra ipsum a Felice Papâ Tertio, nouissetque, tamquam oculatus testis, omniâ Faustæ gesta; nihilominus vocauerit eum *Sanctum*, citaretque eius auctoritatem in Litterarum Apostolicarum publicatione, coram Aurelianensium Patrum Synodo. Præterea, inter Sanctos Lirinenses apponitur in Catalogo Sanctorum eius Insulæ, tum alphabetico, tum in Indice Meneologico; propterea videri potest apud Vincentium Barralem, in Chronologiâ Hinc post retractationem Baronij, in Catalogo Episcoporum Rhegiensium qui extat in Galliâ Christianâ Richardi Roberti, non absque decore sanctitatis Faustæ tributæ reuerenter memoratur.

Ceterum & Theodoretus quoque scripta aduersus Cyrillum, in quintâ Synodo Generali damnata sunt, vñâ cum Scriptis Theodori Mopsuesteni, quem idem Theodoretus mirificè laudat libro quintò, extremo suæ Historiæ. Ipseque Theodoretus fauit aliquando Nestorio; sed quia postea resipuit, non obstitit prior error, quod minus eum videamus inter Beatos prædicari. Gregorius etiam Bæticus, licet Luciferiano schismati aduersus Ecclesiam adhæsisset, postea poenitens, in Martyrologio Romano Sanctus celebratur. Quid dicam de Lucifero, aduersus quem loquitur sanctus Augustinus, & Luciferianorum fuit caput, nunc in Sardinia colitur; imò Matriti videmus sacris ritibus cultum, ipseque Summus Pontifex Innocentius Decimus, concessis Indulgentiis, magis festiui reddidit eius diem. Dixerat Baronius defunctum in schismate Luciferum, acerbe inuectus aduersus eius sanctitatem. Similiter & Spondanus ad annum 362. dixerat: *Lucifer, qui hoc Iuliani Imperatoris tempore in Sardiniam rediit, sub Valentiniano mortuus est in schismate; quem temerè nimis atque mendaciter Ioannes quidam Area, natione Sardinus, in libro de Sanctis Sardinie, inter Sanctos collocavit.* Nihilominus rebus magis exploratis, in secundâ editione se retractavit, & Baronium excusavit, sic concludens: *Quocirca mansant tam nostro, quam Baronij nomine Lucifero*

intēgra penitentiā ac palinodia sua iura, nec ex nostris scriptis sentiat praeiudicium.

In hac classe numerandus quoque est Felix Secundus, de quo hæc Spondanus ad annum 357. Cum ingressus Felicis absque controuersia à maioribus fuerit existimatus iniquus, de exuip-sius eadem inter se pugnantia scripta uident, inde & accidit, ut temporibus Pontificatus Gregorij XIII. dum de emendatione Romani Martyrologij à viris eruditiss, ad hoc delectis, frequentes haberentur conuentus, & de Felice non leuis controuersia incidisset, expungendusne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absque Martyrij titulo relinquendus, ob innumeras contrarias assertiones, idem Felix causa fermè ceciderit; nisi planè magna Dei prouidentia factum esset, ut cum in Diaconia sanctorum Martyrum Cosmae & Damiani, in Foro Romano, clam quidam altare suffoderent, ut thesaurum inuenirent, quem acceperant ibi esse reconditum, in arcam marmoream incidere, in cuius altero latere tabula lapidea, interstitio ab altero distinctio, reposita, inuenirentur Reliquie sanctorum Martyrum Marci, Marcelliani, & Tranquillini, in altero uero corpus sancti Felicis, de quo agimus, unā cum lapideo laterculo, ibidem intus posito, hisce litteris exarato: Corpus sancti Felicis Papa & Martyris, qui damnauit Constantinum. Quod accidit pridie eius diei, quo eiusdem sancti Felicis in Ecclesia natalis dies agi consuevit quarto Calendas Augusti anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo, quando opportunè ipsemet uisus est admiratione omnium rediuitus comparuisse, per se suā causam acturus, cum iam stylo contradicentium valdè esset oppressus. Planè Cardinalis Baronius scripserat aduersus eius sanctitatem; sed post inuentum eius sepulchrum gauisus est, quod ueritas in ipso uicisset.

Sunt aliqua uetustatis gesta adedò abstrusa, difficultaque explorata, ut quæ aliquibus uisa sunt plana & certa, maior alia exploratio & eruditio non solum incerta, sed falsa conuincat, sicut accidit in gestis Luciferi Calaritani, quem doleo inter damnatos quondam numerasse; quoniam doctissimus Ambrosius Machinus, Archiepiscopus Calaritanus, in pereruditâ Apologiâ suâ, ex conspicuis Antiquitatis testimoniis, euidentem fecit Luciferi sanctitatem finalem; cui addi potest testimonium Fratris Saluatoris Vitalis, in suo Propugnaculo Triumphali, ex Codice antiquo, in Archiuo Vercellensis Ecclesiæ adseruato, ubi agitur de Vitâ & gestis beati Eusebij Vercellensis, sic concludit: *Mortuo sancto Eusebio, erectæ sunt ei Ecclesiæ, &c. Mortuus est autem & Lucifer, eius collega, & gentilis, & ambo canonizati fuerunt, & Ecclesiæ eis erexerunt Fideles in diuersis locis.* Sermo est de canonizatione more antiquo. Omitto multos alios Ecclesiasticos Scriptores, qui pro sanctitate eiusdem Luciferi defendendâ enixè laborarunt.

Laboriosissimam quoque pro sanctimoniâ Cassiani elucubrationem edidit Ioannes Baptista Guesnay, integro volumine edito de Cassiano illustrato, qui Massiliensium etiam antesignanus fuit, eiusque Opera sunt à Gelasio declarata apocrypha, sicut accidit Faustis. De exploratione tamen, quam pro eius sanctitudine fecerunt Patres Societatis IESU, constat (hæc uerba extant in Vindicijs eius) *Abbatiam, cui præfuit Cassianus, nunc uocari Sancti Victoris Monasterium, prope Massiliam edificatum, in eoque caput ipsius*

Cassiani integrum, theca ex argento inaurato, gemmisque ornata, inclusum asseruari. Corpus autem ibidem in crypta inter multa aliorum Sanctorum sacra Lipsana iacere conditum in loculo marmoreo, quatuor columnis suffulto. Deinde uigesimam tertiam diem Iulij festina ipsius memoria dicatam coli, cum Octaua solemnè nouem Lectionum, Officio de Missâ propriâ; quæ extant in Supplemento Sanctorum Monasterij Victoriani, edito Lugduni anno M. D. C. In ipso autem Officio dici: *Hodie Cassianus in calum ab Angelis euectus est.* Porro summa Lectionum, quæ in Nocturnis leguntur, hæc est, nempe: Cassianum genere Scytham, Athenis natum (ubi & Sodalitium quoddam instituit) à puero ferè Bethleemitem extitisse cœnobitam; atque in ipso oppido Bethleem aliud postea etiam Sodalitium erexisse. Deinde in antrum trium Seniorum, Charemonis, Nestoris, & Ioseph se contulisse: quorum contubernio sanctioris uita documentis informatus est. Peragrata deinde Aegypto cum Germano Abbate, Constantinopolim appulit, & à Beato Ioanne Chrysostomo creatus Diaconus; Romæ uero Sacerdotio initiatus fuit. Tandem, postquam multa in Oriente præclara egisset, Massiliam profectus, erecto Cœnobio celeberrimo, quinque millium Monachorum institutor extitit; in alio uero sacro Parthenone copiosum sanctarum Virginum gregem gubernauit.

Denique, cum duodecim Institutionum Libros, Collationes Patrum, & Tractatum de Incarnatione scripisset, anno ætatis suæ supra nonagesimum septimo in pace quieuit, multis claris uirtutibus, sub Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, decimo Calendas Augusti.

Luculentum etiam pro Cassiano testimonium adstruunt Litteræ multorum Galliæ Antistitum; sed maximum omnino Benedicti Papæ Noni, quæ in eodem Victoriano Cœnobio asseruantur: in quibus disertis uerbis Cassianus appellatur Sanctus.

Sanctus Hilarius quoque Arelatenfis Episcopus, inter Massilienses numeratur à sancto Prospero, in Epistolâ ad Augustinum, tum etiam, quia turbauerat Ecclesiæ Gallicanas, & uolentus fuisset, atque iniustus, ad indignationem concitauit sanctum Leonem Papam, ut constat ex Epistolâ eiusdem sancti Pontificis, quam scripsit ad Episcopos Prouinciæ Viennensis, aduersus Hilarium Episcopum Arelatensem; ubi eum dicit assuetum mentiri: tum loqui indignius, quàm faciunt laici, turbasse Ecclesiæ statum, fuisse usurpatorem immitem; ademitque illi dignitatem Metropolitanæ, & potestatem in Prouinciâ Viennensem. Ceterum, licet Hilarius iura suæ Ecclesiæ uendicaturus, plus æquo uisus est esse prolapsus, (nam & ut quos ordinasset Episcopos, inuitis etiam ciuibus intruderet, manum sibi armatam contrahere, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidionibus cingere, vel aggressionibus referare consueuisse, ut rescripto suo testatur Imperator) Idem tamen post hæc cedens, eò peruenit sanctitatis, ut ore omnium meruerit commendari, quem sanctus Eucherius, in præclarâ ad illum de laude Eremitæ scriptâ lucubratione, & sanctus Prosper in Chronico, Constantius item in Vitâ sancti Germani Antiodorensis, Gennadius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ac demum ipsæ Tabulæ Ecclesiasticæ in quas nomē eius anniuersariâ memoriâ celebrandum relatum est ob egregias ipsius uirtutes, & spectatissimam morum sanctitudinem,

nem laudibus extulerunt: scripsitque res eius præclare gestas Honoratus, Episcopus Massiliensis. Denique, haud de illo excidat, quod Gennadius tradit, ad eum paupertatis amatorem, & erga inopum provisionem non solum mentis pietate, sed & corporis sui labore sollicitum fuisse, ut proficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas homo genere clarus exerceret.

Hosius, quoque misere lapsus, subscripsit impia fidei formulæ. Superavit enim ex multorum sententiâ lapsus Hosij præteritorum omnium casum, siue Origenis, siue Tertulliani, vel quarumvis aliorum dixeris; cum nullus tot, tantisque publicis actionibus ad statum totius Reipublicæ Christianæ spectantibus, tum in Occidente, tum in Oriente perfectis, æquè ac ipse, neque tanta temporis diuturnitate, spectatus fuerit. Post tantum nihilominus lapsum Franciscus Biarius, Monachus instituti Cisterciensis, in Commentario ad Chronicon Dextri disertè ait de magno Hosio, quem Arii labe infectum decessisse multi ab hæreticis, æius æmulis, decepti existimarunt. *Concors sanctorum Patrum sententia in id conspirat ut quasi Sanctus ipse colatur; nam post eius mortem eum verè sanctum, & verè Hosium, id est, re ac nomine Osium (quod Græcis Sanctum significat) appellant. Et quod plurimi faciendum est, sancti Hosij Festum celebrat Ecclesia Syria ad diem quintum Nouembris, nomemque eius sacris Fastis insertum continet his verbis: Osij Festum solenne. Testatur insuper Archiepiscopus Damascenus pro eius Nationis Patriarcha, in urbe Legatus, multas esse in Oriente Ecclesias huius sancti nomini dicatas. Hæc ille: quæ ad rem nostram non attinet disputare, sed referre.*

§ X.

Non omnes, qui olim errarunt habitii hæretici.

NE c dubium quin nonnulli ex vetustis Patribus, licet materialiter aliquam protulissent hæresim, ipsi tamen non fuerunt formaliter hæretici, quod accidisse Massiliensibus multi affirmant, tum moderni Scriptores, tum antiqui; imò ipsi, qui aduersus eos acerrimè scripsere. Suarez in Opere tripartito de Gratia, Prolegom. 5. cap. 5. num. 7. id ratum habet, cum ait: Negari non posse Cassianum fuisse vnum ex præcipuis illius erroris defensoribus. Per quod, inquit, non intendimus eius damnare vel onerare personam; nondum enim erat illa sententia hæresis vel erroris damnata ab Ecclesia, ut Prosper in fine libri contra Collatorem apertè docet, Cassianumque inter Catholicos numerat. Solum ergo de doctrinâ ipsâ tractamus.

Vasquez Tom. 1. in 1. part. disp. 91. cap. 2. n. 8. Alius, inquit, error, qui dicebat paruulis concessum aut negatum fuisse Baptisma propter opera, quæ aliàs, si vixissent, facturi præciebantur, non legitur fuisse Pelagij, sed eorum, qui dicebantur de reliquiis Pelagianorum; & aliàs viri Catholici erant, Massiliensium scilicet. Idem Vasquez disp. 89. cap. 5. locutus de sancto Chrysostomo, Marco Eremita, Fausto Rhegiensi, & Cassiano; vocat eos alioqui pios & religiosos; & cap. 4. ait: *H. omnes, utpote alioqui Catholici & Religiosi.* Dionysius Petavius lib. 13. Theolog.

dogm. cap. 7. locutus de Fausto ait: *Ceteroqui sancto & docto.* Aubertus Miræus in Notis ad Gennadium cap. 85. dixit de Fausto: *Colitur ut Sanctus in sua Reiens Ecclesia.*

Sed ut antiquitatem consulamus, non est omitenda Lugdunensis Ecclesiæ censura. quæ in libro de tribus Epistolis (qui habetur in Auctuario Bibliothecæ Patrum) Massilienses istos (aduersus quos Augustinus scripsit libros de Prædestinatione Sanctorum, & Perseuerantiæ bono) appellat fideles, magnos, & Sanctos apud Galliæ viros.

Constat etiam, Massilienses generaliter, & Gallorum Doctores, qui cum illis sentiebant, Catholicâ communionem propter errorem suum non fuisse priuatos, sed in sanctorum fratrum numero habitos; satis constat ex ipso Augustino, qui in libris contra eos, ad Prosperum & Hilarium scriptis passim eos *Fratres* vocat, & in 2. lib. cap. 17. ab hæretica prauitate excusat, dicens: *Neque enim Pelagiani sunt, ut aduersus istam perspicuam veritatem dura & hæretica peruersitate contendant; sed hæc inquiunt, ut à Deo dentur nobis, Fides impetrat, quæ incipit à nobis.* Et ibid. c. 24. *Hoc donum (gloriandi in Domino) Pelagianis optamus, ut habeant; istis autem nostris, ut plenus habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti, in orationibus pigri: Oremus dilectissimi, oremus, ut Deus gratiam etiam det inimicis nostris.* (Pelagianos intelligit) *maximèque fratribus, & dilectoribus nostris, intelligere, confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam, qua in vno omnes cecidimus, neminem nisi Gratia Dei liberari, eamque non secundum merita, tanquam debilem reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus dari.* Vbi eos, qui præuenientem gratiam necessariam esse negabant, & regenerationis donum, secundum meritum congruitatis dari putabant, nunc nostros, nunc fratres suos appellat. Cum verò *dilectores* vocat innuit, quod dixerat illi Prosper in Epistolâ, cui respondet; Massilienses nimirum, excepto dogmate de præueniente gratiâ & prædestinatione absolutâ, in cæteris Augustinum amare, sequi, & admirari. Sic enina Prosper: *Vnum eorum præcipua auctoritatis, & spiritualium studiorum virum sanctum Hilarium Arelatensem sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tue esse doctrinam.* Et Hilarius in suâ Epistolâ (Hilarius, inquam, Presbyter, non Episcopus ille Arelatensis Sanctorum catalogo inscriptus, qui tunc vivebat in maximâ auctoritate, & ab Augustino dissidebat; de quo Prosper modò loquebatur quod valdè pro Massiliensibus minùs de excommunicatione infamandis facit, quando tantum Episcopum secum habent sentientem, & ab Augustino dissidentem) Hilarius, inquam, Presbyter idem refert: *Sed planè illud tacere non debeo, quod se dicant (Massilienses nimirum) tuam Sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.* Hos ergo, quos Prosper & Hilarius dicebat esse in ceteris Augustini admiratores, modestiùs de se sentiendo, Augustinus vocat suos dilectores, ut & eodem libro cap. 22. *Videant tamen ij, quibus amantibus me ingratus esse non debeo, qui præter hoc, quod in questionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti; videant, inquam, utrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum, quos mei Episcopatus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad*


Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari, &c. Itaque Augustinus, quamvis eorum errori merito repugnabat; ipsos tamen pro Catholicis fratribus agnoscebat. Similiter & Prosper, etsi in eos vehementius inuehatur, vocat tamen eos in Epistola ad Augustinum, *meritis atque honoribus claros, egregios in omni virtutum studio viros, & apud simpliciores magna de contemplatione probitatis reuerentia conspicuos, imo & sanctos.* Et in lib. contra Collatorem, *Catholicos*, cap. 33. *Quis hæc predicari à Catholicis inter Catholicos crederet?* Et in Peroratione illius scripti (quem locum Gazæus potuit) *Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraternâ societate diuisi, toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio, donec Dominus per Ecclesie Principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hæc, que per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam turbata sunt, componat.* Sentit ergo etiam Prosper, Cassianum & alios, etsi ipsius iudicio, & re ipsa grauius errantes; tamen potuisse ab ipso dissentire sine vnionis Catholicæ iacturâ, donec Ecclesie Decreto quæstio terminaretur. Videri etiam potest Henricus Cuychius, Episcopus Ruremuerdensis in sua Præfatione ad Cassianum, & Vindiciæ apud eiusdem editionem. Iuuat dicta hæc aliquorum Theologorum consideratio; nimirum potuisse Massilienses eo tempore, sine notâ schismatis aut vnionis Catholicæ iniuria à sanctis illis Gratiæ Promachis dissidere. Constat enim Concilium Arausicanum, secundum quod ex sententia Augustini & Prosperi contra Semipelagianos est concinnatum, in quo condemnatur sententia à Cassiano & Fausto defensa, negans præuenientis gratiæ necessitatem, celebratum fuisse post Cassiani & Fausti obitum; nempe anno 529. sub Felice Papa IV. & male confundi à multis cum Arausicano primo, quod sub Leone coactum fuit, nec edidit Canones de Fide, sed de Ecclesie dumtaxat moribus & libertate. Doctores autem & Pontifices vsque ad id tempus, Massilienses (qui postea Semipelagiani sunt appellati) tolerauisse tamquam Catholicos, & viros sanctos, etsi errore peculiari irretitos, satis constat. Aliter enim multò iudicauit Dei Ecclesia de iis, qui licet absolutam Prædestinationem, ab Augustino acerrimè defensam, negarunt; gratiam tamen præuenientem agnoscerent. Aliter de Semipelagianis, qui gratiæ præuiæ necessitatem tollerent, & tamen necessitatem gratiæ, simpliciter considerata, confitebantur: aliter denique de Pelagianis, qui gratiam vtilem quidem fatebantur, sed necessariam esse negabant: Pelagiani enim expungebantur Catholicorum numero, Ecclesiasticis functionibus arcebantur, Rescriptis Imperatoris damnabantur. Semipelagiani diu pro Catholicis habebantur, & in gradibus Ecclesiasticis stare permittebantur. Sententia tamen illorum Synodali Decreto, & Romanæ Ecclesie auctoritate tandem est damnata: sic tamen vt ipsi Massilienses, qui eam ante Arausicanum Concilium tenuerant, non damnarentur. Qui verò absolutum Decretum Prædestinationis contra Augustinum negabant, non modò non damnabantur hæresis, vt Pelagiani; sed nec erroris, vt Semipelagiani, sed mittebantur in suo sensu abundare, etsi fortiter eos Prosper, & alij Augustini defensores refutarent. Et Pelagianos quidem tum

anathemati subiectos fuisse tanquam hæreticos, non est opus ostendere; nemo enim dubitat. At Massilienses, & Gallorum Doctores, qui cum illis sentiebant, Catholicâ communionem propter errorem suum non fuisse priuatos, iam ex sancto Augustino & Prospero notatum est. Nec leue signum fuit intentionis generaliter Catholicæ in Massiliensibus, quòd post definitionem Concilij Arausicani non adeò sententiam suam fuere tutati, sed acquieuerunt veritati omnino declaratæ.

Quòd si obiicias Ioannem Maxentium, qui in Responsione ad Epistolam Hormisdæ apertè & euidenter libros Faustii de Gratiâ dixit esse hæreticos, eiusdem personam notans. Sciendum est, ipsum Maxentium inuerecundè & fraudulenter impugnare Epistolam sancti Pontificis Hormisdæ, tamquam Faustii errorem approbaret, cum in eâ Pontifex solum libros Faustii non præferendos esse Augustini, Prosperi, & Hieronymi sanæ sententiæ; ipsos tamen non omnino reiiciendos, sed excepto errore hoc, vtiliter legi posse assereret. *Errat, inquit, à via, qui ab eo, quod Patrum electio monstrauit, exorbitat: nec etiam improbatum diligentia per multa discurrrens; sed animus à veritate declinans.* Quatenus verò utilis sit eorum lectio, subdit: *Sepè de his necessaria prouidetur, de quibus ipsi emuli conuincantur, responsio: nec vitio dari potest nosse quod fugias, atque ideò non legentes incongrua in culpam veniunt, sed loquentes.* Quòd si ita non esset, numquam Doctor ille gentium acquiescisset nuntiari fidelibus, *Omnia probate, quòd bonum est, retinete.* Deinde remittit Hormisdæ Possessorem (cui scribebat) ad Decretum Gelasij de Libris authenticis, inter quos ponit Hieronymum, Augustinum, Prosperum, tamquam legitimos veræ doctrinæ testes, Faustum verò, Cassianum, & ceteros similes non quidem hæreticos Auctores; sed errantes tamen inter *apochryphos*, hoc est, cautè legendos, & extra auctoritatem Ecclesiasticam positos recenset, sicut & Clementem Alexandrinum, Arnobium, Lanctantium, Sulpicium Seuerum; quos tamen Ecclesia numquam habuit pro hæreticis; hæreticos enim ita notat ibidem Gelasius; *vt eorum scripta cum suis Auctoribus & sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum consistear esse damnanda.* Itaque Romana Ecclesia tunc temporis Massilienses istos, non vt hypocritas & lupos occultos (provt aliquando dixit sanctus Prosper) aut vt hæresi infames (quod præsumpsit Maxentius) damnabat; sed vt errantes, & incautè, & *hand sanè loquentes & sentientes improbat,* in Catholica tamen cõmunionem retinebat. Maxentij autem censura prorsus contemnenda est; quippe qui Nestorianismum Possessori, Catholico viro, ipse Euthychiano dogmate infectus, falsò obiicit, & vt licentiùs Pontificem Hormisdæ impugnaret, Epistolam illius indubitatam, ab hæretico aliquo homine scriptâ, audacter fingit. Hæc satis pro ingenuitate Baronij, se corrigentis, ne temerè putetur id factum.

Illud tandem aduertendum: Opuscula Faustii nondum credo inueniri omnia simul edita; sed ita vt partim hinc, partim illinc reperiantur. Quoniam licet in variis Bibliothecis veterum Patrum inueniantur nonnulla, desunt aliqua in vna Bibliothecâ, quæ in alterâ extant, & ab omnibus desunt alia; sicut deest post tot Bibliothecarum multiplicationem, & etiam post collectionem veterum Gallie Theologorum sermo Faustide sancto Maximo, qui extat in Chronologia Sanctorum & Abbatum

Abbatum Lerinensium in secundâ diuisione numerandorum foliorum pag. 115. compilata à Vincentio Salerno, & edita Lugduni anno 1613. Vnde compilatores Bibliothecarum Colonienfis, & aliquarum Parisiensium transcribere illum possent, & suis inferere Bibliothecis; sed non omnia solet complecti humana notitia & diligentia, aut fortasse lubentia. Ex dictis concludo, in Operibus Catholicis non esse contemnendam auctoritatem Faustii; quoniam eam non contempsit sanctus Cæsarius, vt diximus. Affatim hæc differuimus examinanda ab omnibus, à pluribus toleranda; ab aliquibus probanda, & à te corrigenda.



EPISTOLA VI.

De mente & suffragio Alberti Magni pro Immaculata Conceptione.

Ad Illustrissimum DD. Franciscum Borgiam Hierarchum Regiarum Discalceatarum Catholicæ Aule, & sacre Theologiæ Doctorem.



HÆREDITARIA pietate, paternâ & auitâ, (scilicet à sanctissimo viro beato Francisco Borgiâ, cuius sanguinem habes in venis, & virtutem hauris in corde; illud ex naturâ & profapiâ, hoc ex voluntate & imitatione, vt quem nomine memoras, specimine repræsentes) opportunè importuno quæsitore pro Immaculati Deiparæ Conceptus exaltatione, cogor, imò aueo satisfacere, ne putes dubium esse suffragium beati Alberti Magni ob multiplicem sapientiam, eximique Scholasticorum principis; qui quamvis appareat sibi aduersarius circa incontaminatam Conceptionem in diuersis locis, vnus, & profectò præcipuus est, ex illis Doctoribus, de quibus dixit Gerson Serm. de Conceptione in Append. quòd in hac materiâ interdum videntur dicere contraria, non tamen dicunt. Et quidem fuisse Albertum egregium assertorem omnimodæ puritatis animæ Virgineæ, dubio procul mihi est perspicuum, & fortasse faciam aliis: nam præter illud decantum, imò recantatum à pluribus Doctoribus testimonium, quod affert Canisius, addo ista.

In Summâ Virgineâ, siue Mariali, super *Misus* est, quæst. 14. ait: *Ex peccato secutum fuit triplex ve in coniuncto, ve pœna, ve ignorantia, ve culpe. Item triplex ve culpe, Originalis, actualis, ac venialis. Culpa actualis mortalis triplex habet ve, scilicet ve auaritiæ in opere, ve luxuriæ in corpore, ve superbiæ in corde. De isto triplici ve dicitur in Apocalypsi: Ve, ve, ve habitantibus in terra. Item ve pœna triplex est: scilicet ve pœna gehenna, ve pœna Purgatorij, & ve pœnitentiæ. Item, ve ignorantia triplex fuit, ignorantia ere-*

dendi, ignorantia operandi, ignorantia saluandi hoc est, quod homo in statu via ignorat quid credendum, quid operandum, vtrum amore vel odio dignus sit ad saluandum. Sine omni triplici ve fuit Beatissima Virgo MARIA; scilicet tripliciter, sine ve pœna causaliter, sine ve ignorantia habitualiter. Aptissime dixit, caruisse Deiparam omni ve culpæ actualiter; quia reuerà & actu, seu de facto numquam habuit peccatum Originale, quamvis habuisset debitum illius.

Idem deuotissimus Deiparæ Docteur in Mariali, quæst. 25. ait: *Sicut dicit Anselmus: nempe decens erat, vt ea puritate, qua sub Deo maior nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de suo corde æqualem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris & quam ipse Filius substantialiter sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur & nasceretur ille, de quo precedebat. Dicimus ergo, quod puritas hæc est ab Originali, non dico distantia, sed segregatio, & ad primam lucem, quantum possibile est, pura creatura, Deiformis approximatio. Notandum est illud verbum, segregatio, in quo videtur alludere ad illud sancti Paule Christo; segregatus a peccatoribus.*

Idem Albertus Magnus in eodem Mariali cap. 197. cuius titulus est, *De Sufficientia priuilegiorum*, prout extat in editione Bibliothecæ Virginalis, postquam in antecedentibus retulisset inter priuilegia Deiparæ, puritatem in summo habuisse, concludit in prædicto capite huiusmodi: *Sufficientia priuilegiorum sunt in hunc modum. Priuilegium, vel est contra malum, vel ad bonum, contra malum culpa, vel pœna. Pœna autem vel est præsens, vel futura. Auferre pœnam præsentem non est priuilegium, sed nocumentum; quia illa est meritoria. Item futura auferre non est priuilegium, quia hoc est commune plurium, & omnium Martyrum, & aliorum perfectorum multorum, tam innocentium, quam pœnitentium. Qui omnes post vitam istam non sustinent aliquam pœnam. Si ergo est contra malum culpæ, vel est culpa actualis, vel Originalis: si actualis, sic est quantum ad actum, & sic quòd numquam peccauit. Si est culpa Originalis, sic est puritas in summo.*

In Summâ etiam Virgineâ quæst. 27. fol. 75. iuxta editionem antiquam, factam Colonia anno 1509. loquens de *Puritate in summo*, ait: *Si dicatur, quod hæc puritas sit maior post Deum à recessu Originalis, quod Christus habuit recessum & puritatem ab Originali talem, quòd numquam & nullo modo habuit Originale; alij omnes baptizati habent puritatem ab Originali, ita quòd peccatum Originale habuerunt, & adhuc aliquo modo habere, nec habuisse, & inter habere, & habuisse, quodammodo mediū est, scilicet, quodammodo habuisse, & non habere; & hæc fuit puritas beatissimæ Virginis immediata post puritatem Christi. In his vltimis verbis palam suum sensum exhibuit Albertus circa puritatem Conceptionis. Et enim censuit inter Christum & reliquos homines medium tenuisse sanctissimam MARIAM; nimirum, Christum numquam, & nullo modo habuisse peccatum Originale, nec actu, nec potentiâ, nec in debito: Deiparam autem, licet numquam absolute & actualiter habuisset in suâ substantiâ, quemadmodum ceteri habuerunt filij Adami; habuisse*



habuisse tamen aliquo modo in debito & potentia. Hæc sunt valde animaduertenda, ut nouum non fiat studiosis, si alicubi in hoc Doctore inueniantur indicari fuisse in Virgine culpam Originis: loquitur enim in sensu prædicto.

Abfolutè autem, propriè, & actualiter peccato Originali Virginem caruisse multis in locis indicat, & supponit hic magnus Doctor: in Exposit. Apoc. visione 4. cap. 12. dixit ad illud, *Mulier amicta Sole: Hic describitur Mater Virgo: Primò, ab omni peccati immunitate. Secundo, à temporalium abdicatione. Et Luna sub pedibus eius. Tertio, à gratia plenitudine. Et corona stellarum, &c. Ecce Virgo fuit mulier amicta Sole, quia nihil habuit macule & obscuritatis. Cantic. 6. Tota pulchra es, &c. Et Luna sub pedibus eius, scilicet per paupertatem, quam amauit, & abdicationem terrenitatis. Et in capite eius corona stellarum duodecim: id est, plenitudo gratia & virtutis. Nota: Hæc duodecim stelle sunt duodecim prærogatiue beatae Virginis, secundum Bernardum, scilicet, Angelica Salutatio, Conceptio eius sanctificatio in utero, Spiritus sancti superuentio, Filij Dei venerabilis conceptio: & hæc fuerunt de celo. Alia quatuor fuerunt ex parte corporis: Prima, Maternitas sine corruptione, Fecunditas cum virginitate, Sine grauedine grauida, Partus sine dolore. Ex parte animæ fuerunt quatuor: Denotio humilitatis, Reuerentia pudoris, Magnitudo fidei, Martyrium cordis. Propter prima quatuor dicitur: Dominus tecum. Propter alia quatuor: Benedicta tu in mulieribus. Propter vltima quatuor: Ave gratia plena. Cum igitur inter quatuor priuilegia de celo annumerauerit Conceptionem Virginis, satis ostendit sanctificationem in utero sensisse factam in ipsâ Conceptione; neque enim posuit distincta priuilegia Conceptionem & Sanctificationem in utero, alioqui essent illa prima quinque priuilegia, non quatuor; sed appositiuè tamquam vnicum priuilegium dixit Conceptio sanctificatio in utero; reddens rationem, quare Conceptio fuerit priuilegium; nimirum quia fuit etiam sanctificatio Virginis in utero in eodem instanti Conceptionis. Hoc ipsum confirmatur ex Commentariis eiusdem Alberti in Euangelium Lucae cap. 1. vbi eadem repetens, ait: *Est etiam gratia dignitatis eius, ut dicit beatus Bernardus in duodecim: Quatuor micant de celo, quatuor in carne, & quatuor in corde ipsius. De celo enim micat Virginis huius sanctificatio, Angelica Salutatio, Spiritus sancti superuentio, & veneranda Filij Incarnatio, &c.* Hic enim non interposuit expressam Conceptionis vocem; quia comprehendit illam sub nomine sanctificationis, quam in primo instanti conceptæ personæ Virginis censuit factam. Hoc planè euidentius fiet ex ipsis verbis sancti Bernardi, ex quibus prædictam considerationem sumpsit Magnus Albertus. Nam in Sermone de Verbis Apocalypsis, de Beatâ Virgine hæc ait: *Non incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamus, quibus MARIA singulariter adornatur. Siquidem inuenire est in MARIA prærogatiuas cæli, prærogatiuas carnis, prærogatiuas cordis: & si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus fortè stellas duodecim, quibus Reginae nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mibi sanè singularis rutilat fulgor, primò quidem in MARIA generatione: secundo, in Angelicâ Visitatione: tertio, in Spiritus Superuentione: quarto, in Filij Dei inenarrabili**

Conceptione. Vbi valde notandum est idem, quod dixit sanctus Bernardus, Generationem MARIA dici ab Alberto Magno Sanctificationem & Conceptionem; quia nimirum sanctificata fuit in ipsâ generatione, quæ non fuit alia, quàm Conceptio. Hoc ipsum confirmatur ex venerabili Idiota in contemplatione Beatissimæ Virginis cap. 6. à quo acceperunt sanctus Bernardus & Albertus Magnus illas quatuor prærogatiuas. Nam primam earum expressè dixit esse præseruationem ab Originali sorde. Verba eius sunt: *Inuenisti Virgo gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab Originis labe præseruatio, Angelica Salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Conceptio.*

Idem Albertus in altero Tractatu de Laudibus Virginis, qui continet duodecim libros, inter eius Opera nuper editus, dixit lib. 6. cap. 9. ad illud Prouerb. *Mulierem fortem quis inueniet? Et nota, quod mentio fit hic de inuentione. Similiter Luca 1. dictum est MARIA: Inuenisti gratiam apud Dominum. Sicut enim MARIA fuit inuentio habere talem Filium, sic Christo fuit inuentio habere talem matrem. Vnde sicut MARIA dicere potest de Sapientiâ Dei, ex eâ carnem assumente: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ. Sapient. 7. Sic & Christus de MARIA: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ. Quia natus sum mundus de munda, immaculatus de immaculata, & de Virgine Virgo. In eodem Tractatu lib. 4. cap. 27. Sic ait: De sanctitate MARIA dicit beatus Bernardus: *Hæc est Hierusalem ciuitas Sancta, quæ prærogatiua meritorum omnem transcendit creaturam, ad euacuandam omnem potestatem inimici, quæ sola in vniuersa humana generationis linea dicere potest post Filium: Princeps mundi huius in me non habet quidquam. Ioan. 14. Item Ioël in fine: Erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam. Item, sicut dicit Anna in Cantico suo 1. Reg. 2. Non est sanctus, ut est Deus noster; sic dici potest Domina verissime: Non est domina sancta, ut est Domina nostra. Et nota, quod singulas expositiones huius nominis Sanctus, Sancta, Sanctum, reperire est in MARIA. Sanctus vel Sancta idem valet quod mundus vel munda. Vnde Dominus Leuit. 24. & 1. Pet. 1. Sancti estote, quia ergo sanctus sum. Ipsa verò mundissima creaturarum Dei, sicut patet. Ut fuisset mundissima creaturarum, superans Angelorum munditiem, oportebat semper extitisse expertem sordis Originalis, quâ caruerunt cælestes Spiritus. Idcirco in eodem Tractatu idem beatus Doctor, lib. 5. cap. 1. dixit de Beatâ Virgine: *Nec defuit ei puritas Angelorum. Et post pauca: Anima ipsius, & caro, quam elegit, & habitaculum sibi fecit Sapiencia Dei Patris, ab omni immunditia & malitia purissima fuit.***

Illud etiam hic erit operæpretium animaduertere, cum sæpè in libro Exceptionum citauerimus ex sanctis Patribus, commendatam Virginem supra Angelicam puritatem, appellantis eam puriorem Seraphim, mundiorem Cherubim, & sicut suprâ diximus ex Alberto Magno, *Creaturarum purissimam*; quantam vim habeat hæc vox purior, ut propterea applicata Virgini cum comparatione Angelorum omnino excludat peccatum Originis. Communiter siquidem sumuntur diuersimodè ista nomina sanctior & purior. Sanctitas solet sumi pro positiuâ dignitate gratiæ & meritorum, ad quam peruenit creatura; vnde non refertur ad præterita, sed ad præsentem statum, &c.

& culmen ad quod peruenit gratia. Puritas autem sumitur pro negatiua propinquitate peccati & sordis, vnde respicit etiam ad præteritum, ex quo haberi possent sordes, & tamen non fuerunt habitæ. Hinc est vt Magdalena, vel sancta Maria Ægyptiaca posset dici sanctior sancta Agnete vel Cæciliâ, & tamen non posset dici purior: quia quamvis maiorem sanctitatem potuerit acquirere Magdalena; non tamen adeo caruit immunditiis peccatorum. Sic etiam sanctus Augustinus posset dici sanctior quam sanctus Ludouicus Episcopus, vel sanctus Casimirus; attamen non potuit dici purior, quia non caruit sordibus vitæ præteritæ, quibus caruit sanctus Casimirus. Sic etiam Rex Dauid potest dici sanctior quam sanctus Henricus Imperator, & tamen non dicitur purior. Hinc constat quomodo cum loquuntur Patres de beatâ Virgine, appellantes illam non solum sanctiorem Seraphim; sed etiam puriorem omnibus Spiritibus Cælestibus, denotant necessariò caruisse in præterito labe Originis, quâ caruerunt Angeli.

Nec prætereundum quod lib. 4 iam citato, cap. 27. Albertus dixit: *In omni huiusmodi, vel alia sanctitate non est anima sancta, vt est Domina nostra, & propter hoc dicit ipsa Filio, sicut exponit beatus Maximus Episcopus: Tenuisti manum dexteram meam, &c. Tenuisti, ne vquam caderem: intelligens non à se, sed à Deo esse, quod numquam cecidit. Et in voluntate tuâ, id est, in adimplerione voluntatis deduxisti me de virtute in virtutem. Deduxisti, inquam, me, ne errarem, & cum gloriâ suscepisti me, ne deficerem. Tenuisti in puritate, deduxisti in claritate. Hæc verba tres status vitæ Christiani designant, scilicet statum innocentia, iustitia, & gloriæ. In hoc testimonio consequente illud, quod paulò antè ex hoc capite produximus, non solum possumus allegare hunc magnū Doctorem fauisse incontaminationi Conceptionis Virgineæ: sed etiam sanctū Maximum, Doctorem Latinum: nam de sancto Maximo Græco alibi dicimus.*

Eximie quoque adstruit beatus Albertus omnimodam Virginis puritatem in principio lib. 3. dicens: *Caro, secundum quosdam, dicitur à carendo: quia multiplex gloriosa carentia, seu gloriosus defectus fuit in carne ipsius. Caro MARIÆ caruit peccato Originali in sanctificatione. Vnde Psal. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, quando eam purgauit ab Originali, vt tota munda nasceretur. Tunc enim videtur Pater quasi præcepisse Spiritui sancto illud Proverb. 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Tunc enim celestis Aurifaber, id est Spiritus sanctus, qui est omnium artifex, Sapient. 7. Totam rubiginem culpæ Originalis abstulit de argento virgineæ carnis: & tunc fuit ipsa caro argentum igne Spiritus sancti animatum, probatum terra, id est à terrenis contagiis, & purgatum septuplum, id est perfectè per gratiam septiformem: & hoc totum, vt egredietur vas corporis virginei purissimum ad recipiendas gratias, & virtutes, & condigna materia fieret, de qua Deus Pater gloriosum corpus aptaret Vnigenito suo. Vnde Filius Patri Hebr. 10. Hostiam & oblationem noluiisti, corpus autem aptasti mihi, id est, aptum & idoneum dedisti. Multa hinc considerari possent, quæ omittere breuitas exigit. Expurgatio hinc sumitur pro præseruatione, seu collatione puritatis, iuxta aliquos Patres; imò et si loquatur Albertus de expur-*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

gatione, quæ abstulerit maculam, nequaquam loquitur de expurgatione animæ, sed carnis, cuius debitum expurgatum fuit in ipsâ infusione animæ sanctificatæ; ita vt peccatum Originale contrahibile ablatum à carne fuerit per gratiam animæ, quâ præseruata fuit, vt non haberet illud contractum.

Tam abest, vt imputet Albertus Magnus Beatissimæ Virgini peccatum Originale de facto & actualiter contractum in suâ personâ, cum in verbis exprimit eam conceptam in Originali, vel auersam à Deo per Originale, vt potius inde confirmet actualiter, & ipso facto nequaquam contraxisse in suâ entitate reali, & existente in rerum naturâ, culpam Originariam: nam non loquitur de peccato Originis contracto in suo esse reali, sed contrahibili, & debito illius in radice primi parentis. Hoc planè constat ex verbis eiusdem, quæst. 132. super *Missus est*, vbi proponens argumenta, quibus probari posset Virginem non assumptam corpore in cælum, ait: *Quidquid non separatur à culpâ, nec à pœnâ, sed omnes in Adam peccauerunt: Ergo omnes in suo peccato puniri debent: sed ei imponitur pœna Genes. 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris, &c. Ergo omnes in peccato nati corporaliter debent incinerari.* Huic argumento respondens postea, & pariter rationem reddens, cur sanctissima Virgo corpore & animâ fuerit assumpta in cælum, hæc scribit: *Ecce testimonio ipsius Papæ Gregorij, & duorum Episcoporum, Augustini & Dionysij, & vnius Abbatis Bernardi, imò ipsorum Apostolorum Petri & Iacobi, probatum est, Beatam Virginem in corpore & animâ gloriosissimè esse assumptam. Quod & rationibus perspicuum est. In peccato enim duo sunt, scilicet auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile. Istis respondent duo in pœnâ: quia anima auerit se à sua vita, incidit in necessitatem auersionis à corpore, cuius anima est vita: ex conuersione ad nihilum, incidit in necessitatem redeundi in quasi nihilum, id est in puluerem: sed Beatissima Virgo auersa fuit per Originale, vnde debuit mori: sed nunquam fuit conuersa actualiter ad aliquod nihilum: ergo non debuit incinerari.* In his auctoritatibus excludit Albertus sanctissimam Virginem à peccato Adami, quoad effectum siue executionem contractæ culpæ Originalis. Alioqui absurda diceret, imò aliena à Catholicis dogmatibus: quippe ex eius ratiocinatione, si Virgo contraxisset de facto peccatum Originale, sequeretur infantes nõ esse in puluerem resoluendos; imò assumendos esse in corpore & animâ ad cælum. Cùmque Albertus promiserit perspicuam ex vi rationis fatere Assumptionem Deiparæ corporalem, planè non ostenderet illam ratione tam obscurâ, vt fuerit communis cum infantibus, & nihil speciale & perspicuum conuinceret de Beatissimâ Virgine, maximè cum non addiderit aliam maiorem & puram rationem. Sensus igitur tanti Doctoris necessarius, genuinusque est, & perspicua eiusdem ratiocinatio ista; cum acciderint Dei Genitrici hæc duo, mors communis cum aliis hominibus, & specialis assumptio corporis in cælum; causa est, quoniam ipsa fuerit in Adam auersa à Deo, per culpæ Originalis debitum: id circò experta est mortem, quæ ante præseruationem Virginis, imò peccatum Adæ declarata fuerat pœna transgressionis. Cùm verò Sanctissima Virgo actualiter, hoc est, in actu exercito & de facto non fuerit conuersa ad nihilum

Per vllum peccatum, nec Originale, non incurrit illam pœnam, quæ post eius præseruationem imposita est; nimirum *puluis es & in puluerem reuerteris*. Notandum quippe est, præseruationem Virginis declaratam esse per illa Dei verba ad serpentem, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, &c. Nec vacat ad rem Alberti mysterio, quòd hæc præseruatio fuerit post damnationem mortis, & ante pronuntiationem incinerationis, seu conuersionis in puluerem: vnde non incongruè sequitur, & significatur, licet mortis foret particeps Virgo, non experturam tamen incinerationem; sed etiam cum corpore in cælum assumendam.

Quòd si dixeris, iuxta hunc sensum, auersionem a Creatore, & conuersionem ad creaturam, siue nihilum, quamvis priuatiuè, referri ad diuersa subiecta; respondeo, In quocumque euentu iuxta litteram Alberti Magni referenda esse ad diuersa subiecta, nimirum saltem auersionem ad peccatum Originale, & conuersionem ad peccatum actuale: quem modum duplicis relationis nos negamus, ne absurda, friuola, & non Catholica sit ratiocinatio Alberti; sed efficax, & consentanea; transmutamusque illam duplicem relationem, primam ad peccatum Originale contrahibile, secundam ad iam contractum de facto. Cumque istud negemus in Virgine, negamus etiam in eadem conuersionem ad nihilum, iuxta mentem Alberti. Porrò si quæretur ratio huius diuisionis, hæc forsitan est; quoniam auersio primariò denotet priuationem boni; nimirum gratiæ diuinæ, idè ad debitum peccati Originalis eam retulit Albertus, quòd iudicauit habuisse Deiparam, atque ad carentiam gratiæ sufficit debitum, dum non remissum est; conuersio autem dicit acquisitionem mali, quâ sacratissima Virgo caruit, cum Originis peccatum facto ipso, & reuerà non contraxerit.

Ex dictis confirmatur, quod ex alio loco superius notauimus, aduerbium *actualiter*, cum illud applicat Albertus ad peccatum, non tam indicare peccatum, quod actu proprio sit factum, sed quod actu, hoc est non potentiâ solum, sed ipso facto inest, siue sit Originale siue voluntate propriâ & priuatâ procedens, siue aliud ex voluntate commissum. Quòd autem illud aduerbium *actualiter* sumpserit Albertus, sicut & alij Scholastici in sensu prædicto, constat ex Concilio Basileensi Sess. 36. nam referens varias opiniones circa Conceptionem, ait quosdam dixisse, *ipsam Virginem, & eius animam per aliquod tempus aut instans temporis subiaccuisse actualiter Originali culpa*. Et paulò post ex propriâ sententiâ profitentur Concilij Patres, *gloriosam Virginem Dei genitricem MARIAM, præueniente & operante diuini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subiaccuisse Originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni Originali & actuali culpa*. Vbi illud *actualiter* manifestè refertur ad peccatum Originale, & non solum actuale. Eodem modo intellexerunt Scholasticos antiquos Doctores moderni, imò & Vniuersitates qualis est Complutensis, vt constat ex iuramento eiusdem pro Immaculatâ Conceptione, de quo extat liber specialis typis mandatus Compluti anno 1617. à Magistro Alphonso Sanctio, ex Decreto eiusdem Complutensis Academiæ. In hoc iuramento similiter loquuntur Doctores, Deiparam *numquam actualiter* subiaccuisse Originali peccato. Idipsum confir-

matur ex alio loco Alberti supra citato sub initium huius Epistolæ.

Verùm post toties assertum ab Alberto illibata Virginis conceptum, ne quis miretur aut obuiat quod in 3. Sentent. dist. 3. art. 5. dixerit sanctificatam Deiparam *citò post animationem*. Nam hoc commune habuit cum nonnullis Scholasticis, qui aliis in locis palàm pronuntiarunt sine Originali conceptam Virginem; siue quia se retractarunt, siue quia se explicarunt, liberiùs propalantes suam mentem, extra Vniuersitatem Parisiensem, in quâ metus aut reuerentia Decreti Mauritaniani, quod postea renouatum est ab ipsâ Vniuersitate eos continebat, vt propterea magis cautè quàm clarè in scriptis scholasticis loquerentur. Præterea, quod iis verbis voluerunt significare est, statim ac animata fuit Virgo, non ante animationem sanctificatam fuisse; nimirum in eodem instanti animationis, post illam, posterioritate tantum naturæ, non temporis. Deinde in aliquibus per aduerbium *citò* non connotatur posterioritas conceptionis seminalis, scilicet quia postquam extitit conceptus fœtus virgineus, citò fuit sanctificata Virgo; nimirum statim ac animatus fuit, non post aliquos menses. Tandem modus, quo hæc verba protulit Albertus, omnino fauet sanctificationi in ipsâ animatione. Verba eius sunt: *Ante natiuitatem ex vtero sanctificata fuit; sed quod ait, vel qua hora nescire quemquam hominem, nisi per reuelationem: nisi quod probabilius est, quòd citò post animationem conferatur, quàm longè expectetur*. In his verbis non dixit absolutè Albertus sanctificatam Virginem citò post animationem, sed comparisonem faciens inter sanctificationem in vtero, longè postquam extitit in vtero, aut citò postquam generata fuit Deipara, dixit probabilius esse, citò sanctificatam fuisse, quàm longè; postquam per aliquos menses animata extiterit in vtero; sicut accidit Ioannis Baptistæ. Vt cumque autem nequaquam negauit hic Doctor sanctificatam Virginem in eodem instanti animationis, imò iuxta eius maiorem probabilitatem est ista sanctificatio primæ animationis: sic enim citiùs sanctificata fuit post primam fœtus conceptionem, & non est longiùs expectatum. Aptus itaque sensus Alberti Magni est iste: cum certum sit Deiparam sanctificatam fuisse ante natiuitatem, in ipso scilicet vtero sanctæ Annæ, incertumque sit, quo die, cum nesciatur, quando illi fuisset anima infusa, cuius infusio requiritur ad sanctificationem per gratiam habitualement: censuit citò sanctificatam fuisse, postquam extitit in vtero; nimirum non longiùs post conceptionem seminalem, quàm in ipso instanti animationis, illicò postquam caro eius animata fuit posterioritate naturæ dumtaxat, quod probabilius iudicauit, quàm expectare longiores moras; atque hæc posterioritas naturæ sufficiebat ad rationem illam aliquorum Scholasticorum, de animæ liberatione, & aliàs, quas afferunt, profectò sine magnâ rationis vi, si rectè considerentur. Hoc ipsum confirmat sensus nonnullorum Scholasticorum, qui afferentes sanctificationem Virginis in vtero sanctæ Annæ citò fuisse factam, illud aduerbium *citò* referunt ad conceptionem seminalem, ita vt postquam conceptus virgineus extitit in rerum naturâ, mox fuerit sine peccato Originali; & hanc breuitatem extendunt vsque ad tempus solum animationis, & nonnulli contrahunt ante animationem, qualis fuit Ioannes